231.558
2/1834
.J64
vol. 3/4
~~Reference~~

John, Chrysostom, St.
Operum

Date Due

Cardinal Spellman Library
St. Pius X Seminary
Graymoor, Garrison, N. Y.

DEMCO

† LIBRARY †
St. Paul's Friary
GRAYMOOR, GARRISON, N. Y.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/collectioselecta0034vari

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM

LXXVI

PATRES QUINTI ECCLESIÆ SÆCULI.

S. JOANNES CHRYSOSTOMUS.

III.

POISSY. — E TYPOGRAPHEO ARBIEU.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

CANONICO HONORARIO CENOMANENSI ET CADURCENSI

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

EPISCOPO MAROCHIENSI, IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE :

BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS.

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS TERTIUS.

PARISIIS,

APUD MELLIER PÈRE EDITOREM,

17, RUE PAVÉE SAINT-ANDRÉ.

M. DCCC. XXXV.

This is the property
Southern Evangelical
5000 Tilley Morris
Matthews, NC 28

S. P. N. JOANNIS

CHRYSOSTOMI

ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI,

OPERUM

PARS I.

HOMILIÆ IN SCRIPTURAM.

CLASSIS I.

HOMILIÆ IN VETUS TESTAMENTUM.

EXPOSITIONES IN PSALMOS.

BR
.C42
1934
c.3

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

CONSTANTINOPOLITANI

ARCHIEPISCOPI,

EXPOSITIONES IN PSALMOS (1).

EXPOSITIO

IN PSALMUM III.

Psalmus David, cum fugeret a facie Absalom filii sui. Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me[1] ?

Ducibus victoriam assecutis reges triumphales ponunt statuas[2] : aurigis vero et athletis imagines et columnas eorum victoriæ testes excitant principes, et inscriptione tanquam ore efficiunt, ut materia victoriam prædicet. Alii rursus in libris et scriptis victorum laudem describunt, suas in laudando vires iis, qui laudantur, majores volentes ostendere. Pictores certe, statuarii, sculptores, populi, principes, civitates, et pagi, victores admirantur. Nemo autem fugientis, ejusque qui non bellum gessit, descripsit imaginem, ut nunc David. Est enim « Psalmus David, dum » fugeret a facie Absalom filii sui. » Et quando laude dignus est qui fugit ? Quando dignus est habitus exul, cujus nomen inscriberetur ? Fugitivos scriptis litteris persequuntur, non honorant inscriptionibus. Sed disce, o frater,

[1] Psal. III, 1, 2. — [2] Vide D. Guillon, t. XII, p. 113-120.

causam inscriptionis, et animam tuam in tuto colloca. Sit tibi historiæ narratio, vitæ tuæ correctio. Sit justi persecutio, mentis stabilimentum. Disce cur Davidem persequeretur Absalom, ut cum ceu rei fundamentum inveneris, timore Domini ædificeris. Quemadmodum enim absque fundamento invalida et imbecilla est ædificatio : ita, nisi invento scopo ac instituto, scriptura est inutilis. Beati David hic scopus fuit per propositum Psalmum vitam instituere et castigare, ut nihil unquam mali faciat, nec leges Dei contemnat, nec peccatori ea eveniant, quæ sibi evenerunt. Fugiebat filium suum David, quoniam castitatem fugerat; fugiebat filium, quoniam matrimonium pudicum violaverat; fugiebat filium, quoniam legem Dei quæ dicit : « Non » occides. Non adulterabis [1], » fugerat. Quia enim alienam agnam in domum suam introduxerat, et ejus pastorem interfecerat, qui erat ex domo sua agnus, pastorem cornu petebat. Alienæ domui bellum intulit, et ex domo sua ipsi bellum excitatum est. Non est meum cogitatum, ipsius Dei dictum est. Ubi autem Deus est qui interpretatur, nemo est qui contradicat. Quod enim adversus David filius suus ideo insurrexerit, quoniam Uriam interfecit, et uxorem ejus accepit, audi Deum per prophetam Nathan Davidi dicentem : « Ego unxi te regem super Israël, et erui te de » manu Saülis. Ego dedi tibi omnia quæ erant domini tui, » et domum Saülis et Juda : et si parva sunt hæc, adjiciam » tibi his paria. Quare ergo contempsisti Dominum, ut fa» ceres malum in conspectu meo? Uriam Hettæum per» cussisti gladio, et uxorem illius accepisti in uxorem tibi. » Et nunc non recedet gladius de domo tua in æternum [2]. » Alienam domum gladio divisisti : gladium adversus te fabricabor in domo tua. « Ecce ego suscitabo adversus te » mala ex domo tua [3]. » Non aliunde, nec foris, sed ex domo

[1] Exod. xx, 13, 14. — [2] 2 Reg. xii, 7-10. — [3] Ibid, 11.

tua. Unde est fons peccati, illinc est plaga supplicii. Quia ergo a præcepto Domini fugitivus exulque fuerat, propterea filium fugiebat. « Psalmus David dum fugeret a facie » Absalom filii sui. » Belli narratione melior est causa belli suscepti, ut cum justi lapsum viderimus, caveamus ne cadamus, et ejusmodi supplicium fugiamus. Multi enim vel in hodiernum usque diem bella habent in ædibus, et hic quidem oppugnatur ab uxore, ille vero obsidetur a filio : alius autem a fratre, et alius domatur a famulo, et unusquisque angitur et afflictatur, pugnat, bellum gerit, et bello vexatur, ac nemo subducta ratione apud se cogitat, nisi peccata seminasset, nunquam fore ut in domo sua spinæ et tribuli orirentur ; nec nisi peccatorum scintillas occultasset, domum conflagraturam fuisse. Quod enim peccatorum fructus sint mala propria, et domesticos lictores Deus in peccatores elegerit, testis est Scriptura, qua ad faciendam fidem nihil est validius. Uxor tecum bellum gerit, ingresso tanquam fera occurrit, linguam tanquam gladium acuit. Res quidem valde molesta, quod auxiliatrix adversaria facta sit : teipsum tamen examina, numquid in juventute in mulierem quid attentaris, et quod mulieri a te vulnus inflictum est, curatur per mulierem, et alienum ulcus propria uxor, chirurgi officio fungens, medicatur. Id quamvis quæ secat ignoret, novit tamen Deus medicus. Ipse enim ea tanquam ferro adversus te usus est : et quemadmodum ferrum nescit quid agat, futuram autem per ferrum medelam novit medicus : ita etiam licet ignoret uxor quæ ferit, et maritus qui feritur, causam ictus; Deus tamen ut medicus novit quid conferat. Quod autem mulier mala sit peccatorum colaphus, testis est sacra Scriptura. Quid enim dicat audi : « Mulier mala viro peccatori dabi» tur (2). » Ei dabitur tanquam amarum antidotum, quod peccatorum malos humores consumat. Quod autem etiam

obsideri a filiis, sit peccatorum supplicium, testis est David, qui propter nefarium congressum a suo filio Absalom bello impetitur, ut superius ostendimus. Quod autem etiam fratres adversus fratres propter peccata bellum gesserint, testis est liber Judicum [1]. Quando enim in viatoris concubinam fornicati sunt, qui erant ex tribu Benjamin; illa autem, cum ingentem non ferret contumeliam, mortua est: undecim tribus adversus unam bellum gesserunt : et quia undecim tribus a Deo defecerant, et fornicatæ fuerant in idola, undecim tribus ab una tribu victæ sunt, et sæpe ab una victæ semel illam vicerunt, et fratres adversus fratres bellum gesserunt, quandoquidem Deus propter peccata eorum intermediam peccati maceriam sustulit. Quoniam enim una tribus in mulierem fornicata, undecim autem tribus in idola fornicatæ fuerant, et hi et illi a Deo exterminati sunt, sicut scriptum est : « Exterminasti omnem qui » fornicatur a te [2]. » Fratres ergo adversus fratres propter peccata bella gesserunt. Si te fratres oppugnant, non tantum de illis ingemiscas, quantum apud teipsum rationem ineas et inquiras propter quænam peccata fratres tui sint hostes. Non quod omnes propter peccata a fratribus oppugnentur : Joseph enim oppugnabatur a fratribus, neque sane propter peccata : et Jobo uxor insidiabatur, non propter peccata certe, sed quod longe plures homines propter peccata bella habeamus domestica. Nonnunquam etiam amici in inimicos convertuntur propter peccata, et qui olim amabant, oderunt et aversantur, Deo tale odium immittente propter eas, quas novit, rationes. Ita enim in Psalmo centesimo quarto scriptum est de Ægyptiis : « Con- » vertit cor eorum ut odirent populum ejus [3]. » Non immissum autem esset a Deo odium, nisi prius male amassent. Quibus enim amicitia comparabat exitium, iis odium erat

[1] Jud. XIX, et XX. — [2] Psal. LXXII, 27. — [3] Id. CIV, 25.

occasio virtutis. Imo serva quoque et subdita corpora sæpe propter peccatum insurrexere in dominum. Vide enim Adam, cum nondum peccasset, bestias tanquam servas et obedientes habentem, et eis tanquam servis nomina imponentem. Postquam autem aspectum peccato commaculavit, tunc bestiæ eum non cognoscebant, et quæ servæ erant ei, hostes evaserunt; ac quemadmodum canis, qui in domo est, ei servit, qui eum alit, et eum timet ac formidat, sed si eum repente viderit vultu fuligine atrato vel personatum, aggreditur tanquam alienum, et eum dilacerare tentat : ita etiam quandiu Adam purum servavit vultum, factum ad imaginem Dei, bestiæ ei ut servæ parebant. Quando autem vultum fœdavit inobedientia, non agnoscentes dominum, tanquam alienum eum odio habebant. Servorum itaque rebellio est peccatorum retributio. Justus erat Daniel, et leones ejus agnoverunt dominium. Viderunt eum non gustasse peccatum, et eum supplicii expertem reliquerunt[1]. Peccavit Propheta mentitus, et leo eum in via inventum morte affecit[2]. Erat mendacii fuligine atratus, et leo eum non cognovit. Si Prophetam vidisset, ut Danielem, eum honorasset : invenit pseudoprophetam, et tanquam alienum invasit. Dominus mentitus est, et servus negavit dominium. Et quid dico de malis domesticis, quando ipsum etiam nostrum corpus, quod est nobis omnibus familiarius et charius, quandoque nobiscum peccantibus bellum gerit, per febres, morbos, et dolores nos oppugnans, ac servum corpus dominam animam, quæ peccavit, flagellat, non quod hoc velit, sed quod hoc jubeatur facere? Hujus testis est Christus, qui curato dicit paralytico : « Ecce » sanus factus es, noli amplius peccare, ne quid deterius » tibi contingat[3]. » Cum ergo didicerimus, fratres, domestica, intestina et servilia bella, et morbos etiam corporis

[1] Daniel. XIV, 39. — [2] 3 Reg. XIII, 24. — [3] Joan. V, 14.

sæpe accidere per peccatum, peccatum fontem malorum reprimamus : et si torrentes animi perturbationum non fluunt, fluvii tamen aquarum Dei oblectant animum. Quoniam ergo David mulierem, quæ erat in mariti potestate, tanquam alienum regnum occupaverat : (cuilibet enim viro regnum est concors conjux, et non sic rex purpuram et diadema, ut vir uxorem diligit;) propterea qui ex uxore natus ei erat filius, insurrexit tyrannus, volens arripere regnum patris. Vi rapuit, et vim passus est : et qui clanculum peccaverat, de eo palam triumphus actus est, et qui erat in occulto vulneratus, chirurgi manum coram omnibus passus est, id curante Deo qui dixerat : « Tu fe» cisti in abscondito : ego autem faciam in aperto, et in » conspectu solis hujus [1]. » Absalom tamen scelus non ei ad finem usque processit : et merito, ne parricidæ hoc facinus tenerent pro lege parricidii. Cum autem ut carnifex deserviisset, ut reus interfectus est, ut qui esset damnatus : et sicut quæ in theatris exhibentur feræ, alios quidem invadunt, ab aliis vero interficiuntur : ita etiam Absalom Davidem aggressus, a Joab occisus est, et in sublimi arbore suspensus est [2], qui adversus patrem erigebatur, et a planta detinebatur, qui cum radice pugnabat ; vinctus erat a ramo ramus, qui erat a paterna affectione abruptus : et capite tenebatur, qui genitoris caput auferre contendebat, ac tanquam fructus pendebat ab arbore, qui naturæ agricolam volebat excindere, et in corde jaculo confossus est, illic occisus, ubi cædem parabat. Et tunc videre erat spectaculum admirabile. Mulo enim equitans, ex capillorum coma a coma arboris tenebatur, et coma tenebat coma tyrannum, illic eum contundens, ubi diadema paternum gestare contendebat. Poterat ergo videri Absalom suspensus in medio cœli et terræ. Cœlum eum non admittebat.

[1] 2 Reg. xii, 12. — [2] Id. xviii, 14.

Si enim primum rebellem ejecit diabolum, quomodo ipsum rebellem secundum admisisset? Terra eum aversabatur, non ferens pollui parricidæ plantis. Si enim Dathan devoravit, qui contra Mosen erat locutus [1], et os suum aperuit adversus eum, qui os improbe aperuerat : quomodo potuisset ferre pedes currentes adversus genitorem? Cum ergo sublimis in arbore penderet, eum aggressus est Joab dux exercitus, et in cor excordis tres sagittas infixit, illic eum feriens, ubi erat receptaculum iniquitatis, et cum in arbore sublimis penderet, pulchrum epitaphium ei David cecinit : « Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut » cedros Libani : et transivi, et ecce non erat [2]. Psalmus » David, quando fugiebat a facie Absalom filii sui. » Fugiebat autem, non ut qui timeret, sed ut qui filium caveret occidere. Etenim parcebat tanquam filio, sed qui cum eo erant, non pepercerunt tanquam rebelli. Unde David, cum filius eum persequeretur, et propter ipsum Semeï eum maledictis insectaretur, ipse quidem patientia usus est : quoniam autem multi adversus eum offendebantur, et maxime qui una cum Absalom insurgebant, et deinceps adversus eum erigebantur tanquam divina providentia destitutum dicentes : « Desertus nunc David absque auxilio penitus est, nunc discessit ab eo Deus, ut etiam aliquando a Saüle; quemadmodum enim tunc discessit a Saüle, et fuit cum David : ita nunc discessit a David, et est cum Absalom; insurgamus, invadamus, non est ei salus in Deo. » Quoniam, inquam, hæc dicebant, hæc indignius ferens David, quam filii insultus, Deum interrogat : « Domine, quid multiplicati » sunt qui tribulant me? » Circumseptus sum tentationibus, circumdor torrentibus malorum, descendit periculosa pluvia, venerunt flumina hostium, venti malignorum spirituum insufflarunt, in meam domum irruperunt, volentes

[1] Num. xvi, — [2] Psal. xxxvi, 35, 36.

animam meam a te dimovere, sed fundatus supra petram fidei, non cado, sed procumbo, ut discam : « Domine, quid » multiplicati sunt qui tribulant me? » Qui ex me genitus est, contra me est, sed tu es pro me. Mea mecum viscera bellum gerunt : meus populus post Absalom, meus contra me armatur exercitus. Oves meæ lupi facti sunt, et leones agni, et canes rabie perciti, agnelli, et tauri cornu petentes, arietes : non propter meipsum afficior tristitia, sed illorum doleo exitium.

EXPOSITIO

IN PSALMUM IV.

Cum invocarem exaudivit me Deus justitiæ meæ [1].

I. Non hæc dicit Propheta, ut solum intelligamus eum fuisse exauditum [2] : sed ut discamus quomodo ipsi quoque Deum invocantes, cito poterimus exaudiri, et ante finem orationis postulatum consequi. Non dixit enim : « Postquam ego invocavi, exaudivit me, » sed, « Cum invocarem. » Nam ipsius quoque Dei est ejusmodi promissio, dum alicubi dicit ei qui invocat : « Te adhuc loquente dicam : Ecce » adsum [3]. » Non solet enim Deo persuadere verborum multitudo, sed pura anima, et bonorum operum ostensio. Eis itaque, qui improbe quidem vivunt, verborum autem prolixitate se eum placare existimant, vide quid dicat : « Quando » multiplicabitis orationem, non exaudiam vos. Si exten- » deritis manus, avertam oculos meos a vobis [4]. » Ante alia

[1] Psal. IV, 2. — [2] Vide D. Guillon, tom. XV, p. 208-221. — [3] Isaï. LVIII, 9. — [4] Id. I, 15.

itaque omnia oportet eum, qui precatur, habere fiduciam, et postulatum omnino consequetur. Et ideo non dixit Propheta : « Exaudivit me, » sed « Justitiam meam : » suam in Deum fiduciam ostendens, et se cum ea semper ad eum accedere. Nec vero putet quispiam eum, dum hæc dicit, se jactare. Non enim hæc dicit ut se extollat, sed ut doctrinam quamdam et admonitionem communem valde utilem afferat. Ne dicat enim quispiam : « Ille fuit exauditus, quoniam erat David, ego vero non exaudiar, quoniam sum pusillus et abjectus. » Ostendit Deum nec illum audire quomodocumque, nec te non audire temere et nulla ductum ratione, sed semper res et facta exacte contemplari. Quæ si habueris, et eorum possis uti patrocinio, omnino exaudieris. Quemadmodum si non habueris, nec si David quidem fueris, poteris Deum placare : et sicut avari, nec dignitatem, nec aliquid aliud respiciunt, nisi eos tantum qui habent pecuniam, et ad eos, tanquam nihil effecturi, accedunt : ita etiam quia Deus est amator justitiæ, quicumque cum ea ad ipsum accesserit, non recedet vacuus : ut qui ea caret et iis, quæ sunt illi contraria, inquinatur, quantumvis oret et obsecret, nihilo plus efficiet, cum persuadendi facultate careat. Ideo si apud Deum velis aliquid efficere, ea accepta proficiscere. Justitiam autem ne esse partem virtutis existimes, sed integram et universam. Ita etiam erat Job justus, ut qui humanam omnem haberet virtutem, non qui ab hoc quidem malo abstineret, illud vero retineret. Ita etiam nos justam stateram esse dicimus, quæ omni ex parte æqua est : non si aurum quidem possit ex æquo statuere, secus autem plumbum, sed quæ in quavis materia æquitatem exhibet : et rursus mensuram, quæ est omni ex parte æqua. Ita etiam erat Job justus, æquus ex omni parte. Neque enim in pecunia solum eam servabat æquitatem, sed etiam in aliis omnibus, modum nunquam

excedens. Nec possit dicere quispiam eum in pecunia quidem æquitatem dilexisse, in congressione autem et sermone cum propinquis modum excessisse, ut qui esset superbus et arrogans. Hoc enim summo studio fugiebat. Et ideo dicebat : « Quod si etiam contempsi judicium servi » mei vel ancillæ, cum litigarent mecum : vel non sicut » ego fui, fuerunt et ipsi [1]. » Et hoc ergo etiam injustitia est, esse superbum et arrogantem.

II. Quemadmodum enim avarum esse dicimus, qui vult in ea, quæ sunt aliorum, invadere, nec suis est contentus : ita etiam superbum et arrogantem, quando plus exigit quam quod sibi debetur a proximo, quando quis seipsum quidem in omni honore collocat, alium vero habet despectui. Hoc autem non aliunde oritur, quam ex injustitia. Quod enim hoc sit injustitia, ex hoc considera. Et te et illum fecit Deus, et tibi omnia dedit cum illo communia et ex æquo. Quomodo ergo eum expellis, et spolias honore quem Deus dedit, et ad societatem non admittis, sed omnia tibi tribuis, et non solum in pecunia, sed etiam in honore eum facis pauperem ? Deus dedit unam utrique essentiam : æquali principatu, æquali creationis honore dignatus est. Illud enim, « Faciamus hominem [2], » est commune universo generi. Quomodo ergo eum exturbas a bonis paternis, ad summam humilitatem redigens, et quod est commune, tanquam tibi proprium vindicans ? Sed talis non erat beatus Propheta, et ideo audacter et libere dicebat : « Exaudi- » vit justitiam meam. » Ita etiam Paulus seipsum sæpe adducit in medium, non se efferens, nec intumescens, sed se aliis exemplar proponens, ut quando dicit : « Volo omnes » homines esse sicut et meipsum in continentia [3]. » Ita etiam David, tempore ita postulante, fortitudinem suam quæ ei divinitus obtigerat, in medium adducit, dicens se et ursos

[1] Job. xxxi, 13. — [2] Gen. i, 26. — [3] 1 Cor. vii, 7.

suffocasse, et leones strangulasse[1], non seipsum quidem sic extollens, absit : sed ea ratione procurans ut sibi fides haberetur. « Et si habeo justitiam, dicet fortasse quispiam, quid opus est oratione, cum et res ipsa ad omnia recte gerenda sufficiat, et qui daturus est, sciat quibusnam opus habemus ? » Quoniam oratio non est parvum vinculum dilectionis in Deum, quæ cum eo colloqui nos assuefacit, et ad sapientiæ studium nos deducit. Si enim qui cum aliquo admirabili viro multum versatur, ex ejus consuetudine maximum fructum accipit, quanto magis qui cum Deo perpetuam habet consuetudinem ? Sed non probe scimus quodnam sit lucrum orationis, quia nec ei studiose animum adhibemus, nec ea ex Dei legibus utimur. Sed homines quidem aliquos allocuturi, qui sunt nobis superiores, ubi habitum, incessum, amictum, et omnia composuerimus, ita ut oportet alloquimur : ad Deum autem accedentes, hiscimus, nos scalpimus atque huc et illuc versamus, negligentes ac socordes sumus, humi genibus flexis per forum oberramus. Quod si cum ea, qua par est, reverentia, et tanquam cum Deo locuturi accederemus, tunc sciremus etiam antequam acciperemus quæ petimus, quantum lucri faciamus. Homo enim qui cum Deo loqui didicit, ut decet eum, qui cum Deo loquitur, erit deinceps Angelus. Ita liberatur anima a vinculis corporis; ita ei ratio in altum tollitur; ita e terris migrat in cœlum; ita quæ ad vitam hanc pertinent, despicit : ita apud ipsum solium regium sistitur, etiamsi sit pauper, si famulus, si privatus, si indoctus. Non quærit enim Deus linguæ elegantiam, nec verborum compositionem, sed animæ pulchritudinem, et si illa ea, quæ ipsi placent, loquatur, tota re effecta, recedit. Vides quanta facilitas ? In hominibus oportet eum, qui aliquem adit, esse dicendi facultate præditum, et posse blan-

[1] 1 Reg. XVII, 34.

ditiis sibi conciliare omnes asseclas principis, et multa alia excogitare, ut gratus esse possit. Hic autem nullo alio, præterquam sola vigilanti mente opus est, et nihil est quod prohibeat quominus prope Deum simus. « Deus enim ap- » propinquans ego sum, et non Deus procul [1]. » Ita ut quod longe absit, id a nobis proficiscatur : ipse enim semper prope est. Et quid dico nos non opus habere dicendi facultate? sæpenumero ne voce quidem opus habemus. Nam si vel in corde locutus fueris, et eum ut oportet vocaveris, vel tunc quoque facile annuet. Ita et Mosen audivit [2] : ita etiam Annam [3]. Non assistit miles qui expellat; non satelles, qui opportunitatem tollat; non est qui dicat : « Non est nunc tempus accedendi, veni postea. » Sed quando veneris, stat audiens, etiamsi tempore prandii, etiamsi tempore cœnæ, etiamsi nocte intempesta, in foro, in via, in cubili, etiamsi intus in judicio coram magistratu fueris, et eum vocaveris, nihil vetat quominus tuam petitionem audiat, si rite vocaveris. Non potes dicere : « Vereor accedere et orare, adest inimicus meus. » At hoc etiam impedimentum ablatum est : neque enim inimicum tuum attendit, nec tuam interrumpit petitionem : sed semper et assidue eum potes alloqui, et nulla adest difficultas : neque enim opus est janitoribus qui te introducant, non dispensatoribus, procuratoribus, custodibus, aut amicis; sed quando ipse per te ipsum accesseris, tunc maxime te audiet, tunc quando neminem rogaveris.

III. Non ita ergo eum per alios placamus orantes, sicut per nos ipsos. Cum enim nostram expetat amicitiam, omnia etiam facit, ut nos ei confidamus : quando viderit nos hoc per nos ipsos facientes, tunc maxime annuit. Ita etiam fecit in Chananæa, et cum Petrus quidem et Jacobus accederent pro illa, non annuit : cum ea autem permaneret, quod

[1] Jer. XXIII, 23. — [2] Exod. XIV, 15. — [3] 1 Reg. 1, 13.

petebatur protinus dedit[1]. Etsi enim visus est parum differre, non hoc fecit ut mora afferretur mulierculæ, sed ut eam magis coronaret, et ejus assiduitatem magis sibi familiarem redderet. Meditemur ergo nos quoque Deum supplices adire : discamus quomodo ea sit facienda supplicatio. Non est eumdum in Museum, non sunt consumendæ pecuniæ, nec sunt conducendi pædagogi, rhetores, et sophistæ ; neque multum temporis consumendum est, ut hanc dicendi artem discas ; sed solum voluisse sufficit, et ars perfecta evasit. Nec pro te solum poteris dicere in eo judicio, sed etiam pro multis aliis. Et quisnam est scopus, quod institutum artis hujus judicialis ? Modus precationis. Sobria mente, animo contrito, cum fontibus lacrymarum ad eum accedere, nihil quod ad hanc vitam pertineat petere, futura concupiscere, pro spiritalibus supplicare, inimicis non male precari, acceptam injuriam memoria non tenere, omnes perturbationes ex animo expellere, conterentem cor ita adire, animo deprimi, mansuetudinem magnam exercere, et linguam ad bene loquendum convertere, in nullo pravo opere versari, nihil habere commune cum communi orbis terrarum hoste, cum diabolo, inquam. In eum enim, qui pro aliis cum rege loquitur, et cum ejus inimicis communicat, externæ etiam leges animadvertunt. Et tu ergo si vis et pro te, et pro aliis dicere, fac ut hac in re maxime te recte geras, ut nihil commune habeas cum communi hoste orbis terrarum. Ita enim fiet, ut sis justus : et cum fueris justus, audieris, ut qui talem habeas patronam. « In tribulatione dilatasti mihi[2]. » Non dixit : « Adduxisti afflictiones, » neque, « Sustulisti tentationes, » sed, « Stare permisisti et dilatasti mihi. » Quanta sit enim et quam expedita Dei solertia, hinc maxime ostenditur, non solum quod inducat afflictiones, sed etiam quod manentes illas tolera-

[1] Matth. xv, 22 et seqq., et Marc. vii, 25-29.

biles reddat. Hoc et Dei ostendit potentiam, et qui in eas incidunt, sapientiores reddit, quando et dilatatio adest, quæ afflictam animam consoletur, et afflictio non tollitur, quæ et negligentem astringat, et ab omni segnitie liberet. Et quomodo in afflictione, inquies, fuerit dilatatio? ut in trium puerorum fornace[1], ut in lacu leonum[2]. Non enim extinxit flammam, et tunc fecit ut ipsi essent in libero statu : neque occidit leones, et tunc securum Danielem reddidit : sed et illic fornace vehementer ardente, et hic feris manentibus, Justi in magna libertate manserunt. Potest etiam aliter accipi dilatatio, ut quando anima tentationibus oppressa, liberatur a perturbationibus, et multis ægritudinibus : tunc enim maxime libero statu fruitur. Multi enim, quandiu manent in rebus secundis, turpissimis et animam cruciantibus tenentur amoribus, pecuniarum, corporum, et ejusmodi aliorum, quæ sunt absurda : sed postquam in afflictionem inciderunt, liberantur ab illis omnibus, et in apertum campum evadunt. Ac sicut ii, qui febre laborant, quandiu quidem intempestivis fruuntur voluptatibus, lauta, inquam, mensa et vino mero, atque hujusmodi aliis, in majores coguntur angustias : sed si voluerint paulisper seipsos affligentes perseverare, lato et libero statu fruuntur, et eo, quod eos angebat, deposito, jucunde deinceps in pura sanitate versantur. Ita etiam in rebus et negotiis usuvenit. Nihil enim æque relaxare consuevit, ut afflictio quæ a sæcularibus omnibus abducit. Quomodo existimas Judæos fuisse in afflictione, etiam quando erant res eorum secundæ? Annon hæc febricitantis animæ ægritudineque confectæ, est dicere : « Fac nobis » deos qui nos præcedant? Moses enim hic, qui eduxit nos » de terra Ægypti, nescimus quid ei factum sit[3]. » Annon illa verba sunt animæ philosophantis (3), et a perturbationibus

[1] Dan. III, 28. — [2] Id. VI, 22. — [3] Exod. XXXII, 1.

hujus vitæ respirantis, quando afflicti tam vehementer orarunt, ut ipsum Dei auxilium attraxerint? Jam vero hic ipse quoque Propheta, quando versabatur in tranquillitate, quonam modo affligebatur, ab improba cupiditate in angustias coactus et laceratus? Quando autem versatus est in afflictione, scitis quam fuerit tranquillus : neque enim cum ignis attigit, sed etiam flamma universa extincta est. Nihil enim æque affligit, ac si anima obsideatur a perturbationibus. Aliæ enim extrinsecus incidunt, hæ vero intus nascuntur, et hæc est maxima afflictio. Etiamsi nos vexet mundus, nos autem ipsos non vexemus, nihil nobis fuerit molestum. In nostra ergo potestate situm est ut vel affligamur, vel non affligamur.

IV. Ut autem discas etiam ex voce apostolica, quanta libertas oriatur ex afflictione, audi ipsum Paulum fructum afflictionis narrantem : « Tribulatio autem patientiam ope» ratur, patientia autem probationem, probatio vero spem, » spes autem non confundit [1]. » Ineffabilem vidisti latitudinem? Vidisti portum lætitiæ? Patientiam, inquit, efficit afflictio. Quid enim homine patientissimo, et qui omnia facile ferre potest, tranquillius? Quid probato fuerit fortius? Quid autem conferri potest cum ea, quæ hinc oritur, delectatione? Dicit enim nobis tres voluptates quæ hinc oriuntur, patientiam, probationem, et spem futurorum bonorum. De his nunc philosophans Propheta dicebat : « In tribulatione dilatasti mihi. » Quia enim dixit : « Exau» divit me Deus, » quonam modo exaudivit ait. Non in pecuniis ; nihil enim petebat ejusmodi : non ut vinceret inimicos ; nam neque hæc postulabat ; sed in tranquillitate quæ in medio afflictionis exorta est. « Miserere mei, et » exaudi orationem meam [2]. » Quid dicis? Meministi superius justitiæ, hic miserationis et misericordiæ. Et quam

[1] Rom. v, 3-5. — [2] Psal. iv, 2.

hæc habent consequentiam? Multam, et prioribus admodum connexam. Nam etiamsi innumera recte fecerimus, a miserationibus et clementia audimur. Etiamsi ad ipsum virtutis fastigium pervenerimus, servamur a misericordia. Hinc discimus cum justitia, mente quoque contrita opus esse. Etenim licet sit peccator, si cum humilitate oraverit, quæ est pars virtutis, magna poterit efficere : et licet sit justus, si cum arrogantia accesserit, a bonis omnibus excidet. Utriusque exempla nos docuerunt Publicanus et Pharisæus. Oportet itaque scire etiam modum orandi. Quis autem orandi modus? disce a Publicano[1] : nec te pudeat eo uti magistro, qui hac in re adeo se præclare gessit, ut solis verbis universum effecerit. Quia enim erat mens in eo recte parata, suffecit vel verbum unum ad cœlum ei aperiendum. Quomodo autem erat parata? seipsum miserum clamabat, pectus tundebat, ne cœlum quidem aspicere audebat. Si tu quoque ita oraveris, vel penna leviorem reddes orationem. Si enim peccator, justus ab oratione factus est, considera cujusmodi erit justus, si talem orationem offerre didicerit. Et ideo ne hic quidem seipsum absolute posuit, sed orationem suam : superius justitiam, hic orationem, dicens : « Miserere mei, et exaudi orationem » meam. » Ita etiam exauditus est Cornelius, quoniam ejus patrocinio usus est. « Orationes tuæ, et eleemosynæ tuæ, » inquit, ascenderunt coram Deo[2]. » Et merito. Opera enim sunt quæ exaudiuntur, et recte facta. Non absolute autem orationes, sed orationes quæ fiunt ex lege Dei. Et quænam sunt eæ? Quæ ea petunt quæ Deum dare convenit, quæ ab ipso non postulant quæ sunt ejus legibus repugnantia. Ecquis est, inquit, adeo audax, ut ea velit Deum facere, quæ repugnant ejus legibus? Qui adversus inimicos eum rogat : hoc enim est præter legem quæ ab eo lata est. Ipse

[1] Luc. XVIII, 13. — [2] Act. X, 4.

enim dixit : « Dimittite debitoribus vestris [1]. » Tu autem eum ipsum, qui te jubet condonare, adversus inimicos invocas ? Ecquid hac amentia fuerit deterius ? Oportet eum, qui orat, habere habitum, mentem, et sensum supplicis : cur aliam ergo personam induis, nempe accusationis ? Quomodo enim poteris veniam tuorum peccatorum assequi, quando rogas ut Deus puniat peccata aliorum ? Sit itaque oratio mansueta, placida, jucunda et molli vultu prædita. Talis est quæ cum lenitate fit, nec adversus inimicos, quemadmodum contraria, ebriæ et deliranti cuipiam mulieri et instar apri efferatæ est similis. Quocirca ad cœlum ei non datur aditus. Non enim est ejusmodi ea, quæ fit cum mansuetudine : sed habet aliquid canorum et lene, dignumque regiis auribus, suave, concinnum, numerosum. Quamobrem non expellitur e theatro, sed corona redimita recedit ; etenim habet auream citharam, vestem auream. Qua de causa delectat etiam judicem habitu, aspectu et voce. Propterea nullus eam exturbat a cœlestibus aulis. Universum enim illud theatrum incredibili lætitia afficit. Hæc est digna cœlis precatio. Hæc est lingua Angelorum, quando nihil acerbum, jucunda autem omnia loquitur : quando pro iis, qui injuriam et damnum inferunt, venit supplicans, tunc astant etiam Angeli magno audientes cum silentio, et postquam loqui desierit, applaudere, laudare, admirari non cessant. Talem nos quoque afferamus orationem, et omnino exaudiemur : et quando ad Deum accedimus, ne esse existimemus vulgare theatrum, sed ex universo orbe terrarum, vel potius ex supernis populis cœlestibus collectum : et regem in medio sedere, precationis nostræ audiendæ cupidum. At faciamus ut res sit comparata ad demonstrationem. Nullus sit citharœdus, nullus lyricen, qui ita se exerceat scenam ingressurus, timens ne

[1] Matth. VI, 12

quid insuave et inconcinnum canat, ut nos ingressuri theatrum Angelorum. Plectrum autem sit nobis lingua, quæ nihil injucundum, sed numerosum et modulatum dicat, cum ea, qua par est, cogitatione, et ad Deum accedentes, rogantes, et orantes, pro inimicis fides pulsemus : ita enim pro nobis quoque ipsis exaudiemur.

V. Hæc vox dæmones pudore afficit. Hæc dat nobis liberam loquendi potestatem. Hæc pudore afficit profligatque diabolum. Neque enim dæmon ita eum metuit, qui eum expellit et ejicit ex alio homine, ut hominem qui iram vincit, et animo imperat : nam hoc ipsum quoque est sævus dæmon, et irati potius quam qui a dæmone vexantur, miseri dicendi sunt. A dæmone enim vexari, non immittit in gehennam : irasci autem, et acceptæ injuriæ meminisse, expellit ab ipso regno cœlorum. Si orationem ita temperaverimus, poterimus nos quoque Deo fidenter dicere : « Exaudi orationem meam. » Quare non solum te ipsum juvabis et promovebis tua supplicatione, sed Deum etiam audientem delectabis, ut qui ejus præceptis aliquid dignum petas. Quocirca etiam facile annuet. Hoc illa adoptione dignum est : hoc illum maxime characterem ostendit. « Estote, inquit, misericordes, sicut et Pa» ter vester qui est in cœlis [1]. » Et rursus : « Orate pro iis, » qui vobis insultant, ut sitis similes Patris vestri, qui est » in cœlis [2]. » Quid ergo potest cum hac oratione conferri? Hæc non Angelis, nec Archangelis, sed ipsi regi facit similem. Qui autem regi, quantum licet, fuerit similis, considera quanta utetur fiducia et loquendi libertate in orationibus. « Filii hominum, quousque gravi corde? » Ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium [3]? » Ad quosnam dirigit orationem, et increpat, subjungitque consilium? Quosnam vocat filios hominum? Eos qui vi-

[1] Luc; VI, 36. — [2] Matth, V, 44, 45. — [3] Psal, IV, 3.

vunt in improbitate, qui sunt proclives ad nequitiam. Quamobrem? Nos enim annon filii hominum? natura quidem hominum filii, gratia autem non amplius, sed Dei filii. Si ergo etiam ejus imaginem, quæ est secundum virtutem, conservaverimus, erit nobis donum integrum. Eos enim, qui Dei filii facti sunt per gratiam, etiam per vitæ suæ institutionem eam oportet imaginem exprimere. Quod autem eos, qui vitæ curis plus dediti sunt, et ad vitium propensi, vocat filios hominum, audi : « Videntes autem » filii Dei filias hominum [1]. » Atqui contrarium, inquies, dixisti. Nequaquam. Dei enim filios hic vocavit eos, qui antea ex viris bonis nati fuerant, et a Deo honorem perceperant, deinde mutati erant, et evaserant deteriores, suumque honorem perdiderant. Ut enim magis amplificaret eorum reprehensionem, eorum honorem memoravit, maximum esse crimen ostendens, quod cum tales essent, et orti ex talibus, ad tantam se præcipitassent improbitatem. Et rursus Deus : « Ego dixi : Dii estis, et filii Altissimi omnes. » Vos autem ut homines morimini [2]. » Et considera Prophetæ prudentiam. Cum prius ostendisset Dei potentiam, facultatem, solertiam, benignitatem et clementiam, quod in afflictione dilatet, quod miserans annuat : deinde cogitans effusum in hominibus vitium, et tyrannidem impietatis : tanquam animi mœrore suffocatus, convertit sermonem ad eos, qui in vitiis vitam degunt, propemodum dicens : « Cum talem habeatis Deum, adeo benignum, adeo clementem, adeo potentem, quomodo declinastis ad impietatem? » Vide autem quanta ira simul et lenitate, quanta philosophia, admonitio plena sit. Quid enim dicit? « Filii » hominum, quousque gravi corde? » Hoc est ejus, qui graviter invehitur etiam ex temporis diuturnitate. Si enim Dei beneficentiam ab initio non considerasse scelus est,

[1] Gen. VI, 2. — [2] Psal. LXXXI, 6-7.

quam veniam consequetur, qui circa veritatem tandiu cæcutiat? Quid est autem esse gravi corde? Graves corde sunt, qui sunt crasso corde, carnales, affixi terræ, vitium sequentes, improbitatem exercentes, libidine et voluptate corrupti. Talis enim homo carnalis, et vitam eorum reprehendens, ostendit fontem impietatis, significans hoc eis esse maximo impedimento, quominus ad alta dogmata perveniant. Nihil enim cor adeo aggravat, ut libido mala, ac sæcularium terrenarumque rerum cura studiumque. Cor hujusmodi non erraverit qui luteum appellaverit, et ideo id grave vocavit : et id dixit esse causam malorum, quod cum aurigæ locum teneat, non solum equum habenis non cohibeat, sed etiam cum eo trahente deorsum præcipitetur; cumque oporteat carnem alis instruere, sublimem agere, et in cœlum sustollere, ea cum ægritudinum gravissimo onere deorsum una deprimatur. Quando ergo vel auriga, vel gubernator talis fuerit, quænam est spes salutis? Ut quando dicit: « Si lux, quæ in te est, tenebræ » sunt, quantæ sunt tenebræ[1] ? » Quando est gubernator ebrius, et fluctuum ac ventorum imitatur inconstantiam, quomodo navis servabitur?

VI. Quid ergo potest levem animam efficere? Vita mirabilis, si ad nullam rerum hujus vitæ aspiremus, nec pedibus quidquam alligemus eorum, quæ deorsum et feruntur, et ferunt. Ex corporibus enim alia deorsum ferri solent, ut lapides, ligna, et quæ sunt ejusmodi; alia vero sursum, ut ignis, spiritus, et pluma natura sua levis. Si quid ergo eorum, quæ deorsum feruntur, ei quod leve est alligaveris, nulla est alarum nec spiritus utilitas, cum excedat, superet, et vincat gravitas. Ita etiam si quis pedes habuerit aggravatos, vel propter malos affluentes humores, vel propter aliam ægritudinem, nihil eum juverit, si sit

[1] Matth. VI, 23.

reliquum corpus leve. Si autem hoc est in corporibus, multo magis in corde. Ne igitur illud aggravemus, ne sicut navigiæ, quæ nimium habent saburræ, demergatur. In nostra enim hoc potestate situm est. Non enim talis est natura, sed leve et sursum tendens factum est : nos autem ipsum præter naturam grave facimus, et ideo Propheta reprehendit ; si autem natura tale esset, nequaquam reprehendisset. Ut ergo secundum naturam incedimus, sed si aggravemus genua, res fit præter naturam, cum nos simus impediti : ita etiam in pedibus mentis, nempe in cogitationibus, usuvenire solet. « Ut quid diligitis vanitatem, » et quæritis mendacium? » Hic simulacra, et vitam improbam videtur mihi dicere. Vanum enim illud dicitur, quod est vacuum, quando nomen quidem fuerit, res nequaquam. Ita apud Græcos nomina quidem deorum multa, res vero minime ; et in aliis similiter, nomen divitiarum, res autem minime ; et nomen gloriæ, res vero minime ; nomen potentiæ, et remanet solum nomen. Quis est ergo adeo excors, ut quærat nomina, quæ rebus destituuntur, et persequatur inania, quæ oportet fugere? Annon vitæ voluptates et felicitates tales sunt? Nonne omnia mentiuntur, et decipiunt? Etiamsi dixeris gloriam, etiamsi divitias, etiamsi potentiam, omnia sunt vanitas. Et ideo dixit Ecclesiastes : « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas [1]. » Propterea dolore afficitur Propheta, dum in vita videt tantam amentiam: perinde enim est ac si quis cum videat quempiam lucem fugientem, tenebras autem persequentem, ei dicat : « Cur hoc facis adeo absurdum et præter rationem? » Ita et ipse : « Cur diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? Et sci» tote quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum [2]. » Alius interpres dicit : « Sed scitote quoniam mirificavit. » Vidisti Prophetæ sapientiam? Undenam eos adducit ad

[1] Eccl. 1, 2. — [2] Psal. IV, 4.

Dei cognitionem? a quadam parte manifestissima et moribus magis cognitis, nempe seipsum in medium adducens. «Ego, inquit, servus sum Dei veri : a me ergo ejus discite potentiam, virtutem, providentiam. » Non est enim hoc parvum, quod ducit in cognitionem Dei. Quod quidem ex creaturis palam facit Propheta, quando de ejus providentia disserit, cum ad solem, cœlum, terram, et aërem elatus, ex ordine eorum, quæ videntur, opificem prædicat : sermonem quoque ducit ab ejus servis, et ab iis quæ ipso auctore contigerunt. Quod quidem etiam in Abraham evenit. Ei enim dicebant : « Scimus quod a Deo venis nobis rex [1]. » Unde scitis? Ex victoria, ex tropæis, ex bellis. Hoc etiam in Judæis accidit. Miracula enim, quæ pro eis facta sunt, universæ terræ timorem attulerunt, quod etiam tunc dixit meretrix illa Hierichuntina : « Cecidit in nos timor vester et tremor [2]. » Una est ergo via ea, quæ est per creaturas. Alia vero, eaque manifestior, quæ est per servos. Et hanc Deus a multis retro sæculis doctrinam disseminavit in unaquaque generatione. Ægyptios itaque docuit ex Abraham, Persas (4) rursus ex eodem, Ismaëlitas ex ejus nepotibus, et alios innumerabiles, et per Jacob eos qui habitabant in Mesopotamia. Vides universum orbem terrarum fuisse a Sanctis docendum, si modo ipsi voluissent? Quinetiam ante eos diluvium et linguarum confusio ad excitandam eorum mentem satis fuerant. Ne enim quod evenerat temporis diuturnitate oblivioni traderetur, locus appellationem accipit : et exinde Babylon ex linguarum confusione dicitur, ut auditor ab ipsa appellatione deductus, ad rei gestæ principium deveniat, et Dei virtutem intelligat. Ita etiam qui habitabant in Occidente, omnes omnia discebant cum mercatoribus ægyptiis versantes. Quanquam alioqui in principio non multæ gentes erant

[1] Gen. xxiii, 6. — [2] Jos. ii, 9.

in illa regione : sed maxima hominum frequentia ac turbæ multitudo erat in partibus Orientis. Etenim et Adam illinc egressus est, et genus Noë illic versabatur, et post turrim illic erant, et ut plurimum versabantur in Oriente. Sed tamen in unaquaque generatione Deus illis doctores constituit, Noë, Abraham, Isaac, Jacob, Melchisedech. Quamobrem hic Propheta, ex iis, quæ Sanctis eveniunt, eos qui in improbitate vivunt, excitat, dicens : « Scitote quoniam » mirificavit Dominus Sanctum suum. » Quid est, « Mirifi- » cavit? » fecit admirabilem, insignem, clarum, conspicuum, eum qui ipsi addictus est. Ex servo ergo et iis, quæ ipsi accidunt, domini discite potentiam. Non dixit solum : « Bonum dedit, » sed « Admirabilem fecit, » significans eum dedisse cum magno miraculo, præter fidem et opinionem. Ita etiam in Abraham factum est. Non solum enim dedit uxorem intactam, sed cum etiam reddidit admirabilem : ut non solum donum in eo consisteret, quod nihil grave passus sit, sed etiam in eo quod clarus in Ægypto evaserit. Propter ejus enim justitiam factum est, ut nihil molestum illi fieret. Propter aliorum autem utilitatem, ut admirabiliter et præter opinionem illinc rediret. Hoc in tribus pueris, hoc in leonibus accidit, hoc in ceto, et in Jona, et undique servat cum miraculo, non quemlibet absolute, sed sanctum.

VII. Vidisti quomodo cum Dei cognitione ad vitam quoque probam exhortatur, docens non solum in Dei benignitate, sed in propriorum etiam factorum virtute spem salutis ponere? « Dominus exaudiet me cum clamavero ad » eum [1]. » Postquam dixit se eum fecisse admirabilem, non in his subsistit, sed dicit etiam aliud genus felicitatis. Quodnam autem hoc est? Deum habere perpetuo adjutorem, auxiliatorem, et ubique præsentem. Non enim hoc

[1] Psal. IV, 4.

semel, aut bis, aut ter facit, sed perpetuo, inquit, si ipsum invocemus. Et vide rursus hic etiam celeritatem. Quemadmodum enim dixit superius : « Cum invocarem, exaudivit » me Deus justitiæ meæ : » ita etiam hic, « Cum clamavero » ad eum. » Quomodo ergo, inquit, non audiuntur multi? Quoniam petunt inutilia. Hic enim melius est non fuisse exauditum, quam exauditum fuisse. Quare etiamsi exaudiamur, non propterea lætemur : sed et quando non exaudimur, ideo Deum glorificemus. Vel enim inutilia petentes non exaudimur, et cum non accepimus, lucramur; vel negligenter petimus, et in dono differendo Deus, ut nos illi assideamus, solertem init rationem : et hoc etiam non est exiguum lucrum. « Si enim vos, inquit, nostis dare bona » data filiis vestris [1], » multo magis Deus noster qui scit dare et quando dare, et quid dare oporteat. Nam Paulus etiam petivit, et non accepit [2]; petebat enim aliquid inutile : item Moses, nec illi quidem Deus annuit [3]. Ne ergo desistamus, quando non exaudimur, nec tristitia afficiamur et torpeamus, sed assidentes et petentes permaneamus. Agit enim Deus omnia utiliter. « Irascimini, et nolite pec- » care : quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris » compungimini [4]. » Quod ante dixi, id etiam nunc dico. Nam quia ad Dei cognitionem eos est deducturus, liberat animum ab ægritudinibus. Scit enim vitam corruptam esse impedimento, quominus sublimia dogmata assequamur. Quod quidem Paulus quoque innuens dicebat : « Non potui » loqui vobis tanquam spiritualibus, sed tanquam carnali- » bus [5]. » Et rursus : « Tanquam infantibus in Christo, lac » vobis potum dedi, non cibum [6]. » Et rursus : « De quo est » nobis multus sermo et explicatu difficilis, quoniam estis » hebetes auditu [7]. » Et Esaïas rursus : « Quærit me populus

[1] Matth. VII, 11. — [2] Act. XV, 38. — [3] Deut. III, 26. — [4] Psal. IV, 5. — [5] 1 Cor. III, 1. — [6] Ibid. 2. — [7] Hebr. V, 11.

» iste, et scire vias meas cupiunt, ut populus qui justitiam » fecerit, et Dei judicium non reliquerit [1]. » Et Osee : « Se- » minate vobis ipsis in justitiam, illuminate lucem cogni- » tionis [2]. » Et Christus docens dicebat : « Omnis qui mala » facit, odit lucem, et non venit ad lucem [3]. » Et rursus : « Quomodo potestis credere, gloriam a vobis invicem acci- » pientes, et gloriam, quæ est a solo Deo, non quærentes [4]? » Et rursus : « Hæc dicebant parentes ejus, quia timebant » Judæos, ne expellerentur a synagoga [5]. » Et rursus : « Multi autem crediderunt in ipsum, et propter Pharisæos » non confitebantur [6]. » Et ubique videri potest vita cor- rupta ad perfectionem dogmatum afferre impedimentum. Quemadmodum enim lema perspicuæ oculorum pupillæ insidens, id quod illustrat, obscurat et obtenebrat : ita etiam cogitatio, quam obsedit et occupavit vitium, obtene- brat mentem et excæcat. Quocirca cum id etiam sciret Propheta, dicit : « Irascimini, et nolite peccare. » Non enim tollit iram, est namque utilis : nec excindit indigna- tionem; prodest enim adversus eos qui injuriam inferunt, et adversus negligentes; sed iram quæ injuste movetur, et furorem, qui nulla ratione regitur. Et quemadmodum Moses, cum in sermonem de moribus incidisset, hinc primo legis ducit initium, dicens : « Non occides [7]; » ita hic etiam, imo eo amplius, quo magis ei erat nota vera pietas. Ille enim evellit cædem : hic vero iram, quæ cædis mater, radix et fons est mali, reprimit. Quocirca Christus etiam iram comprimens ac refrenans, dicebat : « Qui irascitur » fratri suo temere, erit obnoxius in gehennam ignis [8]. » Vidisti ubique modum, « Irascimini, et nolite peccare [9]. » Qui irascitur temere; licet enim etiam juste irasci. Nam

[1] Isaï. LVIII, 2. — [2] Osee. X, 12. — [3] Joan. III, 20. — [4] Id. , 44. — [5] Id. IX, 22. — [6] Id. XII, 42. — [7] Exod. XX, 13. — [8] Matth. V, 22.

et Paulus Elymæ succensuit [1], et Petrus Sapphiræ [2]. At id non iram dixerim absolute, sed philosophiam, curam, et œconomiam. Irascitur etiam pater filio, sed ejus curam gerens. Ille temere irascitur, qui seipsum ulciscitur. Qui autem aliena corrigit, is est omnium mansuetissimus. Nam Deus etiam quando dicitur irasci, non seipsum vindicans irascitur, sed nos corrigens. Eum ergo nos quoque imitemur. Ita enim ulcisci, divinum est, aliter vero humanum. Sed Deus non eo solum a nobis differt, quod juste irascatur, sed quod in Deo ira non sit animi perturbatio. Nec nos ergo temere irascamur. Ira enim in nobis ideo insita est, non ut peccemus, sed ut alios peccantes prohibeamus; non ut sit animi perturbatio et ægritudo, sed ut sit ægritudinum remedium.

VIII. Cogita apud te quam sit insigne vitium, quando medicamentum, venenum efficitur, quando per quod aliorum vulneribus medendum est, per id vulnera infligimus: quemadmodum si quis, accepto ferro, ut quæ in aliis putrefacta sunt excindat, seipsum temere concidat, se per totum corpus saucians: vel gubernator per clavum cymbam submergat, per quem ventorum impetum oportebat cohibere. Hujusmodi est etiam ira, utile instrumentum, ut nostram excitet somnolentiam, ut animo vigorem indat, ut nos acriores efficiat, ut pro his indignemur qui sunt affecti injuria, ut ad pœnas de insidiatoribus sumendas nos moveat. Ea de causa dicit : « Irascimini, et nolite pec- » care. » Quod si hoc fieri non posset, minime præcepisset. Quæ enim fieri non possunt, nemo præcipit. Legem itaque afferens apostolicam, et philosophiam evangelicam, cum eadem dixisset quæ Christus, aliam adjicit admonitionem, quæ sic dicit : « Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubi- » libus vestris compungimini. » Quid est quod dictum est?

[1] Act. XIII, 10. — [2] Id. V, 9.

Videtur enim esse obscurum. Post cœnam, inquit, quando itis dormitum, quando estis decubituri, et, nullo præsente, multa quies, et, nemine interturbante, profunda tranquillitas, excita judicium tuæ conscientiæ, ab ipsa rationem exige, et quæ interdiu mala cepisti consilia, vel dolos construens, vel propinquum circumveniens, vel prava desideria suscipiens, ea cum in illius quietis tempore in medium adduxeris, et improbis illis cogitationibus conscientiam judicem dederis, eas fodica et dilania, et de eis pœnam sume, torque cogitationem, quæ peccavit. Id enim sibi vult illud : « Compungimini, » pro eo quod est, « Pungite, stimulate quæ in cordibus vestris dixistis interdiu : » hoc est, « Mala quæ cogitastis consilia, ea in cubilibus vestris, in tempore illius quietis punite, in ea animadvertite : quando neque amicus interturbat, nec famulus irritat, nec turba negotiorum urget, tunc vitæ interdiu actæ rationem exigite. » Et cur non dixit : « Verborum et factorum, » sed « Malarum co-» gitationum ? » Hoc docens ex abundanti. Si enim mala sunt castiganda consilia, ut non in opus exeant; multo magis pro factis et dictis oportet angi animo. Hæc fiant singulis diebus, nec prius dormieris, o homo, quam mente versaveris quæ a te interdiu perperam acta sunt : et die sequenti eris omnino tardior ad ea ipsa rursus aggredienda : et quod facis in pecunia, nec sinis ut duo dies prætereant, quin cum famulo rationem ineas, ne confusionem inducat oblivio, hoc etiam in actionibus fac singulis diebus : vesperi ab anima rationem exige, et cogitationem, quæ peccavit, condemna; eam veluti ligno suspende, ac torque, et jube ne amplius ea aggrediatur. Vidisti optimam medendi rationem, quomodo et præservantibus et corrigentibus medicamentis usus est? Præcipere enim ne in peccata incidas, præservantis medicamenti locum obtinet, nempe « Irasci-» mini, et nolite peccare : » illud autem : « Quæ dicitis in

» cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini, » corrigentis. Postquam enim peccavit, adhibet rursus medicamenta, ab ipso qui peccavit inducta medicina. Hac ergo utamur medicina, quæ nihil habet omnino difficultatis. Sin autem non sustinet anima meminisse peccatorum, erubescens et pudore suffusa, dic illi : « Nihil lucrifacis, si non memineris : sed magnum potius damnum accipis. Si enim non nunc apud te memineris, tunc ante omnium oculos tua statuentur peccata. Si autem nunc ea supputaveris, et ab illis cito liberaberis, et in alia non facile incides. » Anima enim vespertinum verita judicium, ne eamdem rursus subeat sententiam, si torqueatur et flagelletur, reddetur ad peccatum tardior : et ex ea re tantum erit emolumentum, ut si id uno solo mense fecerimus, in perfecto virtutis habitu nos ipsos constituemus. Ne tantum itaque bonum neglexerimus. Qui enim hoc judicium hic statuerit, acerbas illic pœnas non dabit. « Si enim nos ipsos » judicaremus, non utique judicaremur. A Domino autem » judicati erudimur, inquit, ne cum mundo condemne- » mur [1]. » Ne ergo condemnemur, hoc faciamus. « Sacrifi- » cate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino [2]. » Vidisti consequentiam optimi consilii? Vidisti perfectam admonitionem? Postquam enim propter peccata compunxit, et ad eadem rursus aggredienda tardiores effecit, judiciumque quod non potest corrumpi constituit, et vitæ rationem exegit, ita ad virtutis exercitium deducit. Neque enim sufficit si a malis abstineamus, sed oportet etiam bonos actus accedere. Quocirca etiam progrediens admonet dicens : « Declina a malo, et fac bonum [3]. » Non solum enim improbitatis actio, sed etiam a virtute cessatio, ut puniamur efficit. Nam et illi esurientem non paverunt, ac sitienti potum non dederunt, et qui nudum non vestierunt; non

[1] 1 Cor. II, 31, 32. — [2] Psal. IV, 6. — [3] Id. XXXVI, 27.

furati sunt, nec avari fuerunt, nec bona aliena rapierunt : sed quia non fecerunt eleemosynam, propterea pœnæ immortali traduntur, et supplicio cujus nullus est finis. Ex quo intelligimus abstinere a malis non esse nobis principium salutis, nisi adsit etiam bonorum possessio, et virtutis actio.

IX. Propterea etiam Propheta, cum et ab improbitate per compunctionem abduxisset, et ad virtutis actionem aptiorem fecisset, et duritiam mentis emollivisset, et eam per compunctionem teneram reddidisset, incipit verba facere de justitia, et dicit : « Sacrificate sacrificium justitiæ, » et sperate in Domino. » Quid est, « Sacrificate sacrificium » justitiæ ? » Persequimini justitiam, offerte justitiam : hoc est maximum Deo donum, hoc est acceptum sacrificium, hæc oblatio valde grata est, non oves et vitulos sacrificare, sed quæ sunt justa facere. Vides vitæ in Ecclesia instituendæ rationem multis retro sæculis fuisse ante descriptam, et pro illis sensibilibus ea quæri, quæ cadunt sub intelligentiam. Justitiam autem hic, sicut ante dixi, non singularem aliquam dicit virtutem ; sed universam, quemadmodum etiam virum justum vocamus, qui omnem in se virtutem continet. Hoc sacrificium non eget pecunia, non gladio, non altari, non igne ; non resolvitur in fumum, cinerem, et nidorem, sed animo ejus, qui offert, contentum est. Ei nec est paupertas obstaculum, nec mendicitas impedimentum, non locus ; nec aliquid ejusmodi ; sed ubicumque fueris, id offerre poteris, cum ipse sis et sacerdos, et altare, et gladius, et hostia. Talia enim sunt, quæ ad mentem pertinent et spiritalia ; plurimum habent facilitatis, ut quæ nulla externa operatione egeant. « Et sperate » in Domino. » Alius dicit : « Et confidite Domino. » Qui enim per justam vitæ institutionem Deum sibi propitium et clementem reddiderit, maximam habet opitulationem,

auxilium inexpugnabile, et plurimum illinc præsidium. Vidisti fructum sacrificii, qui est in foribus? Vidisti celerrime germinantem bonorum thesaurum? Qui enim Deum habet auxiliatorem, quemnam timebit amplius? Neminem. Jam vero hoc quoque est non parva virtus, ipso fretum bono animo esse, et in ipso confidere, sed cum justitia a nobis hanc quoque virtutem exigit, ut in eo confidamus, ut in eo speremus, ut nulli humanæ rei fidamus, sed nos ab omnibus sejungentes, cogitationem omnem illic defigamus. Res enim vitæ præsentis sunt umbris et somniis similes, atque iis etiam imbecilliores, ut quæ simul appareant et avolent; et interea dum adsunt, iis, qui illas habent, multum turbæ ac molestiæ afferant. Spes autem in Deum est immortalis, immutabilis, immobilis, nulli vicissitudini obnoxia, quæ omni ex parte tutum reddit, et inexpugnabilem cum efficit, qui ea, qua par est, cura et affectione utitur. « Multi dicunt: Quis ostendet nobis bona? Signatum » est super nos lumen vultus tui, Domine[1]. » Postquam de moribus perfecit admonitionem et ad Dei adduxit cognitionem, omnemque versavit rationem, quæ potest erigere mentem eorum, qui aberrarunt; exemplo maxime eorum, qui illi sunt addicti, et ejus erga illos providentiæ, postquam suam ostendit sollicitudinem, quamdam objectionem ab imbecillioribus ac crassioribus inductam affert et ait: « Multi dicunt: Quis ostendet nobis bona? » Non illi pauci probi, ac sinceri, et qui norunt philosophari, hæc dicunt, sed confusa et promiscua multitudo, quæ ignorationi et stultitiæ affixa est. Quid est autem quod dicit: « Quis » ostendet nobis bona? » Sunt quidam qui dicunt, alii quidem Dei providentiam accusantes, alii vero voluptatis amatores, socordiæ, opum, gloriæ et potentiæ, qui etiam hæc amantes, dicunt talia: « Ubi sunt bona Dei? Ego sum

[1] Psal. IV, 7.

in mendicitate, et morbo, et calamitate, et extremis malis, probris, et contumeliis: alius autem in felicitate, voluptate, deliciis, potentia, gloria, et divitiis; et alii quidem hæc bona tantum requirunt, ea quæ vere sunt bona prætermittentes, virtutem, inquam, et studium sapientiæ. Alii vero, ut ante dixi, Dei etiam providentiam ex eo criminantur. Ubi est Dei providentia, cum tanta sit in vita confusio, cum plures in mendicitate, inopia et in extremis malis degant? Quod est signum ejus providentiæ? Qui autem hæc dicunt perinde faciunt ac si quis clarissimo meridie quærat solem videre, et dubitet de luce. Quod ostendens Propheta, et quamprimum afferens solutionem, dixit: «Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.» Non dixit: «Apparuit;» non dixit: «Resplenduit,» sed, «Signatum est:» hoc significans: «Quemadmodum quod est in fronte signatum, est omnibus manifestum, nec fieri potest ut id aliquem lateat: nec faciem luce plenam et radios emittentem potest quis ignorare; ita, inquit, nec tuam providentiam. Sicut enim lux signata, hoc est, in vultu impressa et insculpta, est manifesta omnibus: ita etiam providentia tuæ benignitatis.» Lucem enim hic dicit, defensionem, præsidium, auxilium, providentiam. Deinde cum hoc pronuntiasset, subjungit etiam probationem. Quamnam autem? «Dedisti lætitiam in corde meo[1].» Postquam inconsideratam reprehendit multitudinem, ex iis, qui sapiunt et sani sunt, Dei probat providentiam, et dicit: «Dedisti lætitiam »in corde meo;» hoc est, «Docuisti me philosophari, res quæ ad hanc vitam pertinent aspernari, ea scire, quæ sunt vera ac permanentia, ut bona spe ducerer effecisti, ad futuram vitam manu duxisti, ante bonorum perceptionem, me in spem bonorum erexisti.» Sic recte locutus est.

X. Si quis enim pecuniæ, vel etiam alicujus maximi

[1] Psal. IV, 7.

principatus hæres futurus, non solum tempore perceptionis, sed etiam antequam ea experiatur, erigitur expectatione, ex spe magnam voluptatem perpetuo capiens; cogita qualem eum esse consentaneum est, qui expectat regnum vivens et immortale, et bona illa, « Quæ nec oculus vidit, » nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt [1]. » Ideo inquit, « Dedisti lætitiam in corde meo. » Quod maximæ erat providentiæ, illa nempe tunc providisse et præparasse. Quod si ii, qui sunt crassiores, carnei, et terræ affixi, hæc non attendunt, non ex eo, qui est pollicitus, sed ex illorum vecordia turba et tumultus oritur. Et non dixit simpliciter et absolute : « Dedisti lætitiam, » sed, « In corde meo ; » ostendens non esse in rebus externis lætitiam, nec in mancipiis, nec in auro, nec in argento, non in vestibus, non in lauta mensa, nec in potentiæ magnitudine, nec in ædium magnificentia. Hæc enim lætitia non est cordis, sed solum oculorum. Multi ergo eorum, qui hæc possident, vitam non esse vitalem existimant, et angoris fornacem in animo circumferunt, a curarum multitudine exhausti, et continuis timoribus oppressi. Verum mihi, inquit, non est in his lætitia, sed in corde intelligente, in mente incorporea, et ea, quæ sunt incorporea cogitante. Quare si te delectant præsentia, et ex iis Dei providentiam cognoscis, eo magis eam disce ex futuris, quo sunt illa præstantiora, et diuturniora, et quæ auferri non possunt. Si quod divitiis affluas et prospere agas, id tibi persuadet esse Dei providentiam, multo magis id tibi persuadeant, quæ sunt in cœlo divitiæ. Si autem dicas : « Quare sunt hæc in spe sita, et non ap- » parent ? » hoc dixerim, nos quidem fideles ea, quæ in spe sita sunt, iis, quæ sunt manifesta, manifestiora ducere. Talis enim est fidei certitudo. Quod si rursus dicas : « Qua de causa hic retributiones non accipimus ? illud dicam :

[1] 1 Cor. II, 9.

« Hoc est quidem tempus stadiorum et certaminum, illud vero coronarum et præmiorum. Et hoc quoque Dei est providentiæ effectus, labores quidem et sudores brevi hac et fluxa vita circumscribere, præmia autem et coronas in ævum immortale ac senectutis expers extendere[1]. Alioqui etiam quando multi erant imbecillioris animi, sensibilia quoque hæc eis bona dedit. Populum itaque judaïcum per eam vitæ agendæ rationem deduxit. Etenim eis affluebant divitiæ, ad senium usque vita producebatur, omnis morbus procul aberat; accedebat hostium internecio, pax alta, triumphi, victoriæ, felix bonorum liberorum multitudo, et alia ejusmodi aderant iis, qui Deo parebant. Postquam autem accessit Dominus noster Jesus Christus, in cœlum nos vocans, et quæ hic sunt despicere persuadens, illorumque amorem immittens, et ab iis, quæ ad hanc vitam pertinent, nos abducens; hæc merito in angustum contracta sunt: in illis autem universæ sunt sitæ divitiæ, ut qui jam perfecti evaserimus. Nam etiam in pueris, iis quidem qui sunt adhuc paulo minores, patres præbent ejusmodi, calceos, vestes, aurea ornamenta, et armillas : postquam autem creverint, illis ablatis, dant alia majora, bene dicendi in suggestu gloriam, in civitate splendorem, in aula imperatoria loquendi libertatem, magistratus et principatus, eos ab omni puerili ambitione abducentes. Ita etiam fecit Deus; nos a parvis illis et puerilibus abducens, ea quæ sunt in cœlis pollicitus est. Ne hæc ergo quæ fluunt et prætercurrunt admireris, vel appetas, nec sis pusilli animi. Quanquam nec iis quidem te omnino vacuum reliquit. Quia enim eos, qui carne tecti erant, et in corpore versabantur, ne iis quidem penitus privatos esse oportebat, hæc quoque nobis affatim suppeditat. Et ideo Propheta, cum altam illam et philosophicam providentiæ

[1] 1 Tim. iv, 8.

speciem agitasset, et dixisset: « Dedisti lætitiam in corde » meo, » subjungit: « A fructu frumenti, et vini, et olei sui » multiplicati sunt [1]. » Hoc autem cum dicit, non parvam tangit partem ejus providentiæ, quæ cernitur in iis, quæ sub aspectum cadunt. Quando enim dicit frumentum, vinum, et oleum, eorumque copiam, dicit et pluviam, tempestatum bonum ordinem, terræ conceptum, partum et fœtum, aërem diffusum, solis cursum, lunæ ambitus, stellarum choream, æstatem, hyemem, autumnum, ver, agri colendi artem, et instrumentorum commodum, aliarumque artium examen. Nisi hæc enim omnia concurrerint, fieri non potest ut fructus perficiantur, et ad maturitatem perveniant. Quando ergo dicit frumentum, vinum et oleum, dat sapienti occasionem ex parte totum intelligendi, aperto mari Dei providentiæ, quæ apparet in sensilibus.

XI. Quocirca etiam Paulus alicubi concionans, et de ejus providentia disserens, hinc verba facere aggreditur, dicens: « Qui dat pluvias, et tempora fructifera; qui implet » nutrimento et lætitia corda nostra [2]. » Quoniam autem Propheta fugit quæ sunt supervacanea, prætermissis aliis omnibus, fructibus, baccis, generibus plantarum, generibus seminum, generibus herbarum, pratorum, florum, hortorum, et quæcumque sunt alia, ea ponit quæ sunt congruentia, et ad vitam nostram necessaria, ex his illa quoque manifesta faciens. Quæ non tantum dat nobis, sed cum magna copia, et singulis annis. Quod si ea etiam quandoque contrahit, et dat parcius, in eo quoque ostendit suam providentiam, multorum socordiam excitans, et eos erigens ad hæc bona ab ipso petenda. Sin autem dicant aliqui non esse Dei dare pluviam, sed idolorum, eos interrogemus undenam hoc constabit? Quia poëtæ, inquiunt, dixerunt Jovem esse qui pluit. Sed illi ipsi dixerunt eum

[1] Psal. IV, 8. — [2] Act. XIV, 16.

esse adulterum, pædiconem, parricidam, alia quoque non minora his crimina illi ascribentes. At non sunt, inquiunt, vera. Ergo nec quod pluat. Si hoc enim admittis, illa quoque admittere necesse est : sin illa rejicis, et hoc quoque cum illis. Nos enim quotiescumque testes præbemus Dei potentiæ, quæcumque ab eis de illo dicuntur, suscipimus. Necesse est ergo te admittere illum quoque esse adulterum, et reliqua omnia, quæ de ipso ab illis dicuntur, et inde discere ejusmodi crimina esse longe a divina potestate remota, et qui talis est nequaquam esse Deum. Sed fabula ipsa sibi repugnat, et mendacium a seipso convincitur, etiamsi nolitis hoc admittere, et poëtas prorsus ejicit. Quod autem illis ejectis omnia vestra sint peritura, clarum est. Ipsorum enim nomina invenerunt illi et imposuerunt, quod etiam ex vestris quidam dixit philosophis. Quod si illis relictis ad allegorias confugeris, te illud interrogabo : «Quid est Jupiter ?» est fervens, inquit, substantia, et pars quæ superat aërem, et quam appellant ætherem, ex eo quod ferveat et urat. Non est ergo ratiocinandi nec discernendi potestate prædita, sed expers rationis substantia. Quod enim natura aëris nec rationem habeat, nec ratiocinationem, cuivis est apertum, et nemo est qui hoc nesciat, etiamsi minus, quam lapis, sensus habeat. Quare jam de medio sublatus est Jupiter, et ejus deleta substantia. Si enim aër est Jupiter, aër autem est id quod jam diximus, ex eo quoque interibit fabula. Si autem est aër, nec fuit alicujus pater, nec aliquam peperit substantiam, cujusmodi confingunt solem, quem etiam vocant Apollinem, et dicunt esse ejus filium ; nec enim sol habet rationem, nec mentem, nec cogitationem, sed ipsum etiam est opus naturale, quod agitur et circumfertur lege, quam ei Deus in principio posuit. Alioqui nec pluere est ætheris, sed nubium, quæ aquam suscipiunt vel ex mari, vel ex aquis, quæ

ab alto super cœlum feruntur, ut dicunt Prophetæ. Sin autem fidem non habes Prophetis, signa aperta et manifesta præbemus, quæ maxime ostendunt eos fuisse a Deo inspiratos, et nihil nobis disseruisse, quod ex se afferrent, sed divina illa gratia et supercœlesti afflatos. Quæcumque enim ab eis dicta sunt, finem sunt assecuta, et omnia ad rerum veritatem devenerunt, seu vetera, seu nova velis accipere. Nam et quæ de Judæis a Prophetis dicta sunt, omnia finem ceperunt, quorum etiam exitus fuit omnibus manifestus, et quæ de Christo in Novo, quæ maxime ostendunt divinam esse utramque Scripturam. Si autem sunt divina, quæ de Deo in ea dicta sunt, ea vera sunt omnia. Ne dubita igitur de Dei providentia, sed ejus curam, quam gerit, admirare, quod cum sint boni et mali, orbem terrarum et solem omnibus permittit, et omnibus dat pluvias. Quod si sinit aliquos degere in mendicitate et inopia, id facit ut animam illorum corrigat, sapientiæ studiosiorem animam efficiens. Scitis enim, scitis aperte, divitias quidem iis, qui non attendunt, esse vitiorum ministras; paupertatem autem, matrem philosophiæ; eaque res ipsæ indicant quotidie. Quot pauperes sunt divitibus prudentiores, sapientiæ amantiores, et corpore saniores, cum paupertas eis et carnem et animam corrigat? « In pace » in idipsum dormiam et requiescam. Quoniam tu, Domine, » singulariter in spe constituisti me [1]. » Ecce aliam non parvam speciem providentiæ, quod pace fruantur, qui sunt Deo addicti. « Pax est enim diligentibus legem tuam, et » non est ipsis offendiculum [2]. » Nihil enim æque solet pacem parere, atque Dei cognitio, et virtutis possessio, quæ animi perturbationum internum bellum domo procul ejicit, nec permittit ut homo cum seipso seditiones agitet. Sane si hac pace non fruatur, etiamsi sit extrinsecus summa

[1] Psal. IV, 9, 10. — [2] Id. CXVIII, 165.

pax, etiamsi nullus eum hostis invadat, est omnium, qui in terra impugnantur, miserrimus.

XII. Neque enim Scythæ, nec Thraces, nec Sarmatæ, nec Indi, nec Mauri, nec quæcumque sunt feræ gentes, tam atrox bellum gerere solent, quam nefaria cogitatio, quæ versatur in penetralibus animi, et intemperans libido, amor pecuniæ, potentiæ vehemens desiderium, atque erga res humanas affectio. Et merito. Illud enim est bellum externum, hoc vero est internum prælium. Quod autem quæ intus nascuntur, sint iis quæ extrinsecus invadunt, graviora, et interitum magis afferre soleant, hoc licet videre in omnibus. Etenim et ligni naturam vermis, qui natus est intus, magis corumpit; vires et sanitatem corporis, morbi qui intus procreantur, plus lædunt, quam qui extrinsecus adveniunt, et civitates non tam externi hostes, quam civiles pessumdant: ita etiam animæ non tam externæ quæ in eam invadunt machinationes, quam quæ intus oriuntur ægritudines, perniciem afferunt. Sed si quis timorem Dei habens, hoc bellum perfecte sedaverit, et perturbationes animi composuerit, et varias illas improbarum cogitationum belluas suffocans, non permiserit ut in antris delitescant, is purissima et altissima pace fruetur. Hanc pacem Christus veniens largitus est. Hanc etiam Paulus precatus est fidelibus, dicens in singulis Epistolis : « Gratia vobis et pax a » Deo Patre nostro [1]. » Qui hanc enim habet pacem, non solum barbarum et hostem, sed ne ipsum quidem diabolum extimescit; sed universam ridet dæmonum phalangem, et est omnibus hominibus alacrior, ut qui non paupertate prematur, non morbo et adversa valetudine gravetur, non aliquo eorum, quæ humanitus inopinato accidunt, perturbetur, eo quod valentem et sanam habeat animam, quæ hæc potest præclare et facillime administrare ac temperare.

[1] Ephes. I, 2.

Et ut sciatis hoc esse verum, sit aliquis invidus, et nemo cum eo bellum gerat, quid juvat? Ipse enim cum seipso bellum gerit, quovis ense penetrabiliores in se cogitationes acuens, in omnibus, quæ videntur, offendens, et in singulis, qui occurrunt, hominibus seipsum saucians, in nullum benevolo et grato animo præditus, sed omnes illos tanquam hostes intuens. Quæ est ergo illi pacis externæ utilitas, quando ille furens et rabie percitus, et communis naturæ hostis circumcursat, tantum internum bellum gestans, et mille telis ac sagittis confodi, atque adeo potius millies mortem pati optans, quam videre quempiam ex iis, qui sunt ejusdem generis, in bona esse existimatione, aut felicius agere? Teneatur rursus alius pecuniæ cupiditate, innumera bella, pugnas, et seditiones in sua conflat anima : et tumultu ac perturbatione exagitatus, ne potest quidem paululum respirare. At non is, qui est liber ab ejusmodi perturbationibus, hoc modo affectus est : sed in tranquillo portu sedet, se studii sapientiæ voluptatibus explens, et nullam ejusmodi molestiam sustinens. Quocirca hac quoque providentia fruens Propheta dicebat : « In pace in idipsum » dormiam et requiescam, » innuens ei, qui hanc non habet pacem, ne communem quidem omnium portum esse apertum, sed illum quoque obstructum esse, nempe quietis et noctis. Hujusmodi enim perturbationes etiam eam, quæ a natura datur, securitatem profligant, alia graviori tyrannide somni tyrannidem omnino deturbantes. Invidi enim, avari, et raptores hoc bellum undique circumferentes, et intus positos inimicos habentes, quocumque recesserint, pugnam non possunt effugere. Sed etsi domi maneant, etsi in lecto jaceant, telorum nubes, et tumultus undis violentiores, cædes, clamores, querelas et ejulationes, et alia multo iis, quæ inter hostes accidunt, graviora sustinent. At non sic Justus : sed et vigilans delectatione fruitur, et nocturno

tempore cum magna voluptate somnum capit. Quid est autem, « In idipsum? » In me ipsum, inquit, totus conversus, non in curas innumerabiles divisus, non quæ sunt hujus vel illius cogitans, nec in orbem terrarum sollicitudines dispertiens; sed quæ mea sunt cogitans, et quæ mihi utilia, et quæ sunt homini maxime convenientia : « Quia » tu, Domine, singulariter in spe constituisti me. » Quod autem dicit, est ejusmodi. Propter spem futurorum, expectationem quæ est in te, omnes animi mei perturbationes compressi. Sicut etiam dicit Paulus : « Quod est enim in » præsentia admodum leve afflictionis, insigniter in sublimi- » tate æternum pondus gloriæ nobis operatur, non conside- » rantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur[1]. » Nulla enim res est adeo difficilis, quæ non fiat facillima spe futuræ a Deo gloriæ : propterea dicit : « In spe constituisti » me. » Et illud, « Singulariter, » Non est parva doctrinæ virtus.

XIII. Quid est autem, « Singulariter? » seorsum ab improbis. Hanc enim pacem, inquit, apud te præclare habui, et separatim habito, fugiens homines improbos ac corruptos. Et jure profecto. Quemadmodum enim corpora sæpe a corrupti aëris lue infecta pereunt : ita etiam anima sæpe damnum accepit ex malorum congressione : et sicut sanus oculus, quando laborantem aspexerit, afficitur; et qui est scabie refertus iis etiam, qui sani sunt, eam impertit : ita etiam sæpe contingit in consuetudine improborum hominum. Et ideo etiam suasit Christus non solum eos, qui sunt tales, fugere, sed etiam excindere, sic dicens : « Si oculus » tuus dexter te scandalizat, erue eum, et ejice a te[2], » non dicens de oculo; quid enim mali fecerit oculus, si sit sanus animus? sed de amicis necessariis, et qui sunt nobis loco horum membrorum, et nos lædunt, hæc constituit,

[1] 2 Cor. IV, 17, 18. — [2] Matth. V, 29.

jubens eorum etiam amicitiam contemnere, ut nostra salus efficiatur tutior. Quamobrem ipse etiam rursus in sequentibus dicit : « Non sedi cum consilio vanitatis, et cum » inique agentibus non ingrediar[1]. » Quinetiam Jeremias eum dicit beatum, qui sedet separatim, et tollit jugum ab adolescentia[2]. Jam vero etiam proverbia multa de ea re verba faciunt, dicentia et suadentia omnibus, non solum declinare, sed etiam resilire ab iis, qui mala consulunt, et non cum illis versari. Si enim quæ sunt naturalia sæpe mutant naturam ex mala consuetudine, quanto magis quæ sunt nostræ voluntatis? Color enim et sanitas inest nobis natura : sed ea nonnunquam corrumpuntur ex alio habitu contrario; et rursus appetitus ciborum, et eum sæpe perdimus vitio ægritudinum : multa etiam alia ejusmodi accidere videmus. Quod si ea, quæ sunt naturalia, mutantur, multo magis ea quæ sunt voluntatis, facilius mutantur ad utrumlibet. Ne parum damni afferre existimemus improborum consuetudinem : sed ante omnia eos, qui tales sunt vitemus, etiamsi sint uxores, etiamsi amici, etiamsi quilibet. Nam hoc etiam magnos illos perdidit, Salomonem, inquam, et Sampsonem. Quinetiam totum genus judaïcum sic periit. Neque enim feræ ita lædunt, ut hominum improbitas. Illæ enim venenum aperte præ se ferunt : hi autem sensim et absque ullo strepitu labem quotidie immittunt, de virtutis robore quotidie paulatim detrahentes. Quocirca etiam impudicum aspectum Deus amolitur, dicens : « Qui respexerit mulierem ad con- » cupiscendum, jam mœchatus est eam in corde suo[3] : » eo quod sit facile ac proclive exitium. Tu autem si in civitate aliqua sis habitaturus, de aëre curiose inquiris, an sit salubris, an temperatus, an siccus : de anima autem rationem initurus, non es sollicitus de eorum consuetudine, qui cum ea sunt congressuri : sed temere et inconsiderate eam om-

[1] Psal. xxv, 4. — [2] Thren. III, 27. — [3] Matth. v, 28.

nibus permittis? Quam, quæso, veniam assequeris, qui eam sic negligis? Undenam existimas eos qui deserta incolunt, admirabiles et claros evadere? nonne quod strepitus et fora fugiant, nonne quod longe a fumo negotiorum, quæ sunt in medio, se collocarint. Eos ipse quoque imitare, in media civitate solitudinem persequens. Quomodo autem hoc erit? Si fugias improbos, et si bonos sequaris. Ita enim majorem percipies securitatem, quam qui in desertis habitant, non solum in iis fugiendis qui lædunt, sed etiam in communicando cum iis qui prosunt. Si enim malos quidem fugias, bonos autem sequaris, utrinque et virtus augescet, et decrescet vitium. Ut hoc ergo fiat, hæc faciamus, parentes Psalmographo, qui dicit : « Quoniam tu, » Domine, singulariter in spe constituisti me. » Hic vero finem dicendi faciam, cum abunde, opinor, propositas quæstiones solverimus in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM V.

In finem pro ea, quæ hæreditatem accipit. Psalmus David [1].

I. Videamus primum [2] quæ sit hæreditas, et si ea ad nos quoque pertinet : deinde tempus quo datur. Est enim absurdum si deferatur quidem nobis ex testamento hæreditas, tanquam quæ ad nos pertineat, de ea sollicitos, curiose in-

[1] Psal. v, 1. — [2] Vide G. Guillon, tom. xv, p. 305-307.

dagare, scripta inquirere, pecuniam solvere, ad tabulas accedere, et quæ in iis scripta sunt excribere, omnemque adhibere diligentiam : hic autem productis in medium spiritualibus testamentis, et omnibus libris apertis, esse socordem ac negligentem, idque cum non sit sensibilis hæreditas. Accedamus ergo, aperiamus tabulas et iis, quæ scripta sunt, incumbamus, videamusque quibusnam de causis hæc nobis relicta sit hæreditas, et quæ sit natura hæreditatis. Non enim reliquit nobis hæreditatem pure et absolute, sed sub quadam conditione. Quænam autem ea est? « Qui me diligit, inquit, præcepta mea servabit [1]. » Et rursus, « Qui non tollit crucem suam, et sequitur me [2] » et plura alia, quæ in Testamento scripta sunt. Discamus etiam tempus quo eam sumus accepturi. Non est enim præsens, sed futura, vel potius et præsens et futura. « Quæ» rite enim regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vo» bis [3] : » tunc autem perfecta et integra dabitur hæreditas. Quoniam enim præsens vita est incerta et instabilis, et sumus adhuc imperfectiores : quod externi faciunt legislatores, ut iis qui ad plenam ac perfectam ætatem pervenerint, paterna bona tradant, hoc etiam facit Deus. Postquam in virum perfectum, mensuram ætatis occurrerimus, et ad vitam ab omni interitu alienam transierimus, tunc illam nobis tradit hæreditatem. Interea autem testatus est, et scripturas nobis reliquit, ac dixit quænam facientes assequemur hæreditatem, ut ab ea non excidamus, neque exhæredes efficiamur. Quod si perturbentur aliqui, quod nondum simus perfecti, et suspecta eis sint quæ dicta sunt, audiant Paulum dicentem : « Quando eram parvulus, lo» quebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut » parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi quæ » erant parvuli [4], » loquendo de præsenti et de futuro sæ-

[1] Joan. XIV, 2. — [2] Matth. X, 38. — [3] Luc. XII, 31. — [4] 1 Cor. XIII, 11.

culo. Et rursus : « Donec occurrerimus omnes in virum » perfectum, in mensuram ætatis[1]. » In vita enim præsenti, inquit, veluti apud nutricem quamdam creatura hac alimur. Quando autem in domum Domini deducemur, exuentes vestes corruptionis, et assumentes incorruptibilitatem, ad aliam vitæ conditionem tunc traducemur. Hoc testamentum multos etiam exhæredes futuros minatum est, si conditionibus in eo scriptis indigni fuerint. Sed videamus deinceps quænam sit hæreditas. « Quæ nec oculus vi- » dit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt[2]. » Quomodo ergo in præsenti vita eorum sumus usum percepturi, quorum vel cognitio nostram cogitationem superat? Ideo ea illic nobis sunt reposita. Vide autem multam curam ejus ac providentiam. Labores quidem vitæ præsenti attribuit, ut ejus brevitate una etiam solveretur molestia : bona autem in futurum sæculum reservavit, ut remunerationes extenderentur cum æternitate, quæ est expers senii. Illam sortem vocat etiam regnum. Etsi enim orationem superant, quantum tamen nobis licet audire, ænigmatice futura significavit, nunc quidem, ut jam dixi, regnum vocans, nunc autem nuptias, nunc imperium, ex splendidis quæ sunt apud nos nominibus, ad illa cogitanda nobis viam aperiens, æternam gloriam, ab interitu alienam beatitudinem, cum Christo vitam agendam, cui nihil potest conferri. Quænam sunt autem conditiones Ecclesiæ, vel potius hæreditatis? Quæ nihil habent difficultatis. « Quæ vultis, inquit, ut faciant vobis homines, ea vos » etiam ipsis facite[3]. » Vides quomodo nihil alienum attulerit, sed ea quæ natura prius constituerat? Quæ vis, inquit, ut propinqui tui in te faciant, ea ipse quoque fac. Vis laudari? lauda. Non vis aliquid tibi furto surripi? ne furare. Vis honorari? honora. Vis misericordiam assequi?

[1] Ephes. IV, 13. — [2] 1 Cor. II, 9. — [3] Matth. VII, 12.

miscrere. Vis amari? ama. Vis non male audire? nec tu male dixeris. Vide autem quam accurate locutus est. Non dixit : « Quæcumque non vultis ut faciant, nec vos facite, » sed, « Quæ vultis. » Quoniam duæ sunt viæ quæ ducunt ad virtutem, una quidem, liberatio a vitio : alia vero, virtutis actio : hanc proponit, per hanc illam etiam declarans; et illam quidem obscure significavit, cum dixit : « Quod odisti, » alii ne feceris[1] : » hanc vero manifeste declaravit dicens : « Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos ipsis » facite. »

II. Est etiam alia conditio. Quænam ea est? Diligere proximum, sicut seipsum. Quid esse possit hoc facilius? Odisse enim grave est, et turbas ac tumultus excitans : amare autem, facile est et expeditum. Si enim dixisset : « Vos cum homines sitis, diligite bestias, » præceptum fuisset difficile. Si autem qui homines sunt, homines amare jussit, ubi substantiæ similitudo, cognatio, et ipsius naturæ admonitio plurimum momenti afferunt ad diligendum, quidnam habeat difficultatis? Quod fit etiam in leonibus et lupis. Nam apud illos etiam naturæ cognatio conciliat amicitiam. Quamnam ergo poterimus afferre excusationem, qui leones quidem mansuefacimus, et in iisdem nobiscum ædibus collocamus : quod est autem ejusdem nobiscum generis non attrahimus? Non videtis multos esse qui propter hæreditatem senes captant et circumcursant, ac senectutis omnia mala tolerant, cum sint juvenes, vegetoque ac luxurianti corpore, podagram nempe et alios senectutis morbos, mucum, ac screatum, quod illis perpetuo assideant? Atqui illic sunt pecuniæ, et spes incerta, hic autem cœlum, et ante cœlum Dei gratia. Quæ est illa quæ hæreditatem accipit? Inscriptio enim dicit : « Pro ea, » quæ hæreditatem accipit[2]. » Ecclesia, et ejus plenitudo;

[1] Tob. IV, 16. — [2] Psal. V, 1.

de qua dicit Paulus : « Despondi vos uni viro, virginem » castam exhibere Christo [1]. » Et Joannes : « Qui habet » sponsam, sponsus est [2]. » Sponsus quidem post primos dies remittit amoris vehementiam : sponsus autem noster nos amat perpetuo, et auget amorem. Quod innuens Joannes vocat sponsum, quando maxime vigent amores. Non solum autem ideo sponsam vocavit : sed etiam quod velit omnes unum esse corpus et unam animam, ratione virtutis et amoris, et quod quemadmodum sponsa omnia facit ut viro placeat : ita nos etiam tales esse oportet per totam vitam. Qualis sponsa quæ in illo die sedet in cubili, id unum tantummodo cogitans, quomodo viro placeat : ita etiam nos in hac vita sedentes, unum solum spectemus, ut sponso placeamus, et sponsæ modestiam ac decorem conservemus. Hujus sponsæ David quoque meminit, dicens : « Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, » circumdata varietate in fimbriis aureis [3]. » Vis videre ejus calceos? Audi Paulum paranymphum, qui dicit : « Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis [4]. » Vis etiam videre ejus zonam, et quomodo composita est ex veritate? Ille ipse te docebit : « Accincti lumbos vestros in » veritate [5]. » Vis etiam videre ejus pulchritudinem? Id ab eodem quoque disces: « Non habens maculam vel rugam [6]. » Audi etiam quid de ea dicat Ecclesiastes : « Tota pulchra es, » propinqua mea, et macula non est in te [7]. » Vis etiam videre pedes? « Quam speciosi pedes evangelizantium pa- » cem, evangelizantium bona [8]. » Et quod eximium est, et admiratione dignissimum, cum eam sic exornasset, non venit gloriam suam ostensurus, ne insigni sua pulchritudine eam obstupefaceret, et amentem redderet; sed venit eodem

[1] 2 Cor. xi, 2. — [2] Joan. iii, 29. — [3] Psal. xliv, 10. — [4] Ephes. ii, 15. — [5] Ibid. 14. — [6] Id. v, 27. — [7] Cant. iv, 7. — [8] Rom. x, 15.

indutus indumento quo sponsa : particeps enim est æque ac ipsa carnis et sanguinis, nec ipse eam sursum vocat, sed ad eam accedit, servans hic quoque sponsi legem, quæ sponsum ad sponsam adducit. Quod etiam dixit Moses : « Pro eo relinquet homo patrem et matrem suam, et ad-» hærebit uxori suæ [1]. » Et Paulus : « Sacramentum hoc » magnum est. Ego autem dico in Christo et in Ecclesia [2]. » Cum ergo venisset in ejus habitaculum, et eam invenisset sordidam, squallidam, nudam, sanguine inquinatam, lavit, unxit, aluit, veste induit, id quod in nullo alio potest inveniri. Cum ipse ipsi fuisset indumentum, eam sublatam sursum sic ducit. Et parata est hæreditas. Quid ergo de ipsa dicit Propheta? Multa : est enim ejus patronus, et multa eorum, quæ ei sunt eventura, prædixit et proclamavit, quemadmodum de sponso, de sponsalibus et deductione ad sponsum, de bonis quæ sunt ei eventura. Propterea hic etiam pro ipsa loquitur, et incipiens, sicut isti patroni et oratores in judiciis, dicit quemnam sua oratione defendat, nempe se verba facere « Pro ea, quæ hæreditatem ac-» cipit. » Quid autem petat hæres illa, audiamus. « Verba » mea auribus percipe, Domine [3]. » Sponsum vocat dominum, hoc est enim sponsæ frugi officium. Si namque hoc fit in iis, qui sunt ejusdem substantiæ, et uxor maritum vocat dominum ; multo magis in Christo et in Ecclesia, ubi est etiam natura dominus. Ita ergo eum vocat dominum, non tantum ut sponsum, sed etiam ut vere dominum, et eum ad preces audiendas attrahit. Quoniam enim est ei proposita hæreditas, hæc autem hæreditas effectum sortitur, si quæ sibi sunt præcepta recte fecerit, orat et obsecrat ut ei opem ferat, ut quæ sunt proposita perficiat, et non excidat ab hæreditate. Dicit itaque : « Verba mea » auribus percipe, Domine, » et hoc dicit cum fiducia, quo-

[1] Gen. ii, 24. — [2] Ephes. v, 32. — [3] Psal. v, 2.

niam ea petit quæ ipse etiam dare cupit. Quemadmodum si quis ea petat, quæ eo, qui sit daturus, indigna sunt, non potest eam petere gratiam. Quando oratur adversus inimicos, quando adversus eos, qui molestia aliqua affecerunt, ea non sunt verba hominis, sed diaboli. Si jurare enim est a diabolo, « Quod enim est his amplius, a malo est [1], » clarum est quod etiam precari adversus inimicos. Si ergo dicas : « Verba mea auribus percipe, » dic ea verba, quæ sunt hominis mansueti ac humani, et qui nihil habet diabolicum.

III. « Intellige clamorem meum [2]. » Clamorem hic dicit, non vocis intentionem, sed mentis affectionem. Nam Mosi etiam tacenti dixit : « Quid clamas ad me [3]? » Non dixit : « Quid oras ad me, » sed, « Quid clamas ad me? » quoniam cum vehementi affectu ad eum accesserat. Ut ergo scires hic quoque non dici clamorem, sed mentis affectionem, et intensum studium, non dixit : « Auribus percipe » clamorem meum : » sed quid? « Intellige, » hoc est, « Disce. » Etsi enim humanis verbis usus est, in ipsis tamen verbis humanis quod recte repræsentatur significat. « Intende » voci supplicationis meæ [4]. » Dicit rursus vocem internam. Ita etiam clamabat Anna. Et non dixit simpliciter et absolute : « Intende voci orationis meæ, » sed, « Supplicationis » meæ : » eum enim qui orat, oportet et habitum et mentem supplicis induere. Qui enim supplex est, non adhibet verba accusatoris. Qui autem inimico male precatur, est accusator potius, quam supplex. Vidisti quomodo orationem attulit, quando eam fecit dignam quæ audiretur? ita etiam nos quando oramus, et volumus exaudiri, eam primum ita comparemus, ut sit oratio, et non accusatio, et latis ab eo legibus convenientem eam introducamus. « Rex

[1] Matth. v, 37. — [2] Psal. v, 2. — [3] Exod. xiv, 15. — [4] Psal. v, 3.

» meus et Deus meus [1]. » Quod frequenter dicit Propheta, vel potius quod erat Abrahæ eximium attributum, ut dicit Paulus : « Qua de causa non erubescit Deus, Deus eorum » vocari [2] ; » hoc ipsa sibi assumpsit, desiderio impulsa præclare usurpavit. Non enim dixit : « Rex » absolute, sed « Rex » meus, et Deus meus, » amorem suum indicans. Deinde affert causas, propter quas vult eam exaudiri. Quænam autem sunt eæ? « Quoniam ad te orabo Domine [3]. » Quis, inquies, Deum non orat? Multi videntur quidem Deum orare ; sed id faciunt, ut se ostentent hominibus. At non hæc ; sed ad Deum ipsum ferebatur, humanis rebus omnibus dimissis. « Mane exaudies vocem meam [4]. » Vides vehemens studium, et contritum animum? » A principio diei, inquit, hoc ago. » Audiant qui post innumera opera tandem veniunt ad orationem. At non ipsa ; sed ab initio diei dabat Deo primitias. « Oportet enim, inquit, ad gratias tibi agendas solem prævenire, et ante ortum lucis te alloqui [5]. Tu autem non patiaris ut is, qui te inferior sit, imperatorem ante te adoret : nunc autem, sole adorante, ipse dormis, et cedis primo loco creaturæ, nec omnem creaturam prævenis, quæ propter te facta est : nec ei agis gratias, sed cum surgis, manus et faciem lavas, animam autem immundam negligis. Nescis sicut corpus aqua, ita oratione mundari animam? Lava ergo ante corpus animam : multæ illi insident vitiorum maculæ, eas expellamus per orationem. » Si enim os nostrum ita munierimus, diurnæ actionis pulchrum jecerimus fundamentum. « Mane astabo tibi, et » videbo [6]. » Astabo tibi, non loco, inquit, sed factis. Qui enim talis est, is prope Deum esse potest. Ut enim prope simus, vel procul, ex eo evenit ; Deus enim est ubique. « Astabo tibi, et videbo, quoniam non Deus volens ini-

[1] Psal. v, 3. — [2] Hebr. xi, 16. — [3] Psal. v, 4. — [4] Ibid. — [5] Sap. xvi, 28. — [6] Psal. v, 5.

» quitatem tu es [1]. » Alius interpres dicit : « Et considerabo » quod non Deus volens iniquitatem tu es. Neque habitabit » juxta te malignus [2]. » Simulacra hic innuit, quod his delectarentur, ut et omni iniquitate, rebusque improbis. « Neque habitabit juxta te malignus. » Non erit tibi, inquit, amicus, non erit tibi vicinus. « Neque permanebunt in- » justi ante oculos tuos [3]. » Ostendit hic Deum odisse malos, docens eos, qui illi propinqui esse volent, ut seipsos tales reddant, quod non alia ratione prope eum esse liceat. Si enim viro bono non possit esse propinquus, qui ab eo discrepet moribus; ei multo magis. Quod enim improbi non possint esse probis propinqui, audi quid dicant de Justo : « Gravis est nobis vel si tantum videatur [4]. » Ita Joannes vel agens in carcere, cum ne videretur quidem, molestus erat Herodiadi [5], licet tantum ab eo mulier abesset : post mortem autem, etiam illius, qui tunc erat, tyranni vexabat conscientiam. Nemo ergo eorum, qui in virtute vivunt, se grave aliquid pati existimet, etiamsi improbi ei insidientur. Qui enim male faciunt, ii patiuntur. « Odisti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes » qui loquuntur mendacium. Virum sanguinum et dolosum » abominabitur Dominus [6]. » Hæc dicuntur non ut solum audiamus, sed etiam ut doceamur hæc assidue audientes, et sponsi moribus congruere, et ei esse propinqui. Si enim hæc non fiant, superno auxilio destituimur, quo nihil potest esse deterius.

IV. « Odisti omnes qui operantur iniquitatem. » Sive servus, inquit, fuerit, sive liber, sive rex, sive quicumque fuerit ; non enim ex dignitate, sed ex virtute solet Deus amicos eligere. Sed quoniam nonnulli crassiores odium nihil esse existimant, audi quomodo etiam supplicii ti-

[1] Psal. v, 5. — [2] Ibid. 6. — [3] Ibid. — [4] Sap. II, 15. — [5] Matth. XIV, 8. — [6] Psal. v, 7.

morem induxerit: « Perdes omnes qui loquuntur menda-» cium, » ad id, quod est in peccatoribus crassius, orationem transferens. Non enim usque ad odium subsistit supplicium, etsi hoc quoque sit punitio ineffabilis, sed etiam perdet omnes qui loquuntur mendacium. Quanquam prius quoque grave est, et gehenna deterius odio haberi a Deo; sed ad eos quidem, qui possunt intelligere, illud posuit : ad crassiores vero hoc quoque adjecit. Ne ergo pertuberis, o homo, neque obstrepas, quando videris aliquos mentientes, rapientes, in bona aliorum invadentes, qui tamen nihil mali patiuntur : hoc enim erit omnino. Talis est quippe Dei natura, aversatur improbitatem, eam semper odit et abhorret. Loquentes autem mendacium hic dicit eos qui male vivunt, eos qui res fallaces persequuntur, eos qui libidini, gulæ, et avaritiæ sunt dediti. Hæc enim omnia solet appellare mendacia. « Virum sanguinum et do-» losum abominabitur Dominus. » Hominem hic dicit qui cæde delectatur, qui insidiatur, qui est fraudulentus et versipellis, qui aliud habet in ore, aliud in pectore, qui mansuetudinis quidem ac comitatis personam induit, sed se factis lupum ostendit, quo nihil possit esse deterius. Apertus enim inimicus potest facile caveri : qui autem malitiam quidem celat, et utitur malitia, cum non possit facile deprehendi, plurima mala facit. Quocirca Christus etiam, quando illi accesserint, sobrios et attentos nos esse jubet. « Veniunt enim ad vos, inquit, in vestimentis » ovium : intus autem sunt lupi rapaces [1]. Ego autem in » multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam[2]. » Quoniam enim ex ejusmodi hominibus collecta erat Ecclesia, Gentilibus, magis, homicidis, præstigiatoribus, mendacibus, deceptoribus: dixerat autem: « Odisti et aversaris » : ostendens se non ex justitia et recte factis, sed ex

[1] Matth, VII, 15, — [2] Psal. V, 8.

illius clementia ab illis liberatam in penetralia introductam esse, subjunxit : « Ego autem in multitudine miseri-» cordiæ tuæ, introibo in domum tuam. » Ne quis enim dicat : « Quomodo ergo tu, quæ hæc et illa fecisti, servata es? » dixit modum salutis : « Propter magnam, inquit, clementiam, propter ineffabilem bonitatem servata sum. » Sed sunt nonnulli, qui nec misericordiam quidem admittunt, immedicabili morbo affecti, cujusmodi sunt Judæi : gratia enim et misericordia, etsi sit gratia et misericordia, volentes tamen et gratiam habentes servat, non eos qui effrenata audacia repugnant, et donum nolunt suscipere, quales fuerunt Judæi, de quibus etiam dicit Paulus, quod « Ignorantes Dei justitiam, et propriam justitiam quæren-» tes statuere, justitiæ Dei non fuerint subjecti [1]. » Deinde quoniam de Deo dixit, de seipsa quoque loquitur : « Ado-» rabo ad templum sanctum tuum in timore tuo [2]. » Ubi enim gratiam accepero, tunc, inquit, mea offeram, hoc tibi sacrificium offeram. « Adorabo ad templum sanctum » tuum in timore tuo. » Non sicut, inquit, multi qui orant, sese scalpentes, hiantes, torpescentes, sed cum timore, inquit, et tremore. Qui enim sic orat, omne vitium deponit, ad omnem virtutem deducitur, Deum sibi reddit propitium. « Domine, deduc me in justitia tua propter inimicos » meos [3]; » Dixit laudes Dei, dixit in malos odium, benignitatem, clementiam, sollicitudinem ; dixit suam salutem ; dixit quomodo servata sit ; dixit postquam servata fuit quænam attulerit ; vitia aversata est, ad virtutem deduxit : iis etiam, qui male vivunt, bonam spem dedit, si voluerint converti, ut qui possint misericordiam consequi ; convertit sermonem ad petitionem, quæ deinceps dicit : « Domine, » deduc me in justitia tua : » per hæc docens auditorem prius hymnos Deo offerre, et pro beneficiis acceptis gratias

[1] Rom. x, 3. — [2] Psal. v, 8. — [3] Ibid. 9.

agere, et tunc quæ vult petere, et pro iis, quæ acceperit, rursus agere gratias. Sed videamus quænam ea sunt quæ petit, num aliquid eorum quæ ad hanc vitam pertinent? num quid temporale ac momentaneum? num quid eorum quæ præterfluunt? Num de divitiis loquitur? num de gloria? num de potentia? num de ulciscendis inimicis? Nihil horum. Sed quid? « Domine, deduc me in justitia tua » propter inimicos meos. » Vides quomodo nihil petit fluxum et caducum, et quomodo supernum rogat auxilium? Qui enim ea via ingrediuntur, eo maxime auxilio indigent. Justitiam autem hic dicit universam virtutem. Et recte dixit: « In tua justitia. » Est enim etiam hominum justitia, quæ ex externis legibus proficiscitur, sed vilis, et quæ nihil habet perfectum et absolutum, et constat ex humanis cogitationibus. Ego autem tuam peto justitiam, quæ a te delata est, quæ ducit in cœlum; et auxilium, ut hanc justitiam mihi conciliem.

V. Recte autem dixit illud: « Deduc me. » Præsens enim vita via est, quæ ut a manu superna deducatur opus habet. Si enim orbem ingressuri opus habemus aliquo, qui viam nobis indicet, multo magis in cœlum peregrinaturi opus habemus superno auxilio, ut indicet, confirmet et deducat. Multæ enim sunt semitæ quæ divertunt. Propterea dexteram Dei teneamus. « Propter inimicos meos: » multi, inquit, conspirarunt inimici, volentes gressus meos divertere, et in errorem abducere, in aliamque viam ducere. Quia ergo tales sunt insidiæ, tales invasiones, ipse me deduc. Tuo enim auxilio egeo. Nam ut in via quidem deducamur, ejus est: ut autem digni simus ut illa manu teneamur, nostræ sit diligentiæ. Si fueris enim immundus, non te tenet illa manus: si fueris avarus, si aliquam aliam habens maculam. « Dirige in conspectu tuo viam meam [1]. » Hoc

[1] Psal. v, 9.

est, fac mihi eam claram, apertam, notam : fac ut ea sit apud me certa et recta. Alius autem interpres dixit : « Com-» plana ante me viam tuam, » hoc est, redde planam ac facilem. « Quoniam non est in ore eorum veritas, cor eo-» rum vanum est [1].» Mihi videtur hæc dicere et de iis, qui in errore versantur, et os et mentem accusans, ut omni bono destitutam; et de iis qui vivunt in scelere. « Sepulcrum » patens est guttur eorum [2]. » Vel hominum cæde delectari, vel mortua et male olentia dogmata proferre hic dicit. Non aberraverit quispiam, si dicat etiam eorum, qui obscœna verba loquuntur, ora patens sepulcrum appellasse. Ille enim fœtor est sensibili multo gravior, qui quidem ex animæ putredine oritur : sunt etiam avarorum ora talia, quando nihil aliud proferunt quam cædes et rapinas. Ne sit ergo os tuum sepulcrum, sed thesaurus. Thesauri enim multum a sepulcris differunt, quod illa quidem corrumpant quod acceperint, isti vero conservent. Habe ergo tu quoque divitias studii sapientiæ, quæ perpetuo permanent, sed non fœtorem aliquem et putredinem. Et non dixit simpliciter et absolute « Sepulcrum, » sed «Patens,» ut etiam significet majorem esse abominationem. Cum enim oporteret eos hujusmodi verba celare, illi etiam proferunt, ut suum magis morbum ostendant. Et in mortuis quidem corporibus contrarium facientes, terræ tradimus : hi autem in his verbis faciunt contrarium, et quod in imo corde celare oporteret et suffocare, proferentes, et multos offendentes, et omnibus videnda proponentes : sed eos qui tales sunt, quæso, abigamus. Si enim mortua corpora extra urbem sepelimus, multo magis eos qui verba mortua, et qui talia proferunt, et ne tegere aut obumbrare quidem volunt, longe amandare oportet. Hujusmodi enim ora sunt communis civitatis pernicies. « Linguis suis dolose

[1] Psal. v, 10. — [2] Ibid. 11.

» agebant [1]. » Vidisti aliud genus improbitatis. Hi quidem dolum in mente sua celant, blandis verbis utentes : alii autem adeo sunt vafri et astuti, ut in ipsis verbis improbitatem obtegant, fraudesque et insidias construant. « Judica illos » Deus, excidant a cogitationibus suis [2]. » Vide hic etiam quam sit mitis oratio. Non enim dixit : « Puni, » sed « Judica » eos, » et fac ut cessent a vitio; fac ut sint irrita eorum consilia, quod etiam pro ipsis est orare, ut non ultra progrediatur eorum improbitas. « Secundum multitudinem im- » pietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te, » Domine [3]. » Hoc est, « Non sunt mihi curæ ea quæ mihi facta sunt, sed doleo propter ea quæ tibi fecerunt. » Hoc est enim imprimis pii et sapientis animi, suas quidem nolle ulcisci, sed Dei injurias vehementer persequi. Multi faciunt his contraria, quæ in Deum quidem facta sunt contemnentes, quæ in se autem peccata acerrime vindicantes. At non sic Sancti, sed eorum quidem quæ in Deum fiebant, erant acerrimi vindices : quæ in se autem, negligebant. « Et lætentur omnes qui sperant in te [4]. » Vide lucrum orationis. Et illi meliores evadent, et desistent a vitiis; et alii magna voluptate afficientur, videntes illorum mutationem, et ad id quod est melius conversionem, et alios ea ratione fieri meliores. « In æternum exultabunt, et habi- » tabis in eis [5]. » Hoc est enim maxime gaudium perpetuum. Alia enim gaudia nihilo sunt stabiliora quam fluviorum fluenta, quæ simul ac videntur præterfluunt. Quæ est autem ex Deo, lætitia manet, firmisque hæret radicibus, et est sufficiens, perpetua ac stabilis, quæ nullis inopinatis ac inexpectatis casibus interrumpitur, sed per ea quæ prohibent major et sublimior redditur. Nam et Apostoli flagellis cædebantur, et Paulus affligebatur, et exultabat : moriturus erat, et gaudii participes appellabat, dicens : « Sed

[1] Psal. v, 11. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 12. — [5] Ibid.

» etsi delibor propter sacrificium et ministerium fidei ves- » træ, gaudeo et collætor cum vobis omnibus. Itidem vos » gaudete, et mecum collætamini [1]. » Cum iis, qui ita lætantur, Deus habitat. Quamobrem ipsa (5) quoque dicit: « In æternum exultabunt, et habitabis in eis. » Hoc ipsum Christus etiam significans dicebat, ostendens eam voluptatem minime posse cessare : « Rursus videbo vos, et gau- » dium vestrum nemo tollit [2]. » Et rursus Paulus; « Semper » gaudete, assidue orate [3]. Et gloriabuntur in te qui dili- » gunt nomen tuum [4]. His enim solis licet maxime gloriari, his gaudere, his lætari. At qui de iis, quæ ad hanc vitam pertinent, gloriatur, ac sibi placet, is nihil differt ab iis, qui in somno voluptate fruuntur.

VI. Quid enim mihi, dic quæso, ex rebus humanis est ejusmodi, ut de eo quis possit vere ac solide gloriari? Vires corporis? Sed ut eas validas habeamus, non est nostri arbitrii, et ideo non est quod gloriemur, et alioqui flaccescunt et excidunt celeriter, et sæpe etiam lædunt eum, qui est iis præditus, si iis non ut oportet utatur. Hoc etiam dici potest de pulchritudine, de divitiis, de potentia, de voluptate, et de omnibus, quæ ad hanc vitam pertinent. In Deo autem et in ejus amore gloriari, est ornatus omnium maximus, et splendor qui innumerabilia superat diademata, etiamsi sit captivus is qui gloriatur. Hic ornatus, non morbo, non senio, non rerum vicissitudine, non temporum varietate, non ipsa denique morte interrumpitur: sed tunc etiam magis resplendet, « Quoniam tu benedices » Justo [5]. » Quoniam multi ex iis, qui ita affecti sunt, probris ac maledictis ab hominibus appetuntur, ac irridentur, et maxime qui virtutem persequuntur : ne quis ex crassioribus propterea animum abjiciat, vide quomodo ejus men-

[1] Philip. II, 17, 18. — [2] Joan. XVI, 22. — [3] 1 Thes. V, 16, 17. — [4] Psal. V, 12. — [5] Ibid. 13.

tem fulcit et sustentat, dicens : « Quoniam tu benedices » Justo. » Quid enim damni accipit, si homines contemnant, et universus orbis terrarum, quando Dominus Angelorum eum laudat et prædicat ? quemadmodum si ipse non benedicat, etsi omnes laudent, qui terram et mare habitant, ei nihil prodest. Hoc ergo omni ratione curemus, ut ipse nos prædicet, ipse nos coronet. Quod si fiat, sumus omnibus excelsiores, etiamsi in paupertate, etiamsi in morbo, etiamsi in extremis malis simus. Nam etiam beatus Job in sterquilinio sedens, vulnerum sanie exulceratus, innumerabilibus scatens vermium fontibus, et illa indignissima patiens, ut qui a servis conspueretur, eique ab amicis et inimicis, et ab uxore insidiæ tenderentur, et ad inopiam, famem, et immedicabilem ægritudinem illam esset redactus, erat omnium beatissimus; quomodo ? quoniam Deus ei benedicebat, dicens : « Homo a reprehensione alienus, justus, » verus, pius, ab omni re mala abstinens [1]. Domine, ut » scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos [2]. » Rursus desiit in gratiarum actionem, gratiarum actionis hymnos Deo offerens. Quod est autem scutum bonæ voluntatis ? scutum optimum, scutum secundum Dei mentem, arma pulcherrima. Quod autem dicit, tale est : « Nos optimo auxilio muniisti. » Alius autem interpres, qui dicit : « Coronabis ip- » sum, » de Justo dixit, ut doceret : « Coronabis ipsum Justum, » hoc est : « Bona tua voluntas est illi pro armis, iisque præstantissimis : » vel illud : « Optimo auxilio Justum munis, et neque ejus pulchritudo privata est securitate, neque ejus securitas gloria destituitur. » Quid enim fortius, quid rursus formosius eo viro, qui a superna dextra munitur ? Hæc corona etiam ex misericordia contexitur, quemadmodum ipse David dicit alibi : « Qui te coronat in » misericordia et miserationibus [3]. » Hæc etiam ex justitia,

[1] Job. I, 1. — [2] Psal. v, 13. — [3] Id. CII, 4.

quemadmodum dicit Paulus : « De cætero mihi est reposita » justitiæ corona [1]. » Est etiam corona gratiæ, sicut dicit alius : « Corona autem gratiarum defendet te [2]. » Jam vero est etiam corona gloriæ, sicut dicit Esaïas : « Erit corona » spei, ex gloria contexta [3]. » Corona enim habet hæc omnia, benignitatem, justitiam, gratiam, gloriam, decorem. Est enim Dei donum, quod variam producit gratiam. Est etiam incorruptionis corona, quemadmodum dicit Paulus : « Illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos » autem incorruptam [4]. » Hoc est ergo quod hic dicit : « Securitate et gloria nos coronasti. » Talia sunt enim Dei dona valida, et decore plena ; tales sunt coronæ : at in hominibus non ita est, sed qui est quidem in gloria, non est omnino securus ; qui est autem in securitate, non est omnino in gloria, nec hæc facile simul evenerint : quod si etiam evenerint, celeriter auferuntur. Verbi gratia, qui sunt potentes, et summos gerunt magistratus, sunt quidem splendidi et illustres, sed non securi, imo vel eo maxime nomine in lubrico et periculoso loco versantur, propter gloriæ magnitudinem. Qui autem sunt abjecti et viles, sunt quidem securi, eo quod non cognoscantur, sed eo ipso sunt vel maxime inglorii, quod in securitate. In Deo autem non ita est : sed utraque insigniter concurrunt et gloria et securitas. Considerantes itaque bonorum magnitudinem, et ante omnia quam sit bonum Deo esse gratum, quod est et arma, et gloria, et securitas, et bona innumerabilia, ad certamen nobis propositum curramus cum tolerantia, nec unquam animo deficiamus, nec unquam videamur inermes. Hoc enim belli genus non patitur, ut miles videatur sine armis : sed tunc demum dimittitur apparatus, quando fuerit theatrum dissolutum : solvitur autem

[1] 2 Tim. IV, 8. — [2] Prov. IV, 9. — [3] Isaï. XXVIII, 3. — [4] 1 Cor. IX, 25.

theatrum, quando anima solvitur a corpore. Quare quandiu hic sumus, pugnare necesse est et domi sedentes, et in forum euntes, et prandentes, et ægrotos, et sanos. Morbi enim tempore, hujus maxime pugnæ tempus est, quando dolores undique conturbant animam, quando tristitiæ obsident, quando adest diabolus incitans, ut acerbum aliquod verbum dicamus. Tunc maxime nos muniri oportet, tegi lorica, clypeo, galea, et armis cæteris, et perpetuo Deo gratias agere. Hæc sunt gravissima quæ in diabolum torquentur tela, hic est ictus in dæmonem certissimus, tunc sunt coronæ splendidissimæ. Nam etiam beatum Job, (nihil enim vetat quominus ad eum rursus confugiamus;) hoc maxime clarum reddidit, hoc maximis laudibus affecit, hoc coronavit, quod tempore tentationis, morbi et paupertatis immutabili ejusmodi animo apparuerit, et mente immobilis, quibus gratias ageret Deo verba obtulerit, et spirituale illud sacrificium. Erant enim sacrificium verba ejus, quæ dixit: « Dominus dedit, Dominus abstulit: »sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini »benedictum in sæcula [1]. » Quod quidem nos quoque semper faciamus, in tentationibus, in calamitatibus, in insidiis Deum gloria et honore afficientes, et perpetuo benedicentes: quoniam ei gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Job. II, 12,

EXPOSITIO

IN PSALMUM VI.

Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me [1].

I. Quando furorem et iram de Deo audiveris, nihil humanum suspiceris. Sunt enim verba quibus se ad captum nostrum demittit. Deus enim ab his omnibus liber est. Ita autem loquitur ut in crassiorum cadat intelligentiam. Nam nos quoque, quando loquimur cum barbaris, illorum lingua utimur : et si cum puero loquimur, una cum eo balbutimus; et ut sapientissimi simus, ad humilitatem illius nos demittimus. Et quid mirum si hoc in verbis facimus, quando id etiam in rebus fit a nobis, ut qui et manus mordeamus, et iram simulemus, ut infantem corrigamus? Ita etiam Deus crassiores afficere volens, talibus verbis usus est. Non enim pro sua dignitate loqui studuit, sed pro auditorum utilitate. Nam se non esse iræ obnoxium alicubi ostendens, dicebat : « Numquid me ad » iram provocant, nonne seipsos [2] ? » Tu autem quomodo velles ipsum disserere cum Judæis, cum neque irascatur, nec odio habeat malos; odium enim est animi perturbatio : nec humana respiciat ; videre enim ex corpore sumptum est : neque audiat; nam hoc quoque est carne. Sed ex hoc malum aliud dogma inductum esset, nempe non regi omnia a Dei providentia : et dum talia de Deo audire recusarent, multi ex iis, qui tunc erant, omnino Deum esse ignorassent : eo autem ignorato, omnia periissent :

[1] Psal. VI, 2. — [2] Jer. VII, 19.

illo contra introducto dogmate, celeriter fieri poterat correctio. Cui enim persuasum est Deum esse, etsi non habeat eam quam par est de Deo sententiam, sed quid de eo crassius suspicetur; tempore quidem certe ei persuadebitur, nihil tale in Deum cadere. Qui autem habet persuasum ejus nullam esse providentiam, nec ullam eum rerum curam gerere, neque si existant curare, quid eum juverit si tractetur de Dei impatibilitate? Illa ipsa de causa, cum prius cum illis disseruisset, postquam eis persuasit ut eum esse opinarentur, paulatim eos rursus expurgat, ad hoc dogma evehens, de eo loquens sublimius, et eum esse ab affectione remotum oratione pertractans. Dicit enim alius Propheta : « Non esuriet, neque laborabit [1] : » et qui eum irasci dixerat, idem rursus ostendens Deum esse impatibilem, subjungit : « Numquid me ipsi ad iram provo» cant, nonne seipsos? » et qui dixerat eum esse in templo, rursus dicit : « Non est homo in te sanctus, et non ingre» diar in civitatem [2], » hoc est, loco non contineor. Quod si non omnes ultus est, at prudentiori certe reliquit cogitandum ex dictis, quod qui a tyrannicis liber est affectionibus, et sine quibus non licet vivere, ab aliis multo magis liber est. Dicit itaque : « Num eris ut homo dormiens [3]? » et ubique tractat ac loquitur de impatibilitate. Quare hic quoque quando furorem audieris, ne putes esse affectionem. Si enim homines, qui philosophiæ student, quoad ejus fieri potest, ab ira alieni permanent; multo magis illa substantia, quæ est ab interitu et corruptione libera, et quæ nec dici, nec comprehendi potest. Non vides etiam medicos dum secant, vel urunt, non ira adductos id facere, sed quod male affectum est corrigere animo sibi proponentes, non irascentes ægrotis, sed eos miserantes, et a morbis liberantes? Quando ergo dicit : « Ne in furore tuo

[1] Isaï. XL, 28. — [2] Osee. XI, 9. — [3] Jer. XIV, 9.

» arguas me : » hoc dicit : « Ne pœnas sumas de meis peccatis, nec mea delicta ulciscaris. « Miserere mei, Domine, » quoniam infirmus sum [1]. » Hac voce omnes egemus, etiamsi innumerabilia recte et ex virtute fecerimus, et vel ad summam pervenerimus justitiam. Quocirca ipse etiam postea rursus dicit : « Non justificabitur in conspectu tuo » omnis vivens [2] : » et illud : « Si iniquitates observaveris, » quis sustinebit [3] ? » et Paulus : « Nihil mihi conscius sum, » sed non in hoc justificatus sum [4]. » Et alius : « Quis glo- » riabitur purum habere cor : vel quis asseret se esse mun- » dum a sorde [5] ? » Omnes ergo egemus misericordia : sed non omnes digni sumus misericordiam assequi. Nam etsi sit misericordia, dignum tamen requirit, quemadmodum ipse dicebat Mosi : « Miserebor cujus miserebor : et mise- » rabor quem miserabor [6]. » Qui ergo fecit aliquid dignum misericordia, dicet : « Miserere mei. » Qui autem ab illius venia se semovit, frustra dicet : « Miserere. » Si enim esset perventura ad omnes misericordia, nemo supplicio afficeretur. Quanquam habet ipsa quoque aliquod judicium, et eum, qui dignus et aptus est ut ea fruatur, requirit.

II. Multi ergo sæpe eadem peccata admiserunt, et non easdem tamen pœnas dederunt, ut qui alias haberent causas, quæ ea præcesserant : et si vultis, in hac nunc immoremur oratione. Peccarunt Judæi omnes, et fuerunt idololatræ, sed non omnes easdem pœnas dedere, sed alii quidem ceciderunt, alii vero veniam sunt assecuti. In peccatis enim non quæritur solum natura ejus quod factum est : sed etiam animus, et tempus, et causa : et post peccatum, si hi quidem perseverarunt, illos vero pœnituit, et si casu, si ex fraude, et si dedita opera. Et multa sunt quæ quæruntur, temporis differentia, et status reipublicæ. Ut

[1] Psal. VI, 3. — [2] Id. CXLII, 2. — [3] Id. CXXIX, 3. — [4] 1 Cor. IV, 4. — [5] Prov. XX, 9. — [6] Exod. XXXIII, 19.

exempli gratia : Peccarunt qui erant sub Veteri, peccant etiam qui sunt sub Novo Testamento : sed non dederunt utrique easdem pœnas, imo hi graviores. Et hoc Paulus significans, dicebat : « Qui legem Mosis fecit irritam, sub » duobus vel tribus testibus moritur, quanto putatis dete- » riori supplicio dignus habebitur, qui Filium Dei concul- » caverit, et sanguinem testamenti communem existimave- » rit [1] ? » Quando autem dicit : « Quanto deteriori supplicio » dignus habebitur, » intensum ostendit supplicium. Peccarunt qui legem præcesserunt, et qui erant in lege. Rursus priores illi pœnas leviores luerunt. Hoc autem significans, dicebat : « Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine » lege et peribunt [2]. » Illud, « Sine lege, » significat levius, non gravius. Et, « Quicumque in lege peccarunt, per legem » judicabuntur [3]. » Quare? Quoniam illi quidem habent quæ eos accusat, naturam : hi vero cum natura etiam legem, et quo plus doctrinæ acceperunt, eo majus subibunt supplicium. Rursus etiam ex auctoritate hujus rei licet eventum videre ; idque perspici potest ex sacrificio. Pro universo certe, qui peccarat, populo, tantum offerebatur sacrificium, quantum pro solo sacerdote. Id autem significat, quo major est dignitas, eo gravius esse eorum qui peccant supplicium. Ideo quæ simpliciter quidem fornicata erat, de medio tollebatur : sacerdotis autem filia comburebatur. Possumus etiam aliunde videre et veniam, et gravitatem augeri supplicii, ut cum is qui peccavit, hic pœnas dedit, alius autem se voluptate explevit. Ille enim illic majores; hic vero minores pœnas dabit, si non hic fuerit omnino absolutus. Et id significans Christus, induc- cit Abraham dicentem diviti : « Recepisti bona tua, hic » vero mala, et nunc hic consolationem accipit, tu vero » cruciaris [4]. » Sed hic quidem sibi integrum reservavit sup-

[1] Hebr. x, 28, 29. — [2] Rom. II, 12. — [3] Ibid. — [4] Luc. XVI, 25.

plicium, et ideo graviter fuit punitus : alii autem non integrum, sed ex parte, et ideo levius puniuntur. Viderit etiam quispiam supplicii differentiam ex magna intelligentia et ex simplicitate, ut quando dicit : « Servus qui novit voluntatem domini sui, et non fecit, vapulabit multis : qui autem non novit, nec fecit, vapulabit paucis [1]. » Multa etiam alia invenerit quispiam quæ differentiam supplicii pariunt, item differentiam misericordiæ et benignitatis. Considera autem id etiam in primo homine. Peccavit Eva, peccavit etiam Adam : unum autem erat peccatum. Ambo enim de fructu comederunt : ambo autem non easdem pœnas dederunt. Occidit Caïn, et occidit Lamech, et hic quidem misericordiam est assecutus, ille vero punitus est. Collegit quispiam ligna sabbato, et nullam veniam est assecutus. David occidit, et adulterium commisit, et salutem est consecutus. In his ergo quærendis immoremur : multo est enim melius hæc inquirere, quam nugis et conventibus, qui fiunt in foris, deditum esse. Non solum enim hæc invenire, sed etiam quærere, magnum est lucrum, etsi non inveniamus. Cogemur enim in his immorari, et universum tempus in his consumere. Cur ergo, (oportet enim ad prius institutam redire orationem) cum omnes Judæi vitulum conflassent, alii quidem puniti sunt, alii vero minime ? Quod illi quidem pœnitentia ducti, et ipsam naturam obliti sint, cum pietatis causa propinquos necarunt : illi vero perseverarunt. Itaque fuit quidem peccatum æquale : sed quæ consecuta sunt, non fuere æqualia. Quare autem et in Adam, et in Eva non fuit idem supplicium, etsi fuerit idem peccatum ? quia non idem erat a muliere deceptum esse, et a serpente. Itaque Paulus illud appellavit deceptionem, dicens : « Adam non fuit deceptus, mulier autem decepta fuit in transgressione [2]. » Cur autem is, qui ligna

[1] Luc. XII, 47, 48. — [2] 1 Tim. II, 14.

collegerat, non est assecutus veniam? Quoniam erat maximæ iniquitatis præceptum statim ab initio transgredi, et oportebat aliis magnum timorem immitti. Hoc etiam in Sapphira et Anania accidit [1]. Et nos itaque, quando peccamus, consideremus an simus digni misericordia, si quid fecimus ut misericordiam assequamur, si pœnitentia ducti sumus, si meliores evasimus, si destitimus. Nam pœnitentia salutem assequi, illud est a Dei misericordia servari. Ita ergo hic etiam rogat inde servari, ex lacrymis, ex lamentationibus. « Lavabo enim, inquit, per singulas noctes » lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo [2]. » Id est, ex compunctione. « Conturbata sunt ossa mea, et » anima mea turbata est valde [3]. » Non hoc statim dicit, sed ad naturæ infirmitatem confugit, dicens : « Miserere mei, » Domine, quoniam infirmus sum. » Ita dicit ostendens hoc non solum sufficere : si enim sufficeret, omnes ex eo servati essent, omnes enim sumus homines.

III. Mihi autem, si de eo aliquid exactius dicendum est, fortasse ne hoc quidem videtur dicere, sed significat imbecillitatem, quæ proficiscitur ex tentationibus, ad misericordiam et veniam assequendam, hanc quoque non parvam rationem afferens. Hoc etiam in progressu significavit, dicens : « Inveteravi inter omnes inimicos meos [4]. » Afflictio enim quæ cum gratiarum actione toleratur, solet magnam præbere ansam misericordiæ, et Deum reddere propitium. Hanc ergo mihi hic videtur significare, dicens : « Sana me, » Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea, et anima » mea turbata est valde. » Non dixit : « Remitte mihi, » neque « Condona mihi, » sed « Sana. » Rogat enim ut priora deleantur vulnera. Ossa hic dicit universam virtutem : turbationem autem, pœnam, supplicium. « Sana me, Domine, quoniam » conturbata sunt ossa mea, et anima mea turbata est

[1] Act. v. — [2] Psal. vi, 7. — [3] Ibid. 3, 4. — [4] Ibid. 8.

» valde. » Quemadmodum ergo in medicis tria sunt, vel potius quatuor, vel etiam quinque : medicus, ars, ægrotus, morbus, vis medicamentorum, et adest quædam pugna ac conflictus. Si enim cum medico, arte, et medicamentis, accedit etiam voluntas ægroti, morbum vincunt. Si autem cum illis stare in acie desierit ægrotus, ad infirmitatem seipsum reducit : vel etiam seipsum labefactat, si cum illa adversus medicum, medicamenta, et artem in acie steterit. Ita etiam in nobis accidit, imo potius non sic, sed multo admirabilius. Sub medicis enim, sæpe cum morbo, et cum arte, et cum medicamentis stat ægrotus, et tamen nihil prodest, cum et natura imbecilla sit, et ars non successerit, nec exitum invenerit, et vis medicamentorum aliquo casu evanuerit. In Deo autem hoc non est, sed si cum medico steteris, omnino sanari ulcus oportet. Non est enim ars humana, ut effectu careat : sed divina facultas, quæ et naturam, et morbos, et improbitatem, et omne denique vitium superat. Et ideo hic quoque cum ad Deum tanquam ad medicum accessisset, dicebat : « Sana me, Do» mine, quoniam conturbata sunt ossa mea. » Nonnulli autem dicunt eum hic dicere conturbationem illam, quæ fit ex peccato. Quemadmodum enim, quando venti vehementes mari incubuerint, omnia turbant, et quæ est in profundo arena sursum fertur, et qui navigant, in magno versantur periculo : ita etiam in nobis turbatur anima, movetur corpus ; omnia complentur tempestate, et plena est nobis deinceps cymba tumultus ac perturbationis, densæ sunt tenebræ, et pereunt omnia, propriis locis relictis, estque maxima confusio. Hoc maxime et in libidinosis solet cupiditatibus evenire ; hoc etiam in ira, et in calamitatibus. Hæc enim omnia conturbant, et ossa, et animam, et pupillæ invertuntur, et nec oculi quidem rite intuentur : sed quemadmodum, perturbato auriga, equi insolenter ferun-

tur : ita etiam, conturbata ratione, omnia confunduntur, omnia invertuntur, et propriam viam amittunt. Quomodo autem hæc fiat perturbatio, dicere etiam necesse est. Non enim ut in mari ex ventorum impetu, ita etiam in anima ex inopinato casu, sed ex nostra socordia evenit. Nam ut vel fiat, vel non fiat, ipsi in causa sumus. Ut, verbi gratia, exorta cupiditate, nisi tu flammam excitaveris, fornax non accenditur, nisi materiæ dederis alimentum. Non accenditur autem fornax, nisi de speciosis vultibus curiose investigaris, nisi de aliena pulchritudine fueris nimium sollicitus, nisi in theatra iniquitatis ascenderis. Nisi enim carnem deliciis pinguefeceris, nisi vino rationem obrueris, flamma non excitatur, fornax non accenditur, non evadit bellua ferocior, non tanquam a ventis immanibus excinditur cogitationis puritas. Hæc ergo, inquit, ad evitandam peccati flammam sufficiunt? Non sufficiunt hæc sola, sed oportet etiam alia accedere, orationes assiduas, Sanctorum consuetudinem, jejunium moderatum, victum tenuem, necessaria exercitia, ante alia autem omnia Dei timorem, futurum judicium, supplicia intolerabilia, bonorum promissiones. Per hæc omnia refrenare potes cupiditatem rabie exagitatam, et sedare mare commotum fluctibus. « Sed tu Domine usquequo? Convertere, Domine, eripe » animam meam, salvum me fac propter misericordiam » tuam [1]. » Ponit assidue illud, « Domine, » veluti quamdam rationem adducens gratiæ et condonationis : est enim hæc nostra spes maxima, ejus ineffabilis clementia ac benignitas, et quod suapte natura sit propensus ad condonandum. Illud autem, « Usquequo, » non est graviter ac moleste ferentis, sed dolentis ac mœrentis, et non ferentis molem tentationum.

IV. « Convertere, Domine, eripe animam meam. » Duo

[1] Psal. vi, 5.

hic ponit, et ipsum converti, et eripere animam. Hoc enim a Justis maximo studio contenditur, ut ipse reconcilietur, sit benignus ac propitius, et non aversetur. Hoc enim etiam aliud consequitur, nempe ut servetur anima, non quemadmodum multi homines, et maxime crassiores, unum solum requirunt, ut præsenti fruantur prosperitate. At non illi sic, sed ut salutem animæ consequantur, qua nihil est eis antiquius. « Quoniam non est in morte qui » memor sit tui : in inferno autem quis confitebitur tibi [1] ? » Vide quot affert causas salutis. « Quoniam infirmus sum, » inquit; quoniam conturbata sunt ossa mea; quoniam hæc » peto a Domino; quoniam non est in morte qui memor sit » tui. » Non hoc dicens res nostras esse præsentis vitæ limitibus circumscriptas, absit : novit enim resurrectionem, sed postquam hinc excesserimus, non dari locum pœnitentiæ. Dives enim confitebatur, et pœnitentia ducebatur, sed nihil ei proderat, quoniam tempus præterierat. Virgines etiam oleum accipere voluerunt, sed nemo eis dedit [2]. Hoc ergo rogat hic etiam, ut hic peccata eluat, ut possit terribili tribunali fidenter astare. Deinde docens auditorem cum Dei clementia oportere etiam nostra consequi; nam et si imbecillitatem prætendamus, si turbationem, si Dei bonitatem, si hoc etiam ipsum quod dicebat, nostra autem his non accedant, nobis nihil prodesse; vide quidnam subjungit : « Laboravi in gemitu meo, lavabo per » singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum » meum rigabo [3]. » Audiant qui sunt humiles et abjecti, qualem rex et purpura indutus ostenderet pœnitentiam : audiamus, compungamur. Non solum laborabat, sed laborabat gemens; non tantum lacrymabatur, sed etiam lacrymis lectum lavabat; non uno aut duobus aut tribus diebus, sed etiam singulis noctibus; et non solum dicit præteritum,

[1] Psal. vi, 6. — [2] Matth. xxv, 8, 9. — [3] Psal. vi, 7.

sed etiam futurum. Ne putetis enim eum cum hæc semel fecisset, deinceps se quieti tradidisse, et laxamento usum esse : sed hoc assidue fecit per totam vitam, non sicut nos, qui uno die ut plurimum id agentes, imo ne uno quidem, nos ipsos risui, voluptati, et otio tradimus. At non ille; sed in lacrymis perpetuo agebat. Hanc nos etiam imitemur confessionem. Si enim noluerimus hic flere, illic omnino necesse erit flere et ejulare : illic quidem inutiliter, hic autem cum emolumento : illic cum ignominia ac dedecore, hic decore admodum et honeste. Quid enim necesse sit hoc fieri, audi quid dicat Christus : « Illic erit fletus et » stridor dentium [1]. » At non ita qui hic flent : sed magnam consequentur consolationem. « Beati enim qui lugent, quo» niam consolationem accipient [2] Væ vobis divitibus, quo» niam accipitis consolationem vestram [3]. » Audiant qui lectos habent argenteos, qualis erat lectus regis, non ex gemmis conflatus, non auro contextus, sed ablutus lacrymis. Et noctes huic erant, non quietis, sed noctes fletuum et lamentationum. Quoniam interdiu eum multæ curæ circumsistebant, quod alii quietis ac laxamenti tempus sumunt, id ille ducebat tempus confessionis, tunc acrius lamentans. Bonum est enim semper flere, maxime autem tempore noctis, quando nullus est qui hanc admirabilem voluptatem excutiat, sed licet volenti ea liberrime expleri. Sciunt qui ejus quod dico fecere periculum, quantam lætitiam habeant hi fontes lacrymarum. Hæ lacrymæ possunt extinguere ignem inextinguibilem, fluvium illum qui trahitur ante tribunal. Propterea Paulus triennio flevit noctu et die [4], alienas affectiones corrigens, nos autem ne nostras quidem; sed nos ipsos risui ac voluptati dedentes, tota nocte gravi somno et crapula obruimur. Et hi quidem

[1] Matth. VIII, 12. — [2] Id. V, 5. — [3] Luc. VI, 24. — [4] Act. XX 31.

somno morti simili sunt affixi : alii vero agunt morte graviores vigilias, fœnora, et usuras, et in alios insidias eo tempore animo agitantes. At non ii, qui sunt sani et sobrii, sed suas colunt animas, his lacrymis tanquam imbre utentes, et semina virtutis augentes. Nulli vitio et libidini erit aditus ad lectum ejus, qui lacrymas ejusmodi suscipit. Qui tales fundit lacrymas, nihili ducit quæ sunt in terra, sed liberat animum ab omni obsidione, mentem reddit vel sole clariorem. Nec me existimaveritis solis hæc dicere monachis, etiam ad eos, qui rebus ad hanc vitam pertinentibus attenti sunt, habetur hæc exhortatio et ad hos potius, quam ad illos. Hi enim sunt qui maxime indigent pœnitentiæ pharmacis. Qui hoc modo lamentatur, surget animo melius affecto, quam sit portus tranquillus, omnes animi perturbationes expellens, omni refertus lætitia in domum Dei libere et secure ingredietur, cum propinquo jucunde colloquetur; non eum vexat ira in internis penetralibus, non inflammat cupiditas, non amor pecuniæ, non invidia, non aliquid aliud ejusmodi. Hæc enim omnia ut tanquam belluæ in cavernis abstrusæ delitescerent, nocturnus ille gemitus et lacrymæ effecerunt. « Turbatus est a furore » oculus meus [1]. » Vidisti contritam animam? Postquam dixit pœnitentiam, dicit rursus perturbationes animi, conturbationem quæ est in mente, timorem qui ex ira Dei procedit.

V. Oculum enim hic dicit oculum animæ, perspicacitatem illam et ratiocinandi facultatem, quam solet perturbare suorum peccatorum cogitatio. Quia enim sua delicta ante oculos perpetuo habebat, Dei etiam iram apud se cogitabat, timore affectus, non omnis doloris expers, sicut multi : sed horrens et contremiscens. Talis conturbatio est mater tranquillitatis : talis metus est fundamentum

[1] Psal. vi, 8.

securitatis. Qui ita est conturbatus, omnem tempestatem expellit : qui tali non est anima præditus, graves fluctus subibit : et quemadmodum navigium non saburratum, violentorum ventorum impetui relictum, celeriter submergitur : ita etiam anima doloris penitus expers, exposita est innumerabilibus perturbationibus. Quocirca etiam beatus Paulus dicebat ostendens hanc affectionem : « Qui » omni doloris sensu privati seipsos tradiderunt impudici- » tiæ, in operationem omnis immunditiæ, in avaritia [1]. » Et quemadmodum gubernator, quandiu pro navigantibus sollicitudine vexatur, omnes reddit quietos ac tranquillos : sed si ab ea liberatus dormiat, magnam affert perturbationem : ita etiam homo, qui horret quidem, tremit et perturbatur, quietam reddit suam cogitationem : qui autem socordiæ somno seipsum tradidit, efficit ut cymba obruatur. « Inveteravi inter omnes inimicos meos. » Quid est, « Inveteravi? » Debilitatus sum, inquit, ab inimicis meis. Vita enim nostra versatur in certamine, et innumerabilibus inimicis plena est, qui etiam efficiuntur potentiores, quando in peccata inciderimus. Quamobrem omnia sunt facienda ut eorum manus effugiamus, et ne eis unquam reconciliemur. Hoc est enim nobis securitatis maximæ fundamentum. Horum inimicorum phalangem Paulus significans, dicebat : « Non est nobis colluctatio cum carne » et sanguine, sed cum principatibus, cum potestatibus, » cum mundi rectoribus tenebrarum hujus sæculi [2]. » Cum ergo talis sit phalanx inimicorum, semper et perpetuo in armis esse oportet, et fugere peccatorum insultus. Nihil enim facit adeo « Inveterare, » ut natura peccati. Quamobrem Paulus quoque volens « Inveterationem » quæ ex eo fit amoliri, dicebat : « Ne conformemini huic sæculo, sed » transformemini renovatione mentis vestræ [3]. » Quando

[1] Ephes. IV, 19. — [2] Id. VI, 12. — [3] Rom. XII, 2.

ergo a peccato « Inveteraveris, » renova teipsum per pœnitentiam. « Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei. » Exaudivit Dominus deprecationem meam : Dominus orationem meam suscepit [1]. » Non est hæc quoque parva via ad virtutem deducens, malos fugere, quod quidem Christus quoque a nobis cum tanto studio exigit, ut etiam amicos qui maxime necessariorum nobis membrorum loco sunt, jubeat excindere, quando nos scandalizant, et nobis aliquid damni affert eorum consuetudo. « Si oculus, inquit, te scandalizat, erue ipsum, et si manus te scandalizat, excinde ipsam, et ejice a te [2], » non dicens de membris, absit : sed de veris et necessariis amicis, quorum sunt aspernandæ amicitiæ, quando nec nobis, nec ipsis sunt inutiles, sed damnosæ. Hanc exercens virtutem hic quoque non solum non persequebatur tales familiaritates et congressiones, sed etiam eas jubebat a se resilire.

VI. Hic est fructus pœnitentiæ, hoc est lucrum lacrymarum. Mens enim quæ ita est contrita, nulla deinceps libidine tenetur. Hoc ipsum nos quoque faciamus : etsi sit quispiam vel ipso diademate redimitus, nos autem lædat, aspernemur ejus amicitiam. Nihil est enim viro vilius, etsi sit rex, quando est vitio deditus; quemadmodum nihil est vel captivo magnificentius, quandiu virtutem possederit. « Quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei. » Non dixit: « Exaudivit vocem meam » simpliciter, sed «Vocem fletus mei. » Vides quomodo sua large et copiose proferat, vocem et fletum, vocem hic dicens, non intensionem clamoris, sed affectionem animi; et fletum, non eum solum qui profluit ex oculis, sed etiam eum qui ex anima. Qui enim inducit pœnitentiam, et a Deo exauditur, hoc etiam bonum potest præclare consequi, ut consuetu-

[1] Psal. vi, 9, 10. — [2] Matth. v, 29, 30.

dinem improborum amoveat. « Erubescant et conturben-» tur omnes inimici mei, convertantur retrorsum et eru-» bescant valde velociter [1]. » Hæc oratio maximam habet utilitatem, pudorem, inquam, et retrocessionem. Qui enim male currunt, si erubescant et retrocedant, a nequitia desistent. Quemadmodum enim si viderimus hominem in præcipitio et præruptis locis ingredientem, ne ulterius procedat retinebimus, dicentes : « Homo, quo ferris? Occurret tibi præcipitium quod ante est : » ita etiam hic vult malos retrocedere. Ita etiam furentem equum nisi quis cito represserit, cito peribit. Ita etiam medici, serpentis alicujus venenum adrepens et in totum corpus emanans maxima celeritate, ne ulterius progrediatur, sistunt, ejus vitium incidentes. Hoc autem nos quoque faciamus, et quod in nobis est vitium maxima celeritate reprimamus, ne ulterius progrediens morbum augeat. Neglecta enim peccatorum vulnera sæpe majora evadunt, et nec usque ad vulnera solum sistit morbus et infirmitas, sed sæpe etiam mortem parit immortalem, quemadmodum etiamsi ab initio parva sustulerimus, nec magna consequentur. Considera autem : qui meditatus est non facere injuriam, nec sciet pugnare : qui pugnare nesciet, se etiam recte geret in amicitia : qui se in amicitia recte geret, non habebit inimicum : qui autem non habet inimicum, sed habet charitatem, habebit omnem virtutem. Ne priora ergo negligamus, ne mala in majus crescant. Judas, si pecuniæ amorem coërcuisset, non venisset ad sacrilegium : si illud compressisset, non ad colophonem, ut aiunt, malorum prosiluisset. Et ideo Christus quoque non solum fornicationem et adulterium, sed impudicum etiam obtutum reprimit, radicem ab imo evellens, ut facilius possit superari vitium. Hoc etiam faciebat Judæis crassius quidem, et

[1] Psal. vi, 11.

tanquam per ænigmata : loquebatur enim cum carnalioribus, sed tamen faciebat. Quomodo? Non permittebat ut in bestiis ulla esset conjunctio ex diversis generibus [1]; non sinebat comesse sanguinem brutorum [2]; non permittebat tenere pignora post vesperum [3], magna per hæc mala reprimens, per primum quidem coïtum masculorum, per secundum autem cædes, per tertium vero crudelitatem et inhumanitatem. Sed nunc omnia passim et impudenter ad modum fiunt, et ideo omnia susquedeque aguntur et feruntur. Quando ergo parvam animi perturbationem susceperis, ne eam neglexeris, quod parva sit, sed considera id quod ex ea alitur, maxima mala parere. Etenim postquam in domo aliqua parum stuppæ accensum viderimus, conturbamur, et tumultum movemus : non enim attendimus initium : sed ex initio finem considerantes, movemur, et concurrimus ut totum caminum extinguamus. Hoc igne vehementius animam exedit vitium. Oportet itaque prævenire. Nam si fuerimus negligentes, id correctu evadet difficilius. Hoc viderit quispiam evenire etiam in navigio, et conturbari nautas, non quando mare jam superare, sed quando id facturum esse viderint. Ne simus ergo in parvis peccatis socordes, sed ea reprimamus cum magna vehementia, ut liberemur a majoribus, et bona futura consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri una cum sancto Spiritu, gloria, honor, imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Lev. XIX, 19. — [2] Deut. XII, 23. — [3] Id. XXIV, 12.

EXPOSITIO

IN PSALMUM VII.

Psalmus David, quem cantavit Domino pro verbis Chusi filii Jemini.

Domine Deus meus in te speravi : salvum me fac ab omnibus persequentibus me, et libera me [1].

I. Oporteret quidem scripturarum et historiarum adeo accuratam habere cognitionem, ut longiori ad earum doctrinam oratione non egeremus; sed quoniam alii quidem in rebus sæcularibus occupati; alii vero seipsos socordiæ dedentes, ea non audiverunt, necesse est paulo longiori uti oratione, Psalmi argumentum explanantes, sed attendite diligenter : quodnam igitur est argumentum? « Psalmus » David, quem cecinit Domino. » Alius : « Psalmus pro » ignorantia David. » Alius : « Ignoratio David : » et pro « Chusi, Æthiopis, » inquit. Sed sic etiam obscura sunt, quæ dicta sunt, quod vos historiam ignoretis. Sed quoniam non oportet solum reprehendere, sed docere, operæ-pretium est narrationem aggredi. Quis ergo sit hic Chusi filius Jemini, et quænam sint verba, pro quibus Deo cecinit hoc canticum David, hinc deinceps dicendum est, ab initio ducta oratione. Absalom fuit filius David, juvenis, incontinens et perditus [2]. Is aliquando insurrexit adversus patrem, eoque regno, et domo, et patria ejecto, pro illo ipse tenebat omnia, et neque naturam, nec educationem, nec ætatem, nec quæ præcesserant respiciebat, aut reve-

[1] Psal. VII, 1, 2. — [2] 2 Reg. XV.

rebatur; sed erat adeo, ut semel dicam, crudelis, immitis, et bellua potius quam homo, ut his omnibus perruptis obicibus, ipsis naturæ insultaret legibus, et turbis omnia ac tumultu compleret : tunc enim omnia evertebantur decreta naturæ, hominum reverentia, in Deum pietas ac religio, humanitas et misericordia, alimentorum remuneratio, et in senectutem reverentia. Nam etsi nolebat eum revereri ut patrem, saltem revereri oportebat ut senem : si canos negligebat, certe ut benefactorem : quod si nec sic quidem, ut eum quidem certe qui nullam fecerat injuriam : sed amor imperii hanc omnem ejecit reverentiam, et hominem in feram convertit. Et hic quidem Beatus, qui eum genuerat et aluerat, tanquam erro et profugus, errabat in deserto, et quæ ex his sequuntur malis opprimebatur : ille vero in bonis paternis voluptatem explebat. Cum res ergo ita se haberent, ac cum illo essent exercitus, tyrannoque urbes parerent, quidam Chusi vir probus, David amicus, suam in eum amicitiam perpetuo conservavit in hac mutatione temporum, et cum sæpe eum vidisset errantem in solitudine, dirupit tunicam, aspersit se cinere, acerbe flevit et miserabiliter, cumque nihil aliud posset, lacrymarum affert consolationem : non erat enim amicus temporum, nec potentiæ, sed virtutis; ideo licet ille regno ejectus esset, non mutarat amicitiam. Cum ergo videret David eum hæc ita facientem, dicit ei : « Sunt hæc quidem amici, et ejus qui in nos sincere affectus est, sed nihil nos juvabunt : ideo consultandum est, et aliquid excogitandum, ut ea, quibus impliciti sumus, mala solvantur, et inveniamus rationem nos liberandi ab his calamitatibus. » Hæc cum dixisset, talem illi aperit sententiam : « Vade ad filium meum, et amici suscepta persona, disturba mihi illius consilia, et fac ut sit irritum Achitophel consilium. Hic autem Achitopel apud tyrannum tunc omnia poterat,

rei quidem militaris valde peritus, qui in bello et prælio imperatoris partes præclare agere poterat, et ideo David eum plus timebat quam tyrannum, tantum ingenio valebat et prudentia. His auditis, ille paruit, nec ullam pusilli aut abjecti animi cogitationem suscepit, nec humile aut ignavum quid cogitavit, neque dixit: « Quid si fuero deprehensus? Quid si larva detecta fuerit? Quid si fuerit deprehensus actus simulationis? Callidus Achitophel: hoc fortasse deprehendet, detegetque, et temere ac frustra illic peribo. » Horum nihil reputans, se in castra tyranni proripuit, universæ rei cura in Deum conjecta, et seipsum in media immisit pericula. Hæc omnia a me dicta sunt, non solum ut laudemus, sed ut et quæcumque David tristia evenerunt, quæcumque passus est, discamus, et quæcumque alia commoda possunt ex historia percipi, ea etiam in medium adducamus. Ecce enim, quod assidue a multis inquiritur: « Cur Justi affliguntur, improbi autem in quiete et otio versantur? » id hic invenire possumus. Justus enim versabatur in calamitatibus; sceleratus autem, et patricida, et ipsius naturæ inimicus et hostis, in felicitate agebat, et palatiis regiis: sed nec ille quidquam ex eo lucrabatur, neque Sanctus hic lædebatur, sed ille quidem majoribus obnoxius fuit ærumnis; hic autem clarior et splendidior factus est, ut aurum in fornace redditur afflictione purior.

II. Hinc ergo primum hoc disce, ne conturberis in hujusmodi rebus adversis, cum videas etiam Justis id evenire. Aliud autem postea, ne muteris pro tempore, sed noris leges amicitiæ. Tertium, ut etiam pericula audeas adire pro virtute. Quartum, ut etiam in rebus dubiis et asperis bona spe sis præditus, Dei auxilium expectans. Ille enim Chusi non castra respiciebat, non tyranni timorem, non equorum multitudinem, non armatorum phalanges, non

quod urbes jam ante captæ fuerant, non David solitudinem et imbecillitatem, sed unum solum respiciens inexpugnabile Dei auxilium, et illius benevolentiam, ita utrasque partes dijudicavit; et illas quidem invenit impotentes et invalidas, has vero firmas et potentes. Ille enim injuste faciebat, hic vero cum Justo seipsum servabat. Cum ergo staret, non ubi multitudo hominum, sed ubi erat virtutis præsidium, opem Dei ad se attraxit. Hæc dico, ut nos quoque, etsi sint imbecilli a quorum parte stat jus, illorum partes tueamur : licet sint potentes qui injuriam inferunt, societatem illorum fugiamus. Vitium enim, etsi secum habeat universum orbem terrarum, est omnium maxime imbecillum : virtus autem, etsi sola sit, est omnium potentissima : habet enim Deum secum stantem. Quis ergo servare potest eum, qui a Deo oppugnatur? Quis autem potest perdere eum, cui ipse fert auxilium? Hæc omnia sapienter considerans Chusi, bona spe concepta, venit quo mittebatur : et postquam astitit, cum vidisset tyrannum appropinquantem, accessit. Ille autem cum frequenter eum vidisset, et esset imperandi cupiditate ebrius, non diligenter examinavit : sed illum irridens, et probris impetens : « Abi, inquit, cum amico tuo, » ne dignatus quidem nomen dicere, tantum erat odium, tantæ inimicitiæ. Cui Chusi nihil commotus nec conturbatus dicit : » Quando Deus erat cum ipso, illi bene volebam : quoniam autem nunc tecum est, consequens est ut tuas partes sequar. » Hoc tyranno magnos spiritus fecit, tumidumque illum reddidit, et re non diligenter examinata : nam vir levis credit sermoni cuilibet : quod illi etiam accidit : et inimicis deditus, ipsum statim inter intimos admittit, et in primorum amicorum refert numerum. Deus autem præsens, et quæ fiebant regens, omnia dispensabat, et proposito circa bellum consilio, cum alii alia dicerent de

rebus agendis, an statim invadere, an parum differre, oporteret, accedens Achitophel, qui consilio plurimum valebat, et sententiam suam proferens hoc dedit consilium dicens : « Afflictum nunc et perturbatum patrem tuum invadamus. Nam si ei respirandi nullum tempus dederimus, ita eum de medio tollemus. Si enim eum imparatum nunc aggrediamur, res nullo labore a nobis perficietur. » Hæc cum audisset tyrannus, vocat etiam Chusi, qui ad ipsum transfugerat per simulationem, et eum facit ejus quod petebatur consilii participem, quod non erat humanæ rationi consentaneum, ut eum qui recenter venerat tanto honore afficeret, et fide dignum existimaret, ut etiam de rebus ejusmodi eum esse vellet consiliarium : sed sicut ante dixi, quando Deus est ductor, etiam quæ sunt difficilia facilia evadunt. Introducitur Chusi, et facit ei liberam dicendi potestatem, vultque dicere de eo quod proponitur (6). Quid vero Chusi : « Nunquam, inquit, aberravit Achitophel. » Vides prudentiam? Non reprehendit statim ejus sententiam, sed cum laude. Eum enim laudans quod opportunum antea consilium dedisset, ita præsentem vituperat sententiam. Quod autem dicit, tale est : « Miror quomodo nunc erraverit : non mihi enim videtur esse utile consilium. Si quippe eum nunc invaserimus, tanquam ursus rabie percitus, ira plenus pater tuus, de vita desperans, et cum summa pugnans indignatione, suæ salutis nullam ducet rationem, et maximo impetu in nos irruet. Quod si parum cesserimus, eum cum majoribus et instructioribus copiis aggrediemur, longeque tutius, ac citra ullum laborem, et cum maxima facilitate eum veluti laqueo implicatum capiemus et adducemus. « Laudat Absalom sententiam, eamque sibi utiliorem esse dicit. Hæc autem dicebat Chusi, David volens dare tempus ut se parum recrearet, ac respiraret, cogeretque exercitum. Ita ergo

repudiata Achitophel sententia, per viros aliquot secretos mittens, omnia David renuntiavit, tyrannum videlicet suam approbasse sententiam, quæ David afferebat victoriam. Quod ita etiam accidit : cum enim illi parum spatii dedisset, paratus David cum invasit, fusisque ac fugatis hostibus, victoriam retulit. Quod cum pro sua prudentia et ingenii solertia videret Achitophel, et ex eo exitum intellexisset, nempe quod hæc sententia Absalom allatura esset exitium, non ferens contumeliam, recedens aptato laqueo se suffocavit, et ita vitam finivit.

III. Hæc itaque omnia cum didicisset David, Psalmum scribit, hymnos, quibus gratias agit Deo, offerens, et totum stratagema Deo tribuens. Quocirca incipiens sic dicit : « Domine Deus meus, in te speravi, salvum me fac. » Non in Chusi, nec in humana sapientia, nec in illius prudentia, nec in meo consilio, sed in te. » Ita nos etiam faciamus, etiamsi per homines a nobis aliquid præclare geratur, Deo gratias agamus, tam pro iis, quæ per nos, quam quæ per alios nobis evenerunt, beneficiis. Si enim ita faciamus, nihil erit grave, nec difficile, quod etiam faciebat David, propemodum dicens : « Non in verbis Chusi habebam spem salutis, sed in tuo auxilio. » Vide autem cum quanta loquitur affectione, sicut solet facere. Non enim dixit : Domine » Deus : » sed, « Domine Deus meus, » et alibi : « Deus, Deus » meus, ad te de luce vigilo [1]. » Etenim cum omnibus eo opus habebat, seorsum autem ac separatim propter insigne desiderium. Ita etiam Deus hoc ipsum facit in Justis, et cum sit omnium Deus, se dicit separatim esse Deum Justorum : « Ego Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob [2]. » Vide autem ejus sapientiam, cum dixisset : Domine Deus » meus, in te speravi, » non dixit : « Puni hostem, tolle de medio inimicum : » sed quod suum est tantum quærit, et

[1] Psal. LXII, 2. — [2] Exod. III, 6.

dicit : « Salvum me fac, » hoc est, « Ne permittas ut male patiar « Ab omnibus persequentibus me, et libera me. » Vide quomodo ne male quidem patiens, nominatim meminit parricidæ, et naturam in calamitate agnoscens, et in bello respiciens filium, et in periculis non obliviscens viscerum. Tanta erat in filios pietas et charitas, vel potius tanta erat ejus philosophia. Non enim tyrannis naturæ, sed animi potius mansuetudo eum talem reddebat et plus exercitui imputabat, quam tyranno; et ideo dicit : « Salvum me fac » ab omnibus persequentibus me, et libera me. » Vide quomodo non admodum invidiose meminit illorum? Non enim dixit : « Ex iis qui mihi bellum inferunt, ex iis qui mea diripiunt, ex iis qui per summam libidinem meæ regiæ insultant, et se omnibus explent voluptatibus : » sed, « A persequentibus me. Nequando rapiat ut leo animam meam, » dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat [1]. » Atqui collegit exercitum, et multos secum habuit. Quomodo ergo dicit : « Dum non est qui redimat, neque qui » salvum faciat? » Quoniam ne universum quidem orbem terrarum auxilii loco habet, nisi opem divinam fuerit assecutus, nec se esse ducit in solitudine, licet solus sit, si sit illius auxilii particeps. Et ideo dicebat : « Non salvatur » rex per multam potentiam, et gigas non salvabitur in mul» titudine virtutis suæ [2]. » Nonnulli autem hoc dictum anagogice accipientes, leonem et persequentes dicunt esse diabolum et dæmones. Quoniam enim videbat filium ab ipso raptum et devoratum, rogat ne idipsum quoque ei accidat, et dicit etiam causam propter quam hoc illi accidit. Quænam est autem causa? Propter nequitiam, inquit, a se Dei auxilium avertit. Propterea dicit : « Dum non est » qui redimat, neque qui salvum faciat. » Quod autem leo dicatur diabolus, audi ex Scriptura, quæ dicit : « Inimicus

[1] Psal. VII, 3. — [2] Id. XXXII, 16.

» vester diabolus circumit ut leo rugiens, et quærens quem » devoret [1]. » Quinetiam ipse Propheta dicit alibi : « Et » conculcabis leonem et draconem [2]. » Est enim bellua multiplex; sed si sapuerimus, hic leo et draco erit quovis luto vilior, nec adversus nos aperto marte diriget aciem. Sin autem direxerit, conculcabitur. « Ambulate, inquit, » super serpentes et scorpiones [3]. » Circumit enim incensus ira tanquam leo, sed si eos invaserit qui Christum habent, et crucem in fronte, et ignem spiritus, et lampadem quæ nunquam extinguitur, ne quidem attollere oculos contra poterit, sed verso tergo recedet, ne converti quidem audens. Et ne inania et vana putes verba esse quæ dicta sunt, considera mihi Paulum. Nam ipse quoque homo erat, sed cum ita leo iste pertimescebat, ut vestes ejus et umbram fugeret. Merito Christi enim fragrantiam ex eo spirantem et ascendentem non ferebat, et ad lampadem virtutis respicere non poterat. « Domine Deus meus, si feci » istud, si est iniquitas in manibus meis [4]. » Hoc perpetuo servandum est, ut non solummodo oremus, sed ita oremus, ut etiam exaudiamur. Non enim sufficit oratio ad efficiendum id, quod est propositum, nisi ita eam composuerimus, ut Deo accepta sit. Nam oravit etiam Pharisæus, et eum nihil juvit [5]; et Judæi rursus orarunt, sed orantibus ipsis Deus avertebatur : neque enim orabant, ut orare oportet, et ideo jussi sumus eam afferre orationem, quæ maxime possit exaudiri. Hoc etiam ostendit in præcedenti oratione, non simpliciter rogans ut audiatur, sed cum sua attulisset. Quænam autem erant ea? « Lavabo per » singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum » meum rigabo. » Illud : « Laboravi in gemitu meo; » et hoc; « Discedite a me omnes qui operamini iniqui-

[1] 1 Pet. v, 8. — [2] Psal. xc, 13. — [3] Luc. x, 19. — [4] Psal. vii, 4. — [5] Luc. xviii, 11.

» tatem » et illud : « Conturbatus est a furore oculus » meus [1]. »

IV. Hæc enim omnia ad Deum attrahendum satis sunt, luctus, lacrymæ, gemitus, resilire ab improbis, ejusque pertimescere et horrere sententiam. Et alibi dixit : « Exau- » divit Deus justitiam meam : in tribulatione dilatasti mihi [2]. » Hac enim ratione fit, ut exaudiamur. Primum quidem, quod digni simus accipere. Deinde, quod ex Dei legibus oremus. Tertio, quod assidue. Quarto, quod nihil petamus eorum quæ ad hanc vitam pertinent. Quinto, quod petamus ea quæ sunt utilia. Sexto, quod quæ nostra sunt omnia afferamus. Vide ergo multos, qui sic exaudiuntur. Cornelium, ex vita [3]; Syrophœnissam, ex assiduitate [4]; Salomonem, ex modo petitionis : « Propterea enim, inquit, » quod non petiisti pecunias, neque animas inimicorum » tuorum [5]; » Publicanum, ex humilitate [6]; alios ex alia ratione. Quemadmodum ergo ex his efficitur ut audiamur, ita etiam alia ratione fit, ut non exaudiantur, licet justi sint, qui petant. Quid enim fuit Paulo justius? Sed quoniam petivit quæ erant inutilia, non fuit exauditus, « Pro eo, in- » quit, ter Dominum rogavi, et dixit mihi : Sufficit tibi » gratia mea [7]. » Quid rursum Mose justius? Sed nec ille exauditus est, Deo dicente : « Satis tibi sit [8]. » Quia enim petebat ingredi in terram promissionis : hoc autem erat inutile, non permisit Deus. Cum his etiam aliud est, quod facit ut non exaudiamur, quando in peccatis perseverantes oramus. Quod etiam de Judæis dixit Deus Jeremiæ : « Ne » deprecare pro hoc populo. Annon vides quid hi faciunt [9]? » « Ab impietate non defecerunt, et tu offers pro eis preces, sed te non exaudiam. » Rursus, quando contra inimicos peti-

[1] Psal. VI, 7-9. — [2] Id. IV, 1. — [3] Act. X, 4. — [4] Matth. XV, 22. — [5] 3 Reg. III, 11. — [6] Luc. XVIII, 14. — [7] 2 Cor. XII, 8, 9. — [8] Deut. III, 26. — [9] Jer. VII, 16, 17.

mus, non solum non exaudimur, sed etiam irritamus. Est enim oratio medicamentum : sed si nesciamus quomodo sit adhibendum medicamentum, utilitatem ex eo non capiemus. Videamus ergo quid hic etiam orans dicit : « Do» mine Deus meus, si feci istud. » Quid est, « Si hoc feci ?» Quod patior, inquit, « Si insurrexi adversus patrem, si sic me inique gessi. » Sed ne hic quidem eum, qui fecit injuriam, nominatim dicere in animum inducit, sed pro filio erubescit, et pudore afficitur. Quemadmodum si quis vir generosus, videns uxorem suam adulterari, ne nominatim quidem ejus delictum in medium proferre sustinet : ita hic etiam; non dixit : « Si insurrexi adversus eum qui genuit, si fui parricida : » sed, « Si feci hoc. » Et quid hoc dico, inquit ? cujusmodi enim est virtus, non fuisse parricidam, quod nec in feris quidem cernitur ? « Si est iniquitas in » manibus meis. » Non dico de hac iniquitate : sed nec alia, inquit, invenietur esse in meis manibus iniquitas. » Hæc autem dicit, non glorians, nec se magnifice extollens, sed quæ a se recte facta erant coactus dicere. Sed nec hoc quidem magnum est, si conferatur cum eo quod est dicendum. Quid hoc autem est ? « Si reddidi retribuentibus » mihi mala [1], » inquit. Attendite diligenter. Non est enim vulgare quod dicitur. Præclarum quidem est injuriam non facere, sed multo præclarius, et sapientis est animi, non ulcisci eum qui facit injuriam. Atqui hoc quidem lex concedebat, jubens oculum pro oculo, et dentem pro dente excindere [2] : nec sic lex transiliebatur, sed hic tanto erat studio sapientiæ præditus, ut non solum legem non transgrederetur, sed etiam ex nimia quadam abundantia eam longe superaret, ac scammata transiliret. Non enim existimabat sufficere ad virtutem, nisi etiam jussa longo intervallo superaret. Quemadmodum fecit etiam Paulus, qui ex

[1] Psal. VII, 5. — [2] Deut. XIX, 21.

Evangelio jubebatur vivere [1], et non vivebat, sed sine sumptu prædicabat Evangelium : ita etiam beatus David, cum lex ei permitteret ulcisci inimicos, non se continuit intra hunc modum, sed cum longe etiam superavit. A nobis autem hoc non solum exigitur, ut non retribuamus, sed etiam ut benefaciamus. « Orate enim, inquit, pro iis » qui vos offendunt, benefacite iis qui vos oderunt [2]. » In David autem non parvum est non ulcisci, sed etiam multo est majus quam sit legis præceptum. Et ideo dicit : « Si hoc » feci, si est iniquitas in manibus meis : si reddidi retri- » buentibus mihi mala. » In filio enim vel ipsa natura prohibebat, sed « Si alios, inquit, injuria affeci, vel etiam ultus sum. » Quamnam ergo nos veniam consequemur, et quam afferemus excusationem, qui post Christi adventum non pervenimus ad mensuram eorum, qui vivebant sub Veteri Testamento, idque cum a nobis longe majora exigantur? « Nisi enim abundaverit, inquit, justitia vestra plus quam » Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum [3]. » Quemadmodum enim non est æqualis is, qui se in lege recte gerit, ei qui in iisdem se recte gessit ante legem : ita nec qui in gratia ei, qui sub lege; sed ex tempore magna adest differentia. Hoc ostendens Paulus et in vitio et in virtute, vide quomodo illos quoque magis admiratur, et hos majori supplicio dignos esse pronuntiat, ita dicens : « Quando enim gentes, quæ legem non habent, natura » quæ sunt legis faciunt, ii legem non habentes sunt sibi » ipsis lex [4]. »

V. Vides quomodo eos, qui sine lege se recte gerunt, laudat et prædicat? Vide rursus quomodo eos etiam, qui peccant in gratia, ostendit esse dignos majori supplicio iis, qui peccant in lege, sic dicens : « Qui irritam fecit legem

[1] 1 Cor. IX, 14. — [2] Matth. V, 44. — [3] Ibid. 20. — [4] Rom. II, 11.

» Mosis, sine misericordia sub duobus vel tribus testibus » moritur : quanto, putatis, deteriori supplicio dignos ha- » bebitur qui Filium Dei conculcavit, et sanguinem testa- » menti communem existimavit [1] ? » Et rursus, eos qui ante legem, iis qui in lege trangressi sunt, minori supplicio dignos esse ostendens : « Quicumque, inquit, sine lege pec- » caverunt, sine lege peribunt [2], » hoc est, mitius, ut qui legem non habeant accusatricem, sed naturam tantum. « Quicumque autem in lege peccarunt, per legem judica- » buntur [3], » hoc est, habentes graviorem etiam cum natura legem accusatricem. « Decidam merito ab inimicis meis » inanis. Persequatur inimicus animam meam et compre- » hendat, et conculcet in terra vitam meam, et gloriam » meam in pulverem deducat [4]. » Vidisti Justi fiduciam, et optimam conscientiam? Nisi enim valde sibi confidisset, non esset talia imprecatus. Quod autem dicit, est ejusmodi. « Si feci injuriam, si me ultus sum, hæc et illa patiar ; » in seipsum fert sententiam, et non postulat ut pro modo rei judicetur, imo potius ut supra meritum luat pœnas : et seipsum reddit illi supplicio obnoxium, a quo ipsum lex prohibet. Vide autem quodnam sit illud; « Decidam, » inquit, ab inimicis meis inanis. Persequatur inimicus » animam meam, et comprehendat, et conculcet in terra » vitam meam, et gloriam meam in pulverem deducat. » Hoc est, « Me inglorium, et bonæ famæ et existimationis expertem perdat, et simul cum vita mea meam quoque gloriam destruat. » Quid est, « Et gloriam meam in pulve- » rem deducat? » humiliet, conculcet : « Efficiar, inquit, meis inimicis expugnatu facilis. » Quid possit esse Absalom sceleratius, qui patrem, et talem patrem, adeo mansuetum et mitem persequebatur, cum esset impudicus, petulans, et

[1] Heb. x, 28, 29. — [2] Rom. II, 12. — [3] Ibid. — [4] Psal. VII, 6.

contumeliosus? Quid ergo? Num reddidit retribuentibus ei mala? num injurias revocavit in memoriam? Nequaquam : et si examinaveris Saülis historiam, tunc maxime videbis illam vocem esse claram et illustrem. Cum enim eum, qui post innumerabilia beneficia, et tropæa, et victorias ei injuriam faciebat, insidias tendebat, et quotidie cupiebat eum de medio tollere, semel, bis, ter, et sæpe dormientem, et tanquam in carcere inclusum, et satellitibus destitutum in manus accepisset, multique eum juberent occidere et de medio tollere, ei pepercit, et iram vicit, idque cum sciret se, si eum dimitteret, hostem et irreconciliabilem inimicum esse dimissurum. Sed tamen neque memoria præteritorum, nec metus futurorum, neque ullum aliud ejusmodi, eum ad illam cædem patrandam impulit : sed sapientia usus est, manum continuit, et iram refrenavit, maluitque periculum adire, insidiis appeti, a patria et libertate excidere, quam inimicum, qui nulla de causa ei insidiabatur, qui post innumerabilia beneficia ei mortem moliebatur, occidere et de medio tollere. Ex multis quoque aliis potest cognosci philosophus ejus animus : et ideo multa sibi imprecatur, eaque gravia, ac difficilia, ut re infecta redeat, ut inimici sui sint omnino victores, ut moriatur inglorius, ut hoc patiatur ab inimicis, quod videtur esse morte multo gravius, ideo nihil non molitur, ut post mortem possit ejus superesse memoria. Vide igitur quot sibi imprecatur, ut frustra laboret, ut ab inimicis vincatur, ut moriatur, ut ne morte quidem communi, ut ejus etiam memoria deleatur, ut cum ignominia : non tot et tanta sibi imprecaturus, nisi conscientiæ vehementer confideret. Quod si illi erat inimicus, non potest in eum culpa conferri, neque enim ipse præbuit occasionem. Quam enim dedit filio occasionem? quam Saüli? non illum, cum morte digna fecisset, ad tempus castigatum reduxit et res-

tituit : hunc autem mortem ei machinantem, in manus suas sæpe delapsum servavit [1] ? Non ergo respice an inimicos habuerit, sed an eos ipse sibi fecerit. Neque enim Christus hoc jussit, nos non habere inimicos, sed non odisse : hoc quippe est in nostra potestate, illud vero minime. Ne autem sine causa odio habeamur, non est in nostra potestate, sed in eorum qui oderunt. Improbi enim bonos nulla omnino de causa odisse consuevere. Etenim Christum quoque sine causa odio habuerunt, quemadmodum dicit : « Oderunt me gratis [2]. » Et Apostoli habuerunt inimicos pseudo-apostolos, et Prophetæ falsos prophetas. Non est enim hoc spectandum, ut non habeamus inimicos, sed ne juste, et ne cum causa ; atque, ut licet millies odio habeamur, non habeamus odio, neque aversemur. In hoc enim inimicitiæ consistunt, ut odio habeamus, et aversemur. Quando ergo odio habeor, et odio non habeo, ille me inimicum, non ego eum habeo. Quando ei bene precor, quando ei volo benefacere, quomodo ego illi sum inimicus? Propterea dicebat Paulus : « Si possibile est, ut » est in vobis, cum omnibus hominibus pacem habentes [3]. »

VI. Nostra ergo afferamus, et ex hoc ipso sufficientem laudem referemus. Quænam sunt autem nostra? ut verbi gratia : hic odio te habet, et impugnat? tu ama, et eum beneficio affice. Probris et maledictis appetit? tu benedic et lauda. Sed ne sic quidem solvit inimicitias? majorem igitur tibi affert mercedem. Mali enim, quo magis a nobis observati bellum nolunt componere, eo nobis splendidiorem remunerationem comparant, et se reddunt imbecilliores. Qui enim odio habet, et non reconciliatur, liquescit, tabescit, et in perpetuo bello versatur. Qui est autem his telis superior, stat remotus a magnis tempestatibus, et sibi ipsi

[1] 2 Reg. XIV, 21, et seqq. 1 Reg. XXIV, 7. — [2] Joan. XV, 25. — [3] Rom. XII, 18.

ante illum maxime prodest, dum studet illi reconciliari, et non cum eo bellum gerere, seipsum a bello et pugna liberans. Fugiamus ergo aliis bellum gerere, et hujusmodi rerum radicem de medio tollamus, vanam gloriam et avaritiam. Vel enim propter pecunias est inimicus quispiam, vel propter vanam gloriam. Quod si iis fuerimus superiores, etiam ne nos apprehendant inimicitiæ, evademus superiores. Etsi ergo contumelia affecerit, magno fer animo : seipsum enim, non te affecit injuria. Etsi percusserit, ne obsistas. Ipse enim feritur, te manu, seipsum ira pulsans, et sibi malam ab omnibus existimationem comparans. Quod si hæc tibi videntur esse difficilia, hoc apud te considera. Si quis furiosus vestem tuam undique lacerarit, quemnam dixeris malis affici, te-ne qui passus es, an illum qui fecit ? Clarum certe est quod illum male affectum esse dicturus sis. Ergo-ne ubi vestis quidem discinditur, qui fecit, graviora passus est quam is qui læsus fuit : ubi autem cor rumpitur, hoc enim facit ira, non illum graviora esse passum putabis te, qui ne tantillum quidem passus es ? Neque enim hoc dixeris illum vestem tuam scidisse, sed prius cor suum. Sicut enim non fuerit morbus regius, nisi bilis exuperet, et proprios limites transilierit : ita vehemens ira tibi non fuerit si non fuerit cor disruptum. Quemadmodum ergo si videris aliquem regio morbo teneri, etsi mala fecerit innumera, morbum ad te nolis attrahere : ita etiam in ira. Ne æmulare, nec imitare vitium, sed illius potius miserere, qui quam in se habet non frenat belluam, sibique prius damnum affert et exitium. Quod enim qui tales sunt sibi ipsis damnum afferant, licet audire multos, qui hujusmodi pugnas et lites componunt, hoc pacto eos admonentes : « Parce tibi ipsi, facis tibi injuriam. » Tale enim est vitium : eum, qui ipsum parit, solum damno afficit, omnia susque-deque movens et agitans. Ne ergo volentes alios ulcisci,

ipsi a portu excidamus. Neque enim si quispiam navem fracturus, et submergendus, te in terra sedentem contumeliis afficeret, ex eo dolorem caperes, nec e terra excedens, cum eo esse velles naufragii particeps. Hoc ergo apud te reputa, quod qui te contumelia afficit, et probris insectatur, tanquam turbine et procella aliqua agitatus submergitur, in iræ naufragium incidens : tu autem, qui fers fortiter, et in portu et in littore agis suaviter. Sed si ad eamdem deferaris contentionem, non illum, sed teipsum demersisti. « Exurge, Domine, in ira tua, exaltare in finibus inimicorum tuorum [1]. » Hoc ita dixit, ostendens eum posse etiam surgere non in ira; ut quando dicit : « Surge, » Domine, serva me, Deus meus [2]. » Cum autem audis : « Exurge, » Nihil corporale suspiceris. Quemadmodum enim sedere non dictum est in Deo corporaliter, ita nec hoc. « Tu enim, inquit, sedens in sæculum. » Quid ergo significat per sessionem? firmitatem, immobilitatem, et naturæ stabilitatem, atque constantiam. Quod quidem significavit etiam per id quod ei ex adverso opponitur. Cum enim dixisset: « Tu sedens in sæculum, » subjunxit : « Vos » autem pereuntes in sæculum. » Quemadmodum ergo sedere non est corporale : ita nec etiam surgere ; sed illic quidem stabilitas, hic autem puniendi vis et consumendi potestas. Sedere significat nonnunquam judicandi facultatem, ut quando dicit : « Sedisti super thronum, qui judicas » justitiam [3]. » Et Daniel : « Throni positi sunt et sedit » judicium [4]. » Est etiam regale sedere, ut quando dicit : « Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi. Virga rectitudinis, virga regni tui [5]. » Unde illud, « Sede a dextris meis [6], » significavit æqualitatem honoris. Quid est autem illud, « In » ira tua? » Id quoque ita rursus accipiendum est, ut Deo

[1] Psal. VII, 7. — [2] Id. III, 7. — [3] Id. IX, 5. — [4] Dan. VII, 9, 10. — [5] Psal. XLIV, 7. — [6] Id. CIX, 1.

conveniat. Ira enim Dei, non est animi perturbatio, sed castigatio et punitio. « Exaltare in finibus inimicorum tuo- » rum. » Alius dicit, « In ira adversus inimicos tuos. » Alius, « In bile eorum qui me affligunt. » Alius, « In dilationibus » alligantium. » Hebræus autem illud, « In finibus, » dicit « Be- » baroth. » Vide quomodo rursus non se ulciscitur, sed hæc dicit pro Dei gloria. Non enim dixit solummodo : Puni inimicos meos, vel tuos, » sed, « Exaltare. » Et quomodo exaltatur ille altus, et qui est semper Altissimus? Ejus enim naturæ altitudo nec crescit, nec minuitur : est enim perfectus et nullius rei indigens, et qui semper eodem modo se habet. Quomodo ergo, et qua ratione exaltatur? Exaltatur in multorum mentibus. Quemadmodum sæpe longanimitate usus est. Inimici autem existimabant hoc non esse longanimitatis, sed humilitatis et imbecillitatis. Quocirca etiam humiliatur, non reipsa, sed illorum cogitatione.

VII. Quemadmodum enim sol videtur esse obscurus iis qui laborant oculis, ita Deus videtur esse infirmus et imbecillus in eorum mentibus. Sed quemadmodum sol ita existimatur, non est autem obscurus, sed est affectio illorum imbecillitatis : ita quoque Deus, etiamsi hoc existimetur, non est imbecillus, sed id ex illorum insipientia accidit. Quid ergo dicit Justus? « Exaltare etiam apud inimicos meos : ulciscere, et vires tuas ostende, ut qui te humilem existimant, ex iis quæ patiuntur, tuam videant gloriam. » Vidisti ejus institutum, non id quod suum, sed quod Dei est quærentis. Illud autem, « In finibus, » alii quidem dicunt, « In capitibus; » alii autem, « Nullus fugiat » inimicorum. » Magna est autem Justi virtus, quando eosdem habet, quos Deus, inimicos, et eosdem amicos : ut magna improbitas, quando Dei amicos inimicos, et inimicos amicos habet. Quemadmodum ergo Deus dicitur habere inimicos, non odio habens, neque eos aversans, sed

improbas eorum actiones abhorrens : ita etiam Justus habet inimicos, non eos ulciscens, sed improbitatem aversans. « Et exurge, Domine Deus meus, in præcepto quod man» dasti. » Alius dicit, « In judicio. Et Synagoga populorum » circumdabit te. » Alius dicit, « Circumdet te. Et propter » hanc in altum regredere, Domine [1]. » Alius dicit : « Et su» pra ipsam in altum convertere. » Alius, « Et super hac in » altum revertere. » Hebræus autem illud, super ipsam, dicit : « Ovalea. » Quid est, « In præcepto quod mandasti? » Ut opem feramus, inquit, iis qui afficiuntur injuriis, et non negligamus eos, quibus struuntur insidiæ. Quod tu ergo nobis lege constituisti, hoc etiam factis nobis exprime. Alii autem dicunt etiam aliud, nempe promisit se inimicum fore inimicis ejus. « Et synagoga populorum circumdabit te [2]. » Nihil humanum ne hic quidem suspiceris. Etsi enim tales sunt dictiones, sunt tamen sensa quæ Deo conveniant. Quid est ergo, « Circumdabit te ? » id est, canet tibi, laudabit te, bonis et honorificis te verbis affatim prosequetur. Quoniam enim hoc per choros faciebant, in orbem circumsistentes in templo et in altari, et ita gratiarum actiones offerebant ; ex ipsa standi forma laudationem eorum significavit. Quod autem dicit tale est : « Ulciscere, fer auxilium. Hoc te et apud inimicos reddet excelsum, et ut tuus populus multis te laudibus et hymnis ornet, efficiet. » Vide quomodo non quod suum, sed quod est Dei quærit ubique. Vult enim ipsum ubique et apud inimicos et apud suos gloria et honore affici. « Et pro ipsa in altum converte. » Pro ipsa, » quanam ? « Synagoga, inquit, hoc est, Propter ipsam in altum converte, exalta nos, extolle nos, fac ut sint res altæ et excelsæ, fac ut sit clarior et illustris, reduc eam ad priorem prosperitatem. » Vide autem quomodo ubique precibus doctrinam admisceat. Etenim cum prius di-

[1] Psal. vii, 8. — [2] Ibid. 8.

xisset: « Miserere mei, et exaudi me [1], » Convertit sermonem ad consilium, sic dicens : « Filii hominum quousque gravi » corde [2] ? » Et hic cum dixisset : « In altum converte, Do- » mine, » Subjungit : « Dominus judicabit populos [3]. » Alius autem dicit: « Dominus disceptabit, » docens eos qui omnia casu et temere fieri putant, rebus quamdam præesse providentiam, quæ eorum quæ fiunt rationem exigit. Judicium autem hic dicit, et futurum et præsens. Illic enim ipsum erit et universum, et manifestum ; hic autem ex parte etiam sumit pœnas, et socordiores excitans, et infideliores attrahens ad curandam totius mundi providentiam. « Judica » me, Domine, secundum justitiam meam [4]. » Alius dicit: « Secundum jus meum. Et secundum innocentiam meam » super me. Consummetur nequitia peccatorum [5]. » Alius dicit : « Peragatur vexatio adversus impios. Et diriges Jus- » tum [6]. » Alius, « Et stabilies Justum. » Quî fit ut qui alibi dicit: « Non intres in judicium cum servo tuo [7], » hic dicat : « Judica me secundum justitiam meam ? » Quod hoc aliud, et illud aliud fit. Ille enim dicens: « Non intres in judicium » cum servo tuo, » significat, « Ne tu mecum judicio contenderis, ne meam vitam, cum tuis beneficiis conferendo, examinaveris. » Et ideo subjunxit etiam : « Quia non justifi- » cabitur in conspectu tuo omnis vivens [8], » hoc est, « Si tecum in judicio contendat. « Hic autem non hoc dicit : non vult enim in judicio cum ipso contendere, sed secum. Et ideo dicit: « Secundum justitiam meam, » hoc est, « Secundum justitiam quæ mea est. « Justitiam autem hic dicit, non cœpisse manibus iniquis rixam, quod dixit superius : « Si hoc » feci, » et quæ sequuntur. Idem autem significat illud, « Se- » cundum innocentiam meam, » secundum hoc, inquit, volo judicari. Magna est etiam hic Justi fiducia. Hæc porro

[1] Psal. IV, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Id. VII, 9. — [4] Ibid. — [5] Ibid. 10. — [6] Ibid. — [7] Id. CXLII, 2. — [8] Ibid.

dicit coactus. Et quomodo? Quod multi stulti ex iis, quæ patiebatur, malam de eo opinionem cepissent. Plerique enim stulti ex iis, quæ accidunt, calamitatibus, solent vitam ipsam criminari. Quod etiam ipsi Job accidit. Quocirca ei etiam dicebant, cum nihil scirent ab eo male factum : « Non » digne pro peccatis tuis flagellatus es[1]. » Paulum quoque sceleratum aliquem et maleficum existimabant Barbari, quoniam vipera ejus manum apprehenderat, et ideo dicebant : « Servatum ex mari ultio non sinit hunc hominem » vivere[2]. » Porro Semeï quoque David vocabat homicidam[3]; propter calamitatem, hanc nefariam de eo ferens sententiam.

VIII. Ne ergo idipsum quoque vobis accidat, age de his paulisper disseramus. Multos enim audio dicentes : « Si Deus amaret pauperes, non sineret esse pauperes. » Rursus alios ubi quempiam viderint infirmitate vel morbo conflictari diuturno : « Ubi sunt illius eleemosynæ? ubi ejus benefacta? » Ne in his ergo peccetis, de his clare et distincte dicamus. Si enim homo qui sapit, nec bonos odisse, nec malos amare potest, quomodo tu audes de Domino dicere : « Eos qui sunt in paupertate odit Deus, etsi sint virtute prædíti : divites autem, etsi sint vitiosi et scelerati, diligit ; » maledicum et blasphemum os aperiens, neque gravitatem absurditatis animadvertis? Ne ergo pecces in talibus, disce quid Deus amat et odit. Quem ergo amat Deus? Eum qui mandata ejus servat. « Eum enim amabo, inquit, et ve» niam ad eum[4] : » non eum qui est dives, non eum qui sanus est, sed qui paret meis præceptis. Quemnam autem odit et aversatur? Eum, qui præcepta ejus non facit. Quando ergo videris aliquem, qui præcepta ejus non servat, etiamsi sanus sit, etiamsi opibus affluat, refer eum in numerum

[1] Job. XXII, v. — [2] Act. XXVIII, 4. — [3] 2 Reg. XVI, 7. — [4] Joan. XIV, 21.

eorum, qui odio habentur. Virum autem virtute præditum, etiamsi ægrotum videris et inopia oppressum, inter eos, qui amantur, annumera. Non enim in his consistit amicitia, sed in illis. Annon vides etiam in rebus humanis ,regum amicos in bellis maxima adire pericula, et accipere vulnera, et peregre proficisci? Non audivisti quod scriptum est: « Quem diligit Dominus, castigat; flagellat autem omnem » filium quem recipit [1]? » At multi, inquit, offenduntur hæc videntes. Non ipsorum causa, sed propter suam stultitiam. Non datur enim hic nobis laborum remuneratio ; sed sunt hic quidem stadium et arena : postea autem erunt præmia et coronæ. In tempore ergo luctæ et in die pancratii, ne quæras quietem et animi remissionem ; nec confundas tempora. At multi sunt, inquit, imbecilliores. Sed Deus his etiam providit, et permisit ut multi etiam justi hic quoque in prosperitate agerent, non propter illos, sed propter imbecilliores. Quare etsi te offendunt, qui sunt in afflictione, ædificent rursus, qui in quiete vitam degunt : etsi te supplantant scelesti, qui rebus utuntur secundis, te erigant et recreent, qui torquentur ac puniuntur. Non audivisti Christum dicentem: « In mundo afflictionem habe- » bitis [2]? » Quid ergo quæris quietem cum ille hæc dixerit? Non audivisti eum dicentem : « Mundus gaudebit, vos autem » tristitia afficiemini [3]? » Proinde consentaneum esset offendi insipientiores, si iis, quæ dixit, evenirent contraria : sin autem omnia eveniunt ex consequentia, cur ergo offenderis? Et cur, inquit, Deus ita decrevit? Ne inquire, nec sis nimium curiosus. « Neque enim dicit figmentum figulo: Cur » me sic fecisti [4]? » Propterea etiam Propheta increpabat Judæos, quod cum innumerabilibus essent malis referti, Dei vias nimis curiose scrutarentur, dicens: « Scire vias

[1] Hebr. xii, 6. — [2] Joan. xvi 33. — [3] Ibid. 20. — [4] Rom. ix, 20.

» meas desiderant, tanquam populus, qui fecit justitiam, » et judicium Dei sui non reliquit [1] : » perinde facientes, ac si quis servus qui offendisset, et innumerabilium esset reus criminum, omittens studium adhibere ut sedetur ira domini, exigat ab eo rationem, cur sic fecerit. Ne hæc itaque inquiras, nec cesses flere, et lugere, et tua peccata abluere. Hæc dico non quod non possim rationem dicere, sed volens te ab hac nimis curiosa investigatione ad salutis tuæ curam traducere. Cur ergo sic jussit? Humano generi parcens. Laborem enim hic, ubi brevis est vita, attribuit; coronas autem in futurum reservavit, ubi senii expers est ævum, et nunquam finiendum. Et hic quidem labor celeriter solvitur et præterfluit; illa autem manent immortalia, et nunquam desitura. Alioqui autem exercet etiam animas ad amorem virtutis. Quando enim vel cum laboribus ipsam eligit, nondum præmium accipiens, meditatur erga eam accuratissime affici: quando autem etiam cum voluptate fugit vitium, supplicium nondum experta, ad ipsum odio habendum et aversandum exercetur. Unde fiet ut ex hoc accipiat habitum odii adversus improbitatem, et amoris in virtutem. Est etiam alia ratio: quænam autem ea est? Afflictio nos vel maxime excitat, confirmat, et fortiores reddit ad studium sapientiæ. Et cum hac etiam alia: quænam autem ea? Vult nos docere præsentia despicere, et non eis esse affixos et alligatos. Propterea afflictionem attribuit et laborem; quæ autem bona sunt et jucunda, ut facile solverentur effecit. « Consummetur nequitia peccatorum, et diriges Justum. » Quid est, « Consummetur? » « Infer, inquit, supplicium, et reprimes illos a vitio. » Quemadmodum enim ulcera putrida cedunt amaris medicamentis, ustioni, et sectionibus: ita etiam per supplicium arcetur improbitas.

[1] Isaï. LVIII, 2.

IX. Cum hæc ergo intelligamus, non oportet eos deflere, qui puniuntur et supplicio afficiuntur, sed eos qui peccantes nullas omnino pœnas luunt. Primum enim malum est, peccare: secundum autem, si peccantibus nulla adhibeatur medicina. Imo vel hoc primum jure dixerit quispiam, et longe gravius. Quemadmodum enim non grave est ægrotare, sed eum, qui ægrotat, non curari: nec eum, qui ulcere putrido laborat, simpliciter deflemus, sed qui laborat quidem, et jacet neglectim, nec habet medicum, qui ei manus adhibeat: eum autem qui scinditur et uritur, dixerimus iter ad sanitatem ingredi, non aspicientes dolorem, qui ex sectione, sed sanitatem, quæ ex ea oritur. Ita etiam oportet nos in anima affici, lugere quidem et flere, non eos qui puniuntur; trahuntur enim ad sanitatem; sed eos qui, cum peccant, non dant pœnas. Et si pœnæ, inquies, peccata prohibent, cur non quotidie damus pœnas peccatorum? Quoniam si hoc factum esset, præceptum fuisset humanum genus, et sublatum esset tempus pœnitentiæ. Id considera in Paulo. Si enim ille dedisset persecutionis pœnas, et fuisset sublatus, quomodo habuisset tempus agendi pœnitentiam, et post pœnitentiam, faciendi bona innumera, universumque pene terrarum orbem deducendi ab errore ad veritatem? Non vides etiam medicos, quando quis multis est affectus vulneribus, non tantam adhibere medicinam quantam postulat natura vulnerum, sed quantam ferunt vires ejus, qui est sauciatus, ne, dum vulneribus medentur, ægrotum de medio tollant? Ea de causa Deus nec omnes simul punit, nec omnes pro meritis, sed sensim et aliquantum cedens, et sæpe unum puniens, multos per illum emendavit. Hoc etiam sæpe fit in corpore. Unius membri abscissio pluribus aliis præbuit sanitatem. Vide autem charitate plenam Justi animam, quomodo ubique quærit quod est communiter utile, ut peccatum de

medio tollatur, non ut sumat pœnas de inimicis, sed ut inimici cessent ab improbitate. Hoc ergo semper spectemus, ut sistatur vitium, et lugeamus eos, qui illo tenentur, etiamsi sericis vestibus sint induti; eosque e diverso beatos judicemus, qui sunt virtute præditi, etiamsi cum extrema inopia colluctentur, ab exterioribus in cogitationem utriusque subeuntes. Tunc enim videbimus hujus divitias, illius inopiam. Quid enim si splendida veste extrinsecus est indutus? Quid differt ab officinis et lignis, quæ eam ferunt? Qua in re est iis locupletior, qui eam vendendam accipiunt? At non ejusmodi sunt Justi divitiæ, sed firmæ, et stabiles. Quod si non sentiunt divites se esse in paupertate, nihil mirum. Nec ii etiam malum sentiunt, qui laborant phrenesi; et propterea sunt maxime miserandi, non beati ducendi. Si enim sentirent, ad medicum accurrerent; nunc autem hoc est in vitio gravissimum, quod cum in eo sint, ne se quidem in eo esse sentiant. Ne hoc respexeris, quod se esse divitem lætatur dives, sed propter hoc ipsum vel maxime defle, quod ne sentiat quidem in quanto malo versetur. Non est enim humanum, sed a ratione maxime alienum, propter ea exultare. « Et diriges »Justum. » Quid hoc est? Plexis enim improbis, inquit, fiunt Justi attentiores. Proinde duo hinc bona oriuntur: nam et illi a vitio desistunt, et hi ad virtutem magis accedunt. Quemadmodum enim homo sanus cum videt quempiam uri aut secari, redditur attentior ad sanitatem: in hic etiam. Etenim multi eorum, qui tunc erant, offendebantur, etiam eorum, qui videbantur sibi ipsis attendere, propter malorum prosperitatem adhuc imbecillius affecti. Quapropter hic etiam alibi dicit: « Pene effusi sunt gressus »mei, quoniam æmulatus sum propter iniquos [1]. » Alius autem rursus: « Quare via impiorum prosperatur [2]? » Quin-

[1] Psal. LXXII, 2, 3. — [2] Jer. XII, 1.

etiam Job multa quærebat ejusmodi. Sed nunc quidem imperfectius affecti hæc dicebant, et hæc quærebant: nunc autem nulla est dignus venia, qui his perturbatur, qui tot et tanta philosophiæ scita didicit, et de futuris talia dogmata accepit, et de gehenna ac regno apertius edoctus est, illic singulos accepturos pro meritis. « Scrutans corda » et renes Deus justus. Adjutorium meum a Domino, qui » salvos facit rectos corde [1]. » Alius: « Examinator cordium » et renum Deus justus, defensor meus. » Et alius: « Deus » justus. » Septuaginta autem ita dixerunt: « Scrutans corda » et renes Deus, justum auxilium meum a Deo. » Dixit eum esse judicaturum orbem terræ; dicit deinceps etiam quomodo sit judicaturus. Dixit eum non egere testibus, non probationibus, non demonstrationibus, non scriptis aut instrumentis, aut alio ejusmodi. Ipse est enim, qui scit etiam quæ sunt arcana. Ne dicat ergo stultus quispiam: « Et quomodo judicabit mundum tantum? » Qui enim fecit, cum non esset, is factum judicabit. Renes autem hic dicit mentis arcana, quæ sunt intima, quæ sunt profundissima, ex positura partis id innuens.

X. Quid est, « Scrutans? » Quod alius dixit: « Probans. » Etsi sint autem humanæ dictiones, sunt tamen sensa Deo convenientia. Quemadmodum enim Paulus cum dicit: « Qui autem scrutatur corda [2], » scrutari ponit, pro aperte scire, etiam hic « Scrutans, » pro perfecte cognoscente. Examinare autem est nudare, quod est perfectæ scientiæ, ut etiam dicit Paulus: « Omnia autem sunt nuda et resu- » pinata oculis ejus [3]. Justum auxilium meum [4]. » Alius: « Justus defensor meus. » Quid est, « Justum auxilium » meum a Deo? » Jure ac merito mihi continget a Deo: nihil enim peto injustum. Quare si supernum auxilium impetrare volumus, ea sunt petenda, quæ etiam justi ha-

[1] Psal. VII, 11. — [2] Rom. VIII, 27. — [3] Hebr. IV, 13. — [4] Psal. VII, 11.

bent rationem : ut natura petitionis attrahamus auxilium ejus, qui servat rectos corde. Hoc est ejus officium, hæc est ei consuetudo. Quoniam ergo nec ego cum injuria provocavi, nec ulcisci desidero : propterea mihi justum fuerit a Deo auxilium. Hæc ergo cum sciamus, nihil petamus ejusmodi quod vetet donationem. Quando enim contra inimicos petiveris, non est justum quod petis auxilium; est enim contrarium legi ejus, qui præbet. Itidem etiam quando divitias, quando pulchritudinem, quando aliquid aliud quod ad hanc vitam pertinet, quod præterfluit, petiveris, id est contrarium philosophiæ animæ. Petamus ergo, ut etiam consequamur. « Deus judex justus, fortis, et pa» tiens, et iram non inferens per singulos dies [1]. » Alius dicit : « Fremens quotidie. » Hebræus autem, « In omni » vita. » Et alius : « Minans, fremens, non puniens. » Quod autem dicit, est ejusmodi. « Si est justus, volet omnino punire iniquos. Si fortis, omnino poterit. Et ubi, inquit, est clementia, si juste judicabit? » Primum quidem in eo, quod non statim pœnas infligat, præcipueque in eo, quod jam omnia peccata remiserit per lavacrum regenerationis. Secundo autem, quod etiam dederit pœnitentiam. Si enim cogitaveris nos peccare quotidie, tunc maxime videbis ineffabilem ejus clementiæ magnitudinem. Quod quidem etiam significans, subjungit, dicens : « Deus judex justus, » fortis, et patiens. » Dubitas cur, cum velit et possit, non puniat? Disce, inquit, eum esse patientem, nec inferentem iram per singulos dies. Ne quis enim stultus existimet eum propter imbecillitatem non ulcisci, ostendit causam dilationis, quod magna habeat spatia, et magnam mensuram patientia. Quia enim propterea mitis est et patiens, ut te adducat ad pœnitentiam, quando nihil tibi prodest hoc medicamentum, etiam ulciscitur. Nos ergo quotidie digni sumus

[1] Psal. VII, 12.

qui puniamur. Nisi enim ita esset, non tanquam magnum posuisset illud: «Non inferens iram per singulos dies,» sed tanquam rebus quidem hoc postulantibus, Dei autem clementia justam cohibente punitionem, hoc dicit. Vides quomodo hic etiam ostendit Deum a molestia alienum, et punitionem appellat iram? Nemo enim iram infert alii; sed ipse quidem habet iram, supplicium autem infert alii. Nihil ergo significat aliud quam punitionem, cum dicit: «Et non inferens iram per singulos dies.» Et quomodo dicit: «Per singulos dies?» Ingrediatur unusquisque suam conscientiam, et tunc videbit. Ut enim prætermittam arcana cujusque peccata, hæc quidem communia quis effugiet? Quænam autem ea sunt? Quis est dies in quo non segniter oremus, et cum magna negligentia? Quod autem hoc etiam ira dignum sit, hinc sciri potest. Dic enim mihi, si ad judicem oscitans accessisses, et convictus esses, non de te statim sumpsisset pœnas, et misisset in exilium? Certe, inquis: homo enim est. Et quid tum? si enim homo affectus est contumelia, non fuerit æquum ut irascatur, ab eo enim contumelia affectus est, qui est ei honore æqualis. Deus autem contumelia affectus, jure supplicium intulerit. Majus enim est hoc peccatum eo, quod fit in hominem. Et homo quidem hoc facit, quærens quod suum est: Deus autem quod est tuum. Quamobrem vel hoc nomine justius irascatur. Non est enim æquale eos contemnere, qui sua quærunt, et eum, qui quæ tua. Hoc majorem enim iram meretur, quando nec ea quidem petiturus, quæ tibi utilia sunt, sapis. Quis est autem qui non fratrem contumelia sine causa effecerit? Nec mihi dixeris: «Servum affecit contumelia. «In Christo enim nec masculus, nec »fœmina, nec servus est, nec liber [1].» Quis porro proximum non accusavit, nec est mentitus? quis mulierem non

[1] Gal. III, 28.

aspexit impudicis oculis? quis non invidit? quis non inani gloria laboravit? quis non locutus est verbum otiosum. Hæc autem omnia pœnæ sunt obnoxia. Etsi cum in iis, quæ ad vitam pertinent, non simus diligentes, non essemus etiam in spiritualibus, venia digni essemus: nunc autem hæc quoque nobis prærepta est defensio. Etenim in illis quidem sumus vigilantes, in his vero plane supini. Ne autem, qui audiunt eum esse patientem, fiant negligentiores, subjunxit: « Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit [1]. » Alius autem dicit: « Ensem suum acuet. Arcum suum tetendit, » et paravit ipsum [2]. » Alius dicit: « Intendet. Et in eo » paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit [3]. » Alius dicit: « Ad comburendum. »

XI. Quid hic dicent qui Deum dicunt humana esse forma præditum, ex eo quod dicatur habere manus, pedes, et oculos? Sunt-ne in supernis cœli regionibus arcus, et tela, et cos, et gladius, et pharetra? Atqui dicit alius: « Dum tu respexisti, turbabuntur a te montes [4]. » Et hic ipse: « Qui respicit in terram et facit eam tremere [5]. » Quod si, cum terram solum aspicit, lapidum naturam liquefacit, quanto magis hoc ipsum poterit in hominibus? Cur ergo qui solo obtutu potest orbem terrarum evertere, imo qui sola voluntate; qui enim per solam eum fecit voluntatem, clarum est quod sola potest eum voluntate tollere; dicitur gladium et arcum habere? Si enim « In manu » ejus sunt fines terræ [6], » et qui in ea habitant, ut locustæ [7], et omnes gentes tanquam gutta a cado, et tanquam trutinæ momentum reputabuntur [8]: jam vero Angelus quoque ab eo egressus, brevi momento temporis centum octoginta quinque millia interfecit [9]; quid dico Angelus? muscæ,

[1] Psal. vii, 13. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 14. — [4] Eccli. xvi. — [5] Psal. cm, 32. — [6] Id. xciv, 4. — [7] Isai. xl, 22. — [8] Sap. xi, 23. — [9] 4 Reg. xix, 35.

erucæ, et vermes Ægyptiorum exercitum perdiderunt : ubi illic arcu opus est, ubi gladio? Cur ergo hæc dicta sunt? Propter auditorum crassitudinem, et ut his consuetis armorum nominibus eorum mentem terreant. Cujus enim in manu est omnium nostrum spiritus, et a cujus frigoris facie nullus sustinebit [1], quomodo hic armis indiget? Sed ut dixi antea, hæc propter auditorum crassitudinem et tarditatem ita dicta sunt. Quid est autem, « Et vibrabit? » acuet. Cote-ne opus est? est-ne rubigo in gladio? et quis nam, qui sapiat, hæc ita accipere sustinebit, ut dicta sunt? Sed ut ante dixi, per omnia describit punitionem, et procedit ad ea, quæ sunt crassiora, ut etiam qui sunt admodum stulti, intelligant non esse insistendum dictionibus, sed quæ Deo conveniunt sensa, esse ex iis accipienda. Quare si quis dubitat qua de causa excandescentia et ira de Deo dicta est : multo magis propter hæc dubitaverit. Sin autem hæc non sunt accipienda ut dicta sunt, sed ita ut Deo conveniant, clarum est quod etiam ira et excandescentia. Crassæ autem sunt dictiones, ut auditorum penetrent crassitudinem. Et ideo nec iis quidem quæ dicta sunt, fuit contentus : sed terrorem adaugens, adhuc more magis humano procedit. Non solum enim inducit eum habentem gladium, sed etiam armatum. Quia enim non æque quis metuit audiens acui gladium, et audiens arcum esse in manibus : ex figuris humanis mentem auditorum concutit, dicens : « Arcum suum tetendit, et paravit illum, » auditorem terrens, simul et patientiam ejus, et iram indicans. Non enim dixit: « Immisit, » nec « Jaculatus est : » sed, « Intendit et para» vit, » hoc est, paratus ad emittendum. Et quid miraris si sic in Veteri dictum est, cum etiam in Novo Joannes cum Judæis tale quid dicat? « Jam autem ad radicem arboris » securis posita est [2]. » Quid ergo? An materiarium Deus

[1] Psal. CXLVII, 17. — [2] Luc. III, 9.

imitatur securi ligna scindentem? an hic securis intelligenda est, et ligna? Absit : quemadmodum nec paleæ, nec frumentum, quando dicit : « Cujus ventilabrum in manu »ejus, et mundabit aream suam, et frumentum quidem »congregabit in horreum suum, paleam autem comburet »igne inextinguibili [1]. » Quæ est ergo securis? punitio, supplicium. Quæ vero sunt arbores? homines. Quænam paleæ? mali. Quod frumentum? boni. Quid ventilabrum? discretio. Ita etiam hic, gladius, arcus, et sagittæ, pœna sunt et supplicium. Deinde innuit dilationem, et abesse quidem pœnam, sed non longe; adesse autem in foribus, per « Intendisse » et « Parasse » ostendit. Instrumenta autem mortis dicit sagittas : quemadmodum instrumenta agriculturæ, ea quibus terra colitur; et navigationis, quæ ad navigandum conferunt; et textrinæ, quibus texitur : ita etiam mortis instrumenta, quæ mortem efficiunt. Deinde interpretans quænam sunt instrumenta mortis, subjungit, « Sagittas suas, » ostendens celeritatem supplicii quando voluerit. Quid est autem, « Ardentibus? » Iis qui puniuntur, iis qui dant pœnas. Ergo-ne ignis non sufficit, sed sagittis est opus? Vides omnia per translationem et emphasim dicta esse, et ut per hæc cuncta augeretur timor? Quod enim dicit, tale est : « Paravit supplicia iis qui sunt puniendi. » Sed si non sic dixisset, non ita terruisset : nunc autem cum sagittarum, gladii, arcus, immissionis, intensionis, instrumentorum mortis, et incendii meminit, nominum varietate metum incussit. Deinde rursus metum consolatus, subjunxit, « Ardentibus. » Ne quis enim insipientior existimaret in omnes eum manus dirigere, et armatum esse, subjunxit, « Ardentibus. » Quod etiam Paulus significat de magistratu dicens : « Non enim frustra gladium »portat [2]. » Quod si in magistratibus gladius hoc facit, et

[1] Matth. III, 12. — [2] Rom. XIII, 4.

terret, multo magis in Deo. Porro hoc est non vulgaris clementiæ argumentum, per verba terrere, et pœnam amplificare, ne reipsa eam experiamur. Propterea enim intendit, propterea paravit, ideo sagittas imposuit, ideo se parat ad supplicium, ne veniat ad supplicium.

XII. Orationem autem reddit graviorem, per illud, «Vibravit, » supplicii vehementiam et celeritatem ostendens; per illud autem, « Intendit, » propinquitatem : per illud, « Paravit, » id quod omnino futurum est, si non fuerint mutati : per hanc vocem, « Ardentibus, » reos ostendens, ut per hæc omnia docti, improbitatem reprimant. Quod si hæc essent furoris et iracundiæ, non prædixisset eis se invasurum esse. Ira enim non hoc facit, sed contrarium, maxime quando ad summum pervenerit, et supplicio ac supplicii apparatui imminet. Hostes certe, et qui volunt supplicium infligere, non modo id non dicunt, sed etiam id celantes invadunt, ne qui sunt puniendi, si resciverint, caveant. At non sic Deus, sed contra omnino, prædicit, et differt, verbis terret, et nihil non facit, ut quæ minatur non inducat. Hoc etiam fecit in Ninivitis. Nam illic quoque arcum tetendit, gladium vibravit, jacula paravit, et ictum non inflixit. Annon tibi videntur verba Prophetæ esse arcus, et telum, et gladius acutus, quando dicit : « Adhuc tres dies, et Ninive subvertetur [1] (7) ? » Sed telum non emisit, non enim ideo erat apparatum ut emitteretur, sed ut reponeretur. Nam milites quidem ea de causa armantur, ut puniant : Deus autem non sic, sed ut cum reddiderit metu modestiores, abstineat manum a supplicio. Ne ergo conturbemur : est enim terror verborum maximæ clementiæ, et quo dicit intolerabiliora, eo illa ex majori dicit mansuetudine. Nam patres etiam, quando nolunt punire filios, verbis iram attollunt. Ita ipse etiam, quia non

[1] Jonæ. III, 4.

vult punire, verbis metum reddit graviorem. Dicit etiam se parasse gehennam, ne mittat in gehennam : et ideo etiam in Evangeliis multa dicuntur de supplicio, ac plura quam de regno. Quia enim in iis qui minori sunt sensu præditi, non tantum bonorum promissio, quam tormentorum metus adducit ad virtutem, et abducit a vitio : propterea in iis magis immoratur, et ea ponit assidue. Ne ergo molestia afficiamur, dum gravia verba audimus : magnum enim lucrum in se continent; sed ejus considerantes et patientiam, et justum judicium; ne de salute desperemus, est enim patiens; neque tristi animo simus, est enim justus; hic quidem multam ostendens patientiam, illic autem eos qui non hic lucrifecerunt, experimento tradens supplicii. Quod ne fiat, hic jam supplicium depellamus. « Ecce » parturiit injustitiam. » Hebræus autem pro « Parturiit, » Jebal. Concepit dolorem. » Alius, « Et cum parturiisset. » Et peperit iniquitatem [1]. » Alius : « Mendacium. Lacum » aperuit, et effodit eum, et incidet in foveam quam fecit [2]. » Alius : « In interitum quem fecit. » Dixit Deum esse paratum ad supplicium. Dixit eum immittere supplicia : per hoc castigavit, et modestum reddidit auditorem, ut qui supernam iram ei impendere ostenderit : cum deinceps docet, etiam ex rebus ipsis ostendens vel ante supplicium, ipsum vitium esse pœnam. Quod quidem etiam Paulus demonstrans, dicebat : « Et mercedem quam oportebat » erroris in se recipientes [3], » et adducit in medium eos qui extrema a vitio passi sunt. Quia enim multi ex crassioribus tunc maxime solent reprimi, et moderatiores effici, quando eos qui passi sunt viderint : propterea ipse quoque eos adducit in medium. Ita etiam facit Christus, qui cum de gehenna multum disseruisset, eos etiam qui illuc mittuntur, in medium adducit, ut divitem qui erat tempore La-

[1] Psal. VII, 15. — [2] Ibid. 16. — [3] Rom. I, 27.

zari [1], virgines fatuas, eum insuper qui unum talentum absconderat, et in præsenti vita eos qui in turri obruti fuerant, et quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis [2]. Ita etiam Petrus, cum de gehenna multum disseruisset, eos tunc maxime perculit, quando supplicio affectos adduxit in medium, et ante oculos ostendit Ananiæ et Sapphiræ supplicium [3]. Quod quidem fecit etiam Paulus in Mago [4]. Hoc etiam alio modo confirmat, quando eorum, qui in solitudine fuerant, meminit, sic dicens : « Nolo vos » ignorare, fratres, quod omnes patres nostri sub nube » fuerunt, et omnes in Mose baptizati sunt, et cibum spiri- » tualem comederunt, et potum spiritualem biberunt, sed » non in pluribus eorum complacitum est Deo, sed perie- » runt, et ceciderunt [5]. » Quia enim disseruit de futuris, de gehenna, inquam, de pœna, et supplicio, ex præteritis quoque eorum affert probationem, eos qui plexi sunt adducens in medium, hos quidem a serpentibus, illos vero ab exterminatore. Quod quidem hic quoque facit David, vel de Achitophel dicens, vel de Absalom. Nonnulli itaque dicunt dicta esse de Achitophel. Non enim ejusdem erat dicere : « Parcite mihi filiolo meo Absalom [6], » et post casum, « Quis dederit mihi mortem pro te [7] ? » et hæc nunc dicere : sed illa quidem dicebat, instigante natura ; nunc vero afflatus a Spiritu. Sed sive de Absalom, sive de Achitophel dicta fuerunt, consideranda sunt quæ dicta sunt. Neque enim de personis a me magnopere agendum est.

XIII. Quid ergo ex hoc loco discimus ? Ostendit fore ut qui propinquo fodit foveam, ipse in eam incidat, et quemadmodum mulieres parturientes a doloribus discerpuntur ; ita etiam qui facit dolum, priusquam propinquum injuria

[1] Luc. xvi, 19. — [2] Id. xiii, 1. — [3] Act. v, 1. — [4] Id. xiii, 11. — [5] 1 Cor. x, 1-5. — [6] 2 Reg. xviii, 5. — [7] Ibid. 33.

afficiat, ipse discerpitur, et cruciatur, et non levi aliquo, sed vehementissimo dolore afficitur. Quocirca cum vellet acerbitatem doloris ostendere, rem partus dolorem appellavit. Quando enim vult Scriptura intolerabilem aliquem dolorem ostendere, partus doloris eum nomine describit. Proinde alibi dicit : « Pariendi dolores ceperunt habitantes » Philisthiim [1], » hoc est, timor, tremor, labor, et dolor. Et rursus Paulus : « Quando autem dixerint : Pax et securitas, » tunc eis repentinus imminet interitus, quemadmodum » dolor pariendi ei quæ uterum gerit [2]. » Hic duo significat, et esse intolerabile, et esse inopinatum. Et Ezechias : « Venit dolor parturienti, non habet autem virtutem pa- » riendi [3], » intolerabilem ejus timorem et laborem per dolorem partus indicans. Ita etiam hic Propheta. Etsi enim sit quis millies improbus, non interit judicium conscientiæ : est enim naturale, et a Deo nobis ab initio insitum. Etiamsi in infinitum contendamus, instat illud vociferans, castigans, condemnans, et nemo est eorum qui scelerate vivunt, qui non innumerabiles dolores sustineat, et cum de malis consultat, et cum consilium in opus educit. Quid enim Achab sceleratius? sed tamen cum ille vineam concupisset, considera quantum dolorem senserit [4]. Itaque cum rex esset, et omnia dominatu teneret, nec ullus esset qui ei contradiceret, quoniam conscientiæ non ferebat sententiam, ingressus est tristis, deorsum inclinatus, confusus, in ipso aspectu caliginem ferens, conscientiæ condemnantis indicium vultu denuntians, nec valens tegere, quam animo conceperat, tristitiam. Ita ergo fuit vel ab uxore deprehensus. Proditor quidem certe, qui in tantum scelus impegerat, cum non posset ferre judicii conscientiæ dolorem, adaptato sibi laqueo vitam finivit [5]. Sicut

[1] Exod. xv, 14. — [2] 1 Thess. v, 3. — [3] Isaï. xxvii, 3. — [4] 3 Reg. xxi, 4. — [5] Matth. xxvii, 5, et Act. i, 18.

ergo qui improbe vivit, tanta patitur : ita qui vitam ex virtute instituit, tranquillitate et sedata mente fruitur. Considera autem : si voluerit quis ulcisci quempiam, vel prior injuriam facere, vide quot mala patitur. Furore repletur, ab ira discerpitur, movet innumerabiles fluctus cogitationum, mille vias ingreditur; invadit illum timor, pavor ac tremor; quomodo rem perficiet, quomodo ulciscetur, et ante eum, quem est injuria affecturus, seipsum perdit. Qui autem iram expulit, ab his omnibus liber est, et jure certe. Hoc enim est in ejus potestate, et universum confecit : at illud non itidem, sed opportunitate opus est, loco, maleficio, armis, machinationibus, et offensionibus, adulatione, servitute, et simulatione. Vides quam facilis res sit virtus, quam difficilis vitium : quomodo illa quidem est tranquilla, hoc vero turba et tumultu refertum? Hoc ergo describens dicebat Propheta : « Ecce parturiit injustitiam, concepit » dolorem, et peperit iniquitatem. » Ex hoc ostenditur injustitiam non esse nobis secundum naturam, sed esse quid alienum ; ideoque grave est, et donec ab eo fuerimus liberati, nobis dolores immittit. Nam fœtus etiam, donec perficiatur, secundum naturam ventri adhæret : propterea et manet, et dolorem non habet. Postquam autem perfectus fuerit, si intus maneat, mora est præter naturam : unde etiam fiunt partus dolores. Quapropter vexata natura eum conatur extrudere, ut quæ universum fecerit ac perfecerit, et ferre non possit amplius. Sed illic quidem prius fit conceptio, ac deinceps dolor partus : hic autem primum parturiit, ac deinde concepit et peperit. Quid autem hoc sibi vult? Quod illic quidem in tempore partus sit dolor, hic autem dolor sit a principio? Simul ac enim quispiam de malo consultaverit, etiam priusquam in cogitationem defixerit, tumultus ac turba est in cogitatione. In muliere enim dejectum semel semen, ipsum etiam formatur ad

constitutionem partus : in iis autem qui dolos construunt, hæc hodie dejecta est cogitatio, et cras rursus alia, et sunt innumerabiles malorum seminum dejectiones, et sunt singulis diebus conceptiones, et partus dolores, qui perimunt cogitationem, a qua ista pariuntur. Non enim talis partus, qualis est in mulieribus, sed quemadmodum in viperis, uterum discerpunt, et latera dilaniantes fœtus procedunt : ita etiam in fraudibus et in injustitia. Sed quantumvis contendamus, non poterimus oratione explicare molestiam ac dolorem, quem improbi sustinent. Et ideo dicit quispiam : « Malus vero solus exhauriet mala [1]. » Quid enim eo qui invidet gravius, et miserabilius eo qui insidiatur, et eo qui aliena concupiscit? Quovis carnifice gravius perturbationes hæ mentem excruciant.

XIV. Merito ergo dolores partus has vocavit cogitationes. Sed quemadmodum mulieres ex congressione pariunt, et si sunt sana quidem corpora, talia sunt etiam quæ nascuntur, sin autem corrupta, parentum naturam imitantur; ita etiam in cogitationibus : si cum bonis verseris, tales quoque erunt tui fœtus; sin autem cum malis, et non attendas, magnum illinc quoque damnum capies. Audi ergo quid dicat Propheta : « A timore tuo in utero concepimus, » et parturivimus, et peperimus spiritum salutis [2]. » In iis autem qui ex diabolo : « Ova aspidum fregerunt, et ara- » neæ telam texunt [3]. » Fugiamus ergo improbos. Quomodo enim non est absurdum, cum liceat ex Dei præceptis concipere et parere, id nolle, sed improborum persequi congressiones, et perinde facere ac si mulier, in cujus est potestate cum rege conjungi, non sustineat, sed pro illo latronem et murorum perfossorem velit habere conjugem? « Lacum aperuit et effodit eum, et incidet in foveam quam » fecit [4]. » Usus est rursus translationibus, quemadmodum

[1] Prov. IX, 12. — [2] Isaï. XXVI, 17, 18. — [3] Id. LIX, 5. — [4] Psal. VII, 16.

per parturitionem, dolorem; ita per lacum, difficilem liberationem indicans. «Et incidet in foveam quam fecit.» Quod alius dicit : « Qui fodit foveam proximo suo, incidet »in ipsam [1]. » Porro hoc quoque Dei benignitatis est et clementiæ, insidiis talem tribuere naturam, ut retia vertantur in ipsos insidiatores, ut ideo desistant cum proximo belligerare, et ei parare insidias. Hoc etiam in Mose accidit. Qui enim erat perimendus, conservatus est : Pharao autem per viam, quam adversus infantes machinatus est, per eam periit. Cum enim jussisset infantes interimi, coëgit matrem Mosis infantem propter metum exponere. Cum autem filia Pharaonis fiscellam scirpeam de fluvio sustulisset, et infantem invenisset, eum nutrivit : auctus autem ille omnes perdidit. Hinc et Dei maxime elucet solertia, et improbis magna castigatio, et iis, qui effugiunt, voluptas. Ita etiam in præclaro Joseph accidit. Cum enim eum fratres in servitutem conjecissent, multa passi sunt, et eum quidem nihil læserunt, sed etiam juverunt : ipsi autem tragœdiam illam sustinuerunt. Cum multa autem possint dici ejusmodi, considera etiam in aliis. Aliena invasit aliquis, seipsum perdidit. Eum enim, in cujus bona invasit, sæpe etiam juvit : suam autem animam prodidit. Fecit aliquis injuriam? ense seipsum confodit. Non enim male affectum esse, sed male affecisse, hoc præcipue est male pati. Et ideo Paulus quoque suadebat injuria potius affici, quam afficere [2] : et Christus alapis impeti, et non contra impetere, sed etiam seipsum ad patiendum offerre [3]. Hoc est maximæ virtutis, hoc efficit tolerantiam, hoc fortem reddit animam, hoc omnibus animi perturbationibus potentiorem efficit. Qui enim alii injuriam facit, vel cum verberat, aut contumelia afficit, ipse prius ab animi perturbatione victus, et in servitutem redactus, tunc videtur

[1] Prov. xxvi, 27. — [2] 1 Cor. vi, 7. — [3] Matth. v, 39.

proximo injuriam facere : ipse autem graviora passus est, in extremam redactus servitutem. « Convertetur dolor ejus » in caput ejus, et in verticem ipsius iniquitas ejus descen- » det [1]. » Et de Achitophel et de Absalom hæc dicta esse putant. Utriusque enim caput descendit ad supplicium. Ille enim laqueo usus vitam finivit : hic vero cum sub arborem venisset, et coma fuisset suspensus, illic longo tempore pependit. Ita etiam Judas laqueo vitam finivit, sciens se hæc omnia fecisse in perniciem sui capitis : et Achitophel conspicatus omnino futurum ut David vinceret, seipsum strangulavit : Absalom autem invitus pependit, et non statim de medio sublatus est, sed tanquam in judicio prius suspensus est, et ligno affixus [2]; et Deo e superis ferente sententiam, longo tempore pependit, a conscientia deinceps flagellatus. Ipse enim cupiebat in patris gulam dexteram intingere; pater autem vel sic rogabat milites, ut ei parcerent. A vana autem gloria erat adeo alienus, ut etiam post mortem eum lugeret. Et ut scias quod factum est non fuisse humanæ industriæ, sed totum fuisse divini judicii, capilli et lignum eum alligarunt, et brutum eum animal tradidit, et pro fune quidem coma, pro ligno arbor extitit; pro milite autem eum adduxit mulus. Considera rem admirandam. Cum hæc passus est, nemo suorum ad eum accedere ausus est, ipsumque inde detrahere, cum tantum fuisset temporis spatium. Hoc autem Deus providerat, ut neque detraheretur, nec vinctus ad patrem afferretur, quoniam paterna viscera ei parci velle ultra modum indicaverant : et quod est admirabilius, qui patrem ei reconciliavit, is ipsum interfecit, propemodum instans vehemens accusator : sed is quidem eum occidit, Deus autem tulit sententiam.

XV. Quod enim e superis lata sit sententia, audi quo-

[1] Psal. vii, 17. — [2] 2 Reg. xviii, 9.

modo id ipse ostenderit : cum enim dixisset : « Et in verti- » cem ipsius iniquitas ejus descendet, » dicit : « Confitebor » Domino secundum justitiam ejus, et psallam nomini Do- » mini altissimi [1]. » Gratias agamus, inquit, non aliorum gaudens cædibus, sed Dei sententiam suscipiens. Et quis potest ei gratias agere secundum justitiam ejus? Quis autem eum laudabit sicut est? Nullus. Quid est, « Secundum » justitiam ejus ? » id est, propter justitiam ejus. « Et psal- » lam Domino altissimo. » Ejus est enim victoria, ejus tropæa, non mea. Quemadmodum enim in bellis, cum rex vicit, choros ducentes canunt, laudes in eum conferentes : ita ego quoque faciam, inquit. Propterea non dixit : » Confiteor : » sed, « Confitebor : » significans se, nec postquam est assecutus, bonorum oblivisci, nec negligentiorem esse, sed vigilare : non quod Deus iis indigeat, sed quod hoc sit nobis utile et commodum. Quemadmodum enim accipiebat sacrificia, non egens sacrificiis ; « Si enim » esuriero, inquit, non dicam tibi [2] ; » sed homines deducens ad ipsius honorem : ita etiam hymnos suscipit, nostra laudatione non egens, sed nostram salutem desiderans. Deo enim magnæ curæ est ut in virtute crescamus. Nihil autem æque ad virtutem promovet, atque cum Deo assidue versari et colloqui, eique perpetuo gratias agere et psallere. Psallit autem Deo, justum ejus judicium admirans et patientiam. Et ubi, inquit, ejus est patientia, interfecto tyranno ? Longe certe maxima. Longo enim tempore eum dimisit, ut veniret ad pœnitentiam, et regiam tenendam dedit, ut cum videret domum in qua creverat et educatus fuerat, et patris signa, ad pœnitentiam veniret. Si enim non fuisset immanis bestia, nec cor habuisset lapideum, omnia illa sufficiebant ad illum reducendum : mensa cujus cum patre erat particeps, domus, sedilia, ubi

[1] Psal. VII, 18. — [2] Id. XLIX, 12.

verba eum reconciliaverant, cum talem cædem patrasset. Cum his erant etiam alia, quæ ad eum emolliendum sufficiebant. Audierat enim eum exulem sedibus incertis errare, et mala gravia tolerare. Quod si ne hæc quidem eum molliebant, oportebat ea, quæ Achitophel evenerant, eum castigare; laqueum nempe et mortem: ut per hæc omnia veniret ad pœnitentiam. Neque enim ignorabat quæ amico acciderant. Quam autem culpam in patrem conferens, hæc faciebat? Quod eum ab aspectu removisset? Sed eo nomine debebat eum admirari et suspicere, quod, cum fratrem interfecisset, eum leni animo tulisset. Sed cum nihil ei posset dari crimini, sed importuna teneretur cupiditate, idque cum pater esset jam senex, et esset expectatio in foribus, ne tantillum quidem expectavit. Quomodo autem non cogitavit se, etiamsi vicisset, miserrimam omnium vitam fuisse acturum, cum esset sceleratus, immundus, et execrandus etiam a tropæo?

XVI. Ubi nunc sunt qui paupertatem deplorant? Qua non paupertate, quo non morbo, quo non dolore sunt hæc longe graviora? Nihil tale dixit apud se, neque indignatus est, nec lamentatus est dicens: « Egregiam vero refero mercedem, qui in ejus lege die et nocte meditor: qui cum in tanta essem auctoritate, nunc sum omnium abjectissimus. Qui peperci inimicis, in petulantis filii sum manus traditus. » Nihil tale dixit, nec cogitavit, sed omnia sapienti et forti animo ferebat: in iis quæ fiebant, unam habens consolationem, quod Deo hæc sciente fierent. Quemadmodum tres quoque pueri dicebant: « Sin » minus, notum sit tibi, rex, quod deos tuos non colimus, » et statuam tuam auream, quam statuisti, non adora» mus [1]. » Si quis autem eis dixisset: « Ecqua tandem spe mortem obitis? quid expectantes, quid vero sperantes post

[1] Dan. III, 18.

mortem, post ignem? » resurrectionis enim nondum erat expectatio (8); audivisset: « Hæc est maxima remuneratio, mori propter Deum. » Ita hic etiam maximum existimabat solatium, Deum hæc scientem non prohibere. Amator enim vel millies pro amica moreretur, quamvis post mortem nihil ab ea expectaret. Ita etiam nos oportet non propter regni expectationem, nec propter aliquam spem futurorum bonorum, sed propter ipsum Deum omnia pati. Sed sunt multi adeo ignavi et supini, ut ne cum mercede quidem virtutem expetant. Et Deus quidem, qui regnum promittit, non auditur : qui gehennam autem procurat diabolus, amatur. Quid hac est insania gravius? Quid autem dixi procurare gehennam? etiam ante gehennam hic dolorem, risum et ignominiam, et innumera adducens supplicia, multos habet, qui ad ipsum accurrunt. Considera quomodo adulter vel ante gehennam est omnium miserrimus, omnia suspicans, vel ad umbram contremiscens, ad nullum liberis respiciens oculis, sed omnes pertimescens, et qui sciunt et qui nesciunt, acutos videns gladios, mortes impendentes, lictores, judicia. Quid tale habet temperantia, etsi labores habeat innumerabiles? Nonne semper in voluptate est continens homo; in dolore autem semper est adulter, atque in tenebris? Ita etiam videre possumus in aliis, qui vincuntur ab ira, et qui iram vincunt; in iis qui rapiunt, et in iis qui sua propter Deum donant, vel ut verius dicam, profundunt. Hi enim sedent in portu, illi vero in præsentium malorum euripum detrusi, quotidie circumcursant. Præter hæc autem, quando qui est maxime avarus, se jam viderit esse provectæ ætatis, neque cupidinem suam sibi jam sufficere ad fruendum, mortem timens imminentem, considera quanta patitur. At non qui est virtute præditus, sed tunc gaudet et oblectatur cum ad senectutem pervenerit, cum ei non

pereat, sed potius germinet et efflorescat fruitio. Adulteris itaque, incontinentibus, avaris, et helluonibus senectus affert, ut ab illis fruendis excidant : bonis autem majorem tum fruendi facultatem. Quare ante gehennam ejusque miserias, hoc ad mentem cruciandam suffecerit. Hæc ergo cogitantes, fugiamus vitium, sectemur virtutem, Deum amemus, non propter ea quæ sunt ejus, sed propter ipsum. Ita enim in præsenti vita ingrediemur viam, quæ ducit ad virtutem, quæ est angusta quidem natura, sed viatorum arbitrio lata redditur. Ad cujus fastigii cacumen nobis detur pervenire, gratia et clementia Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM VIII.

In finem pro torcularibus. *Alius*, Triumphale pro torcularibus. *Alius*, Victoriæ auctori, pro Getthitide. *Hebræus autem*, Lamanesse, al hagetthith.

Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra[1] ! *Alius*, Quam magnum est nomen tuum !

I. In priore Psalmo dixerat[2] : « Confitebor Domino se» cundum justitiam ejus, et psallam nomini Domini altis» simi[3] : » hic implet quod promiserat, ei hymnum offerens.

[1] Psal. VIII, 2. — [2] Vide D. Guillon, tom. XV, pag. 95-107. — [3] Psal. VII, 18.

Et in illo quidem sunt ea, quæ dicuntur, tanquam ex una persona. « Domine enim Deus meus, inquit, in te speravi, » salvum me fac [1]. » Hic autem tanquam ex persona multorum : « Domine, inquit, Dominus noster, quam admira- » bile est nomen tuum ! » Sed præbete silentium, et attente audite. Si enim, cum in theatro chori canunt satanici, summa est quies, et maximum silentium, ut perniciosa percipiantur illa cantica : idque cum ex mimis et saltatoribus conflatus sit chorus, profanus autem quidam apud illos citharœdus chorum ducat, dum carmen satanicum ac perniciosum concinitur, quo nefarius ac sceleratus dæmon celebratur : hic ubi chorus quidem est ex viris sanctis : qui autem chorum ducit, est Propheta : canticumque ac melodia non est ex operatione Satanæ, sed est ex gratia Spiritus : qui autem canitur, non est dæmon, sed Deus : quomodo non est summum adhibendum silentium, et cum veneratione et summa reverentia audiendum? Chorum enim ducimus una cum supernis Potestatibus. Supernorum enim chororum Cherubim et Seraphim hoc est munus, Deum assidue hymnis celebrare. Ex his choris etiam in terra apparuerunt cum vigilantibus pastoribus canentes. Audiamus ergo hoc quoque canticum. Qui terrenum quidem regem laudant, cum eo loquuntur de imperio, de tropæis, de victoria, et memorant gentes ab eo victas, vocantes eos expugnatores, et barbarorum victores, et his similia. Hujusmodi canticum canit etiam hic Beatus. Narrat enim victoriam, et tropæum, et bella confecta, non quidem talia, sed his multo difficiliora. Vide autem quomodo incipit, « Domine Dominus noster. » Aliorum enim, qui non credunt in ipsum, uno modo est Dominus : noster vero duplici ratione, et quod nos ex iis quæ non erant, fecerit, et quod agnoscatur a nobis. Ac vide quomodo sta-

[1] Psal. VII, 1. — [2] Luc. II.

tim a principio ponit summam beneficii. Si enim didiceris quomodo Dominus tuus factus sit, quod abalienatos et inimicos et morte affectos, familiares effecerit et vivificaverit, pulchre videbis hoc summam esse beneficii. Hoc ergo admirans Propheta, dicit : « Quam admirabile est nomen » tuum ! » hoc est, valde admirabile. Quam admirabile autem sit, non dixit : neque enim metiri potuit, sed tantum amplificationem et hyperbolen attulit. Ubi sunt qui Dei essentiam curiose pervestigant? Si enim, cum nomen ejus dixisset, adeo admiratus est, ut obstupesceret, quomodo venia eis dabitur qui se dicunt nosse Dei essentiam, cum ne Propheta quidem quam sit admirabile ejus nomen cognoscere potuerit? « Quam admirabile est nomen tuum : » In nomine enim tuo mors victa et fracta est, vincti sunt dæmones, cœlum apertum est, fores paradisi patuerunt, Spiritus demissus est; servi, facti sunt liberi; inimici, filii; alieni, hæredes; homines, Angeli. Quid dico, Angeli? Deus homo factus est, et homo Deus : cœlum accepit naturam e terra sumptam, terra eum suscepit qui sedet super Cherubim cum exercitu angelico [1] : quæ intercedebat maceria diruta est, soluta est sepes : quæ divisa et disjuncta erant, unita sunt : tenebræ sunt extinctæ, lux resplenduit, mors absorpta est. Hæc omnia cogitans, et longe his plura Propheta clamabat, dicens : « Quam admirabile est nomen » tuum in universa terra ! » Ubi nunc sunt Judæi, qui sunt impudentes adversus veritatem? Lubenter enim eos interrogarem de quonam hæc dicuntur. De Omnipotente, inquient. Sed non erat nomen ejus admirabile in universa terra. Testatur Esaïas dicens : « Propter vos blasphematur » nomen meum inter gentes [2]. » Si autem qui eum colebant, in causa erant ut ipse blasphemaretur, ubi erat admirabile? Quod enim natura sit admirabile, clarum est : apud ho-

[1] 1 Cor. xv. — [2] Isaï. lii, 5.

mines autem non erat tunc pluribus admirabile, sed et vile et despectum. Sed non sic nunc : quia quando accessit unigenitus Filius, ubique nomen ejus est admirabile cum Christo. « Ab ortu solis, inquit, usque ad occasum glorifi- » catum est nomen meum in gentibus. » Et rursus : In omni « loco offertur incensum nomini meo, et sacrificium mun- » dum. Vos autem ipsum profanatis [1]. » Et alius, « Im- » pleta est universa terra cognitione Domini [2]. » Et rursus : « Venient dicentes : Patres nostri falsa idola possederunt [3]. »

II. Vides hæc omnia dicta esse de Filio ? factum est enim ejus nomen admirabile in universa terra. « Quoniam » elevata est magnificentia tua super cœlos [4]. » Alius, « Qui » posuisti laudem tuam super cœlos. » Quia enim terræ meminit, transfert etiam orationem in cœlum, quod sem- per consuevit facere, ostendens universum orbem terra- rum laudare Dominum suum. Hoc etiam hic ostendens dicit : « Admirabile infra, admirabile supra. » Non solum enim homines, sed etiam Angeli laudant ea quæ facta sunt, et pro ejus in homines beneficiis agunt gratias, quod etiam fecerunt in principio, cum in terris choros duxerunt. Vel hoc ergo dicit etiam Angelos canere, vel vult ejus osten- dere magnitudinem. Quando enim Scriptura vult aliquid magnum dicere, distantiam horum elementorum adducit in medium, ut quando dicit : « Secundum altitudinem cœli » a terra [5]. » Et rursus : « Quantum distat ortus ab occasu, » longe fecit a nobis iniquitates nostras [6]. » Hic ergo admi- ratur quam magna sint et quam grandia quæ facta sunt omnia : nam omnium infimam substantiam effecit omni- bus superiorem. « Ex ore infantium et lactentium perfe- » cisti laudem [7]. » Alius, « Ex ore infantium fundasti forti- » tudinem. » Alius, « Constituisti robur. » Quod autem dicit,

[1] Malach. I, 11, 12. — [2] Isaï. XI, 9. — [3] Jer. XVI, 19. — [4] Psal. VIII, 2. — [5] Id. CII, 11. — [6] Ibid. 12. — [7] Id. VIII, 3.

est ejusmodi. Potentiam tuam ex hoc maxime ostendisti, quod vires imbelles moveris, et linguam balbutientem ad gloriam reddendam, claram et expeditam feceris. » Quæ enim facta est a pueris in templo, hymnorum decantationem hic prædicit [1]. Et quam ob causam, aliis prætermissis miraculis, mortuorum resurrectione, leprosorum mundatione, dæmonum expulsione, nunc puerorum miraculi meminit ? Quoniam illa quidem etiam ante facta sunt, et si non sic, tamen facta sunt, et aliquid inter se commune habuerunt, licet non modum. Suscitatus est enim mortuus sub Eliseo [2], et leprosus mundatus [3], et dæmon per David expulsus est, quando Saül invadebatur a dæmone [4]. Chorus autem infantium lactentium nunc primum locutus est. Ne ergo impudenter se gereret Judæus, dicens hæc dicta esse de iis quæ facta sunt in Veteri, elegit signum quod tunc primum et solum factum est : et alioqui quæ fiebant, erant typus Apostolorum. Nam cum ii essent valde infantes, et magis muti quam ipsi pisces, universum orbem terrarum irretierunt. Quod autem hoc sit maxime Dei virtus et potentia, vide etiam Prophetam hoc de Patre dicentem. Cum Mose enim loquens ait : « Quis fecit mutum et » surdum, videntem et cæcum [5] ? » Et rursus : « Qui dat lin- » guas expeditas iis, qui sunt impeditioris linguæ [6]. » Et rursus : « Dominus dat mihi linguam disciplinæ, ut sciam » quando oportet loqui sermonem [7]. » Dicit etiam in principio : « Venite, descendamus, et confundamus ipsorum » linguas [8]. » Magna ergo est et valida demonstratio. In aliis enim, etsi præter rationem, aliqua tamen suspecta habebant impudentes illi : hic autem nihil potuerunt dicere, cum ipsa per se nuda contenderet. Et ideo non dixit sim-

[1] Matth. xxi, 15. — [2] 4 Reg. iv, 35. — [3] Id. v, 14. — [4] 1 Reg. xvi, 23. — [5] Exod. iv, 19. — [6] Isaï. xxxv, 6. — [7] Id. l, 4. — [8] Gen. xi, 7.

pliciter, « Infantium, » ne quis innocentes et simpliciores eum dicere putaret, sed subjunxit : « Et lactentium, » ætatem cibi adjectione exprimens. Non enim dixit solummodo : « Infantium, sed etiam ubera sugentium, qui nondum solidi cibi fuerunt participes. » Non est ergo hoc solum admirabile, quod vocem, eamque claram et expressam emiserint, sed etiam quod plenam bonis innumerabilibus. Quæ enim Apostoli nondum noverant, ea pueri hymnis celebrabant. Ex hoc etiam aliquid aliud significat, nempe oportere eos, qui ad dogmata accedunt, animo pueros effici. « Si quis enim non susceperit regnum cœlorum ut puellus, inquit, non potest in ipsum ingredi [1]. « Propter inimicos tuos [2]. » Dicit etiam causam cur hoc miraculum factum sit. Alia enim non propter inimicos facta sunt, sed ut accedentes beneficium acciperent, et alii docerentur : hoc autem non solum propterea factum est, sed ut obturarentur ora inimicorum. Quos etiam alius clarius significans dicit : « Propter » illigantes tc. » Ii enim eum alligarunt ductum ad crucem. « Ut destruas inimicum et ultorem [3]. » Alius, « Ut compes- » cas inimicum, et qui seipsum ulciscitur, » populum hic dicens judaïcum. Christum enim expellebant ut inimicum; præ se ferebant autem hoc facere tanquam Patrem ulciscentes. Et ideo hanc illis excusationem auferens, dicebat : « Qui me odit, odit et Patrem meum [4]. » Et rursus : « Qui » credit in me, credit in eum qui me misit [5] : » honori suo et injuriæ semper Patrem conjungens. Vide quam accurate locutus sit Propheta. Non dixit : « Ut punias, » sed, « Ut des- » truas : » quod alius clarius significat, dicens, « Ut cessare » facias, » hoc est, « Ut eorum de medio tollas impudentiam, non ut doceas : » laborabant enim morbo incurabili. Cum ergo tale viderent miraculum, et nihil possent contradi-

[1] Matth. xviii, 3. — [2] Psal. viii, 3. — [3] Ibid. — [4] Joan. xv, 23. — [5] Id. xii, 44.

cere, in ipsum convertebantur, dicentes : « Non audis quid » hi dicant [1] ? » Et cum oporteret deinceps adorare et admirari, erant valde perplexi et incerti quid agerent, et cum deberent inter se dicere : « Non audis quid hi dicant ? » id, seipsis dimissis, Christo dicebant. Et cur non emissa est vox Angelorum ? Quod illud quidem spectrum eis potuisset videri, ad hoc autem nihil poterant contradicere. Quid autem dicebant pueri ? Nihil grave aut importunum, nec quod eos jure posset percellere, sed quod ejus cum Patre consensionem maxime significaret. « Benedictus, dicebant, » qui venit in nomine Domini [2]. »

III. Tunc ergo eorum coërcuit impudentiam; postea autem urbem quoque eorum evertit, nec est ulla pars totius orbis terrarum, quæ sit Judæorum calamitatis expers : sed quemadmodum qui corpore est mutilo, undique circumcursat sua vulnera ostentans, et quemadmodum judices, cum multos homicidas de medio sustulerint, unum furcæ affigunt, ut ipsis mortuis, tanquam inflictum supplicium vivos coërceat et in officio contineat : ita hic etiam non mortuos, sed vivos omnibus exemplum proposuit, eos dispergens, et qui unam habitabant regionem, nunc sunt dispersi per totum orbem terrarum. Et si causam rogaveris, nullam aliam invenies, quam quod Christum crucifixerint. Cur enim, dic mihi, hoc ita factum non est ? Sed et si id aliquando factum est, in unam gentem abducti sunt, et ad paucos annos. Nunc autem non sic, sed infinito supplicio puniuntur. Et si eos rogaveris : « Cur Christum crucifixistis ? » dicunt : « Quod esset deceptor et præstigiator. » Vos ergo oportebat propterea honorari, et fines vestros propagari, ut qui Deo fecissetis rem gratam. Qui enim deceptorem et præstigiatorem ac Dei adversarium de medio sustulerit, is Dei hostem sustulit. Qui autem hostem

[1] Matth. xxi, 16. — [2] Ibid. 9.

sustulit, is jure optimo laudetur. Nunc autem Phinees, quod unam meretricem interfecerit [1], tantam laudem a Deo est consecutus, ut sacerdotio et tanto honore dignus fuerit : vos autem, quos multo majori honore affici oporteret, si modo deceptorem occidissetis, errones et exules, nullamque certam sedem aut patriam habentes, huc et illuc obitis. Hoc ergo nulla alia de causa passi estis, quam quod patronum ac benefactorem, et veritatis doctorem crucifixistis. Si fuisset enim seductor, et Dei adversarius, et cum Deus non esset, voluisset esse Deus, et Patris honorem ad seipsum attraxisset, et Phinee et Samuële et illis omnibus oportuit vos magis honorari, qui legis defendendæ tantum zelum ostenderetis. Nunc autem quod nunquam passi estis, cum idola coleretis, cum impii essetis, cum filios interficeretis, hoc passi estis, et nulla datur ratio vos liberandi a malis, et errones, exules, vagabundi, et Romanorum legibus servientes, terram et mare obitis ; migrantes, nullas certas sedes, urbes aut domos habentes, et in servitutem redacti, a libertate, a patria, a sacerdotio, et ab omnibus, quæ prius habebatis, expulsi estis, in mediis barbaris et gentibus innumeris dispersi, omnibus hominibus exosi, execrandi, et omnibus ad injuriam opportuni. Et merito quidem. Non enim præmia accepistis, quod Dei inimicum occideritis : hoc mera est insania et nugæ. Quæ enim nunc patimini, non sunt eorum qui Dei inimicos occidunt, sed eorum qui amicos interimunt. « Sed, o amice, inquiunt, hæc non dicimus : propter nostra peccata hæc patimur. » Nunc confitemini, increduli, et quænam peccastis? An nunc primum peccastis? nunc certe moderatiores evasistis. Sed nondum hoc agimus : at vos illud libenter interrogarem, cur prius semper peccantes, Dei benignitatem et clementiam sensistis, nunc autem non itidem, et quod

[1] Num, xxv, 8.

est admirabilius, nunc minora peccata committentes? Tunc enim et Beelphegor initiabamini [1], et vitulum adorastis [2], et filios occidistis, et filias de medio sustulistis, idque cum vobis signa abunde suppeterent; nunc autem, cum nec videatis mare dividi, nec petram frangi, nec adesse Prophetas, nec vestri consuetam sentiatis providentiam, major tamen appareat probitas; quænam est causa, quod quando minus peccatis, et major est vestra moderatio, major sit pœna ac supplicium? Annon vel stultis clarum est id ideo fieri, quoniam majus est vestrum nunc peccatum? Quandiu enim in servos peccastis, veniam estis assecuti, ut cum Prophetas interficeretis et lapidibus impeteretis; sed postquam manus in Dominum injecistis, vobis deinceps evasit ulcus immedicabile; et ideo quadringenti jam anni præterierunt (9), ex quo civitatis vel ipsum solum periit, sublatum est sacerdotium, regnum abruptum, confusæ tribus, præclara illa et magnifica evanuerunt, et ne vestigium quidem est apud vos reliquum : quod nunquam ante factum est. Sed in principio quidem, cum dirutum esset templum, remanebant et Spiritus dona et miracula : nunc autem, ut clare intelligatis Deum vos esse perpetuo aversatum, ea quoque sublata sunt, ac servitus adest, captivitas et rerum omnium eversio, et quod est omnium gravissimum, Dei a vobis recessio.

IV. Ac perinde fecit Deus, ut si quis servum ingratum, sæpe flagris cæsum et non correctum, vestibus exutum, nudum, desertum, vagabundum errare permitteret, mendicantem et undique ejectum. Antea autem res vestræ non ita se habebant, sed apud vos erant Prophetæ, in Ægypto, Babylone et in deserto. Moses in Ægypto, in Babylone Daniel et Ezechiel, in Ægypto rursus Jeremias : et miracula adjecta miraculis, clariorque et illustrior gens evasit,

[1] Num. xxv, 2. — [2] Exod. xxxii, 8.

cum ex vobis qui captivi erant regibus essent superiores. Sed nunc illa omnia perierunt, et supplicium est gravius prioribus, non solum propter longitudinem temporis, sed etiam quia estis undique derelicti. Quanam ergo de causa, dic quæso, quando plura peccabatis, tanta vestri erat cura ac providentia : quando autem pro lege zelo accensi estis, passi estis graviora? Ex hoc enim Deum damnatis injustitiæ, quod peccatores quidem honoraret, eos autem,qui se recte et ex virtute gerebant, ignominia affecerit. Si enim impostorem, ut dicitis, sustulistis, vos recte ac præclare gessistis. Vel si justus est Deus, ut certe est justus, honorare vos oportebat, non castigare : si autem castigat, clarum est vestra nunc esse graviora peccata. Si vero nunc nec impii estis, nec filios, ut ante, sacrificatis, quodnam est aliud peccatum, propter quod graviora passi estis? Annon est evidens crucis erectæ scelus esse veluti quemdam colophonem malorum? Hoc magis vos perdidit quam idolorum et vituli cultus et filiorum occisio. Non enim paria sunt hæc, filium suum interficere, et Dominum suum crucifigere. Propterea quando filios occidebas, veniam es consecutus : sed quando Dei Filium et tuum Dominum occidisti, castigaris deinceps absque ulla venia. Quot sunt anni ab exitu ex Ægypto usque ad adventum Christi? mille et quingenti puto, et plures. Quomodo ergo in his omnibus vos peccantes passus est : nunc autem vos abjecit, quando maxime coronare oportuit, etsi multa peccassetis? Præclarum enim esset vestrum facinus, si deceptorem occidissetis. Cum hoc autem nunc sabbata observare videmini, et idola minime adoratis, aliaque servare magno studio contenditis; quando ergo et vita vestra est melior, et tam præclarum, ut dicitis, facinus fecistis, tunc ultima patimini. Quid hac insania fuerit deterius? Quid hac dementia, quod cum vos defendere velitis, maledictis Deum

insectamini? Si enim quod adversus Christum peccastis, non est illis omnibus deterius, sed id a vobis, ut dicitis, juste factum est, cur vos quidem punit, sic recte vos gerentes, peccantibus autem pepercit? Hoc non solum Deus, sed nec ullus homo mentis compos facere in animum induxerit. Sed quid ad hæc dicunt? « Disjecti sumus, ut essemus orbis terræ doctores. » Nugæ sunt hæc, et ineptiæ. Eos enim qui futuri sunt doctores, se prius recte gessisse oportuit, et tunc ad id mitti; cujusmodi fuerunt Prophetæ et Apostoli. Cum autem ipsi sint perversi, et omni vitio referti, quomodo ad docendum missi sunt? Videamus ergo qualis eorum fuerit vita quæ præcessit. Inveniemus enim eos belluis fuisse immaniores. Nam et parricidæ, et liberorum interfectores, idolorumque cultores, et alienorum bonorum occupatores fuere, eorum autem sunt plenæ prophetiæ. Ac vestram quidem libidinem significans Jeremias, dicebat : « Equi in equas insanientes facti sunt : unusquis- » que hinniebat ad uxorem proximi [1]. » Quid hac fuerit pejus immunditia? Non enim ut homines cum suis invicem uxoribus coïbant, et ideo eorum furorem appellavit hinnitum. Nec eos solum arguit fornicationis, sed eos etiam accusat adulterii, quod etiam ab eis impudenter admittebatur, quemadmodum in brutis. Alius autem Propheta dicit : « Ingressi sunt ad mulierem facientes aulæa, filius et » pater ad eamdem puellam [2]. » Propterea ergo, dic quæso, vos misit doctores, ut fornicationes et adulteria disceremus, et quod oporteat patrem et filium idem inire cubile. Quid vero Ezechiel? « Ne secundum gentium quidem legi- » tima fecistis [3], » inquit. Eos ergo qui erant deteriores gentibus, dic mihi, doctores misit? Factas autem ab eis cædes quis ferre possit? Filios enim et filias mactarunt dæmoniis, et eos combusserunt. Hoc autem David quoque os-

[1] Jer. v, 8. — [2] Amos. II, 7. — [3] Ezech. v, 7

tendit, dicens : « Et mactarunt filios suos et filias suas » dæmoniis [1]. » Propterea ergo misit, ut hoc disceret natura hominum, quod oporteat filios et filias mactare dæmoniis? Non erubescitis, nec pudore suffusi vos tegitis, cum hujusmodi nugas comminiscimini. Alius enim dicit : « Sanguinem miscent sanguini : et execratio, et menda- » cium, et furtum, et adulterium fusum est super terram [2]. » Alius autem : « Facta est tibi facies meretricis, erga omnes » fuisti impudens [3]. » Alius rursus : « Principes vestri tan- » quam lupi Arabiæ [4]. » Alius rursus : « Non est intelligens, » non est requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul » inutiles facti sunt [5]. »

V. Egressi ergo estis ut hæc doceretis, impudentiam, amentiam, fornicationes, adulteria, cædes, omnem viam improbitatis? Non cessatis nos cogere ut vestra mala traducamus? Vos estis qui portamini ex utero, et docemini usque ad senectutem. Vos estis cæci, qui vos invicem in foveam præcipitatis. « Cæcus enim, inquit, si cæcum du- » cat, ambo in foveam cadent [6]. » Qui Prophetas semper habuistis, et nunquam facti estis meliores, futuri estis aliorum doctores? Non cessatis hæc nugari, nec vestram agnoscitis culpam? Hoc enim semper vos perdidit, quod vestrorum malorum nolitis fundamentum cognoscere. Propterea quod faciunt judices, qui jubent post eos, qui flagris cæduntur, sequi alios qui clament et dicant, cur cædantur, num fures, num raptores sint? ita etiam Deus vos quoquoversus traducens, jussit sequi Prophetas, qui causam dicerent supplicii. Ubique enim terrarum una vobiscum vincti sunt, qui etiam nunc adhuc vobis inclamant. Et si in synagogas ingrediaris, audies assidue eos hæc verba di-

[1] Psal. cv, 37. — [2] Osee. iv, 2. — [3] Jer. iii, 3. — [4] Ezech. xxii, 27, et Soph. iii, 4. — [5] Psal. xiii, 2, 3. — [6] Matth. xv, 14, et Luc. vi, 39.

cere. Et David quidem describens illud, quod latrocinii instar habebat Caïphæ judicium, dicit vos propterea periisse. Cum enim dixisset: « Dirumpamus vincula eorum, » et abjiciamus a nobis jugum ipsorum [1], » subjunxit : « Tunc loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo conturbabit eos [2]. » Esaïas autem, cum dixisset ovem ductam esse ad occisionem, subjunxit : « Et dabo improbos pro sepultura ejus, et divites pro morte ejus [3] : » et rursus alibi de vinea loquens : « Expectavi ut faceret justitiam : fecit » autem iniquitatem, et non justitiam, sed clamorem [4]. » Quemnam autem clamorem? « Crucifige, crucifige [5]. » Et subjungit : « Propterea diruam sepem ejus, et erit in » conculcationem, et mandabo nubibus ut non pluant » super ipsum pluviam [6]. » Non ideo ergo dispersi estis, sed propter ea, quæ in cruce ausi estis, idque manifestum est ex Prophetis. Et ut scias Christi virtutem, atque ut ex vobis ipsis discatis, quæ non didicistis a Prophetis, vide res quoque ipsas id testantes. Quod enim vos lex non docuit, hoc ex redundanti fecit Christi potentia. Quandiu enim legem habuistis, occidebatis, filios mactabatis, et adulterabatis : postquam autem illuxit Sol justitiæ, de vestris malis multum decessit, et moderatius vitam instituistis, correcti per vestram in nos æmulationem. Propterea vos dispersit, ut sciretis quantam in terris plantarit rempublicam : et templum solvit, vos vel invitos a vitio abducens : et ubi templum fuit solutum, illic etiam Christus sepultus est, ut propter illius sepulcrum recedentes, viderent etiam tropæum illius potentiæ, et verbum stare quod dicit : « Non » manebit hic lapis super lapidem [7]. » Ubique enim sunt ejus tropæa et monimenta potentiæ. Sin autem erat, ut dicitis, impius, et Dei adversarius, etsi innumerabilia pec-

[1] Psal. II, 3. — [2] Ibid. 5. — [3] Esaï. LIII, 9. — [4] Id. V, 7. — [5] Luc. XXIII, 21. — [6] Esaï. V, 5, 6. — [7] Matth. XXIV, 2.

cata fecissetis, ne sic quidem puniri oportebat, et si oportebat, at non tunc, ne quis existimaret vos pro illo pœnas luere. Annon audistis Deum dicentem, quando eratis in captivitate : « Non propter vos facio, sed propter me, ne »meum nomen profanetur [1] ? » Atqui tunc erat major vestra improbitas : sed tamen, inquit, ne existiment barbari me esse imbecillum, dimitto vestra peccata, et conservo vos. Ita-ne tunc quidem vos, inique vos gerentes, servavit, ne ejus nomen profanaretur : nunc autem hoc non fecisset ? Etsi enim vel innumera peccata admisissetis, vos nihil oportuit pati ejusmodi, si fuisset impostor Christus, ne quis existimaret vos illa propter ipsum esse passos, sed etiam conservatos vos esse oportuit ; et si, ut jam dixi, vos pati oportuit, at non tunc. Nunc autem hæc simul facta sunt. Quando enim crux processit, paulo post exierunt Apostoli, et difficile bellum adversus illam civitatem suscitatum est, et quod est in Evangeliis : « Væ lactantibus et »prægnantibus [2], » omniaque illa exitum sortita sunt : et illud, « Tunc erit tribulatio, qualis nunquam ante fuit [3], » impletum est. Nam et mulieres filios comederunt, hostes perfregerunt ventres mortuorum, et ignis barbaricus est omnia depopulatus, omniaque erant plena sanguine, et novæ tragœdiæ, et universus orbis terrarum refertus erat malis judaïcis. Hæc ergo apud vos cogitantes, vestrum Dominum agnoscite. Annon Prophetas occidistis ? num tale quid passi estis ? Nonne altaria diruistis ? numquid talis vobis contigit calamitas ? Nonne vitulum adorastis [4], et Beelphegor estis initiati [5], naturamque ignorastis ? numquid tales hostes experti estis ? Annon vel in mediis beneficiis immemores et ingrati servati estis ? Unde ergo innumera in vos mala profecta sunt ? Nonne clarum est ex eo,

[1] Ezech. xxvi, 22. — [2] Matth. xxiv, 19. — [3] Luc. xxi, 23. — [4] Exod. xxxii, 6. — [5] Num. xxv, 3.

quod in Dominum ausi estis peccare, non in servos? Unde nec est vobis a malis, quæ vos invasere, liberatio, nec erit. Si enim esset, eam prædixissent Prophetæ. Nunc autem dixerunt quidem captivitatem, sed non reditum, licet bona suppliciis assidue admisceant, et tempora definiant. Etenim Jeremias definivit septuaginta annos [2], et Daniel similiter tres annos et dimidium [2]. Quinetiam prædictum est eos quadringentis et triginta annis in Ægypto servituros [3]. Hujus autem captivitatis nusquam situm est tempus, nec finis, « Sed relicta est vestra domus deserta [4], » et quotidie res vestræ in deterius procedunt.

VI. Hæc omnia attente apud vos considerantes, et quæ breviter dicta sunt fusius tractantes; « Da enim sapienti » occasionem, et erit sapientior [5], » illorum impudentiam ingratumque animum poteritis refellere. « Quoniam vi- » debo cœlos tuos opera digitorum tuorum. » Alius, « Vi- » deo enim cœlos. Lunam et stellas, quæ tu fundasti [6]. » Alius, « Parasti. » Alius, « Stabiliisti. » Cum dixisset: « Des- » truxisti inimicos, » splendidæ hujus victoriæ affert probationem. « Tu enim, inquit, qui crucifixus es, qui de medio sublatus es, apparuisti orbis terrarum creator et opifex.» Propterea dicit : « Videbo cœlos tuos, » significans multos non antea cognovisse, postea quidem certe omnes scient. Et cur non universas orbis terræ partes persecutus est? Quod eorum quæ videbantur opportuniora persecutus, de aliis docere minime opus habuerit. Adeo ergo destructi sunt inimici, ut qui ab eis expellebatur, et ab eis de medio sublatus est, omnium quæ videbantur apparuerit opifex. Et quare non dicit: « Manuum tuarum,» sed, «Digitorum » tuorum? » minimæ operationis opus ostendens ea quæ videntur, et admirabile opificium, quod suspensæ stellæ non

[1] Jer. XXIX, 10. — [2] Dan. IX, 25-27. — [3] Gen. XV, 13. — [4] Matth. XXIII, 38. — [5] Prov. IX, 9. — [6] Psal. VIII, 4.

cadant : etsi natura fundamentorum exigat, ut inferne non superne jaciantur : sed optimus Artifex, qui facit admirabilia, in his quæ apparent, plura fecit supra naturæ consequentiam. Et quare nihil dicit de potestatibus incorporeis, ut inde quoque ostendat ejus creationem? Quod nimirum hoc interim ei in proposito fuerit, ut ipsi discerent de iis quæ apparebant. Et propterea ejus quoque Pater cum susquedeque cum Judæis loqueretur, non dicit : « Ego feci Angelos et Cherubim, » sed, « Ego cœlum extendi : manus » mea terram fundavit, dextra mea firmavit [1] : » et omnem semper orationem consumit in iis, quæ apparent, omnia agens ad salutem auditoru... Cum enim essent crassiores, magis ducebantur ab iis, quæ videntur, quam ab iis, quæ sub visum non cadunt. Propterea Paulus quoque semper ingrediens et concionans, ducit exordium a creatura, quæ videtur, dicens : « Deus qui fecit cœlum et terram, et mare » et omnia quæ in eis sunt [2], » et a pluviis annuis atque a genere hominum semper ducit exordium orationis. Si enim dixero eum fecisse Cherubim, duo erunt mihi probanda, quod sint Cherubim, et quod ea ipse fecerit. In iis autem quæ videntur, cogor solum ostendere eum illa fecisse : quocirca est etiam oratio facilior; habet quippe visum, testem eorum quæ dicuntur : videt enim auditor magnitudinem, pulchritudinem, usum et positionem constantemque ac numerosum cursum. In hoc itaque uno est mihi studium ponendum, ut ostendam id Deum fecisse. Et quare non meminit solis, sed lunæ, et stellarum? Hoc cum dixit, illud quoque significavit. Quoniam enim nonnulli a Dei opificio noctem separant, per lunam eam ostendit, dicens eum etiam hujus esse opificem. Non est autem parva stellarum varietas, et lunarium cursuum demonstratio. « Quid » est homo quod memor es ejus, aut filius hominis quod

[1] Isaï. XLVIII, 13. — [2] Act. XVII, 24.

» visitas eum [1] ? » Alius, « Quid est unusquisque homo, quod » ejus recordaris ? » Alius pro, « Visitas eum,» dicit : « Vi- » sitabis. » Postquam dixit de opificio, et universum ex parte significavit, inserit deinceps sermonem de providentia hominum. Nam illa etiam quæ dicta sunt, sunt propter genus nostrum ; quinetiam ea, quæ ad providentiam ejus pertinent : universa enim creatura propter hominem. Verum aliud quoque genus pertractat providentiæ, et non temere de his dicere aggreditur, sed valde prudenter et probe, pro toto orbe terrarum agens gratias, universum memorans beneficium et ostendens magnitudinem ejus dispensationis in hominem. Si enim nihil erat antea, multo magis quando Christus accessit post tot et tanta peccata, et ostendit Christi adventum non a venia alienum fuisse ; imo a summa profectum esse clementia. Nam tanquam optimus aliquis medicus, sanis relictis, venit ad nos, qui morbo laborabamus, qui nihil eramus. Hoc ergo ostendens, dicebat : « Quid est homo ? » Pro eo quod est, « Nihil est, est quid vile. » Ad tantam enim respiciens Dei curam et providentiam, et ad ea quæ fecit pro salute hominum, valde stupet et admiratur, cur eum tanta sit providentia dignatus. Cogita enim propter ipsum esse omnia quæ videntur. Propter ipsum, quæ ab Adam usque ad ejus adventum dispensata et administrata sunt. Propter ipsum, paradisus et præcepta, pœnæ et miracula, suppliciaque et beneficia post legem. Propter ipsum Dei Filius homo factus est. Nam quid attinet dicere futura ? Hæc ergo omnia reputans, dicit : « Quid tam magnum est homo, quod tot et tantis bonis dignus fuerit habitus ? »

VII. Si quis enim consideraverit quot et quanta propter ipsum facta sint et fiant, et quanta sit postea percepturus, multo horrore implebitur, et tunc clare videbit quantæ

[1] Psal. VIII, 5.

curæ Deo sit hoc animal. « Minuisti eum paulo minus ab » Angelis [1]. » Alius, « Paulo minus a Deo. » Alius, « Paulu- » lum quiddam a Deo, » Hebræus autem, « Outhasreou » mat me eloim. » Hic meminit condemnationis, et veteris peccati, mortem in medium adducens. At eam quoque solvit, cum venisset Unigenitus. « Gloria et honore coronasti » eum [2]. » Alius, « Gloria et dignitate coronabis ipsum. » Licet quidem hæc et historice, licet et anagogice accipere. Dicit enim et ejus imperium, quod ei, cum factus est, traditum est. Dicit etiam quæ bona consecutus sit post adventum Christi. In principio enim audivit : « Tremor et » metus vestri erit super omnes bestias terræ [3], » et, « Im- » perent piscibus maris [4]. » Post hæc autem : « Calcate su- » per serpentes et scorpiones [5]. » Sed his dimissis, contexit orationem ex humilioribus, relinquens illa consideranda iis qui possunt acutius cernere. Gloria enim major et honor ea sunt, quæ fiunt in Novo Testamento, quando habet Christum caput, quando ejus corpus efficitur, quando fit frater et cohæres, et conformis ejus corpori, quando majorem quam Moses accipit gloriam, sicut significavit Paulus, ostendens nos, non quemadmodum Moses imponebat velamen [6], sed omnes, revelata facie Domini, gloriam contemplaturos esse : et ideo dicit : « Non enim glorificatum est, » quod glorificatum est in hac parte, propter excellentem » gloriam [7]. » Hanc ergo gloriam dicit Propheta per anagogen. Quid enim est cum ea conferendum, quando simul cum Angelis choros ducimus, quando in filios adoptamur, quando nec Unigenito quidem pro nobis parcitur? Qua non purpura, quo non diademate sunt hæc longe splendidiora, quando mortem irridemus, quando ad potestatum incorporearum impatibilitatem traducti sumus, qui prius

[1] Psal. VIII, 6. — [2] Ibid. — [3] Gen. IX, 2. — [4] Id. I, 26. — [5] Luc. X, 19. — [6] 2 Cor. III, 13. — [7] Ibid. 10.

eramus contempti, inglorii, et execrandi? Adam cum nec boni nec mali quid fecisset, statim honoratus est cum primum factus est. Quomodo enim fecisset, qui non erat? Nos autem qui mala fecimus innumera, longe sumus majorem honorem assecuti. « Non amplius, inquit, dico vos » servos : vos enim amici mei estis [1]. » Non amplius nostri causa pudore suffunduntur Angeli, sed etiam nostræ saluti deserviunt. Nam et ad Philippum venit Angelus [2], et ad multos alios, et Evangelium nuntiabant hominibus [3]. Non in terra autem hæredes, sed bonorum cœlestium sumus, et Christi participes, et vocamur ad communionem Unigeniti [4]. Hæc omnia per gloriam et honorem significat. Quamobrem dicit etiam alius : « Gloria et honore coronabis eum, » prædicens quod futurum erat. « Et constituisti eum super » opera manuum tuarum. » Alius, « Fecisti ut haberet potes- » tatem operum manuum tuarum. Omnia subjecisti sub » pedibus ejus, oves et boves universas, insuper et pecora » campi [5]. » Alius, « Agrestia. Volucres cœli, et pisces maris, » qui perambulant semitas maris. Domine Dominus noster, » quam admirabile est nomen tuum in universa terra [6]. » Quemadmodum, cum de creatione loquitur, non solum supernas attingit Potestates, sed etiam orationem deducit ad sensibilia : ita etiam cum docet de honore hominibus collato, cum tantum subindicasset illa arcana et incorporea, quæ enumeravit, nunc amplius immoratur in sensibilibus, quæ rudioribus clariora sunt. Quænam autem ea sunt? Terrenum illi datum imperium. Quod autem est admirabile, et quod maxime subindicavit, eum honoratum ante transgressionem, ne post peccatum quidem privavit honore. « Minuisti enim, inquit, eum paulo minus ab An- » gelis, » hoc est, « Morte condemnasti cum peccasset; non

[1] Joan. xv, 14, 15. — [2] Act. viii, 26. — [3] Luc. ii, 10. — [4] 2 Cor. i, 9. — [5] Psal. viii, 7, 8. — [6] Ibid. 9, 10.

tamen postquam eum morte condemnasti, dono eum spoliasti:» et propterea, postquam illud dixit, hoc ponit, ostendens inenarrabilem Dei clementiam, quod vel diminutum propter suam transgressionem, permisit esse gloriæ honore coronatum, nec ei abrogavit imperium. Si autem parum quid detraxit, hoc est etiam ejus providentiæ. Nam ante inobedientiam dominabatur bestiis : post inobedientiam autem de hac potestate aliquantum detractum est. Nam nunc etiam dominatur eis aliquibus artibus, sed cum timore ac tremore. Neque enim totum imperium sustulit, nec totum reliquit, sed quæcumque erant ei quidem ad alimentum et ad opus necessariæ, subjectas esse permisit : quæ autem sunt efferatiores, non itidem, ut ex sua cum illis contentione, primi parentis Adæ veteris peccati admoneretur. Unde etiam ex eo quod non valde nobis subjiciuntur, magnum lucrum accedit. Quid enim nos juvaret, si leonem nostræ potestati obnoxium et mansuefactum haberemus? Quid nobis prodesset, si pardum haberemus ciurem? Nihil nisi ad arrogantiam tantum et superbiam. Propterea has quidem permisit esse exemptas ab imperio : quæ sunt autem nobis utiles, effecit mansuetas, bovem arantem, et ovem amicientem nostri nuditatem corporis, et jumenta apta ad ea vehenda, quæ importari aut exportari possunt; aves et pisces, ut esset nobis mensa lautior.

VIII. Quemadmodum enim, cum quis exhæredat filium, non privat eum omnibus, sed parte aliqua, ut se corrigat : ita etiam Deus. Imo non sic, sed contra potius. Homo enim, qui exhæredat, majori parte privat, minorem vero relinquit : Deus autem, majori relicta, exigua privavit portiuncula, idque ad ejus utilitatem, ne alia omnia facile superaret. Sed hoc ipsum est etiam Dei providentiæ, qui hominis sapientiam excitans, arrogantiam deprimens, et intempestivum otium interrumpens; si enim ei omnia cum

facilitate succederent, supinus et dissolutus evasisset; comparando rerum usui admiscuit quamdam difficultatem, et nec omnibus cum labore, nec omnibus sine labore frui permisit illi: sed quæ ad usum quidem sunt, sine labore et sudore habere permisit; quæ vero sunt ad delicias, cum labore et sudore, volens hanc quoque nobis nimiam præcidi securitatem. Si quis autem dicat: «Et quis est nobis usus ferarum?» Dicemus: Primum quidem animæ humilitatem efficiunt, et ut homo se exerceat, et ad certamen comparet, in causa sunt, ac valde arrogantem propriæ naturæ admonent, quando brutum est ei terribile. Jam vero laborantibus corporibus multa ex his fiunt medicamenta. Qui hæc autem interrogat, cur feræ factæ sint, interrogabit etiam cur in nobis sit bilis et pituita. Nam ea quoque, si excitata fuerint, exeunt fera vehementius, totique corpori exitium afferunt. Porro nobis quoque inest ira et cupiditas, quæ ipsis quoque feris gravius nobis incommodum afferunt, nisi eas coërceamus et refrenemus. Quid autem dico animum et iram, cum ipse etiam noster oculus in pejores, quam feræ, affectiones nos præcipitet, ut qui nos in amorem acerbum totos configat? Sed non ideo dicemus cur hæc facta sunt, sed etiam pro omnibus Domino gratias agemus. Quod enim est puero scutica, hoc est fera hominibus. Si enim cum vel tot rebus asperis contineantur, plerique tamen in tantam extolluntur arrogantiam; si hoc etiam frenum ademeris, considera quo sit tandem processura improbitas. Ea de causa datum est nobis corpus adeo morbis obnoxium, patibile, quod obsidetur a malis innumerabilibus; et terra, quæ sua sunt, producit cum laboribus, et universa vita plena est sudoribus. Quoniam præsens vita est veluti quoddam gymnasium, otiumque et remissio plerosque perdit homines, propterea negotium et laborem admiscuit, ut tanquam a

quibusdam frenis castigetur acrimonia mentis. Tu autem considera quomodo ea etiam, quæ natant per profunditatem aquarum, et quæ in sublime tolluntur, per artem tibi Dominus subjecerit. Et cur non omnia, quæ videntur, persecutus est, plantas, arbores, et semina? Ex parte totum significavit, et studiosis cætera dicenda reliquit. Et rursus in eumdem desinit finem, ex quo cœperat: «Domine Do»minus noster:» et ante probationem, et post probationem eadem verba ponens. Perseveremus ergo nos quoque eadem assidue dicere, admirantes ejus sollicitudinem, suspicientes sapientiam, clementiam, et ejus erga nos providentiam. Et hæc quidem a nobis dicta sunt ad interpretationem; si autem vultis, rem majori quoque contentione agamus, et Judæos rogemus, ubinam vocem puelli emiserint? ubi inimicum talis vox destruxerit? quando ejus nomen fuerit admirabile? Sed aliud tempus, quam hoc, non poterunt dicere, quod sole clarius ostendit vim veritatis. Et ideo dicit: «Videbo cœlos, opera digitorum tuo»rum,» et tamen jam dixerat Moses: «In principio fecit »Deus cœlum et terram[1].» Sed adversus Judæos quidem sufficiunt hæc, et quæ ante dicta sunt; sed quoniam, qui illorum dogmata, si dematur circumcisio, æmulantur, Pauli Samosateni asseclæ dicunt Christum fuisse ab eo tempore, ex quo ex Maria processit: illos etiam rogemus, quomodo si ab eo tempore erat Christus, cœlos fabricatus est? Eumdem enim hic esse dicit, qui ex ore infantium et lactentium laudem perfecit, et qui cœlos fabricatus est. Si autem est cœlorum opifex, restat ut fuerit ante cœlos, et nec duxerit initium ex Maria, imo erat ante Mariam. Considera autem Prophetæ sapientiam. Non enim eum solummodo inducit opificem, sed etiam fabricantem cum magna facilitate. Et ideo dicit: «Videbo cœlos, opera digi-

[1] Gen. 1, 1.

» torum tuorum, » non quod habeat Deus digitos, sed minimæ esse operationis ostendens quæ videntur, familiaribus nobis nominibus docens quæ sunt supra nos. Nam etiam quando dicit : « Qui metitur cœlum palmo, et terram » pugillo [1], » non pugillum et palmum significans, hæc dicit, sed volens Dei infinitam ostendere potentiam. Quomodo ergo audent nonnulli Filium dicere administrum ? Qui enim ne universam quidem suam movit operationem, quando cœlum facere oportuit. Quid dico totam ? sed qui ne minimam quidem, sed quod erat vel maxime pusillum : quomodo fuerit administer, si « Quæ facit Pater, ea quoque » facit Filius similiter [2] ? » Ubi est enim illud « Similiter, » si hic quidem est administer, ille vero opifex ? Quomodo autem dicit ejus esse opera, aliquando quidem dicens : « Do- » mine, tu ab initio terram fundasti, et opera manuum » tuarum sunt cœli [3] : » hic vero, « Videbo cœlos, opera » digitorum tuorum ? » Non enim administrorum sunt opera, sed opificum : et si quis sit administer, non illi attribuitur opus, sed ei, qui fabricatur. Ergo ea etiam, quæ ante a Mose dicta sunt, dicta sunt de Filio, nempe illud : « In prin- » cipio fecit Deus cœlum et terram, » et illud : « Dominentur » piscibus maris [4]. » Is enim, qui perfecit laudem ex ore infantium et lactentium, is visitavit hominem.

IX. Quæ ergo de Patre dicit Moses, ea Paulus de Filio accipit, magnam æqualitatem ostendens. Cum ergo liceat Sanctis, quæ de Patre dicuntur, indiscriminatim Filio tribuere, et quæ de Filio, Patri : « Omnia enim per ipsum » facta sunt [5], » ubi administri nomen omnino situm est ? Hoc nusquam viderit quispiam. Imo, inquit, dictum est, « Per ipsum. » Quid, quod hoc ipsum etiam de Patre dictum est ? Audi autem quomodo : « Fidelis Deus, per quem

[1] Isaï. XL, 12. — [2] Joan. V, 19. — [3] Psal. CI, 26. — [4] Gen. I, 1 et 26. — [5] Joan. I, 3.

» vocati estis in societatem Filii sui [1]. » Et rursus : « Paulus » Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei [2]. » Et rursus : « Quoniam per ipsum, et ex ipso, et in ipsum omnia [3]. » Quanam ergo de causa eum dicitis administrum ? Ut Patrem honoremus, inquiunt. Atqui dicit Filius : « Ut omnes » honorent Filium, sicut honorant Patrem. » Qui autem non honorat Filium, clarum est quod nec Patrem [4]. Quid ergo, inquit, Patrem dicam Filium? Nequaquam. Non enim dicit : « Ut me dicatis patrem ; » sed quid ? « Ut Filium manentem, honoretis ut Patrem. » Quod si Patrem dixeris Filium, omnia confuderis. Manente ergo hac proprietate, est honor communis. Propterea enim dixit Filium et Patrem, ne confunderetis hypostases. Si autem non esset eadem substantia, quomodo æqualem honorem exegisset? Quanam ergo de causa dicit Christus multa abjecta et humilia? Nos docens humilitatem, et propter indumentum carnis, ac propter stuporem Judæorum, et quod oporteat genus hominum deducere paulatim ad cognitionem, et quod essent imperfecti auditores, et alioqui sæpe loquitur ad auditorum opinionem. Sublimiora enim sunt ea, quæ sunt solius dignitatis, vel potius quodcumque de Deo dixeris, est longe illa substantia inferius, et ad auditorum captum dicitur. Quid vis enim dicere : « Magnus Deus? » Atqui hoc est parvum, si de Deo dicatur ; magnum enim, quantumvis sit magnum, est finitum ; sed Deus est infinitus. Et hoc etiam parvum est, si de Deo dicatur. Quod enim finem non habeat, scio : sed quid sit, aut ubi sit, nescio. Etsi sapientem, etsi bonum dixeris, et hæc infinita, nihil de illa substantia dixisti pro dignitate, sed verbo adesse oportet sensum Deo dignum. Si hæc ergo adeo magna dignitatem non ostendunt, quomodo venia digni fuerint, qui hæc quo-

[1] 1 Cor. 1, 9. — [2] 2 Tim. 1, 1. — [3] Rom. 11, 36. — [4] Joan. v, 23.

que mutilare conantur? Fugiamus ergo eorum conventicula, et cum didicerimus Unigeniti ante sæcula essentiam, creandi facultatem, auctoritate præditam potestatem, nec ullam ejus esse a Patre diversitatem, œconomiæ demissionem, multiplicem ejus in nos curæ providentiam, hæc enim omnia et his plura, thesaurus, qui in Psalmo situs est, eos docet, qui diligenter attendunt; dogmata exacte custodiamus, et conversationem iis dignam ostendamus, ut bona futura assequamur. Quibus nos dignos esse concedatur gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri una cum sancto Spiritu, honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM IX.

In finem pro occultis filii, Psalmus David. *Alius*, Triumphale pro morte filii canticum David. *Alius*, juventutis filii.

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua[1].

I. Longus est hic Psalmus. Hoc autem est etiam sapientiæ Spiritus. Neque enim fecit omnes breves, neque omnes fecit prolixos, sed multiplici mensura hunc librum variavit, longitudine quidem socordiam excitans, brevitate autem levans laborem. « Confitebor tibi, Domine, in toto

[1] Psal. IX, 1, 2.

» corde meo, narrabo omnia mirabilia tua. » Duplex est genus confessionis. Vel est enim propriorum peccatorum condemnatio, vel in Deum gratiarum actio. Hic quidem significat gratiarum actionem. Quid est autem, « In toto » corde meo ? » Cum omni alacritate animi, cum studio, inquit. Non pro rerum prospero successu, sed etiam propter contraria. Hoc enim est maxime grati animi, hoc sapientiæ studiosi, in rebus etiam asperis et adversis gratias agere, pro omnibus gloria Deum afficere, non solum pro suppliciis : hoc enim majorem mercedem conciliat. Nam in bonis quidem gratias agens; reddidisti debitum : in malis autem, Deum constituisti debitorem. Qui enim beneficio affectus est, et agit gratias, reddit debitum : qui autem male affectus est, et gloria afficit, is debitum acquirit. Pro illa gratiarum actione multa alia bona Deus et tunc et nunc reddit. Quare nec malorum quidem sensus ad nos perveniet. Nemo enim de iis dolore afficitur, pro quibus Deo agit gratias. Quocirca aliud quoque hinc lucrifaciemus, nempe ægritudinem animi discutiemus. Quando enim privatus fueris pecuniis, et gratias egeris, non tantum te mordere potest damnum, quantum lætitia afficit gratiarum actio. Hoc diabolo letale vulnus infligit; hoc reddit animam studio sapientiæ præditam; hoc de rebus præsentibus verum comparat judicium. Multi enim homines non habent veram de his, quæ hic sunt, sententiam, et ideo anguntur. Ita etiam qui insaniunt, ea sæpe pertimescunt, quæ non sunt terribilia, et sæpe formidant ea quæ non subsistunt, et umbras fugiunt. Hi sunt similes iis, qui damnum pecuniæ metuunt. Non est enim naturæ metus, sed liberæ voluntatis. Si enim esset res molesta, oporteret omnes dolere qui privati sunt. Si autem non omnes, qui iis privamur, dolemus, non est hoc utique rei naturæ, sed imperfecti animi. Quemadmodum enim in tenebris sæpe quis vel funem timet, serpen-

tem esse ratus, et omnia habet suspecta, et amicos hostes esse existimat: ita etiam quorum ratio deficit, tanquam profundis quibusdam capti tenebris, rerum naturam non cognoscunt, sed volvuntur in luto, nec fœnum existimant esse fœnum, et pleni avaritia, tetrum odorem non sentiunt. Quod si forte recesserint, tunc scient. Et sicut qui deformis mulieris amore capti sunt, postquam a morbo convaluerint, tunc sciunt deformitatem : ita etiam qui tenentur amore pecuniæ. Et quomodo, inquit, potero cessare ab amore? Utar rursus eodem exemplo. Quemadmodum qui deformem amat mulierem, si assidue cum ea habeat consuetudinem, accendit fornacem : sin autem parum seipsum sejunxerit, paulatim effluit affectio : ita etiam tu parumper secede, paululum concede, et parvum illud erit multum intervallum. Incipe tantum recte facere. Habes domum superfluam? Vende, et da iis qui indigent, non hoc reputans te eam amittere, sed tibi magis propriam efficere. Non sumptum considera, sed emolumentum, non quod ea hic privaris, sed quod ejus illic dominus efficeris. Ita etiam perpetuo poteris narrare Dei miracula. Hoc enim dicit Psalmus ab initio. Nam qui tenetur amore pecuniæ, non valde potest in ea re versari : nam perpetuo meditatur usuras, contractus, syngraphas, venalia, testamenta, agrorum domorumque pretia, lucra, cauponas, et narrare ac cogitare non cessat. « Ubi est autem thesaurus » hominis, illic est etiam cor ejus[1]. » Hæc loquitur, hæc meditatur, et quemadmodum servi ea quæ sunt dominorum meditantur, ita hic etiam ea meditatur quæ sunt Domini. Quid jussit? Quid perfectum est? Quid nondum perfectum est, sed est perficiendum? Quocirca te adhortor, ut ab illa obsessione liberatus, verseris in his narrationibus, narrans Dei miracula quæ fiunt quotidie, quæ pri-

[1] Matth. VI, 21.

vatim, quæ communiter, quæ in omnes, quæ in unumquemque. Plena est enim vita his narrationibus, et undecumque incœperis, videbis luculentum emanare proœmium, sive a cœlo, sive a terra, sive ab aëre, sive a brutis, sive a seminibus, sive a plantis et arboribus; si velis dona antiqua recensere, si quæ legem antecesserunt, si quæ fuerunt in lege, si quæ sunt in gratia, si quæ post excessum ex vita, si quæ in ipsa morte, invenies immensum pelagus narrationum. Quantæ est ergo stultitiæ, cum tot narrari possint per quæ voluptas, lucrum et utilitas possint animæ accedere, luto rationem inquinare, de avaritia et rapina narrantem!

II. Quod si velis, supernis relictis, de terra disseramus, de ejus magnitudine, positione, usu, natura, assiduo partu, rebus variis et diversis, quæ ex ea gignuntur, seminibus, herbis, plantis, floribus, pratis, hortis. Ab his rursus arboris uniuscujusque figuram ratione dividamus, positionem, altitudinem, bonum odorem, fructum, tempus, ministerium, alia omnia mente revolventes, ipsamque terram seu feracem, seu sterilem: ejus enim nihil est inutile. Etenim hæc quidem ferrum, illa vero æs; hæc aurum, illa tulit argentum; hæc aromata, illa vero medicamenta varia et omnis generis. Quid attinet dicere utilitatem aquarum, potabilium, salsarum, usum montium, metalla variorum marmorum, fontes qui sunt in ipsis, arbores quæ sunt aptæ ad tecta et ædificia? Hæc omnia sunt fructus solitudinis; hæc et animalia et omnes feras alit. Nam quid attinet dicere lacus, fontes, fluvios? Quemadmodum enim mulieres quæ peperierunt, fontem lactis profundentes, natis præbent alimentum: ita etiam terra hortis et viridariis fluvios et fontes tanquam mammas porrigens, ea affatim irrigat. Sed in mulieribus quidem oportet infantem ad mammam accedere: hæc autem ipsa extendit ubera, un-

dique ea ex alto demittens. Est etiam alius usus solitudinis. Est etiam aptior ad sanitatem corporis, ut quæ præbet puriorem respirandum aërem, et universum orbem terræ ex alto circumspiciendum, et in solitudine philosophiæ exercitium, et a vitæ curis tantillam respirationem. Quid opus est commemorare aves, quæ canunt, et animalium, quæ venatu capiuntur, vitam? Habet etiam alium usum solitudo: sæpe enim prædiis murorum vicem præbuit, habens montes in altum erectos, voragines, et præcipitia. Quid enim dixeris de herbis, quæ in ipsis nascuntur, quæ laborantibus corporibus magnam opem afferunt? Si autem desertorum et montium tantus est usus, tantaque ex eis bonorum est copia; si ad terram veneris arabilem, et supinos campos, considera quantos videbis fontes narrationum. Sicut enim in nostro corpore hæc quidem sunt ossa, illa vero nervi, alia autem carnes: ita etiam in terra, alia quidem sunt montes, alia voragines, alia pinguia prædia. Sunt hæc autem omnia utilia. Sed quid dico terram, quæ tantum est elementum? Si unius arboris velis dicere figuram, usum, fructum, folia, tempus, alia omnia, magnam videbis narrandi materiam; item si montium situm, si alia omnia. Si autem hunc ipsum hominem oratione persequaris, et ipsius corporis formationem, hinc rursus invenies immensum pelagus narrationum. In his ergo versemur, hinc erit nobis voluptas maxima, hinc lucrum, hinc ineffabilis philosophia. Qua de re hoc significans, subjunxit: « Lætabor et exultabo in te. » Alius, « Et gaudebo. Psallam » nomini tuo, Altissime [1]. » Alius, « Canam nomen tuum. » Non est hoc parvum genus philosophiæ, lætari in Deo. Qui enim in Deo ut oportet lætatur, omnem sæcularem expellit voluptatem. Quid est autem, « Lætabor in te? » Cum

[1] Psal. IX, 3.

talem, inquit, habeam Dominum, hoc est mihi voluptas, hoc est exultatio. Si quis hanc novit ita ut nosse oportet, non sentit aliam voluptatem. Hoc enim est propria voluptas : alia vero omnia sola sunt voluptatis nomina, re ipsa destituta. Hæc sublimem hominem efficit ; hæc animam liberat a corpore : hæc efficit ut ad cœlum aspiret ; hæc terrenis, et iis quæ ad victum pertinent altiorem constituit ; hæc a vitiis liberat. Et merito. Si enim qui pulchra ac præclara amant corpora, nihil eorum sentiunt, quæ ad vitam pertinent, sed in uno solo amicæ aspectu versantur : qui Deum amat ut oportet, quidnam deinceps vel boni, vel mali sentiet eorum, quæ sunt in vita ? Nihil ; sed erit omnibus superior, immortalium voluptate perfusus ; cum talis sit is, qui ab eis amatur. Qui enim amant alia, vel inviti cito traducuntur ad oblivionem, cum intereant et flaccescant quæ amantur : hic amor est infinitus, qui non potest desinere, qui et majorem habet voluptatem, et plus lucri : et hoc ipso amantem delectat et recreat, quod nunquam dissolvitur. « Psallam nomini tuo, Altissime. » Hoc solet maxime fieri ab amante. Qui enim amant, canunt in eos quos amant cantica, etsi illos non videant, per canticum seipsos consolantur. Ita etiam facit Propheta : quoniam Deus videri non potest, facit in ipsum cantica, per cantus cum ipso congrediens, desiderium accendens, et ipsum se videre existimans : vel potius cantu et hymnis multorum inflammat desiderium. Quemadmodum enim qui amant, eorum quos amant celebrant encomia, et ipsorum nomina circumferunt : ita hic etiam, « Psallam, inquit, nomini tuo, » Altissime. »

III. Vide quomodo seipsum e terra erexerit, et suam totam ad illam essentiam extulerit, seipsum Deo dedicans : et ideo versat ejus nomen assidue : is est enim mos amantis. « Cum conversus fuerit inimicus meus retrorsum, in-

» firmabuntur, et peribunt a facie tua[1]. » Alius, « Conver-» sis inimicis meis retro, ac collisis atque perditis a facie » tua. » Hic quoque est mos amantis, perpetuo dicere beneficia, et in iis sibi placere: hoc enim ab amore proficiscitur, et ipsum rursus amorem accendit. Non aberrarit autem quispiam, si dixerit eum hic etiam dicere inimicos, qui mente solum percipiuntur. Nam ii quoque avertuntur, quando generosam animam invenerint. Quemadmodum enim hasta, quæ in clipeum incidit, si mollis quidem sit, eum excindit; duro autem et repugnanti nihil facit, sed reflexa acie, vana et inutilis excidit: ita etiam usuvenit in anima. Si mollem enim et delicatam invenerint tela, quæ mittuntur a diabolo, in profundum pervadunt : sin autem duram et validiorem, et ipse abit, re infecta, et ei nihil mali facit, duoque, imo vero tria ex eo capiuntur commoda. Nam ipsam nihil lædit, sed reddit etiam fortiorem, et ipse ex eo imbecillior evadit. Considera autem quomodo Dei virtutem prædicat. « Infirmabuntur, inquit, et peri-» bunt a facie tua. » Rursus cum audis faciem, nihil suspiceris corporeum. Hic enim operationem ejus, adventum, et ejus virium facilitatem significat : sicut alibi dicit: « Qui » respicit terram, et facit eam tremere[2]: » ita hic etiam idem dicit. Sufficit enim solus obtutus ad perdendos improbos. Si enim Sanctorum præsentia facit vires dæmonum imbecillas, multo magis Dei. Si ejus fulgur apparens omnes terrore afficit, considera illam potentiam ab interitu alienam, quomodo terret, quomodo perdit improbos. Vidisti genus hymnorum? vidisti modum glorificationis, et quomodo ejus narrat potentiam? Non parvum autem hinc docet dogma philosophiæ, cum dixit: « Psallam nomini » tuo, Altissime. Cum conversus fuerit inimicus meus re-» trorsum. » Quod vero hoc est? Quod non solum in afflic-

[1] Psal. IX, 4. — [2] Id. CIII, 32.

tionibus, sed etiam in rebus tranquillis se moderate gessit. Multi enim malis humiles effecti, redduntur meliores: bonis autem, socordiores et ignaviores: quod quidem infra dicit de Judæis. « Quando occidebat ipsos, tunc quæ» rebant ipsum [1]. » Sed non est hic ejusmodi, imo etiam in rebus secundis moderatus est, et vigilans. Non est autem hoc parum ad philosophiam. « Quoniam fecisti judicium » meum, et causam meam [2]. » Alius, « Judicasti pro me. » Sedisti super thronum, qui judicas justitiam [3]. Increpasti » gentes, et periit impius [4]. » Alius, « Perdidisti. Nomen » ejus delesti in æternum, et in sæculum sæculi [5]. » Vide rursus viri philosophiam, quomodo non ipse ulciscitur inimicos, sed Deo concedit judicium, servans præceptum apostolicum, « Non vos ipsos ulciscentes [6]. » Non hoc autem solum videre possumus, sed quod hæc etiam injuste passus sit. Nisi enim injuste esset passus, ea Deus non esset ultus. « Sedisti super thronum, qui ju» dicas justitiam. » Humano more loquitur, dicens thronum et cathedram. Illud autem, « Qui judicas justi» tiam, » id dicit quod est Deo consuetum, et est ejus substantiæ præcipuum. In hominibus enim non licet hoc dicere. Non judicant enim justitiam, etsi millies justi sint, ut qui aliquando propter inscitiam, aliquando propter socordiam, quod justum est ignorent. Deus vero, qui ab his omnibus liber est, et sciens et volens justam fert sententiam. Illud ergo, « Sedisti super thronum, judicasti, » significat, persecutus es, ultus es. « Increpasti gentes, et » periit impius. » Vides quomodo armis Deo non opus est, non gladio, non arcu, non sagittis: sed illa humano more dicta sunt. Deo enim sufficit increpare et perdere eos qui puniendi sunt. Ut autem ejus potentiam intelligas, audi

[1] Psal. LXXVII, 34. — [2] Id. IX, 5. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 6. — [5] Ibid. — [6] Rom. XII, 19.

etiam quæ sequuntur. « Nomen eorum delesti in æternum » et in sæculum sæculi. » Radicitus perdidisti, convulsisti, ita delevisti, ut eorum etiam perierit memoria. « Inimici » defecerunt frameæ in finem [1]. » Alius, « Ruinæ. » Hebræus autem « Arboth. Et civitates destruxisti [2]. » Quid hoc est? « Machinis, inquit, et consiliis consumptis, cum propriis armis destituisti. » Talis est enim ira Dei : omnia delet, et perdit. Vel quod alius docet interpres, dicens, « Deserta, » id est, « Non solum eorum civitates, sed etiam deserta delevisti, et urbes diruisti : » ita enim Justus bellum gerebat, ita adversarios prosternebat, non utens armis et hastis, sed Dei auxilio ; propterea ei quoque bellum est præclarum et insigne, et vi parta est victoria. « Periit eorum memoria » cum sonitu [3]. » Alius, « Cum ipsis. » Hebræus autem, « Em. » Quid est « Cum sonitu? » Vel dicit internecionem, vel ululatum ob immissa mala. Hoc est etiam Dei providentiæ, quod non faciat hoc latenter, ut aliorum calamitatibus alii reddantur meliores : significat ergo manifestum exitium.

IV. « Et Dominus in æternum permanet [4]. » Alius, « Sedebit. » Sedere enim sæpe ponitur pro stabili et permanente substantia, ut declarat etiam Jeremias, dicens : « Tu sedes in sæculum [5] » Et Hebræus hic « Jeseb. » Propheta hoc dicit assidue in hominum interitu, ostendens interminatam ejus esse substantiam, et hominum quidem genus esse caducum et momentaneum : illius autem substantia et magnificentia finem nunquam accipit. Hoc autem facit timorem incutiens, ut duabus de causis eum timeant, et propter magnitudinem gloriæ, et propter vilitatem propriæ substantiæ, et ut semper manentem, atque ut mirandum in modum punientem. Quod si aliquid etiam

[1] Rom. XII, 7. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 8. — [5] Baruch. III, 3.

oportet dicere anagogice, id non est recusandum. Alia enim possumus etiam contemplari : alia vero ita sunt solum intelligenda, sicut dicta sunt, quemadmodum illud : « Fe- » cit Deus cœlum et terram [1]. » Alia vero aliter quam habeant dictiones, verbi gratia : « Cerva amicitiæ, et hinnu- » lus gratiarum tuarum, tecum habeat consuetudinem [2]. » Et rursus : « Sint tibi soli quæ habes, et nemo alienus sit » tibi particeps [3] » Et rursus : « Fons aquæ sit tibi soli. » Hoc enim si respexeris id quod scriptum est, nec a verbis declines, ut sensum persequaris, erit valde inhumanum, ut ne aquam quidem ulli impertias. Sed hic quidem loquitur de uxore, ut ea fruamur cum temperantia, fontem vocans eam, et cervam, propter puritatem congressus conjugalis. Et hic quidem hoc modo. Alicubi vero et quod scriptum est accipiendum est, et quod ex eo significatur, ut est illud : « Sicut serpentem exaltavit Moses [4]. » Credendum est enim hoc factum esse ; ut revera factum est ; simulque quod eo significatur in figuram Christi. Ita hic etiam non aberrarit quispiam, si quæ dicta sunt, acceperit de iis, quæ Judæis evenerunt, hæc nempe, « Sedisti super thronum, » qui judicas justitiam. Increpasti gentes, et periit impius : » nomen ejus delesti in sæculum et in sæculum sæculi. Ini- » mici defecerunt frameæ in finem, et civitates eorum des- » truxisti : periit memoria eorum cum sonitu. » Calamitas enim eorum, qui Christum crucifixerunt, est omnibus manifesta, et civitates eorum sunt dirutæ, et diaboli machinæ defecerunt, cum Christi cura ac providentia omnia susceperit. Sed hæc relinquentes adaptanda studiosis, ea quæ sunt proposita persequamur. « Paravit in judicio thro- » num suum [5]. » Alius, « Stabilivit ad judicium. Et ipse ju- » dicabit orbem terræ in justitia, judicabit populos in æqui-

[1] Gen. I, 1. — [2] Prov. V, 19. — [3] Ibid. 17. — [4] Joan. III, 14. — [5] Psal. IX, 8.

»tate[1]. » Vidisti quomodo paulatim attollit orationem? Quoniam enim throni meminit, ostendit throni naturam, non ex lignis, nec ex aliqua materia compositam, sed ex justitia. In justitia enim, inquit, collocatus est: « Judica»bit orbem terræ in justitia. » Et præsentia, et quæ futura sunt, prædicit. Generale enim judicium illic est reservatum: singulare autem etiam hic: multa quippe etiam nunc facit, ne stolidi existimarent ea, quæ sunt, non regi Dei providentia. Quod si non hic omnes coronas accipiunt, ne mireris. « Paravit enim diem, in quo est judicaturus or»bem terræ[2], » in præsentia autem stadium, luctas, et certamina. Propterea non recipiunt hic omnes pro meritis, sed iis, qui se recte gerunt, dona sunt illic reposita: et iis qui secus, supplicia. Hic autem est lenitas, et patientia, ut per pœnitentiam abstergamus peccata: sed illic non ita. Homicida enim, quandiu est in via, potest mutari, et liberari supplicio: sed postquam deductus est ad accipiendam judicis sententiam, restat deinceps ensis, et lictor, et barathrum. Ita etiam hic. Quandiu fuerimus quidem in vita præsenti, possumus vitare supplicium, si mutemur: postquam autem illuc discesserimus, frustra lacrymabimur. « Paravit enim in judicio thronum suum. » Si quis autem etiam illud, « Paravit, » acceperit ut dictum est, non peccabit. Omnia enim sunt parata, et supplicia, et coronæ, et sententia. Non est cunctatio, nec tempus, nec tarditas apud Deum: quandoquidem qui vivunt, non prævenient eos qui dormierunt, quemadmodum dicit Paulus: « Nos qui vivimus, qui reliqui sumus in adventum »Domini, non præveniemus eos qui dormierunt[3]. Judica»bit populos in æquitate. » Vide sapientiam Prophetæ, quomodo dicit præsentia, quomodo futura. Præsentia, « Increpasti gentes, et periit impius: » Futura, « Paravit

[1] Psal. IX, 9. — [2] Act. XVII, 31. — [3] 1 Thes. IV, 14 et 16.

» in judicio thronum suum. Et ipse judicabit orbem terræ » in justitia. » Hoc autem facit, ut qui illis non credunt, ex præsentibus argumenta accipiant. « Et factus est Dominus » refugium pauperi [1]. » Alius, « Attrito. » Alius, « Con- » fracto. » Vocat assidue seipsum et pauperem, et mendicum, licet regiam teneret. Ita etiam alibi : « Ego autem » mendicus sum et pauper [2]. » Sciebat enim, et clare sciebat omnia humana esse umbra imbecilliora, et nihil esse nobis virtute magis proprium : reliqua autem omnia esse similia foliis extrinsecus appositis. Quod enim virtus sit nobis propria, ex hoc clarum est, « Quocumque recesserimus, eam circumferimus : » illa autem non itidem. Hoc est ergo nobis magis proprium, alia autem sunt remotiora. Quemadmodum ego eum dicimus proprium qui est nobis propinquior : ita etiam hanc pecuniis dicimus magis propriam, quoniam nobis semper est propinquior.

V. Considera autem mihi ejus gratum et sapientiæ studiosum animum. Cum enim haberet et equos, et castra, et alia innumera, illis omnibus missis, supernum accersit auxilium, et suam ei salutem fert acceptam. Non enim dixit : « Fuerunt mihi castra refugium meum, nec pecunia, nec muri : » sed, « Factus est Dominus refugium pauperi. » Ipse me in tuto collocavit : nihil enim conferri potest cum hoc refugio, quod et ad facilitatis et securitatis rationem attinet. Aliis enim refugiis possunt afferri insidiæ, nec possunt ea in promptu inveniri, sed et tempore, et loco et innumerabilibus arcentur circumstantiis. Hoc autem, utpote quod prope fit, invenies, si id diligenter quæsieris. « Te enim » adhuc loquente dicam : Ecce adsum [3]. » Et, « Deus appropin- » quans ego sum, et non Deus procul [4]. » Nec cursu ergo, nec peregrinatione nobis opus est, sed vel domi sedentes hoc possumus evocare auxilium. Et aliquando quidem li-

[1] Psal. xxxix, ix, 10. — [2] Id. 18. — [3] Isaï. lviii, 9. — [4] Jer. xxiii, 23.

berat a periculis : aliquando autem eos ipsos reddit præclaros et potentiores adversariis, et utrumque in tempore convenienti. Quando enim se modeste gerunt qui id assequuntur, dat utrumque. Sin autem in eo non se recte gesserint, intra unum subsistit, ne alterius additamento nimis fiant arrogantes. Ut autem scias id sæpe in causa esse ut in insolentiam efferantur homines, Ezechias ea de causa elatus est[1], sed ne sic quidem eum contempsit ; sed quoniam victoriæ successus mentem ejus extulerat, immisit infirmitatem, quæ eum corrigeret. « Adjutor in opportunitatibus, » in tribulatione[2]. » Quid est, « In opportunitatibus ? » In tempore, inquit, opportuno. Duplicem dicit opportunitatem, quod et ferat auxilium, et quod in tempore. Opportunitatem enim hic dicit afflictionem. Qua de re ? Quod sit mater philosophiæ, et a morte liberabit hominem, ac divinum maxime attrahat auxilium. Tunc sublata est socordia, et dissolutio ; tunc supplicationibus vacamus diligentius. Et sicut hyems est tempus opportunum ad terræ agriculturam : ita etiam afflictio ad curam animæ. Ejus enim semper opus habemus auxilio, etsi sint nobis res secundæ. Tunc autem maxime sentimus auxilium, quando versamur in afflictionibus. « Adjutor. » Hic etiam aliquid aliud significavit, nempe quod oporteat nos operari. Qui enim fert auxilium, ei fert qui operatur. Non oportet ergo otiosos esse, et animo deficere, sed et preces afferre, et eleemosynas, et omnia quæ a nobis ipsis offerri possunt. Qui enim in bello socii sunt, iis, qui pugnant, opem ferunt, non iis qui animo deficiunt, et se dedunt otio. Si vis ergo Dei opem assequi, nunquam quæ tua sunt prodideris. Ita Job latum est auxilium stanti, et fortiter dimicanti : ita etiam Apostolis pulchre laborantibus. « Et sperent in te qui noverunt nomen tuum[3]. » Alius, « Et » confident. » Propheta hoc facit assidue, a precatione ad

[1] Isaï. xxxix, 2. — [2] Psal. ix, 10. — [3] Ibid. 11.

exhortationem convertens, ut qui sit communis doctor orbis terrarum, et philosophiæ thesaurum proponens in medium. Pulchre dixit : « Sperent in te qui noverunt nomen » tuum. » Qui te noverunt, inquit, et auxilium et defensionem tuam, validam habent ancoram, spem quam in te habent, validum auxilium, et turrim infractam, eum, qui non solum pollicetur liberationem a malis, sed ne præsentibus quidem difficultatibus perturbari permittit. Qui enim est liberatus ab humanis, et a superna spe dependet, non solum asciscit sibi celerrimam a malis liberationem, sed ne in ipsis quidem malis vexatur et perturbatur, ut cui ferat opem spes illius ancoræ. Ita ergo tres pueri non solum liberati sunt a fornace, sed ne dum in fornace quidem versarentur, conturbabantur [1]. Norant enim sibi adesse a Deo auxilium. Et ideo alius dicit : « Et confident, » id est, « Habebunt fiduciam. » Imperio enim, quod in perturbationes est, longe major est cautio, quæ ex spe in Deum oritur. Illæ enim sunt humanæ, hoc vero divinum, et inexpugnabile. Quandoquidem dixit eum fuisse adjutorem, et fuisse refugium, dicit etiam quomodo sit. Quomodo autem est ? quando in eum assidue sperare perseveramus. Quod si non statim solvit difficultates, hoc quoque fit pro tua probatione. Quemadmodum enim, cum posset non permittere ut te invaderent, permittit tamen, ut te faciant robustiorem : ita etiam, cum posset ab initio solvere, rursus cunctatur et differt, tuam augens constantiam, et tuam spem exercens, et tuam in ipsum affectionem reddens vehementiorem, et neque semper permittit opprimi, ne deficiamus ; nec semper quiescere et relaxari, ne collabamur. « Quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine [2]. » Alius : « Non enim reliquisti. » Ita etiam dicit alius : « Res- » picite antiquas generationes, et quis speravit in Domino, » et pudore affectus est? aut quis invocavit Dominum, et

[1] Dan. III. — [2] Psal. IX, 11.

» dereliquit[1] ? » Et quomodo, inquit, quæritur Deus qui est ubique? Studio, et animo, et si ab iis omnibus, quæ ad sæculum pertinent, liberemur. Multa enim cum ante oculos et in manibus habeamus, nescimus, sed circumcursamus sæpe quærentes quæ tenemus, quando mens alio versa fuerit.

VI. Quomodo ergo Deum quærere possumus? Quando illuc animum intendimus, quando ab iis, quæ ad hanc vitam pertinent, fuerimus liberati. Qui enim quærit, omnia ex animo ejiciens, venit ad illud quod quærit. Nec oportet solum quærere, sed etiam exquirere. Qui exquirit, non ipse solum quærit, sed aliorum etiam ope utitur, ut inveniat quod quærit. Sed in iis quidem, quæ ad hanc vitam pertinent, cum sæpe quæsierimus, non invenimus. In spiritualibus autem hoc non licet, sed omnino necesse est ut qui quærit inveniat. Si enim ad quærendum tantum egressi fuerimus, non permittit Deus ut nos multum vexemur, et ideo dicit : « Omnis qui quærit, invenit[2]. Psallite Domino » qui habitat in Sion [3].» Alius, « Qui sedet. Annuntiate inter » gentes studia ejus[4], » Alius dicit: « In populis machinatio- » nes ejus. » Quid dicis ? « Cujus cœlum sedes est [5], et terra » scabellum pedum : Cujus in manu sunt fines terræ [6], » is habitat in Sion? Certe. Habitationem enim hic dicit, non loco circumcludi : est enim infinita ejus magnitudo ; sed peculiarem affectionem ad locum, et peculiarem in eum propensionem, ut Judæos per hanc sui demissionem ad se attraheret. Propterea enim nostra quoque domus esse dicitur, quod peculiariter in eam afficiamur. Jam vero in nobis quoque habitare dicitur, non quod a nobis comprehendatur, sed quod proprie ac peculiariter in nos afficiatur. Sion autem Ecclesia anagogice dicitur. « Accessistis enim ad

[1] Eccli. II, 11, 12. — [2] Matth. VII, 8. — [3] Psal. IX, 12. — [4] Ibid. — [5] Isaï. LXVI, 1. — [6] Psal. XCIV, 4.

» montem Sion, et Ecclesiam primogenitorum [1]. » Et merito mons est Ecclesia, quod sit firma, et stabilis, nec possit conquassari. Quemadmodum enim mons non potest labefactari : ita nec Dei Ecclesia. « Annuntiate inter gentes » studia ejus. » Vult eos esse præcones Dei beneficiorum, et nunquam ejus celare beneficia. Et hoc dicit tam propter eos qui dicunt, quam propter eos qui audiunt. Nam et hi, et illi lucrifaciunt, si attenderint. « Quoniam requirens » sanguinem eorum recordatus est [2]. » Vidisti quænam dicat eorum studia? beneficia. Hic etiam magnum quoddam dogma significat, non perpetrari ullam cædem, de qua pœnæ non sumantur, et quæ non vindicetur. Quod etiam Moses ostendit in Genesi, dicens : « Sanguinem vestrum » requiram [3]. » Hoc est indicium infinitæ ejus providentiæ, ingentisque et prolixæ curæ. Si autem non statim requirit, ne mireris : dat enim peccatoribus occasionem pœnitentiæ. « Non est oblitus clamorem pauperum [4]. » Vide rursus esse in honore pauperes. Non autem dicit simpliciter « Paupe- » res; » sed illos qui sunt « Pauperes spiritu [5], » sicut dicit Christus. Ii enim maxime exaudiuntur dum orant, qui sunt corde humili et contrito. Hic autem duo ponit, et orationem et humilitatem. « Ad quem enim, inquit, respiciam nisi » super humilem, et quietum, et timentem verba mea [6]? » Ubique autem orationis vehiculum invenitur humilitas. Prope enim est Dominus contritis corde. Oportet itaque eum, qui orat, maxime liberari a tumore ac fastu. Quod etiam quærit, dicens : « Absque ira et disceptatione [7]. » Recte dixit: « Clamorem pauperum, » Nempe mentis affectionem, non autem vocis intentionem. Cum autem dicit: « Non est oblitus, » significavit eos invocare assidue, et ta-

[1] Hebr. XII, 22, 23. — [2] Psal. IX, 13. — [3] Gen. IX, 5. — [4] Rom. II, 4. — [5] Matth. V, 3. — [6] Isaï. LXVI, 2. — [7] 1 Tim. II, 8.

men non a principio assequi. Quid est ergo quod dicit? Ne putetis Deum esse oblitum, et ideo non ultum esse : ejus enim est proprium ea, quæ sunt ejusmodi, quærere, etiamsi nemo roget : quando autem rogant, et qui rogant sunt humiles, multo magis. « Miserere mei, Domine, vide humilitatem meam de inimicis meis. Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion[1]. » Alius, « Hymnorum decantationes tuas. » Alius, « Laudes tuas. » Vide eum perpetuo orationi affixum. A malis enim liberatus, et in tuto collocatus, non cessat rursus orare, dicens : « Miserere mei, » et rogare eum pro futuris. Semper enim egemus Dei providentia, maxime autem dum liberamur a malis. Aliud enim bellum excipit priori difficilius, socordiæ, et arrogantiæ, tunc enim spirat vehementius diabolus. Quare maxime postquam liberati sumus a malis, illo opus habemus auxilio, ut facile res secundas feramus. Nam Judæi quoque ab Ægyptiis liberati, graviori bello vexabantur, arrogantia et socordia. Tunc itaque maxime moriebantur, ut qui non possent recte ducere exercitum. Quia enim nec adversus ingluviem, nec adversus abjecti animi vitium fortiter in acie steterunt, sed Ægyptiorum vitia sunt æmulati, ea illos perdiderunt. David quoque, cum et a Saülis difficultatibus, et ab aliis omnibus hostibus fuisset liberatus ; postquam quietem et laxamentum assecutus est, difficilius bellum passus est incontinentis cupiditatis, quod eum etiam majori supplicio affecit. Quocirca tunc maxime timendum est, quando fuerimus liberati ab ærumnis.

VII. Quemadmodum enim alligatam bestiam non ita timemus, ut emissam : ita etiam vitium non est ita timendum in afflictione ; tunc enim alligatum est animæ ægritudine, et aliis vinculis ; sed post quietem et remissionem maxime timendum est. Et ideo sæpe videbis prosperos

[1] Psal. IX, 14, 15.

rerum successus majora mala parere, quam res adversas. Ita etiam Ezechias post tropæum erat periturus. Quocirca ipse quoque alibi dicit : « Bonum mihi quod me humi-» liasti [1]. » Quærit autem misericordiam etiam post liberationem, et affert causam petitionis misericordiæ, quod male sit affectus. « Vide enim humilitatem meam de ini-» micis meis : » Et aliam rursus : « Qui exaltas me de portis » mortis. » Ad eum enim, qui auxiliatur, meique curam gerit, ac semper manus mihi præbet, confugio. Vidisti eum in fututorum petitione pro præteritis etiam gratias agere, et duplex dicere beneficium? Non enim dixit : « Qui liberas me de portis mortis, » sed, « Qui exaltas me. » Non enim in eorum malis tantum solvendis substitit Dei beneficium : sed fecit eos etiam admirabiles, insignes, et clariores. Non dixit autem : « Ex porta, » sed, « Ex portis, » multa pericula significans. « Ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis » filiæ Sion. » Quod suasit aliis facere, ipse facit. « Annun-» tiate enim, inquit, inter gentes studia ejus. » Hoc ego quoque nunc faciam, et non solummodo faciam, uno præsente vel duobus, vel tribus, sed in medio theatro. « Exul-» tabo in salutari tuo [2]. » Hoc est mihi corona, hoc diadema, propter te tropæum erigere, propter te salutem adipisci. Ita etiam nos quoque quæramus non omnino servari, non omnino a malis liberari, sed secundum Deum. Hoc autem dico propter eos, qui in morbis utuntur incantationibus, et alias exquirunt præstigias ad suam levandam ægritudinem. Hoc enim non est servari, sed perire. Maxima enim salus est, per Deum esse servatum. « Infixæ sunt » gentes in interitu quem fecerunt [3]. » Alius, « Immersæ » sunt. » Interitum sive corruptionem dicit vitium; nihil enim æque corrumpit, ut vitium. Improbo enim homine nihil est imbecillius, propriis armis capitur vinciturque,

[1] Psal. CXVIII, 71. — [2] Id. IX, 16. — [3] Ibid.

ut ferrum a rubigine, et lana a tinea : ita etiam improbus a vitio. Unde etiam ante supplicium, quod a Deo infertur, ipsum vitium ab eo, qui id facit, pœnas exigit. Quia enim multa de superna justitia disseruit, et de Dei auxilio, ipsum autem non statim venit, sed cunctatur et differt, et hoc multos efficit ignaviores, ostendit esse in foribus supplicium, et malos id perpeti, sicut dicit etiam Paulus : « Et mercedem quam oportuit erroris sui in seipsis reci-» pientes [1]. » Vide autem quam proprie utatur dictionibus, « Infixæ sunt, » hoc est, per vim retentæ sunt, sunt ei inevitabiles paratæ insidiæ. Et rursus, « In laqueo isto, » quem absconderunt, comprehensus est pes eorum [2]. » Vinculis, inquit, quæ solvi nequeunt, astringuntur improbi. Hæc Apostolis et Judæis usuvenerunt. Quando enim bellum gerebant cum Apostolis, illos quidem nihil lædebant, malis autem innumerabilibus seipsos implicabant, civitate, et libertate, et aliis omnibus eversi, et crescebat quidem prædicatio, disperdebantur autem qui parabant insidias. Et qui tres pueros in babylonicam fornacem immiserunt, ab ea rursus capti sunt. Quod etiam in Daniele factum est. Sed in Daniele quidem hoc merito accidit, illi enim ipsum injecerant : in tribus autem pueris quidnam est in causa, quod cum rex peccasset, ii qui stabant ante fornacem, puniuntur? Quoniam ii quoque, qui fuere combusti, tyranni jussui inservierant, et auream statuam adoraverant. « In laqueo quem absconderunt. » Vide quomodo ostenderit inenarrabilem eorum esse vituperationem. Quia enim quod fiebat, erat plenum ignominia, ideo celant, et conantur latere : « Cognoscitur Dominus judicia fa-» ciens [3]. » Alius, « Cognitus est judicium faciens. » Hoc est, puniens, ulciscens, persequens. Vidisti aliud genus beneficii ex castigatione? Non solum enim, inquit, facit eos

[1] Rom. 1, 27. — [2] Psal. IX, 16. — [3] Ibid. 17.

meliores qui castigantur, sed facit etiam, ut Dei cognitionis eluceat ratio, et ex eo magis videtur hominum curam gerere. Cum itaque permisit gregem porcorum deturbari, et in mari submergi [1], tunc admiratione maxima perculsi sunt. In Veteri quoque Testamento Judæi, « Quando eos occidebat, tunc cum quærebant [2]. » quemadmodum dicit Propheta. Et cur non hoc facit frequentius? Quoniam vult non per vim et compulsionem, sed per liberam voluntatem virtutem exerceri, et beneficio potius affectos quam punitos. Et quanto, dicit quispiam, melius est esse necessitate bonum, quam malum libero eligendi arbitrio? Non potest quis esse bonus ex necessitate. Qui enim vinculo illaqueatus bonus est, non erit semper bonus, sed a necessitate liberatus revertetur ad vitium. Qui autem ita instituitur, ut sua libera voluntate fiat bonus, cum bonus factus fuerit, constans manet et stabilis. « In operibus » manuum suarum comprehensus est peccator [3]. » Non dixit : « Manuum Dei, » sed « Manuum peccatoris. »

VIII. Vidisti quomodo variat orationem, et quod ex cœlo infertur supplicium inferens, et pœnas, quæ a vitio infliguntur, inducens? Quomodo supplicium, quod infertur, ex cœlo? « Cognoscitur, inquit, Dominus judicia faciens. » Quomodo pœnas, quæ infliguntur, a vitio? « Infixæ sunt » gentes in interitu quem fecerunt. » Et rursus eas, quæ proficiscuntur ab improbitate, « In operibus manuum sua» rum comprehensus est peccator. » Non enim dicit solum supplicium, quod a Deo proficiscitur, quoniam sæpe cunctatur et differt; neque solum quod a vitio, quoniam multi in eo libenter versantur; sed utrinque confirmat orationem. Et ideo dicit : « In operibus manuum suarum com» prehensus est. » Alius, « Volarum suarum. » Ne ergo existimes te machinationem in alium moliri, quando struis

[1] Marc. v, 13. — [2] Psal. LXXVII, 34. — [3] Id. IX, 17.

alicui insidias : tibi enim ipsi contexis retia. Cantus, diapsalma. Alius, « Vox semper. » Alius, « Modulatio semper. » Hebræus autem, « Engaon sel. Convertantur peccatores in » infernum, omnes gentes quæ obliviscuntur Deum [1]. » Alius, « Convertentur. » In iisdem rursus persistit, ostendens vitium habere supplicium constitutum, et impietatem parere mortem, et peccatum pericula. « Quoniam non in » finem oblivio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem [2]. » Alius interpres dicit : « Non enim in fi- » nem mitium expectatio tradetur oblivioni. » Pulchre dixit : « In finem, » ostendens non semper quæri remissionem. Si enim semper futura sit quies et remissio, ubinam ostendetur patientia? Quod autem dicit, est ejusmodi : « Pœnas dabunt improbi, et extrema patientur. Neque enim Deus patietur ut iis, qui injuria afficiuntur, perpetuæ parentur insidiæ. » Per hoc et eos consolatur, et illos terret, et Dei ostendit clementiam, quod hos quidem mora reddit probatiores, illos vero trahit ad pœnitentiam. Vide autem quomodo rursus pauperes in honore habentur, pauperes non absolute, sed qui sunt contriti corde. Ii enim sunt vel maxime apti ad patientiam, vel ea potius se mutuo comparant, humilitas patientiam, patientia humilitatem. Si quis autem dixerit : « Et quomodo est paupertas humilitas? » dicemus eam esse aptiorem ad virtutem. Qui est enim dives, animi ægritudine afficitur et conturbatur. Qui autem pauper est, omnia fert facile, ut qui in paupertate veluti in quadam palæstra frequenter exerceatur. Et ideo Christus quoque dicebat difficile esse cum divitiis regnum cœlorum ingredi [3]. Quis est autem, « Patientia pauperum non peribit » in finem? » Nunquam, inquit, peribit, sed proprium fructum omnino recipiet. Quod quidem non evenit in iis rebus, quæ ad victum pertinent, sed sæpe finem non con-

[1] Psal. IX, 18. — [2] Ibid. IX. — [3] Matth. XIX, 23.

sequuntur pereuntibus laboribus. Nam et agricola expectat, et mercator : sæpe autem propter aëris intemperiem utrique a fructu sui laboris excidunt. In Deo autem non ita fit, sed necesse est omnino finem consequi. Hoc autem non parvam affert consolationem, semper de fine confidere. « Exurge, Domine, non confortetur homo [1]. » Alius, « Non » audax fiat. Judicentur gentes in conspectu tuo [2]. » Alius, « Et in facie tua. » Postquam dixit vitium, quod plures homines invadit, et narravit hominum improbitatem, rapinas, avaritiam, homicidia, rogat Deum pro auxilio eorum qui afficiuntur injuria. Talia sunt enim Sanctorum viscera, ut non solum sint de se solliciti, sed perinde ac si pro una domo pro orbe terrarum, vel ac si pro uno corpore pro multitudine hominum, ita precentur Dominum. « Exurge, » Domine, ne confortetur homo. » Quid est autem, « Exurge, » Domine? » Persequere, inquit, fer opem, puni eos, qui inferunt injuriam. » Et egregie nudis nominibus usus est, cum dixit : « Exurge, et non confortetur homo : » ut significet quod sit vilis, quod terrenus, quod pulvis et cinis. « Judicentur gentes in conspectu tuo. » Quid hoc est? « Dent, inquit, pœnas suorum peccatorum. Non redditi sunt meliores patientia, facinorum ab eis rationem exposce. « Constitue, Domine, legislatorem super eos. Sciant gentes » quoniam homines sunt [3]. Diapsalma. » Alius, « Semper. » Quid est, « Constitue legislatorem super ipsos? » Quoniam, inquit, omnia faciunt perinde ac si essent sui juris, nolentes dare pœnas, ulciscere, et sit eis supplicium pro admonitione. Hoc alius quoque significans, dicebat : « Constitue, » Domine, eis timorem. » Vide quomodo non quærit ut puniantur, sed ut admoneantur, corrigantur, et non vivant inique. « Erit enim, inquit, eis supplicium loco admonitionis, non eis tantum, sed etiam aliis. » Et ut scias quantum

[1] Psal. IX, 20. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 21.

ex eo sit lucrum, et quomodo morbum reprimat, audi quod deinceps sequitur. « Sciant gentes quod homines sunt; » quod autem dicit, hujusmodi est : « Multi hoc etiam perdiderunt, naturæ obliti sunt, in furorem impegerunt, seipsos ignorarunt. » Et pulchre adjecit illud, « Semper, » ut significaret non solum in rebus adversis, sed etiam in secundis. Verum si eos nunc punieris habentes magnum timorem, et memoriam malorum, quæ eis evenerunt, etiamsi eis prospere res successerint, scient suam naturam.

IX. Vides quomodo pro eis orationem emittit, eorumque vult furorem corrigi? Seipsos enim ignorare, est extremæ amentiæ, et phrenesi gravius. Hoc enim est morbus necessitatis : illud vero corruptæ voluntatis. « Ut quid, Do» mine, recessisti longe, despicis in opportunitatibus, in » tribulationibus [1] ? » Hæc dicit Propheta orans et supplicans ex persona eorum qui affliguntur, non autem accusans. Absit. Nam multi eorum, qui affliguntur, præ dolore cupiunt ante tempus conveniens fieri judicium : quemadmodum qui secantur, nondum perfecta sectione, rogant medicum ut manum abstineat, damnosam quidem gratiam petentes, eo autem quod non ferant dolorem, hoc agentes. Sæpe autem apud medicos vociferantur : « Torsisti me, perdidisti me, me de medio sustulisti. » Hæc autem verba non ex mente, sed ex dolore procedunt. Ita certe multi pusilli et abjecti animi dicunt, in afflictionibus laborem non ferentes. Sophonias quoque tali oratione utitur. Sed hæc quidem in Veteri, quando erant certamina moderata : longe autem absunt a Novi philosophia. « Dum superbit impius, incen» ditur pauper : comprehenduntur in consiliis quæ cogi» tant [2]. » Alius, « Comprehendantur. Quoniam laudatur » peccator in desideriis animæ suæ, et iniquus benedicitur. » Exacerbavit Dominum peccator [3].» Propheta, imposita sibi

[1] Psal. x, sec. Hebr. 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Ibid. 3, 4.

persona supplicis, et rogans pro iis,qui afficiuntur injuria, dicit etiam affectiones quæ venerunt, quæ sunt humanæ imbecillitatis, nempe ante punitionem angi et excruciari eum, cui fit injuria, non ferentem prosperitatem improbi. Non est autem parvum hoc quoque supplicium. Deinde rogat ut dent pœnas, et eorum in seipsos vertantur insidiæ. Dicit etiam intolerabile genus improbitatis. Quodnam autem hoc est? « Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ.» Pro iis, pro quibus se abscondere, pro quibus erubescere oportebat, pro iis in admiratione habetur, pro iis laudatur. Quomodo autem poterit huic deinceps remedium adhiberi, quando laudatur vitium? Hoc autem nunc quoque fit. Hic in admiratione habetur, ut qui sit potens; ille vero, ut qui ulciscatur inimicos : alius vero ut prudens, quoniam omnium bona corrasit, et cum seipsum perdiderit, eum dicunt seipsum invenisse, et alii alia dicunt : de spiritualibus autem rebus ne verbum quidem. Non cito laudatur qui est a negotiis alienus, nec paupertatis amator, sed qui est opulentus, cauponator, adulator, qui pro nulla re utili servilia obit ministeria. Hæc deflet Propheta, quod vitium ita invaluerit, ut sibi placeat et blandiatur, et quod est gravius, ut minime erubescat : nec solum seipsum laudet propter ea, quæ facit, sed habeat etiam alios laudatores. Quid hac autem insania fuerit deterius? « Exacerbavit Dominum » peccator. » Alius, « Quoniam cum laudavit iniquus se» cundum desiderium animæ suæ, et avarus benedixit, ir» ritavit Dominum. Quando exaltata fuerit ira ejus, non » quærit. » Alius, « Quia laudavit in desiderio animæ suæ, » et avarus qui benedixit, detraxit Domino. Impius secun» dum exaltationem iræ suæ non exquiret. » Septuaginta autem, « Exacerbavit Dominum peccator : secundum mul» titudinem iræ suæ non quæret. » Vidisti quo vitium processerit? Quid dico, inquit, cum pauperes molestia afficere :

Ipsum Deum irritat. « Et secundum multitudinem iræ suæ » non quæret, inquit, Deum [1]. » Alius autem hoc ostendit dici de impio, dicens : « Exaltationis suæ, » hoc est, arrogantiæ, insolentiæ. Vidisti insignem insaniam et corruptionem ? Est iis, qui sunt ejusdem gentis ac generis, hostis et inimicus, a virtute alienus, amator vitii atque laudator. Et pulchre dixit alius : « Non est Deus in omnibus ejus cogi- » tationibus, » significans Deum non quærere, plenum esse tenebris, non habere illius timorem præ oculis. Sed quemadmodum lema obscurat pupillam, ita etiam improbitas mentem, fertque per præcipitia. « Non est Deus in cons- » pectu ejus [2]. « Alius, » Per omnes cogitationes ejus. In- » quinatæ sunt viæ illius in omni tempore. Auferuntur ju- » dicia tua a facie ejus [3]. » Alius, « Sublatum est judicium » tuum. » Vidisti fructum vitii ? Lux ejus extinguitur, hebetantur ratiocinia, traditur captivus improbitati. Quemadmodum enim qui est luminibus orbus, frequenter incidit in barathra : ita hic etiam, quoniam Dei timorem non habet præ oculis, in vitio perpetuo versatur, non nunc quidem in virtute, nunc autem in vitio, sed semper in vitio, nec gehennæ meminit, nec futuri judicii, nec reddendæ rationis : sed his omnibus auxiliis tanquam freno excussis, tanquam navis minime saburrata, traditur malis spiritibus et sævis fluctibus, cum nullus sit qui ejus animum regat et instituat. Vidisti malum in ipso etiam vitio pœnas luere ? Quid enim equo effreni, quid nave, cui deest saburra, quid oculis orbo homine gravius ?

X. Sed his omnibus miserior est qui vivit in vitio ; ut qui extincta luce, quæ ex Dei timore proficiscitur, captivus sit traditus. « Omnium inimicorum suorum domina- » bitur. Dixit enim in corde suo : Non movebor a generatione » in generationem sine malo [4]. » Alius, « Omnes inimicos

[1] Psal. x, sec. Hebr., 1. — [2] Ibid. 5. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 6.

» suos ventilat, dicens in corde suo : Non convertar in ge-» nerationem et generationem. Non enim ero in afflictione.» Vidisti arrogantiam ? Vidisti inenarrabilem perditionem ? Vidisti paulatim augeri exitium? Vidisti quomodo quæ sunt beata apud stultos, vere plena sunt multa miseria, et quomodo obruuntur ? Laudatur in peccatis, benedicitur in maleficiis. Hoc est primum barathrum, quod satis est vel ad præcipitandum eum qui non advertit. Et ideo magis sunt admittendi qui accusant et corrigunt, quam qui laudant et ad interitum blandiuntur. Hi enim corrumpunt stolidos, et ad majus vitium propellunt, quemadmodum qui hunc peccatorem insufflarunt, instituerunt ad insaniam. Et ideo Paulus quoque hoc ipsum dicit Corinthiis de eo,qui erat fornicatus : « Et vos inflati estis, et non po-» tius luxistis [1] ? » Eum, qui peccat, multum lugere, non laudare oportet. Vidisti perversum vitium, quod non solum non accusatur, sed etiam laudibus afficitur ? Hinc ex propria arrogantia amplificavit laudum improbitatem : oblitus est timoris Dei, et judiciorum ejus. Hinc etiam propriæ est naturæ oblitus. Qui enim judiciorum Dei obliviscitur, sui ipsius quoque tandem obliviscitur. Vide ergo quæ cogitat : « Non movebor in generationem, et generationem, sed ero sine malo. » Quid est hac cogitatione stultius, ut qui homo est, interitui obnoxius, caducis ac momentaneis rebus implicatus, et innumerabilibus mutationibus subjectus, talia imaginetur ? Undenam autem hoc fit? Ex stultitia. Quando enim vir stultus multis rebus secundis usus, inimicos vicerit, et ab omnibus laudatur, atque in admiratione habetur, omnium miserrimus efficitur. Eo enim quod non expectet mutationem, neque res secundas fert modeste, et si res ei adversæ evenerint, cum sit inexercitatus, nec eas sit unquam meditatus, turbatur

[1] 1 Cor. v, 2.

et tumultuatur. At non sic Job, sed etiam in rebus secundis res adversas quotidie expectabat, et ideo dicebat : « Metus quem timebam, venit mihi, et quem timueram, » occurrit mihi, nec in pace egi, nec quievi, nec cessavi : » venit tamen mihi ira [1]. » Et ideo alius dicebat : « Memento » temporis famis in tempore abundantiæ ; paupertatis et » inopiæ in die divitiarum [2]. » Sed hic quidem semel corruptus non considerat humana, sed propter felicem rerum successum ea esse immobilia existimat : quod est extremæ stultitiæ et corruptelæ argumentum, et occasio interitus. Ne beatos existima eos qui sunt divites, eos qui vincunt inimicos, eos qui propterea laudantur. Magna sunt hæc barathra et præcipitia, quæ homines incautos ad ipsum impietatis profundum dejiciunt. « Cujus os maledictione » plenum est, et amaritudine, et dolo. Sub lingua ejus labor » et dolor [3]. » Alius, « Inutile. Sedet in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiat innocentem [4]. » Alius, « Insidians apud aulas. Oculi ejus in pauperem respiciunt. » Insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua [5]. » Alius, « Quasi in septo suo. Insidiatur ut rapiat pauperem, ut rapiat pauperem, dum attrahit eum. » Alius, « In tractione » ejus. In laqueo suo humiliabit eum [6]. » Alius, « In sagena. » Inclinabit se et cadet, cum dominatus fuerit pauperum [7]. » Alius, « Confractus autem inflectetur, cum is irruerit cum » fortibus suis in imbecillos. » Vidisti eum etiam effectum esse immanem belluam ? Eum enim tanquam feram describens Propheta, ita de eo loquitur, dolos, fraudes, insidias traducens. Quid eo potest esse miserius, quid pauperius, cum pauperis egeat pecuniis ? Hunc ergo, dic quæso, dicemus divitem ? Ergo etiam furem et murorum effossorem. Absit, inquit. Quid enim si fora non perfodit ? Quid si

[1] Job. III, 25, 26. — [2] Eccli. XVIII, 25. — [3] Psal. X, sec. Hebr. 7. — [4] Ibid. 8. — [5] Ibid. 9. — [6] Ibid. 10. — [7] Ibid.

non noctu aggreditur, sed cum dolo judicis lumen extinguit? Quid enim si non dormientibus, sed vigilantibus omnibus irruit? Hic est enim impudentior. Ex furibus enim leges eos gravius puniunt, qui interdiu furantur. Vidisti paupertatem, vidisti crudelitatem. Paupertatem, quod bona pauperis concupiscat : credulitatem vero, quod nec calamitate quidem frangatur : sed cujus misereri, et cui subvenire oportebat, paupertatem opprimat. Nec tamen hæc faciet impune : sed quando prævaluerit, quando sibi visus fuerit esse superior, quando se putarit esse inexpugnabilem, tunc peribit : ut et Dei videatur vincendi facilitas, et pauperum patientia, et hujus corrigendi difficultas, et Dei lenitatis tolerantia. Propterea non e vestigio sequitur justitia, Deo per patientiam vocante eum ad pœnitentiam : sed quando nihil lucrifacit lenitate et patientia, tunc eum per supplicium admonet. Hi enim,qui injuria affecti sunt, nihil læsi sunt, sed etiam meliores et clariores afflictione facti sunt. Deus autem suam ostendit patientiam, ut qui sustinuerit et toleraverit, et cum patientia potentiam, et rei gerendæ facultatem; quod quando is esset seipso potentior, tunc temporis ipsum superat : hic vero, cum mansisset inemendatus, ultimum dat supplicium. Hoc autem non parum confert ad corrigendos eos, qui in rebus secundis versantur.

XI. Ne ergo, quando viceris inimicos, et omnia tibi secunda fuerint, confidas improbe vivens, sed tunc magis pertimescas. Augetur enim vitium, tollitur tibi defensio, præciditur et auferitur venia, si malus maneas. «Dixit enim »in corde suo, oblitus est Deus. Avertit faciem suam, ne »videat in finem[1].» Vide quantum barathrum perditionis descendit, qualia dogmata colligit, quæ propter impudentiam quidem non audet efferre, ea autem apud se versat,

[1] Psal. x, sec. Hebr. 11.

pugnans cum veritate, et quæ sunt sole clariora, propter mentis suæ orbitatem adumbrans. « Exurge, Domine Deus » meus, exaltetur manus tua. Ne obliviscaris pauperum[1]. » Alius, « Exalta manum tuam. Propter quid irritavit impius » Deum? Dixit enim in corde suo : Non requiret. Vides » quoniam tu laborem et furorem consideras, ut tradas eum in manus tuas[2]. » Alius, « Vidisti, quia tu laborem et » iracundiam inspectabis, ut des in manu tua. » Alius, « Ut » dentur in manus tuas. » Iniquus quidem hæc dicit, raptor, avarus, utpote qui non det pœnas: Propheta autem ejus evertens dogmata, de Dei patientia ample loquitur. Ille enim dicit : « Avertit faciem suam, ne videat in finem, » hic autem contra : « Et vides, et consideras, et es patiens, donec ii ceciderint in manus tuas. » Quid est, « Donec den- » tur in manus tuas? Dixit more humano; hoc autem sibi vult : « Expectas, toleras, ut insigni tradantur improbitati. Poteras enim vel a principio eos evertere et subigere, sed immensum est pelagus tuæ tolerantiæ, videntis, et non persequentis, sed expectantis eos ad pœnitentiam. Quod si nolunt, tunc punis, quando nihil lucrantur ex tua patientia. » Quod enim magnam habeat rationem eorum, qui injuria afficiuntur, audi quomodo per ea, quæ sequuntur, confirmat. « Tibi derelictus est pauper, orphano tu fuisti » adjutor[3]. » Alius, « Tu factus es. » Alius, « Tu eris. » Quod autem dicit, tale est : « Hoc est opus tuum, hoc est officium tuum egregium. » Quod suum erat, non omisit, non prodidit. Quemadmodum enim est artificis ædificare, et gubernatoris navem dirigere, et solis illuminare : ita etiam tuum est subvenire orphanis, manum præbere pauperibus. Nemo est qui sic eorum curam gerat, sed tu solus. Hoc enim significat illud, « Derelictus est. » Nullus, inquit, alius, sed tu solus orphanorum et pauperum curam geris. « Contere

[1] Psal. x, sec. Hebr. 12. — [2] Ibid. 13, 14. — [3] Ibid.

»brachium peccatoris et maligni. Quæretur peccatum il»lius, et non invenietur propter illud [1]. » Alius, «Quæratur »impietas ipsius, ut non inveniatur ipse. » Non vult peccatorem absolute conteri, sed vires, potentiam, et ejus improbitatis fomitem : deinde rogat illum eorum, quæ fecit, reddere rationem, et ostendens injuriæ magnitudinem, dicit : «Si hoc fecerit, ne stare quidem poterit, nec apparebit, sed peribit, interibit, radicitus delebitur, iis, quæ fecit, examinatis. Nemo ergo orbitatem defleat, nemo paupertatem. Quo enim ea majora fuerint, eo magis eum Deus auxilio dignabitur. Nemo de potestate sibi magnifice placeat, nec intumescat. Locus enim est lubricus et præceps, eosque, qui non attendunt facillime subvertit. «Domi»nus regnabit in æternum, et in sæculum sæculi [2]. » Hic respondet iis, qui perturbantur, eo quod peccatores non statim pœnas dederint. Quid times? inquit. Quid formidas? Num judex est temporaneus? num finem habet regnum ejus? etsi enim nunc non det pœnas (qui invasit dominum, qui est raptor, qui avarus), omnino tamen dabit. Manet enim, qui exigit, et regnat perpetuo. «Peribitis gentes de »terra illius. Desiderium pauperum exaudisti, Domine : »præparationem cordis eorum audivit auris tua [3]. » Alius, «Propositum cordis eorum audivit auris tua. » Alius, «Præ»parabis corda eorum ut attendat auris tua. Judicare pu»pillo et humili; ut non apponat ultra magnificare se homo »super terram [4]. » Alius, «Ut judices pupillum et oppres»sum. » Vides Prophetam improborum majorem curam gerere? Est enim eorum maxime male pati. Is enim, qui injuria afficitur, accipit damnum pecuniæ : ille autem versatur in rerum maximarum periculo. Quid tum enim si non sentiunt ægritudinem, qua vexantur? eo magis crescit

[1] Psal. x, sec. Hebr. 15. — [2] Ibid. 16. — [3] Ibid. 17. — [4] Ibid. 18.

eorum stupor, et eo nomine magis oportet eorum misereri: hoc imperfectæ mentis est. Nam pueri etiam terribilium nullam ducunt rationem, sed sæpe etiam in ignem manus immittunt, larvas autem inanes videndo pertimescunt. His sunt avari similes, qui paupertatem quidem verentur, quæ non modo terribilis non est, sed fundamentum potius est securitatis; injustas autem divitias, et alienorum bonorum invasionem multi faciunt, quod est quovis igne terribilius. Semper enim malum est avaritia. Ut ea ergo excindatur semper rogat Propheta, minans, terrens, Deum rogans, ut exurgat ad puniendum talem mentis stuporem. Et ideo subjungit dicens: « Peribitis gentes de terra illius, » minans illis interitum, et rogans ut sit adjutor et vindex eorum, qui injuria afficiuntur: ut et hi respirent, illi vero corrigantur. Nemo ergo opum et facultatum copiam persequatur. Multa hinc mala oriuntur iis, qui non attendunt, arrogantia, socordia, invidia, vana gloria, et alia multo his majora. Sed ut ab his omnibus malis liberemini, radicem excindite. Si enim ea non maneat, mala germina non pullulant. Et ideo hæc dicta sunt, non solum ut audiamus, sed etiam ut corrigamur, et multam in Christo Jesu virtutem exhibeamus, cui gloria et imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM X.

In finem David[1]. «Alius,» Triumphalis David. «Alius,» Victoriæ auctori.

I. «In Domino confido[2], quomodo dicetis animæ meæ: »Transmigra in montes sicut passer[3]?» Alius, «Transi in »montes sicut passer.» Alius, «Transmovere. Quoniam »ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas »suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde[4].» Alius. «Quasi in caligine. Quoniam, quæ tu perfecisti des»truxerunt[5].» Alius, «Quoniam leges dissolutæ sunt.» Alius, «Quoniam doctrinæ conterentur.» Magnæ sunt vires spei in Dominum, præsidium, quod non potest superari, portus tranquillus, turris, quæ nequit expugnari, arma insuperabilia, vires invictæ, et quæ in rebus difficillimis et impeditissimis exitum inveniunt. Per eam, inermes armatos, et mulieres viros superaverunt, et pueri iis, qui in rebus bellicis exercitati fuerant, facile superiores fuere. Quid mirum autem si hostes vicerunt, quando ipsum quoque mundum superarunt? Elementa enim propriam ignorantia naturam, ad id, quod erat illis utile, mutata sunt, et feræ non erant amplius feræ, nec fornax, fornax[6]. Omnia enim commutat spes in Deum. Dentes erant acuti, et arctus carcer, naturæ immanitas, et fames naturam irritans[7]:

[1] Psal. x, 1. — [2] Vide D. Guillon, tom. xv, pag. 221-228. — [3] Psal. x, 2. — [4] Ibid, 3. — [5] Ibid. 4. — [6] Dan. iii. — [7] Id. vi, 23.

nusquam autem erat quod eas arceret septum, et ora Prophetæ corpori erant proxima; sed spes in Deum, quæ est quovis freno potentior, in ora earum irruens, eas retro trahebat. Eadem ipse quoque philosophatus, dicebat iis, qui eum jubebant effugere, et ex locorum tutela sibi salutem parare: « In Domino confido, quomodo dicetis animæ » meæ? » Quid dicis? Eum, qui est orbis terræ Dominus, habeo adjutorem; eum, qui ubique omnia facile peragit, habeo ducem, et a partibus meis stantem, et me mittis ad terram inhabitabilem, et ex solitudine cautionem comparas? Majus-ne fuerit ex solitudine auxilium, quam ex eo, qui omnia potest quam facillime? Quid me probe armatum, tanquam nudum et inermem ad fugam incitas, et transmigrare jubes? Ergo-ne eum quidem, qui habet exercitum, murisque et armis munitus est, non juberes fugere in desertum, sed videreris ridiculus esse si hæc consuleres; eum autem, qui habet secum orbis terræ Dominum exterminas, et mittis in exilium, et jubes transmigrare propter bellum, quod peccatores inferunt? Cum his enim, quæ dicta sunt, hæc etiam alia causa est, cur non fugiam. Quando enim Deus fert auxilium, et peccatores sunt ii, qui bellum gerunt, quomodo non longe est omnium stultissimus, qui jubet imitari avium timiditatem? Non consideras quomodo exercitus, qui contra me stat in acie, est vilior aranea? Si enim imperatoris terreni inimicus, ubicumque fuerit, in periculo vivit, timet, et contremiscit: multo magis Dei universorum. Quocumque enim venerit, omnes habet inimicos, atque adeo ipsam etiam creaturam [1]. Quemadmodum enim amicos ejus et elementa et bestiæ metuunt, et omnis creatura reveretur: ita inimicum et hostem bello petunt et execrantur vel ipsa etiam insensibilia. Et ideo illos quidem prius, quam vel terram tangerent, feræ con-

[1] Sap. v, 18.

fecerunt, hos vero ignis consumpsit. At habent arcus et pharetram, et eis parata sunt omnia: « Pararunt enim, in- » quit, ea in pharetra; » sed nullæ sunt eorum vires, nec eos propterea timemus. Nam neque si viderem quempiam, qui haberet arcum solutum, timerem. Quid enim juvant arma, si non sit virtus? Nec hic ergo, si non adsit Dei benevolentia. At dolos struunt, et non recta aggrediuntur; propterea eos maxime rideo, quod sagittent in tenebris. Nihil enim imbecillius viro, qui struit insidias. Non opus habet ut armis aliorum capiatur: sed cadit manu propria, et sua ipsius fraude evertitur. Quid ergo possit esse eo imbecillius, quando capitur a propriis machinationibus? Cum his autem possumus etiam aliud dicere, eos non solum bellum gerere adversus eos, quibus Deus fert auxilium, idque cum dolo, sed etiam adversus innocentes, et qui ipsos nulla affecerunt injuria. Hoc autem eos non parum reddit imbecillos. Quemadmodum enim qui adversus stimulos calcitrant, illos quidem non lædunt, sed suos pedes cruentant: ita hi etiam. Cum his autem alia quoque causa est, quæ belli eorum vires frangit. Quænam autem ea est? « Quoniam quæ perfecisti, inquit, destruxerunt [1]. » Quod autem dicit, est ejusmodi: « Tecum bellum gerunt et præliantur, legem tuam et præcepta tua destruentes. Præcepta enim tua eaque perfecta conantur destruere. » Vel hoc dicit, vel quod etiam sint legis transgressores. Jam vero hoc quoque est non parvum argumentum imbecillitatis, quod qui tua præcepta non custodierunt, in bellum proficiscuntur. Propterea enim et cum rectis bellum gerunt, et dolos struunt, quoniam tua præcepta non audiunt.

II. Postquam igitur narravit hostium imbecillitatem, eamque ostendit non ex iis ex quibus alii, sed ex iis, quæ sibi conveniebant (non enim dixit, « Pecunias non habent,

[1] Psal. x, 4.

non præsidia, nec socios, nec urbes, nec quod sint rei militaris imperiti,» sed his omnibus prætermissis et repudiatis, ut quæ nihil essent, cum dixisset eos esse iniquos, et bellum gerere cum iis, qui nullam fecerant injuriam, ac quæ Dei sunt destruere); narrat deinceps Justorum aciem, ex eo ostendens quam sint hostes expugnatu faciles. Ita nos etiam quis sit potens, et quis imbecillus, examinemus, sed non propter ea maxime timeamus, propter quæ timent homines ridiculi. Quid enim dicunt? « Est terribilis, improbus, ingenti pecunia et opibus pollens. » Propterea eum maxime rideo. Hæc enim sunt genera imbecillitatis. « At scit, inquit, tendere insidias. » Rursus mihi aliud dicis genus imbecillitatis. Quid est ergo in causa quod multi, qui tales sunt, vincant? Quoniam tu recte pugnare nescis. Quoniam tu quoque te eis decertas, ex quibus illi fiunt imbecilliores, nempe de gloria et de potentia. Fuge causam certaminis, et alio modo feri eos, qui te invadunt, arrogantem moderatione ac lenitate, avarum paupertate, incontinentem continentia, invidum humanitate: et ita eos facile vinces. Sed sicut prius dixi, dum narrarem imbecillitatem hostium, vide quomodo Justi quoque dicit armaturam. Subjungit enim: «Justus autem quid fecit[1]?» Hoc dicit: « Cum illi sic instruerent aciem, quæris undenam se Justus armaverit?» Audi: « Dominus in templo sancto suo: » Dominus in cœlo sedes ejus[2]. » Vides quam paucis ejus narravit auxilium. Quid fecerit rogas? Ad Dominum confugit, qui est in cœlis, qui est ubique præsens. Non arcum intendit, nec pharetram paravit sicut ille, nec aciem instruxit in occulto: sed, his omnibus missis, spem in Deum contra omnes objecit, et eum illis opposuit, qui nullo horum indiget, non loco, non tempore, non armis, non pecuniis, sed solo nutu omnia peragit. Vidisti inex-

[1] Psal. x, 4. — [2] Ibid. 5.

pugnabile, expeditumque et facile auxilium? « Oculi ejus » in pauperem respiciunt, palpebræ ejus interrogant filios » hominum. Dominus interrogat Justum et impium. Qui » autem diligit iniquitatem, odit animam suam[1]. » Alius, « Palpebræ ejus probant. » Alius, « Dominus justus exami- » nator. » Alius, « Justum probat et impium, et eum, qui » amat injusta, odit anima ejus. » Alius, « Qui amat injusti- » tiam, odio habet animam suam. » Vidisti paratum adjutorem, promptum opitulatorem, ubique præsentem, omnia videntem, omnia respicientem : cujus hoc maxime munus est, etsi nullus eum roget, providere, curam gerere; eos, qui injuriam faciunt, prohibere; iis, quibus fit injuria, succurrere; illorum recte facta remunerare, his pro peccatis supplicia infligere? Nihil ergo ignorat; « Oculi enim ejus orbem terræ respiciunt[2]. » Non solum autem hoc, sed etiam ea vult corrigere. Et ideo alius quoque ipsum significans dicebat : « Justus. » Si enim justus, non inducet in animum ut hæc temere fieri permittat. Aversatur malos, laudat Justos. Deinde quod in priori Psalmo dicebat, ostendens satis esse vitium ad ipsos consumendos, hoc hic etiam significans subjunxit : « Qui autem amat injustitiam, odit » animam suam[3]. » Est enim animæ inimicum vitium, infestum, et perniciosum. Quare vel ante supplicium dat pœnas improbus. Vidisti quomodo undique ostendit adversarios facile capi posse, cum et talem habeat adjutorem, et a propriis illi armis vincantur, per quæ muniuntur, per ea se consumentes, et seipsos lædentes? Vidisti auxilii facilitatem? Neque enim aliquo eumdem, nec currendum est, nec consumendæ pecuniæ, cum Deus sit ubique præsens, et omnia videat. « Pluet super peccatores laqueos; » ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis » eorum. Quoniam justus Dominus, et justitias dilexit,

[1] Psal. x, 5, 6. — [2] Ibid. — [3] Ibid.

» æquitatem vidit vultus ejus [1]. » Alius, « Pluet super iniquos » carbones. » Alius, « Rectitudines videbit vultus eorum, » hoc est, Justorum, vel etiam ipsius Dei. Postquam dixit supplicium, quod ex vitio oritur, quoniam multi id contemnunt, ex plaga, quæ superne infertur, mentem deinceps improborum concutit, emphatica et rem exprimente oratione utens, et per nomina terribilia procedens. Ignem enim, et sulphur, et spiritum procellarum, et carbones, inquit, superne pluet, dictionum translatione pœnam inevitabilem, supplicii diversitatem, feriendi facilitatem, et consumendi vim volens ostendere.

III. Quid est, « Pars calicis eorum? » Hæc, inquit, est sors eorum, hæc possessio : in eo versabuntur, in eo consumentur. Deinde causam quoque affert, quod qui omnia respicit, non permittat ut hæc impune abeant. Quod alius etiam dicit Propheta : « Purus oculus tuus, ne videat mala, » et super labores respicere non poteris [2]. » Hoc quoque ostendit hic dicens : « Quoniam justus Dominus, et justitias » dilexit. » Hoc Dei est eximium, quæ justa sunt admittere, æquitatem amplecti : nec quæ aliter fiunt, unquam sustinuerit. Propterea Psalmum incipiens, dicebat : « In Do» mino confido, quomodo dicitur animæ meæ : Transmigra » in montes sicut passer? » Qui enim in rebus terrenis, et iis, quæ ad hanc vitam pertinent, confidunt, nihilo melius afficiuntur quam passer, qui, fidens solitudini, facile capi potest ab omnibus. Talis est qui sperat in pecuniis : quemadmodum passer et a pueris, et a visco capitur, a laqueis, et ab aliis innumerabilibus : ita etiam qui est dives, et suorum, et hostium petitur insidiis; et in majore quam ille versatur periculo, ut qui multos habeat, qui viscum adhibent; et ante illos, malas cupiditates, estque semper trans-

[1] Psal. x, 7, 8. — [2] Habac. 1, 13.

migrator, semper tempori serviens, et lictorum iras pertimescens, et imperatoris indignationem, et adulatorum insidias, et fraudes amicorum; et cum hostes irruerint, plus quam omnes contremiscit; et cum est pax, suspicatur insidiatores : neque enim habet divitias stabiles, et quæ auferri nequeunt : ideo semper volat et transmigrat, montes et deserta persequens, versans in caligine, et in meridie crassas habens tenebras, dolosque struens. Sed non talis est Justus. « Viæ enim Justorum resplendent instar lucis [1] : » neque enim insidias parare, neque injuriam facere constituunt, sed quietum habent animum. Illi autem dolos semper struentes, semper sunt in metu et in tenebris, sicut latrones, murorum perfossores, et adulteri ; interdiu vident tenebras, cum sit eorum anima timore conturbata. Quomodo ergo possunt hæ discuti tenebræ? si te ab his omnibus sejunxeris, et a Dei spe pependeris, etsi sis millies peccator. « Respicite enim, inquit, ad antiquas generationes, et videte quis speravit in Dominum, et confusus » est [2]?» Non dixit: « Justus :» sed quis ? «Etsi sit, inquit, peccator.» Hoc enim admirabile, quod etiam peccatores ancoram hanc tenentes, sunt omnibus inexpugnabiles. Hoc est enim maxime in Deum affectionis, quando tot malis oppressus, in ejus benignitate habueris fiduciam. Sicut enim maledictus est qui sperat in homine [3], ita etiam beatus est qui sperat in Deo. Ab omnibus ergo te sejungens, hanc tene ancoram. Deus enim omnia intuetur, juste judicat, et non solum judicat, sed etiam ad opus deducit : et ideo postquam dixit de ejus justitia, ostendit etiam supplicium per ignem, per procellam. Hoc autem facit illorum curam gerens, et per supplicium reddens modestiores. Omnibus ergo de causis ad eum accedamus, et perpetuo ad eum respiciamus. Ita enim etiam omnia bona consequemur in

[1] Prov. IV, 18. — [2] Eccli. II, 11. — [3] Jer. XVII, 5.

Christo Jesu Domino nostro, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM XI.

In finem pro octava. *Alius*, Victoriæ auctori pro octava. *Hebræus autem* « Aseminith » *inquit.*

Salvum me fac, Domine, quoniam defecit Sanctus : quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum [1]. *Alius*, Quoniam terminati sunt fideles a filiis hominum.

I. Ardua quidem res est virtus, et per se difficilis, maxime autem quando qui operatur, cum magna bonorum virorum paucitate versatur. Sicut enim iter agenti labor est, multo magis autem si solus sit viator, et sine viæ comite : ita hic etiam. Non parva enim res est fratrum societas, et adhortatio. Et ideo dicit etiam Paulus : « Considerantes » vos ipsos ad provocationem dilectionis et bonorum ope» rum [2]. » Et ideo sunt vel maxime beati judicandi veteres, non quod recte et ex virtute se gesserint, sed quod tum, cum magna esset virtutis sterilitas, et nusquam apparerent qui se recte gererent. Hoc ergo significans quoque Scriptura dicebat : « Noë justus, perfectus in generatione sua [3]. » Propterea admiramur Abraham, propterea Lot, propterea Mosem, quod veluti in profunda nocte stellæ apparerent, et tanquam rosæ inter spinas, et oves inter lupos innume-

[1] Psal. xi, 1, 2. — [2] Hebr. x, 24. — [3] Gen. vi, 9.

rabiles, ut qui viam omnibus contrariam ingrederentur, cœptumque iter minime interrumperent. Si hoc ipsum enim est difficile in multitudine, qui multis contrarium iter ingredientibus ipse solus contra tendit, magnis afficitur molestiis; et si in navigatione est difficile, cum fluctus et æstus contra feratur, navem in contrarium dirigere, multo magis in virtute. Propterea hic quoque Justus, ut qui solus eam apprehendisset, cæteris contra tendentibus, confugit ad Dei providentiam, dicens : « Salvum me fac, » Domine. » Nihil ergo hic aliud quam hoc significat : « Superna mihi manu opus est, cœlesti ope, et illo divino auxilio. Cum enim viam ingrediar omnibus contrariam, magna mihi opus est providentia. » Et non dixit : « Salvum me fac, quoniam non est sanctus: » sed, « Quoniam defecit Sanctus, » ostendens eos etiam qui erant, periisse, postquam invaluit vitium, et morbus superior factus est. Hoc Paulus quoque timet dicens : « Nescitis quod parum fermenti totam massam fermentat [1] ? » Et rursus : « Corrumpunt bonos mores » colloquia prava [2]. » Quid est autem, « Diminutæ sunt veritates? » Multæ sunt veritates. Quemadmodum in coloribus et aliis generibus alia quidem sunt vera, alia falsa, et est purpura vera, et purpura falsa, et in croco, in lapidibus, in aromatibus, et aliis ejusmodi : ita etiam in virtutibus. Veritas enim est quod vere est : mendacium autem quod non est. Quoniam ergo hæc inversa et obscurata fuerant, non quod suam perdidissent substantiam, sed quod ab hominibus de medio sublata fuissent, propterea non dixit solum : « Diminutæ sunt, » sed adjecit, « A filiis hominum, » hoc ipsum volens significare. Considera autem. Est ornatus verus, est etiam falsus. Quis est ergo verus ornatus? qui est in anima. Qui est autem falsus? qui est in corpore. Sunt divitiæ veræ, sunt etiam falsæ. Falsæ, pecu-

[1] 1 Cor. v, 6. — [2] Id. xv, 33.

niarum : veræ, recte factorum. Est lætitia hæc quidem vera, illa vero falsa, item pulchritudines, potentiæ, et gloria. Sed maxima pars hominum, horum veritate relicta, quæ falsa sunt persequitur : sicut enim est homo verus et falsus; verus quidem, qui vivit et operatur; falsus autem qui pictus est : ita etiam videre possumus in virtutibus. « Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum. Labia » dolosa in corde, et corde locuti sunt mala [1]. » Alius dixit: « In corde alio et alio loquitur. » Duo hic dicit vitia, et quod vana locuti sint, et quod proximo suo. Vel ea, quæ falsa sunt, dicit vana, vel ea quæ sunt superflua et inutilia. Tale quid etiam dicit Paulus : « Ne mentimini ad invicem [2]; et quod est omnium gravissimum, omnes erant corrupti. Et ideo non dixit: « Hic, vel ille, » sed, « Unusquisque. » Neque enim erat tantum vitium, quod nataret in superficie : sed erat in profundo, et in corde. « In corde et in corde : » quod alius interpres dixit : « In corde alio et alio : » docens esse magnam in corde duplicitatem. Hoc est omnibus hostibus acerbius. Illi enim sunt aperti, unde etiam facile possunt caveri : hi vero cum aliam personam præ se ferant, et sint aliud, ab iis quibus tendunt insidias non facile deprehenduntur, multo graviores iis qui gladios abscondunt. « Dis- » perdet Dominus universa labia dolosa, et linguam magni- » loquam. Qui dixerunt : Linguam nostram magnificabi- » mus. » Alius, « Dominabimur. Labia nostra apud nos » sunt. » Alius, « Adsunt nobiscum. Quis noster Dominus » est [3] ? » Alius, « Quis nostri dominabitur ? » Vidisti quomodo eorum curam gerit Propheta, quomodo pro eis orat? Neque enim contra ipsos est, id quod dictum est, sed pro ipsis. Neque enim oravit ut perderentur, sed ut eorum vitium de medio tolleretur. Non dixit enim: « Perdet ipsos Dominus, » sed « Labia dolosa. »

[1] Psal. xi, 3. — [2] Colos. iii, 9. — [3] Psal. xi, 4, 5.

II. Et rursus, non substantiam, sed linguam, arrogantiam, fraudem vult auferri, superbiam excindi. Irridens autem eorum stultitiam, dicit : « Labia nostra apud nos » sunt. Quis noster Dominus est ? » Insanorum et mente captorum verba. Et ideo Paulus secus quam ii loquens, suadet : « Non estis vestri, pretio empti estis [1] : » et jubet eos non sibi ipsis vivere. Non sunt tua labia, sed Domini. Ipse enim ea fecit, ipse construxit, ipse vitam inspiravit. At tu habes. Sed non omnia quæ habemus, nostra sunt. Pecunias enim habemus, quas alii apud nos deposuerunt ; et agros conductos habemus, quos alii nobis dederunt. Ita hæc etiam tibi locavit Christus, non ut feras spinas, sed ut convertas semina ad id quod est utile ; non ut arrogantiam, non ut dolum, sed ut humilitatem, et laudem, ac benedictionem, dilectionemque per ea germinare cures. Et dedit oculos, non ut impudice aspicias, sed ut ipsos ornes temperantia : et manus, non ut ferias, sed ut eleemosynam largiaris. Quomodo autem dicis : « Labia nostra sunt apud nos, » quando ea peccati serva feceris, quando fornicationis, quando immunditiæ ? « Quis est noster Dominus ? » O verbum diabolicum ! O animam dæmoniacam ! Vides, o homo, universam creaturam prædicare Domini tui potentiam, sapientiam, curam, providentiam : corpus tuum, animam, vitam, quæ sub aspectum cadunt, et quæ non cadunt, omnia propemodum vocem emittentia laudare potentiam Artificis, et dicis : « Quis Dominus noster est ? » Hoc est furoris, hoc stuporis, hoc corrupti animi. Propterea sunt mala innumerabilia. Sed hi quidem dicunt : « Qui est noster Do- » minus ? » Alii Dominum quidem confitentur, judicium autem et pœnas propositas auferunt, brevi jucunditate magnum sibi ementes supplicium, et dum volunt se recreare, quod gehennæ non meminerint, per hanc securitatem me-

[1] 1 Cor. VI, 20.

tusque vacuitatem in magnum interitus se barathrum imprudentes immittunt. Et ideo rogo ut gehennæ memineris, de gehenna loquaris : ita animam tuam compone, pulchramque ac decoram effice. Magna enim horum verborum utilitas. Non enim Deus eam temere minatus est, atque manifestam hinc reddidit, sed id fecit ut metu meliores redderet. Et ideo diabolus omnia facit et molitur, ejus volens auferre memoriam. Noli eam e memoria ejicere : nec dicas : « Cur me importuna afficiam tristitia? » Importuna erit tristitia, quando angeris in gehenna. Hoc est tempus tristitiæ, non illud : et hoc ostendit ille Lazarum despiciens dives, cui nihil profuerunt innumerabiles, quibus afficiebatur, molestiæ [1]. Si autem in tempore doluisset, non ea passus esset, quæ passus est. « Propter miseriam inopum, » et gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus. Po» nam in salutari, fiducialiter agam in ipso [2]. » Alius, « Sta» tuam salutare conspicuum. » Disce quanta sit virtus humilitatis. Pauperum est potentia; pauperum, inquam, eorum, qui sunt contriti corde, est in malis patrocinium. Non enim vitam, nec virtutem, sed malorum perpessionem dicit Deum excitare, et eum ad supplicium et vindictam evocare. Tanta res est, si tibi fiat injuria, eam ferre forti animo; tantam Deus curam gerit eorum qui afficiuntur contumeliis : maximæ defensionis loco est calamitas, et ærumna. Magna est vis ejulatus, quæ supernum evocat auxilium. Timete, quicumque pauperes injuria afficitis. Habetis vos potentiam, opes, pecuniam, et judicum benevolentiam : sed habent illi arma omnium validissima, luctus et ejulatus, ipsasque injurias, quæ e cœlis auxilium attrahunt. Hæc arma domos effodiunt, hæc fundamenta evertunt, hæc civitates destruunt, hæc integras gentes sub mergunt; gemitus dico eorum, qui afficiuntur injuria. Bo-

[1] Luc. xvi, 25. — [2] Psal. xi, 6.

num eorum animum Deus reveretur, quando mala patientes, nullum malum verbum proferunt, sed tantum gemunt, et sua mala deplorant. Quid est autem, « Ponam in salutari, » fiducialiter agam in ipso ? » Cum fiducia, inquit, aperte et manifeste eos defendam, ut omnes intelligant. Et quandonam non conservat eos palam et manifeste? Nonnunquam id facit non manifeste, sed clam : neque enim opus habet ea, quæ est ab hominibus, gloria. Nunc autem quoniam verisimile erat inimicos irruere, eisque insultare, et exprobrare quod Deum non haberent adjutorem : ut illi quoque emendarentur et meliores fierent, cum experientia didicissent Domini auxilium : aperte, inquit, faciam pro eis salutem. « Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne » examinatum, probatum terræ [1].» Et quomodo sunt hæc ex iis, quæ dicta sunt, consequentia? pulchre admodum. Ne hæc enim, inquit, existimetis temere dicta esse, inanesque et supervacaneas esse minas. Sunt enim pura ejus verba, a mendacio libera. Quemadmodum enim argentum ignitum nihil habet alienum et adulterinum; ita etiam Dei verba, quæ dixerit, omnino evenire oportet. Et ideo dicit: « Argentum igne examinatum, probatum terræ. » Alius, « Ignitum, cedens terræ. » Hebræus autem pro eo quod est, cedens terræ, dixit : « Baalil laares, » hoc est, fusum, in terram fluens, « Purgatum septuplum. »

III. Vidisti quomodo quod verum est, et a mendacio alienum, per similitudinem materiæ ostenderit? Quemadmodum enim illud fusum, ignitum, et hoc sæpe passum, est ab aliena materia alienum, accuratissime purgatum : ita etiam Dei prolata sententia. « Tu, Domine, servabis nos, » et custodies nos ab hac generatione et in sæculum [2]. » Alius, « Custodies ipsos. » Alius, « Custodies ipsa, et con» servabis nos ab hac generatione et in sæculum. » Alius,

[1] Psal. xi, 7. — [2] Ibid. 8.

» Cum generatione, quæ est in sæculum. In circuitu impii » ambulant. » Alius, « Ambulabunt. » Alius, « In circuitu » impiorum ambulabunt. Secundum altitudinem tuam mul- » tiplicasti filios hominum [1]. » Alius, « Quando exaltati fue- » rint viles filiorum hominum. » Alius, « Secundum altitu- » dinem parvo empti filiis hominum. » Hebræus autem, « Charm zolloth lebne Adam. Tu, Domine, custodies nos, » et conservabis nos. » Vide eum frequenter, imo vero as- sidue ad Deum confugere, et ab eo auxilium petere : est enim potentissimum auxilium, quod nullo tempore inter- rumpitur. Nulla re, inquit, humana opus habemus. Tu enim es, inquit, qui perpetuo custodis. Quid est autem, « In circuitu impii ambulant? » Secundum Septuaginta quidem ita dicendum est : « Etiamsi impii nos circumcirca obsideant, nihil grave patiemur; nos enim conservas, et extollis, clarosque et illustres reddis. » Si alium autem in- terpretem sequamur, hoc dicendum est; « Impii extruden- tur, quando viles ex filiis hominum exaltaveris. Hoc est, quando nos, qui viles reputamur et contempti, humiliatos gloria affeceris, sejunges ipsos et expelles. » Quid est au- tem, « Secundum altitudinem tuam? » Pro eo quod est, « Similes tui effecisti, quatenus fieri potest ut homo sit simi- lis : « Faciamus enim, inquit, hominem ad imaginem et » similitudinem nostram [2]. » Quod ipse enim est in cœlo, hoc nos in terra : et quemadmodum superne nullus est eo superior, ita nullus in terra est huic animali virtute similis. « Estote, inquit, similes Patris vestri, qui est in cœlis [3]. » Quinetiam nominis quoque sui nos fecit participes : « Ego » dixi, inquit : Dii estis, et filii Excelsi omnes [4]. » Et rursus, « Constitui te Deum Pharaonis [5] : » et fecit ut esset opifex corporeorum et incorporeorum. Et tunc quidem mutat

[1] Psal. xi, 9. — [2] Gen. i, 26. — [3] Matth. v, 45. — [4] Psal. lxxxi, 6. — [5] Exod. vii, 1.

Moses creaturam, nunc autem alii alia elementa : nobis vero præcepit nos ipsos Deo templum extruere. Etsi ergo non fabriceris cœlum, Dei tamen templum fabricaris [1]. Propterea enim cœlum quoque est splendidum, quoniam habet Deum in ipso habitantem : imo vero et per Christum, « Conresuscitavit enim, et nos consedere fecit in » dextris in cœlis [2], » et dedit ut majora faceremus iis, quæ ipse fecit. « Signa enim, inquit, quæ ego facio, ipse quoque » faciet, et majora his faciet [3]. » Et in Veteri Testamento hic quidem mare mutavit [4] : ille vero solem frenavit : alius lunam jussit manere [5] : alius rursus in se radios avertit [6] : pueri autem in fornace elementi operationem alligarunt, et flamma insaniens silebat, et alligata sibilabat [7]. Norunt etiam feræ revereri Dei amicos [8] : et licet fames urgeat, modestiores tamen fiunt. Qui sunt gulæ dediti, revereantur ferarum abstinentiam. Leones viderunt Danielem, et moderatiores effecti sunt : nos venientem ad nos Filium Dei videntes, sapientiores non reddimur. Maluerunt illi fame perire, quam sanctum corpus tangere : nos nudum Christum et fame confectum circuire videntes, ne ea quidem quæ sunt supervacanea dimittimus, sed in summa rerum affluentia viventes, Sanctos despicimus. Terra rursus alii Dei amico tanta dona ex suo sinu protulit, et tantam fertilitatem, quantam nunquam antea [9]. Et quid miraris si ipsi erant venerabiles, cum vestes eorum, et umbræ dæmonibus, morti et morbis essent formidabiles [10]? Quinetiam Angeli quoque reveriti sunt, et insigniter honorarunt homines [11]. Quidni enim honorarent, quos ipse Dominus honorabat? Hoc autem videri potest et in Novo et in Veteri

[1] 1 Cor. VI, 19. — [2] Ephes. II, 6. — [3] Joan. XIV, 12. — [4] Exod. XIV, 21. — [5] Jos. X, 12. — [6] 4 Reg. XX, 11. — [7] Dan. III, 23. — [8] Id. VI, 22. — [9] Job. XLII, 10. — [10] Act. V, 15, et XIX, 11. — [11] Gen. XVIII, 9.

Testamento. Et ideo dicit : « Secundum altitudinem tuam » multiplicasti filios hominum. » Cum ergo consideraverimus honoris magnitudinem, quam par est præbeamus pro ea remunerationem, ne nobis habitus honor insignis, sit nobis viaticum futuri supplicii : a quo utinam liberemur omnes et qui docemus ista et qui discimus, in Christo Jesu Domino nostro, quem decet omnis gloria, honor et adoratio in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM XII.

In finem Psalmus David. *Alius,* Pro victoria canticum David. *Alius,* In victoriam.

Usquequo Domine oblivisceris me in finem? *Alius,* Oblivisceris me penitus. Usquequo avertis faciem tuam a me? *Alius,* Abscondis.

Quandiu ponam consilia in anima mea? *Alius,* Statuam sententias. Dolores in corde meo per diem et noctem. *Alius,* sollicitudinem in cogitatione mea per diem [1].

I. Non est hoc parvum bonum, sentire Dei oblivionem[2]. Oblivionem autem ne existimes esse affectum, sed derelictionem. Multi certe, quibus hoc accidit, hoc ipsum neque norunt, neque deflent. Hic autem Beatus non solum hoc noverat, sed tempus etiam animo reputabat. Illud

[1] Psal. XII, 1, 2. — [2] Vide D. Guillon, tom. XV, pag. 246-251.

enim, « Usquequo, » est ejus qui magnum tempus ostendit : et ideo deflet ac luget. Tu autem considera quomodo de nulla re terrena, et quæ ad hanc vitam pertineat, angatur, non de pecuniis, non de gloria, sed ubique de Dei benevolentia. Et undenam novit, inquies, Deum esse sui oblitum? Quoniam noverat etiam quando meminerat, et aperte sciebat quid sit oblivio, quid memoria. Non quemadmodum vulgus hominum quando sunt divites; quando apud homines gloriam assequuntur, quando eis omnia feliciter succedunt, quando vincunt inimicos, tunc existimant Deum eorum meminisse; et ideo nec sciunt, quando Deus eorum obliviscatur. Qui enim signum memoriæ nesciunt, nec norunt etiam signum oblivionis. Si enim non norunt signa amicitiæ, nec inimicitiarum etiam signa norunt. Multorum enim, qui hæc habent, Deus obliviscitur, atque adeo eorum maxime : eorum autem, qui in rebus adversis versantur, sæpe meminit. Nihil enim apud Deum æque memoriam parit, atque boni aliquid facere, quam esse sobrium ac vigilantem, virtutis curam gerere : quemadmodum nihil æque oblivionis causa est, ut esse in peccatis, avaritiæque et rapinæ esse deditum. Et tu ergo, o dilecte, quando in aliqua fueris calamitate, ne dicas : « Deus mei oblitus est : » sed quando fueris in peccatis, et omnia tibi feliciter succedunt. Si hoc enim cognoveris, a rebus malis agendis cito recedes. « Usquequo avertis faciem tuam a me? » Hoc est maxima oblivio : ex humanis enim figuris ostendit Dei operationes, et ejus iram et ultionem exprimit. Deus autem rursus faciem suam avertit, quando facimus quæ sunt indigna ejus præceptis. « Quando enim extendetis, inquit, » manus vestras, avertam oculos meos a vobis [1]. » Deinde causa subjungitur : « Manus enim vestræ sanguine plenæ » sunt [2]. » Hæc ipsa autem derelictio, et vultus aversio,

[1] Isaï. i, 15. — [2] Ibid.

magnæ est curæ ac providentiæ. Hoc autem facit, ut nos ad se vehementius attrahat. Nam etiam is, qui est insano amore captus, eum, qui amatur, contemnentem dimittit ac derelinquit, non animo quidem expellens, sed ipsum volens ad se convertere, et sibi conjungere. Postquam autem dixit aversionem, dicit etiam oblivionem, et quæ sibi ex ea evenerunt. Quænam autem ea sunt? Ea quæ subjungit, dicens : « Quandiu ponam consilia in anima mea? » Quemadmodum enim qui e portu egressus est, ubique vagatur, et qui luce privatus est, in multis offendit, ita etiam qui in Dei oblivionem incidit, curis, sollicitudinibus, ac doloribus perpetuo angitur. Hoc autem non parum confert ad Deum convertendum ad se, curis et sollicitudinibus angi, doloreque et tristitia extabescere, aversionis illius rationem ducere. Quod etiam Paulus scribens ad Corinthios dicit de seipso : « Et quis est qui me lætitia afficiat, » nisi qui ex me tristitia afficitur [1] ? » Hoc enim non parum lucri est, o dilecte, sentire Dei aversionem, dolere, tristitia affici. Ita enim ipsum ad nos celeriter convertemus. « Us- » quequo exaltabitur inimicus meus super me? Respice, » exaudi me, Domine Deus meus. Illumina oculos meos, ne » unquam obdormiam in morte [2]. » Quemadmodum enim cum retinet ac defendit nos Deus, et stat a nobis, quæ molestiam afferunt longe recedunt : ita etiam cum recessit et oblitus est, anima discerpitur, ac cor dolore angitur, et qui vexant insultant, suntque omnia scopuli ac præcipitia. Hæc autem utiliter permittuntur, ut per omnia stimulati qui sunt socordiores, majori studio redeant eo, unde exciderunt. « Erudiet enim, inquit, te defectio tua, et vitium » tuum te redarguet [3]; » Dei itaque derelictio est species providentiæ. Quando enim qui providet, et curam gerit, contemnitur, parumper dimittit et derelinquit, ut tunc ex-

[1] 2 Cor. II, 2. — [2] Psal. XII, 3, 4. — [3] Jer. II, 19.

pulsa socordia, negligentes fiant diligentiores. « Respice, inquit, vide inimicum meum, qui exaltatur supra me : et si non propter meam miseriam, saltem propter illius arrogantiam et superbiam exaudi me. » Et quid petis? Ut vincas inimicos? Non hoc dicis, sed ut illuminentur oculi cordis, ut expellantur tenebræ, quæ sunt offusæ perspicaci animæ facultati, et intelligentiæ oculum obscurarunt. Hoc peto, « Illumina oculos meos. Nequando dicat inimicus meus, » cum me viderit deturbatum ad mortem peccati : « Ita præ- » valui adversus eum [1]. » Ipsum superavi, quod volebam videre, hoc mihi accidit. Quid est, « Prævalui adversus » eum? » Etsi per se non est fortis, contra me quidem certe est fortis. Nostra clades ei affert vires, eumque reddit potentem et validum, et inexpugnabilem.

II. Vides nos, quando peccamus, non solum nos ipsos dedecore afficere, perdere, ad mortem deducere, sed eo quod victi sumus, inimicos nostros validos potentesque prædicare : nec hoc solum, sed etiam eos in magna lætitia et exultatione collocare. Papæ! quantæ est stultitiæ, quanti stuporis, adversariis adversus seipsos ferre auxilium, et iis, qui animam nostram excruciant et affligunt, lætitiæ causam et exultationis afferre! Vide quot absurda. Cum inimicum vincere oporteret, « Imbecillæ enim factæ sunt » ejus frameæ in finem, » et « Periit impius [2] : » cum, inquam, vincere oporteret, vincimur; nec id solum, sed etiam validum ac potentem reddimus : nec eo usque sistit dementia et extremus morbus noster, sed quæ ei etiam lætitiam et exultationem afferant, comparamus. Revera est extrema ebrietas, et summum malum peccatum. « Exultabunt si motus fuero [3]. » Tres causas affert Propheta, ut Dominum moveat exoretque, ut respiciat, et faciem suam convertat, et ejus orationem exaudiat : vires inimi-

[1] Psal. xii, 5. — [2] Id. ix, 7. — [3] Id. xii, 5.

corum, et ante id erectionem et exaltationem eorum : tertium, lætitiam et exultationem ipsorum, propemodum dicens : « Si non propter meam orationem, nec propter meam miseriam convertis ad me faciem tuam, Domine; saltem propter inimicorum arrogantiam, eo quod suas vires ostentant, et sibi valde placent : quoniam meis malis lætantur, et casum meum irrident. « Exaudi me, illumina oculos » meos. » Aufer gravem somnum in peccatis meis : quo sopitus propemodum ad animæ mortem dormitando deductus sum. Si enim a securitate tua tantum emotus fuero, eis lætitia, gloria, et virtus hoc esse existimatur : hoc nomine se jactant, et sibi valde placent; suntque intolerabiles. Si autem ad mortem fuero deductus, quid ii non fecerint? » Vides quam magnum damnum existimet Propheta, et nihilominus quam pœnam ac supplicium, communem inimicum lætitia afficere, et ut ipse potens excelsusque videatur, efficere. Si enim hæc non existimaret mala maxima et intolerabilia, non hæc proposuisset ad Deum placandum, et ad ipsius benevolentiam attrahendam. Ita etiam nos faciamus, et consideremus, et contendamus ne inimicum exaltemus, ne potentem faciamus, ne lætitia afficiamus, sed contra et humilem, et abjectum, et imbecillum, tristemque et demissum reddamus. Si enim eos, qui peccarunt, recte et ex virtute se gerere viderit, hæc omnia simul fiunt. « Ego autem in misericordia tua » speravi [1]. » Quid ergo recte fecisti ut petas? ut rursus te respiciat, ut tuam orationem exaudiat, ut tuæ mentis oculi illuminentur : undenam autem hæc tibi speras futura? Dicant quidem, inquit, alii, si quid possint dicere : ego autem unum scio, unum dico, omnem spem meam in illo colloco : illud mihi propono, misericordiam tuam, tuam clementiam. « Ego autem, inquit, in misericordia tua spe-

[1] Psal. XII, 6.

» ravi. » Vidisti Prophetæ humilitatem? Vidisti pium et gratum viri animum? Licet posset innumerabilia a se recte facta dicere, et per ea Deum exorare, eorum nihil dicit, sed ad solam confugit Dei misericordiam. Unde clarum est illum, cum hæc dicit, nempe: « Si feci illud, si retribui » mala pro bonis, » et quæ sunt hujusmodi: in magnam adductum necessitatem hæc dicere. Quæ si non adsit, nihil dicit illorum, sed misericordiam et Dei clementiam pro omni supplicatione proponit. Deinde confidens fore ut spe non frustraretur, subjunxit: « Exultabit cor meum in sa- » lutari tuo [1]. » Vidisti animam bene sperantem? Petiit, et priusquam acceperit, tanquam qui accepisset agit gratias, ac Deo canit hymnum, omniaque facit quæ præmissa sunt. Undenam autem est tam bona spe præditus? ex pio et grato animo, ex magno et vehementi studio petitionis: sciebat eum, qui sic peteret, a Deo exaudiri, ex magno cordis calore et agitatione. Quemadmodum ergo qui segniter et negligenter petunt, etiam cum acceperint, vix donationem sentiunt: ita qui intensa et vehementi animi contentione petunt, etiam priusquam acceperint, ex magna et pura sua affectione perinde ac si accepissent, donum sentiunt, divina gratia lætitiam antea immittente, et propterea agunt gratias, et ab accipiendo non longe absunt. « Exul- » tabit cor meum in salutari tuo. » Hoc, inquit, meam animam lætitia afficit, quod a te salutem assequatur: lætatur anima mea, quod ejus sis salus.

III. Vidisti exultationem, et exultationem; inimicorum exultationem propter lapsum, et exultationem animæ propter propriam salutem? Illa est improbi; hæc est eorum qui conservantur. Illa est exitium et ejus, qui videbatur exultare, et ejus, propter quod exultabat; hæc est salus et restitutio ejus, qui exultat. Hac ergo exultatione et læti-

[1] Psal. XII, 6.

tia lætemur et exultemus : illam fugiamus et aversemur. « Cantabo Domino qui bona tribuit mihi, et psallam no-» mini Domini altissimi [1]. » Monimentum, inquit, hujus beneficii canticum Domino offeram, quod me beneficio affecerit, inimicum humilem et abjectum reddiderit, ignominia impleverit, imbecillum ostenderit, meam exaudierit orationem, in me vultum suum converterit, discussa caligine et tenebris, per quas ad mortem ferebar; et propter ejus salutare exultans, tanquam aliquod monumentum indelebile, hoc canticum ejus in me beneficiorum dedico, non nunc solum hoc canens, et beneficia ejus apud me mente versans, sed etiam in posterum cantabo et psallam nomini Domini, nulla unquam oblivione delendam beneficii magnitudinem animo circumferens. Talis ergo anima malis irretita non solum a malis liberatur, sed etiam fit tutior, ut non amplius in similia incidat. Quando enim beneficium semper habet in memoria, clarum est eam malorum quoque recordari, a quibus liberata beneficium fuit consecuta. Cum autem malorum recordetur, diligenter apud se reputat undenam ea sibi evenerint, et propter quam causam in tantum malum fuerit deturbata : et deinceps id reputans, seipsam undique munit, ne in tales recidat calamitates; et ita deinceps suam vitam recte componens et instituens, ei qui liberavit magnas agit gratias : quemadmodum invenit liberatorem, ita etiam custodem in futurum habere postulans. Hanc nos quoque imitemur, et si in aliquod peccatum inciderimus, ad nos cito redeamus, et faciamus ut lapsus sit causa securitatis, et occasio non amplius peccandi. Quomodo ergo facies? Habes David præceptorem. Peccavisti? ne dormias in peccato, sed exurge, et statim apud te cogita Deum a te faciem avertisse, tui oblitum esse; deinde plora, ingemisce, lava per sin-

[1] Psal. XII, 6.

gulas noctes lectum tuum lacrymis, cito recede ab iis, qui operantur iniquitatem. Nam hæc quoque sunt Davidis præcepta. Dic cum ipso : « Usquequo, Domine, oblivisceris me » in finem? Usquequo avertis faciem tuam a me? » Dic non lingua, sed corde multo ante. Dic alias David quoque rationes. Quando dixeris omnia, spera in misericordia ejus, spera, ne hæsitaveris. « Qui enim hæsitat, inquit, est similis » undæ maris, quæ vento excitatur et agitatur. Ne ergo » existimet, qui est ejusmodi, se aliquid a Deo accepturum. » Vir enim duplici corde est instabilis in omnibus viis » suis [1]. » Spera ergo in ejus misericordia, nihil hæsitans, et postulatum omnino consequeris. Postquam autem consecutus fueris, ne sis ingratus in benefactorem, sed fac monimentum ejus beneficii, et pro gratiarum actione Domino dedica canticum. Non potes ipse forte componere? convoca pauperes, eorum linguas commodato accipe, et tibi eas compara. Scis eum lubentius id auditurum, quam canticum davidicum, quod illi pro te cecinerint. Quemadmodum enim quod ex diversis est chordis constitutum, jucundiorem emittit modulationem, quam quod ex unica : ita etiam quod est ex diversis pauperibus, Deo, qui audit vocem pauperum, jucundum quid resonabit et amabile. Erige tibi ipsi et Deo hujusmodi monimentum : ei quidem monimentum beneficii ; tibi vero ostensionem gratiarum actionis, grati animi et memoris, signum perpetuæ memoriæ, quam in corde semper habens infixam, corrige tuam vitam : imo vero corrigamus, ut simus digni hæreditate bonorum quæ illic sunt, in Christo Jesu Domino nostro : cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Jacob. 1, 6-8.

EXPOSITIO

IN PSALMUM XXXVIII.

In illud propheticum, Verumtamen frustra conturbatur omnis homo vivens[1] : *et de eleemosyna.*

I. Piscatorem sinus altus excitat[2], cum jacto reti magnamque marinorum piscium copiam nactus, laborantem onere sagenam trahit : et venatorem sylva ferarum altrix, cum montes scrutatus, densoque vertice aperto, cum præclara et opima præda revertitur. Quod si iis, qui in quæstu et venatione occupati sunt, voluptatem affert labor is, qui his in rebus suscipitur, quanto majorem afferre debent pericula ecclesiasticorum sinuum piscatoribus, quibus præmium non diurnum, nec terrenum, sed ipsum cœlorum regnum proponitur? Age ergo, dilecte, davidicæ lyræ Psalmorum cantum pulsemus, et cum David generis hominum obscuritatem et abjectionem notemus his verbis : « Verumtamen » frustra conturbatur omnis homo vivens : « perturbatur, et tandem peribit : perturbatur, et ante quam confirmatus sit, absorbetur : ut ignis incenditur, et instar stipulæ in cinerem redigitur : ut procella extollitur, et ut pulvis terræ adæquatur : ut flamma excitatur, et instar fumi dissipatur; ut flos forma est præstanti, et ut fœnum exsiccatur : ut nubes conglobatur, et tanquam gutta imminuitur : ut denique bulla inflatur, et scintillæ instar extinguitur : perturbatur, et insatiabili cupiditate tetrum odorem sibi parit :

[1] Psal. xxxviii, 7. — [2] Vide D. Guillon, tom. xv, p. 320-330.

perturbatur, et cum ei perturbatio nulli usui fuit, extinguitur. Ejus sunt motus et perturbationes, aliorum deliciæ : ejus labores, aliorum thesauri : ejus curæ, aliorum voluptates : ejus adversæ res, aliorum secundæ : ejus execrationes, aliorum clientelæ : ejus rapinæ, aliorum voluptates : ejus gemitus, aliorum rerum omnium abundantia : ejus lacrymæ, apud alios pecuniæ : ipse denique in inferis supplicio afficitur, alii contra bonis ejus cum cantu perfruuntur. « Verumtamen frustra conturbatur omnis homo vivens. » Homo, vitæ usura, quæ ad tempus durat, mortis debitum, quod differri nequit, indomitum ex proposito animal, improbitas quæ per se docetur, insidiæ quæ sponte sua docentur, id quod arte instructum est ad maleficium, quod ad injuriam industria præditum est, ad avaritiam paratum, ad expletionem insatiabile, natum ad perfidiam, inflatus spiritus, audacia ostentatrix, ferocia quæ facile sedatur : elatio quæ parvo negotio deletur, audacia quæ facile capitur : cœnum arrogantiæ plenum, cinis seditiosus, pulvis elato animo, cinis inflatus, scintilla quæ facile extinguitur : flamma quæ facile marcescit, lucerna instabilis, lignum cujus interitus proclivis est, fœnum quod exaruit, herba quæ facile moritur, natura quæ cito consumitur : qui hodie minatur, et cras excedit e vita : qui hodie divitiis abundat, cras sepulcro tegitur : qui hodie diademate ornatur, et cras inhumatur : qui hodie purpura fulget, et cras effertur : qui hodie in thesauris versatur, et cras in bustis : qui hodie cum assentatoribus, cras cum vermibus : qui hodie est, et cras nullus est : qui nunc magnifice sese effert, et paulo post lugetur : qui in secundis rebus tolerari non potest, et in adversis nulla consolatione levari potest : qui se ipse ignorat, et quæ ipsum superant, curiose inquirit : qui id quod adest et præsens est nescit, et de rebus futuris cogitat : qui natura sua mortalis est, et animi elatione, ut sibi vide-

tur, æternus est : omnium morborum proposita accessio, facillimum omnis perturbationis domicilium, quotidianum et commune febrium gymnasium : omnis denique doloris paratum diversorium. Quanta nostræ abjectionis tragœdia ? quantus nostræ vilitatis triumphus ? Quot quantaque protuli, cum interea nihil prophetica hac voce aptius invenerim : « Verumtamen frustra conturbatur omnis homo » vivens. » Sed ut finem faciam dicendi, vide, quæso, ut hominum res mare imitantur : ut perturbatione illa vita hæc nostra implicatur : ut sæpius quam aqua in terra tempestate jactamur : ut vehementius inter nos quam venti, collidimur : ut pecuniæ quasi processæ nos inter nos committunt, et quasi in tempestate maris huc atque illuc impellimur. Hic illius agrum usurpat : alius cujusdam servos abduxit. Atque hic de aqua vicinum in judicium adducit : ille cum cive de aëre contendit. Hi propter terræ mensuram concertant, illi inter se de ædificandi ratione digladiantur, hic ea quæ non dedit, ut accipiat, impetum facit : ille quæ accepit, ne reddat in judicio agit. Hic usuris non satiatur, ille sorte etiam privare contendit : hic cum est inops, molestia afficitur, illi rerum omnium copia abundans tumultuatur : qui nihil habet, probris afficitur, qui habet insidiis appetitur : qui magistratus gerit, in suspicionem venit : qui potestate præditus est, odio habetur : qui in imperio est, armatur : bella frequentia sunt : invidia alia ex alia incidit, insatiabilis cupiditas dominatur, avaritia regnat, mendacium summis laudibus effertur, mutua fides exulat, veritas terram deseruit, amiticia mensa definitur. Alii vim suam perdiderunt, terra jam mala ferre non potest, aër usque ad ipsum æthera contaminatus est. Propter pecunias vita non est vitalis. Pecuniarum cupiditate elementa libera vendidimus : viæ vectigalia pendunt : terra sorte dividitur ; aquæ imperio tenentur : aër venditur : decimarum,

tributorum et vectigalium coactores urbes occupant : divites curis conficiuntur. Fœneratores sollicitudine tabescunt : direptores vitam perturbationibus implent, cupidi pecuniarum in judicio foroque versantur : mercatores ex calamitatibus et jacturis lucra sectantur, calumniatores mendacium vendunt : quoniam mentiri inter nos soliti sumus, jurisjurandi religionem sustulimus, ad jurandum tantum Deumn ovimus.

II. Cum ita omnes malis sceleribusque deditos Propheta cerneret, miseramque hanc vitam esse duceret, dicebat : « Verumtamen frustra conturbatur omnis homo vivens. » Homo solus, o Propheta, conturbatur? Creatura ea sola, quæ rationis est particeps, accusatur? Nullum animans aut elementum quod commoveretur, inveni. Commoventur, inquit, aquæ, et iterum sedantur : movetur terra, et rursus confirmatur : venti impelluntur, et iterum quiescunt : omnis fera tumultuatur, et satiata desinit : flamma excitatur, et materia subjecta cum consumpta est, extinguitur. At homo, cum semel pecuniæ cupiditate inflammatur, nunquam desinit : cumque hoc accepit, ad illud cupiditate rapitur, et cum illud consecutus est, ad aliud aspirat : centum duplo majora facere et augere studet, et ad tot tantasque opes tamen rursus tantumdem addere conatur, nec unquam congerendi finem facit, quoad ipsius finis coacervatus sit : sitique avaritiæ confectus, auro pallidior volitat, propter divitias quæ magnopere expetuntur, quarum amicitia infirma et instabilis est, quarum cupiditas insidiarum plena est : quæ deridenl ut dominæ multorum : quæ irridenl, ut quæ vehementer amentur ; quæ captivæ sunt, et alis instructæ : mortuæ sunt, sed hostes : quæ in mundo venti vim obtinent : propter divitias, inquam, quæ sunt omnis absurditatis parentes, inventrices malorum omnium, voluptatis animi perniciosæ adjutrices, hostes continentiæ, inimicæ

temperantiæ, occultæque omnis virtutis fures. Sed quid divitias criminor, iis prætermissis qui possident? Injuria ipsis etiam divitiis infertur, cum ab illis vinciuntur et compedibus arctantur. Videntur enim mihi ad eos hac uti oratione: « Quid studiosi pecuniæ, nos pedibus constringitis? cur nos quasi fugitivum aliquem innumerabilibus vinculis ligatis? quamobrem nos ut amicum complectimini, et ut flagitiosum quempiam a metallis in vestras manus mittentes in vincula conjicitis? Si vultis nos etiam somniis leviores quiescere, nos ad pauperum manus venire patiamini. » Sed dicet aliquis: « Liberis divitias congero, ut ne sint paupertatis hæredes. » Præclare scilicet dives qui multa imaginatur, ea quæ adsunt, ignorat, et res curat futuras : ea quæ ad se attinent, ignorat, et de liberis cogitat : an sepeliendus sit nescit, et hæredibus consulit. Stulte, dic mihi finem tuum, et tum de liberis certus ac tutus esto : expone res hodierni dici, et tum tibi de rebus crastini credo. Cur te etiam post mortem decipis et fallis? Cur et mortuus esse vis, et irrideri? cur Deo quid sit agendum constituis? cur divinæ providentiæ leges dicis, quibus ea, quæ tibi data sunt, administret? Nihil ad te de iis statuere, quæ tempus vitæ tuæ consequuntur. Non et mortuus esse potes, et vivorum administrator : non et mortuorum judex, et juris cujusque æstimator. Cur igitur, o dives, frustra operam consumis in eo, ut bona inopum tuis reponas, nec scis cui illa pares? cur res pupillorum tenes? cur acerbe fers, cum ea abs te repetunt, quasi de tuo impendas? sua illi petunt, non tua : ea quæ tibi ipsorum causa tradita sunt, non quæ tecum nata sunt. Eroga quæ accepisti, et usum lucrare : quoniam tibi ut dares, non ut acciperes, præscriptum est. Præclare tecum agitur, quod tibi Deus propter inopem, dexteram porrigit. Qui ex cœlo pluit, æris a te guttam reposcit : qui tonitrua et fulgores jacit, ut misericordia utare tibi dicit :

qui nubibus cœlum obducit, pannum abs te petit. Hoc tibi satis est, quod te pauperes tanquam Deum rogant. Da, miserere, ut misericordiæ locum invenias. Tu vero ne supercilia quidem vis diducere, et cum illi te supplices rogant, non flecteris ad misericordiam. Da eis sua ante quam rationis referendæ dies veniat. Eis sua largire, quæ non ita multo post recepturus es. Patrem regem habent : da eis sua, et ab eorum patre curarum vacuitatem accipe. Quamnam, inquies? « Quod, inquit, uni horum fratrum meorum » minimorum fecistis, mihi fecistis [1]. Qui enim intelligit » super egenum et pauperem [2], » is non solum chirographum peccati delet, sed etiam confessionem ac promissionem accipit, vocem eam, quæ ait: « Qui dat egenti, Deo fœneratur. » Deo fœneremur eleemosynam, ut ab eo parem humanitatis gratiam accipiamus. Sed o verbum prudentissimum ! « Qui » miseretur pauperis, Deo fœneratur [3]. » Cur igitur non dixit : « Qui miseretur pauperis, dat Deo, » sed « Fœneratur? » Novit Scriptura avaritiam nostram : intellexit appetitum nostrum insatiabilem redundantiam semper quærere, ob eamque causam non dixit omnino: « Qui miseretur pauperis, » dat Deo, » ut ne simplicem largitionem et vicissitudinem mercedis existimes : sed, « Qui miseretur pauperis, Deo » fœneratur, » ut lucri cupidus, audito fœnoris nomine, se ipse misericordiæ dederet. Qui miseretur pauperis, Deo dat fœnori. Si Deus a nobis fœnoris accipit, ergo noster est debitor. Utrum ergo eum habere vis, judicem, an debitorem? Debitor creditorem veretur : judex vero eum, qui in judicium adducitur, non veretur.

III. Videndum est, fratres, necessario alia ratione, cur Deus dixerit: « Mihi fœneratur, qui dat pauperi. » Quoniam avaritiam nostram vidit ad redundantiam propensam, ut ante dixi, nec unquam eum, qui pecunias habeat, velle sine

[1] Matth. xxv, 40. — [2] Psal. xl, 2. — [3] Prov. xix, 17.

securitate credere : petit enim creditor vel hypothecam, vel pignus, vel fidejussorem, hisque tribus securitatibus fretus, pecunias suas credit, vel fidejussionem, ut ante dixi, accipiens, vel rerum hypothecam : quia igitur intelligit Deus neminem, his non extantibus, solitum credere, nec humanitatis habere rationem, sed lucrum unum spectare : pauperem autem ab his omnibus desertum et destitutum esse, cum nec hypothecam habeat, nihil enim possidet; nec pignus ferat, nudus enim est : nec fidejussorem exhibeat, illi quippe ob paupertatem fides non habetur; ut vidit et pauperem propter inopiam, et divitem propter inhumanitatem periclitari, medium se præstitit, pauperi sponsorem, pignus creditori. «Non habes, inquit, huic fidem propter inopiam? » mihi crede propter copiam. « Vidit pauperem, et misericordia motus est : vidit pauperem, neque contempsit, sed se ipse pro eo, qui nihil habebat, oppigneravit, et pauperi in causa patronum se pro sua benignitate præbuit. « Qui miseretur pauperis, fœneratur Deo. » Ne time, inquit, mihi fœneraris. Quidnam lucrifaciam cum tibi fœneror? centuplum tibi do et vitam æternam. Ut aliquando mihi hæc reddas, repeto pacta conventa, contractum confirmare volens. Da mihi referendæ gratiæ tempus, constitue mihi diem reddendi beneficii. Audi sapienter quando et ubi debitum officium præstaturus sit is qui inopum causa et nomine alii fœneratur. Cum sedebit Filius hominis in solio majestatis suæ, oves quidem ad dexteram suam, hœdos autem ad sinistram collocabit, dicetque iis, qui ad dexteram suam erunt : « Venite benedicti Patris mei, » possidete paratum vobis regnum a mundi origine [1], » Quas tandem ob res? « Quia esurivi, et me pavistis : sitivi, et » mihi potum dedistis : nudus eram, et me vestistis : in » carcere eram, et ad me venistis [2]. » Deinde ii, qui in tem-

[1] Matth. xxv, 34. — [2] Ibid. 35, 36.

pore recte administraverunt, suam infirmitatem, et ejus, cui fœnerati sunt, dignitatem considerantes, respondebunt: «Domine, quando te esurientem vidimus, teque pavimus, »et tibi sitienti potum dedimus [1], »in quem omnium oculi sperant? aut quando indigentem te vidimus? quando hæc tibi fecimus? «Quod, inquiet, uni ex his minimis fecis»tis, mihi fecistis [2].» Annon vera illa est oratio, «Qui mi»seretur pauperis, Deo fœneratur?» Sed quemadmodum iis, qui ad dexteram erunt, regnum datum esse ostendit propter humanitatem, sic iis qui ad sinistram erunt propter sterilitatem supplicium minatus est: «Discedite a me ma»ledicti in tenebras exteriores, quæ paratæ sunt diabolo ejusque angelis [3].» Quid ita? pro qua re? «Quia esuriebam, »nec mihi cibum dedistis [4].» Non dixit: «Quod stupratores fuistis, quod adulteri, quod furtum fecistis, quod falsum testimonium dixistis, quod pejerastis:» quanquam hæc quoque in confesso est mala esse, sed inferiora sunt inhumanitate et defectu misericordiæ. Sed cur, Domine, nihil aliud tibi in memoria versatur? Non condemno peccatum, sed inhumanitatem: non condemno eos, qui peccaverunt, sed eos quos non pœnituit. Propter inhumanitatem vos condemno, quod cum tantum ac tale remedium salutis, eleemosynam haberetis, tam magnum beneficium prætermisistis. Objicio ergo vobis inhumanitatem ut probrum, ut radicem malorum omnium totiusque impietatis: laudo porro humanitatem, ut bonorum omnium radicem: et comminor illis quidem ignem æternum, his autem regnum cœlorum concedo, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et potentia in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Matth. xxv, 37. — [2] Ibid. 40. — [3] Ibid. 41. — [4] Ibid. 42.

EXPOSITIO

IN PSALMUM XLI.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum[1]. *Et quanam de causa Psalmus in vitam introductus canitur cum cantico; et de Dei lenitate ac patientia.*

I. Vos quidem nos nuper admirabamini[2], quando verba fecimus de Melchisedech, propter eorum, quæ dicta sunt, longitudinem : ego autem vos admirabar propter vestram in audiendo attentionem et sapientiam, et quod, cum prolixior se obtulisset oratio, nos ad finem usque consecuti estis. Quanquam non solum erat longa oratio, sed magnam etiam in se habebat difficultatem. Sed neque longitudo, nec rei difficultas vicit vestram animi alacritatem. Age ergo vos pro illo labore remuneremur, dilucidius hodie vobiscum colloquentes. Neque enim est semper intendendus auditorum animus; facile enim disrumpitur : nec rursus semper remittendus ac relaxandus, hinc enim rursus redditur otiosior : ideo utendum est vario docendi genere, et nunc quidem populariori, et ad delectandam concionem accommodatiori oratione utendum est, nunc autem acriori, et ad contendendum aptiori. Quemadmodum ergo tunc dicebam, quod dum lupi gregem invadunt, relicta fistula, fundam in manum sumunt pastores : ita nunc, dum festa Judæorum præterierunt, qui sunt quibusvis lupis immaniores, relicta rursus funda, redeamus ad fistulam, et a contentiosiore dicendi genere cessantes, aliqua alia apertiora aggrediamur, ipsius David citharam in manum su-

[1] Psal. XLI, 2. — [2] Vide D. Guillon, tom. XV, p. 251-260.

mentes, et responsum in medium adducentes, quod omnes hodie succinimus. Quodnam igitur responsum? « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus[1]. » Imo vero primum est necessarium dicere, quanam de causa Psalmus in nostram vitam est introductus, et cum cantico maxime hæc dicitur prophetia. Quanam ergo de causa dicatur cum cantico, audi. Cum Deus vidisset multos homines esse socordiores, nec ad legenda spiritualia lubenter accedere, nec qui in eo capitur laborem tolerare, volens gratiorem laborem efficere, ejusque sensum præscindere, admiscuit prophetiæ melodiam, ut omnes cantici modulatione delectati, cum magna animi alacritate sacros ei hymnos emittant. Nihil enim animam æque erigit, alatamque quodammodo efficit, atque a terra liberat, et exolvit a vinculis corporis, amoreque sapientiæ afficit, et ut res omnes ad hanc vitam pertinentes irrideat, perficit, ut cantus modulationis, et divinum canticum numero compositum. Nostra certe natura usque adeo delectatur canticis et carminibus, ut vel infantes ab uberibus pendentes, si fleant et afflictentur, ea ratione sopiantur. Nutrices certe, quæ eos gestant in ulnis, sæpe abeuntes et redeuntes, et quædam puerilia eis carmina decantantes, supercilia eorum ita sopiunt. Quocirca sæpe quoque viatores meridie agentes jugalia animalia, hoc faciunt canentes, itineris molestiam illis canticis consolantes. Nec solum viatores, sed etiam agricolæ uvas in torculari calcantes, vindemiantes, et vites colentes, et quodcumque aliud opus facientes, sæpe cantant. Nautæ quoque remos impellentes hoc faciunt. Jam vero mulieres quoque texentes, et confusa stamina radio discernentes, sæpe quidem, et per se singulæ, sæpe autem etiam omnes concorditer unam quamdam melodiam concinunt. Hoc autem faciunt

[1] Psal. XLI, 2.

mulieres, viatores, agricolæ et nautæ, qui ex opere faciendo suscipitur, laborem cantu consolari volentes, utpote cum anima, si carmen et canticum audierit, molesta et difficilia sit facilius toleratura. Quoniam ergo hoc genus delectationis est nostræ animæ valde innatum, ne dæmones lasciva et meretricia cantica introducentes, omnia everterent, Psalmos Deus opposuit, ut ex ea re simul caperetur voluptas et utilitas. Ex externis enim canticis damnum, et exitium, et multa gravia invehuntur; nam cum quæ sunt in his canticis lasciviora et iniquiora, partibus animæ insederint, eam imbecilliorem reddunt et molliorem : ex Psalmis autem spiritualibus lucri quidem plurimum, maxima autem utilitas insignisque sanctificatio, et omnis philosophiæ occasio processerit, cum et verba animam expient, et sanctus Spiritus in canentis animam celeriter advolet. Quod enim qui canunt cum intelligentia, vocent spiritus gratiam, audi quid dicat Paulus : « Nolite inebriari vino, in » quo est luxuria : sed implemini Spiritu [1]. » Subjungit autem etiam quænam sit implendi ratio : « Canentes et » psallentes in cordibus vestris Domino [2]. » Quid est, « In » cordibus vestris? Cum intelligentia, » inquit. Ut non os quidem, inquit, verba loquatur, mens autem extra versetur undique vagans : sed ut lingua ab anima audiatur.

II. Et quemadmodum ubi est cœnum, eo porci concurrunt : ubi autem sunt aromata et suffitus, apes illic habitant: ita ubi sunt quidem meretricia cantica, illic congregantur dæmones : ubi autem cantica spiritualia, illuc advolat Spiritus gratia, quæ os sanctificat et animam. Hæc dico, non ut vos tantum laudetis, sed ut filios et uxores doceatis talia cantare cantica, non solum in texendo aliove opere faciendo, sed maxime in mensa. Cum enim diabolus, ut plurimum insidietur in conviviis, ebrietatis, ingluviei,

[1] Ephes. v, 18. — [2] Ibid. 19.

risusque profusi, et remissi animi auxilio utatur : tunc maxime oportet et ante mensam, et post mensam, se munire Psalmorum præsidio, et simul cum uxore ac liberis surgentes a convivio, hymnos sacros Deo canere. Si enim Paulus, cui intolerabilia flagella imminebant, cum ligno alligatus in carcere habitaret, media nocte, quando est omnibus somnus jucundissimus, cum Sila Deum perpetuo laudabat [1], et nec locus, nec tempus, nec sollicitudines, nec somni tyrannis, nec illi labores, nec dolores, nec quidquam aliud eum coëgit modulationem illam intermittere : multo magis nos qui jucunde vivimus, et Dei bonis fruimur, hymnos, quibus Deo gratiæ agantur, oportet emittere, ut si vel ebrietas, vel ingluvies nostræ animæ turpe aut absurdum quid fecerit, ubi ingressa fuerit psalmodia, omnia illa mala et improba consilia resiliant. Et quemadmodum nonnulli divites impleta balsamo spongia mensas abstergunt : ut si ex cibis ulla remanserit macula, ea extracta puram mensam ostendant : ita nos quoque faciamus, pro balsamo os implentes melodia spirituali, ut si ex saturitate ulla in anima macula remanserit, eam per illam modulationem abstergamus, et simul omnes stantes dicamus : « Delectasti nos, Domine, in factura tua, et in ope» ribus manuum tuarum exultabimus [2]. » Post psalmodiam autem addatur etiam oratio, ut cum anima ipsam quoque domum sanctificemus. Sicut enim qui mimos, et saltatores, et mulieres meretrices introducunt in convivia, dæmones et diabolum illuc vocant, et domos suas implent bellis innumeris; hinc certe zelotypiæ, adulteria, stupra, et alia innumera; ita qui vocant David cum cithara, intus Christum per ipsum vocant. Ubi autem est Christus, nullus dæmon quidem ingredi, vel potius ne obiter quidem inspicere ausus fuerit : pax autem et dilectio, et omnia tan-

[1] Act. xvi, 25. — [2] Psal. xci, 5.

quam ex fontibus bona promanabunt. Illi domum suam faciunt theatrum, tu Ecclesiam fac tuam domunculam. Ubi enim est Psalmus et oratio, et chorea Prophetarum, et pius canentium animus, non aberraverit quispiam, qui hunc cœtum dixerit Ecclesiam. Etiamsi vim verborum non noveris, doce interea ipsum os verba dicere. Sanctificatur enim etiam lingua per verba, quando ea dicuntur prompto et alacri animo. Si nos ipsos deduxerimus ad hanc consuetudinem, nec nostra sponte, nec per socordiam pulchrum hoc prætermittemus ministerium, more vel invitos nos cogente hunc Dei cultum quotidie peragere. In hac modulatione, seu quis fuerit senio confectus, seu juvenis, seu voce aspera, seu omnis penitus numeri ignarus, nihil ei vitio dabitur. Quod enim hic quæritur, est sobria anima, mens vigilans, cor compunctum, valida ratio, expurgata conscientia : si hæc habens, ingressus fueris in sanctum Dei chorum, juxta ipsum David stare poteris. Hic non est opus cithara, neque nervis extensis, neque plectro, nec arte, nec ullis instrumentis : sed si velis, teipsum efficies citharam, cum carnis membra mortificaveris, et animæ cum corpore pulchrum concentum effeceris. Quando enim non concupierit caro adversus spiritum [1], sed illius jussis cesserit, et eam tandem duxerit in viam optimam, et maxime admirabilem, ita melodiam efficies spiritualem. Non hic opus est arte, quæ longo tempore perficitur : sed bona tantum voluntate, et generoso animi instituto opus est, ac brevi tempore periti evademus. Non opus est loco, non opus est tempore, sed in omni loco, et omni tempore licet mente canere. Nam sive in foro ambules, sive iter ingrediaris, sive cum amicis consideas, licet excitare animum, licet vel tacenti clamare. Ita etiam Moses clamabat, et Deus audiebat [2].» Et si fueris opifex, poteris in officina se-

[1] Galat. v, 17. — [2] Exod. xiv, 15.

dens et operans psallere. Et si miles sis, aut sedeas in judicio, poteris hoc ipsum facere.

III. Licet etiam sine voce psallere, cum mens intus resonet. Non enim hominibus canimus, sed Deo, qui potest vel corda audire, et in mentis nostræ arcana ingredi. Hoc quoque Paulus ostendens vociferatur dicens : « Ipse Spiritus » interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui au- » tem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus, quod » secundum Deum postulet pro Sanctis [1]. » Hoc autem dicebat, non quod Spiritus gemeret, sed quod viri spirituales, qui habent dona Spiritus, pro propinquis orantes, et supplicationes offerentes, hoc facerent cum compunctione et gemitibus. Hoc nos quoque faciamus, et quotidie Deum interpellemus per Psalmos et orationes. Ne autem verba solum offeramus, sed ipsam etiam sciamus vim dictionum, age ipsum hujus Psalmi proœmium in medium adducamus. Quod est ergo proœmium? « Quemadmodum desiderat cer- » vus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, » Deus. » Hic est mos amantium, amorem silentio non celare, sed enuntiare vicinis, et dicere se amare. Ardens enim res est natura dilectionis, nec potest anima sustinere, ut eam silentio teneat. Et ideo amans quoque Paulus dicebat Corinthiis : « Os nostrum ad vos apertum est, Corin- » thii [2]. » Hoc est: « Non possum continere, et silentio premere dilectionem, sed vos semper et ubique, et in mente et in lingua circumfero. » Ita etiam hic Beatus Deum amans, et ardens amore, non potest in animum inducere ut taceat, sed aliquando quidem dicit : « Quemadmodum desiderat » cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. » Aliquando autem : « Deus, Deus meus, ad te de » luce vigilo. Sitivit ad te anima mea, sicut terra inaccessa » sine aqua et deserta [3]. » Ita enim dixit alius interpres.

[1] Rom. VIII, 26, 27. — [2] 2 Cor. VI, 19. — [3] Psal. LXII, 1-3.

Quoniam enim non potest oratione amorem ostendere, huc et illuc obit quærens exemplum, ut vel ea ratione nobis suum amorem indicet, et amoris nos faciat participes. Ei ergo credamus, et sic amare ediscamus. Nec dicat mihi quispiam : « Et quomodo possum amare Deum, quem non video? » Multos enim amamus, licet eos non videamus, quemadmodum amicos nostros peregre profectos, vel filios, vel parentes, vel cognatos necessarios : nec ad id ullum affert nobis impedimentum quod eos non videamus, imo vero hoc ipsum magis accendit amorem, et auget desiderium. Et ideo de Mose quoque dicens Paulus, quod, relictis thesauris et opibus, regnique claritate, et omni alio in Ægypto splendore, maluit cum Judæis affligi [1] : deinde nos causam docens, quod hæc omnia faceret propter Deum, adjecit : « Invisibilem enim tanquam videns sustinuit [2]. » Non vides Deum, sed vides ejus creaturas, vides ejus opera, cœlum, terram, et mare. Qui autem diligit, si dilecti opus viderit, si calceum, si vestem, si quodvis aliud, accenditur. Non vides Deum, sed vides ejus famulos, amicos, viros inquam sanctos, et qui habent apud eum fiduciam. Illos nunc observa et cole, et habebis non leve solatium tui desiderii. Etenim in hominibus non solum nostros amicos, sed eos etiam qui ab illis amantur, amare consuevimus. Et si dixerit quispiam ex iis, qui amantur a nobis : « Hunc vel illum diligo, » et si is beneficio aliquo fuerit affectus, « Ego me beneficium accepisse existimo : » omnia facimus et procuramus, ut perinde ac si dilectum videremus, ita omne in eum studium ostendamus : hoc ipsum in Christo quoque præclare facere possumus. Dixit : « Diligo pauperes, et si ii boni aliquid acceperint, perinde ac si ipse recepissem, reddo remunerationem [3]. » Pro eis colendis et sublevandis nihil non faciamus : imo vero in ipsos omnes nostras facul-

[1] Hebr, xi, 25. — [2] Ibid, 17. — [3] Matth, xix, 21.

tates effundamus, credentes per ipsos Deum alere. Quod enim, dum ii aluntur, ipse alitur, audi quid dicat Christus : « Esurientem me vidistis, inquit, et aluistis : sitientem, » et potum dedistis : nudum, et me operuistis [1] : » multasque dedit nobis rationes quibus possimus nostrum solari desiderium. Jam vero alias quoque tria sunt quæ amorem apud nos efficere consueverunt, forma corporis, magnitudo beneficii, vel quod ab eo amemur. Unumquodque enim eorum per se potest in nobis amorem procreare. Etsi enim nullum beneficium ab aliquo acceperimus, solum autem audiamus eum nos perpetuo amare, ut qui nos laudet et admiretur, ei confestim conglutinamur, et eum tanquam benefactorem diligimus. In Deo autem non hoc solum, sed hæc etiam tria videre licet tanta, et tam insignia, ut nulla ea possit explicare oratio. Et primum pulchritudo illius beatæ, et ab interitu alienæ naturæ, res est quædam infinita, et nulla ratione superabilis, quæ omnem excedit rationem, et omnem effugit cogitationem. Quando autem pulchritudinem audiveris, nihil corporeum suspiceris, o dilecte, sed gloriam quamdam incorpoream, et magnificentiam ineffabilem.

IV. Hanc itaque declarans Propheta dicebat : « Et Sera» phim stabant in circuitu ejus, et duabus quidem pennis » vultum tegebant, duabus vero tegebant pedes, duabus » autem volabant, et clamabant : Sanctus, Sanctus, Sanc» tus [2] » ex stupore, ex admiratione, ex illo decore, ex gloria. Et rursus David, cum mente apprehendisset hanc ipsam beatæ illius naturæ pulchritudinem, et gloriam obstupuisset, dicebat : « Accingere gladio tuo super femur tuum, Po» tentissime, specie tua et pulchritudine tua [3]. » Propterea Moses illum sæpe cupiebat videre [4], hoc amore sauciatus,

[1] Matth. xxv, 35, 36. — [2] Isaï. vi, 2, 3. — [3] Psal. xliv, 4, 5. — [4] Exod. xxxiii, 13.

et illam amans gloriam. Quocirca dicebat quoque Philippus : « Ostende nobis Patrem, et sufficit nobis [1]. » Vel potius quæcumque dixerimus, ne parvum quidem, imo ne exile quidem vestigium illius decoris poterimus explicare. Sed vis beneficia enumeremus? nec ea quidem poterit oratio consequi, et ideo dicebat Paulus : « Gratia autem Domino » propter donum ejus inenarrabile [2]. » Et rursus : « Quæ oculus non vidit, et auris non audivit, et in cor hominis non » ascenderunt, quæ Deus præparavit iis qui ipsum diligunt [3]. » Et rursus : « O altitudo divitiarum, et sapientiæ, et scientiæ Dei, quam inscrutabilia sunt judicia ejus, et impervestigabiles viæ ejus [4] ! » Ejus autem in nos amorem quænam explicarit oratio? Eum certe admirans dicebat Joannes : « Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum daret » unigenitum [5]. » Quod si vis ejus verba audire, et cognoscere desiderium, audi quid dicat per Prophetam : « Numquid » obliviscetur mulier misereri natorum uteri sui? Quod si » eorum etiam obliviscatur mulier, ego tamen non oblivis» car tui [6]. » Et sicut hic dicebat : « Quemadmodum desi» derat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea » ad te, Deus. » Ita etiam dicit Christus : « Quemadmodum » congregat gallina pullos suos, ita volui congregare filios » vestros, et noluistis [7]. » Et rursus : « Sicut miseretur pater » filiorum suorum, misertus est Dominus eorum qui ipsum » timent [8]. » Et rursus : « Secundum altitudinem cœli a terra » confirmavit Dominus misericordiam suam super timentes » ipsum [9]. » Et quemadmodum Propheta exemplum quærit, ut suum ostendat desiderium : ita etiam Deus utitur quibusdam exemplis, ut significet nobis suum amorem nostræ salutis. Et Propheta quidem dixit cervam sitientem, et ter-

[1] Joan. XIV, 8. — [2] 2 Cor. IX, 15. — [3] 1 Cor. II, 9. — [4] Rom. XI, 33. — [5] Joan. III, 16. — [6] Isaï. XLIX, 15. — [7] Matth. XXIII, 37. — [8] Psal. CII, 13. — [9] Ibid. 17.

ram adustam : Deus autem gallinarum in pullos charitatem, et patrum curam ac sollicitudinem, et cœli a terra altitudinem, et matrum viscera, non quod solum tantum amet, quantum mater filium, sed quoniam his definitionibus, regulis, et exemplis non sunt apud nos alia majora signa et argumenta amicitiæ. Nam quod nos non solum tantum amet, quantum mater pia filios, sed etiam multo magis, audi quid dicit : « Quod si etiam oblita fuerit mater filio» rum suorum, ego tamen tui non obliviscar. » Hoc autem dicebat significans suum in nos desiderium esse omni charitate naturali ardentius. Hæc autem omnia apud teipsum considera, et amorem vehementem accendes, claramque flammam resplendentem charitatis efficies. Quoniam ergo nihil apud nos homines æque solet accendere amicitiam, ut assidue meminisse beneficiorum, quæ accepimus, hoc etiam in Deo faciamus. Apud nos consideremus quæcumque fecit propter nos, ipsum cœlum, terram, mare, aërem : quæ in terra sunt, arbores, varios flores, jumenta, reptilia : ea quæ sunt in mari : quæ in aëre medio : astra quæ sunt in cœlo, solem, lunam, et ut semel dicam, omnia quæ videntur, fulgura, temporum pulchrum ordinem, diei et noctis successionem, annuas conversiones. Animam inspiravit, rationem donavit, maximo honoravit imperio. Misit Angelos, misit Prophetas, postea Filium suum unigenitum. Et post illa rursus ipse quoque et per se, et per Filium unigenitum hortatur ut tu serveris : nec cessat Paulus in hodiernum usque diem dicere : « Pro Christo legatione » fungimur, nempe Deo per nos hortante, obsecramus pro » Christo, reconciliamini Deo [1]. » Et ne hic quidem constitit, sed ex tua natura acceptas primitias considere fecit « Super omnem Principatum, Potestatem, et Dominatum » et omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæcu-

[1] 2 Cor. v, 20.

» lo, sed etiam in futuro [1]. » Nunc vere est opportunum dicere : « Quis loquetur potentias Domini, et auditas faciet » omnes laudationes ejus [2] ? » Et illud rursus : « Quid retri- » buam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi [3] ? » Quid enim potest cum hoc honore conferri, nisi quando primitiæ generis nostri, quod in tam multis offendit, quod ignominia et dedecore est affectum, in tanta sedent altitudine, tantoque honore nunc fruuntur? Nec vero communia solum beneficia, sed etiam propria et privata apud te reputa, quemadmodum si quando fuisses delatus per calumniam, absolutus esses ab accusatione : si quando cum media et intempesta nocte incidisses in latrones, effugisses illorum insidias : si quando ex damno tibi illato te expedivisses : si cum in morbum gravem incidisses, recreatus esses.

V. Reputa quæ per totam tuam vitam accepisti a Deo beneficia, omnino ea permulta invenies, non solum in tota vita, sed vel in uno die : si vellet Deus omnia beneficia, quibus nos quotidie afficit, imprudentibus nobis et nescientibus, in medium afferre, ne ea quidem enumerare possemus. Quot dæmones feruntur per hunc aërem? quot adversæ potestates? Si ergo eis solum permitteret terribilem illum suum et horrendum aspectum nobis ostendere, annon mente dimoveremur? annon periremus? annon omnino interiremus? Hæc omnia reputantes, nec non peccata quæcumque vel sponte, vel inscientes admittimus; nam hoc quoque non est parvum reputandum beneficium, quod non singulis diebus Deus nostra ulciscatur delicta; poterimus Deum diligere. Quando enim cogitaveris quot peccata quotidie committis, et quot singulis diebus beneficia accipis, quanta Dei lenitate et clementia frueris, et quod si Deus voluisset quotidie de tuis peccatis pœnas sumere,

[1] Ephes. I, 21. — [2] Psal. CV, 2. — [3] Id. CXV, 12.

ne brevi quidem tempore vixisses, prout dicit Propheta : « Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit[1] ? » ei ages gratias, et nihil erit tibi grave ac molestum eorum quæ acciderint : sed videbis te, etiamsi innumera longe graviora accidissent, nondum tamen dedisse pœnas quas merueras : et ita affectus magnum accendes desiderium, et poteris dicere cum Propheta : « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. » Est autem operæ pretium quærere quanam de causa hoc animal in medium adduxerit. Cervus est sitibundus, et ideo frequenter currit ad fontes aquarum. Efficitur autem sitibundus et a natura, et ex eo quod serpentes comedat, et illorum alatur corporibus. Ergo tu hoc quoque fac. Serpentem intelligibilem comede, peccatum humi prosterne, et poteris sitire Dei desiderio. Quemadmodum enim mala conscientia efficit nos sordidos, et adducit nos ad desperationem : ita si nostra peccata humi prostraverimus, si improbitatem expurgaverimus, poterimus respicere ad spirituale desiderium, cum magna animi alacritate Deum vocare, et vehementiorem amorem accendere, nec verbis solum, sed etiam factis hoc responsum succinere. Propterea enim Psalmos nobis cecinit ille Beatus, vel potius gratia Spiritus, non ut verba tantum dicamus, sed eos factis quoque meditemur. Ne ergo existimes te propterea huc ingredi, ut verba tantum dicas, sed ut quando succinis, responsum illud pacta conventa esse arbitreris. Quando enim dixeris : « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus, » cum Deo pactum fecisti, scripsisti syngrapham absque charta et atramento, voce professus te ipsum diligere plus omnibus, et nihil ei præferre, ejusque amore ardere. Si ergo egressus videris formosam aliquam et im-

[1] Psal. CXXIX, 3.

pudicam mulierem te inescantem, et ad sui amorem pellicientem, dic ei : « Non possum te sequi, cum Deo pactum feci, et præsentibus fratribus, sacerdotibus, doctoribus, professus sum, et promisi per responsum illud, me eum ita diligere, « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aqua-» rum. » Vereor pacta conventa transgredi, illum unum deinceps amorem meditor. » Si videris argentum in foro situm, aut vestes aureas, alios gloriose incedentes, stipatos famulis, et habentes equos frenis auratis, ne te moveat illa pompa, sed tibi rursus cane, et dic tuæ animæ : « Paulo ante cecinimus : « Quemadmodum desiderat cervus ad fon-» tes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus, » et quod scriptum est nobis attribuimus, idque nostrum esse fecimus. » Nihil ergo amemus eorum, quæ ad hanc vitam pertinent, ut ille amor nobis purus maneat et integer, et ne divisus fiat imbecillior. Hæ divitiæ omnes divitias, omnem thesaurum, omnem gloriam, omnem existimationem, omnem claritatem nobis largiri poterunt. Eas obtineamus, et nulla re alia egebimus. Si enim qui turpi amore tenentur, et alicujus puellæ, sæpe etiam deformis, ardore incenduntur, nec parentum minas, nec amicorum convitia, nec aliorum multorum quidquam curant reprehensionem, sed ad illam tanquam ad scopum tendentes, et domum despiciunt, et paternam hæreditatem, gloriam, et existimationem, amicorumque adhortationes contemnunt, æstimantes se magnam habere circa hæc omnia consolationem, si apud amicam tantum in pretio et honore fuerint, licet vilis, famosa, et quæcumque ea fuerit : qui Deum ut oportet diligunt, sentient-ne unquam quæ sunt inter homines aut præclara, aut molesta? Nec præsentis quidem vitæ pompam apprehendent, ut qui ad illum amorem dirigantur, sed omnem ridebunt prosperitatem, et res omnes adversas contemnent, ut qui sint alligati Dei desiderio, et nihil aliud

cernant præterquam illum solum, et eum semper cogitent, et se esse omnibus beatiores existiment. Licet in paupertate, licet in ignominia, licet in vinculis, licet in afflictionibus, licet sint in extremis malis; in omnibus quæ patiuntur, existimabunt se melioris esse conditionis, quam reges, admirabilem quamdam habentes consolationem, quod ea patiantur propter eum, quem diligunt.

VI. Quocirca Paulus quoque, cum esset in quotidianis mortibus, in carceribus, in naufragiis, in solitudinibus, in flagellis, in innumerabilibus aliis suppliciis, gaudebat, exultabat et gloriabatur [1] : et nunc quidem dicebat : « Non » solum autem in spe gloriæ Dei, sed etiam gloriamur in » afflictionibus [2]. » Nunc autem rursus : « Gaudeo in passio- » nibus, et adimpleo quæ desunt afflictionibus Christi in » carne mea [3]; » et gratiam eam rem vocat, ita confitens et dicens : « Nobis ita gratis a Christo donatum est, ut non » solum in ipsum credamus, sed ut etiam pro ipso patia- » mur [4]. » Nos quoque studeamus esse eodem animo, et omnes, quæ incidunt, molestias placide et lubenter feramus. Ferre autem poterimus, si Deum ita amaverimus, ut amavit Propheta. Non solum enim ex responso illo ejus amorem videre possumus, sed etiam ex eis, quæ consequuntur. Cum enim dixisset : « Quemadmodum desiderat » cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, » Deus, » subjunxit dicens : « Sitivit anima mea ad Deum » fortem vivum : quando veniam et apparebo ante faciem » Dei [5] ? » Non dixit : « Amavit anima mea Deum vivum, » neque : « Dilexit anima mea Deum vivum : » sed ut ostenderet affectum, amorem sitim vocavit, ambo nobis significans, et ardorem amoris, et ejusdem perpetuitatem. Quemadmodum enim qui sitiunt, non hoc in uno die patiuntur,

[1] 2 Cor. xi, 23-30. — [2] Rom. v, 3. — [3] Coloss. i, 24. — [4] Philip. , 29. — [5] Psal. xli, 3.

et duobus, et tribus, sed per totam vitam, ad hoc nos ducente natura : ita etiam Beatus ille, et omnes Sancti, non uno solum die fuerunt in compunctione, sicut multi homines, nec duobus, nec tribus; hoc enim non esset mirandum; sed assidue et singulis diebus religiose amare perseverabant, et amorem augebant. Quod quidem ipse quoque significans dicebat : « Sitivit anima mea ad Deum fortem » vivum, » simul et causam volens dicere, ut per se ostendat quomodo quis Deum sic amare possit. Hoc enim declaravit per ea, quæ sequuntur, cum dixit : « Sitivit anima mea ad » Deum, » et subjungit, « Vivum : » propemodum suadens et vociferans omnibus, qui rebus hujus vitæ inhiant : « Quid in corpora insanitis? Quid corpora amatis? Quid gloriam desideratis? Quid concupiscitis voluptatem? Nihil eorum manet et vivit perpetuo, sed diffluit et præterit, et est umbra inanius, somniisque fallacius, ac citius quam verni flores corrumpitur et interit : quidni enim citius corrumpi dicam et interire, cum alia quidem nos relinquant simul cum vita præsenti : alia etiam ante dissolvantur? Incerta est eorum possessio, instabilis eorum usus et fruitio, velox est mutatio : in Deo autem nihil est ejusmodi, sed vivit quidem et manet perpetuo, nullam mutationem, nec ullam conversionem suscipiens.» Caducis ergo et momentaneis relictis, eum, qui est æternus et perpetuus, amemus. Neque enim fieri potest ut qui illum amat, pudore unquam afficiatur : fieri non potest ut ab eo excidat : fieri non potest ut eo, quem amat, destituatur. Qui amat pecunias, vel morte adveniente, vel etiam ante mortem, nudatur iis, quæ desiderat. Ei quoque, qui præsentem amat gloriam, idipsum sæpe accidit. Corporum autem pulchritudo sæpe iis, quæ prædicta sunt, multo citius extinguitur : et omnia, quæ ad hanc vitam, ut semel dicam, pertinent, sunt caduca et momentanea, ac priusquam adsint et ap-

parcant, protinus resiliunt. Spiritualium autem amor contra se habet; assidue viget et floret, non novit senium, non suscipit vetustatem, nec ulli mutationi, conversioni, et ignorantiæ futurorum est obnoxius; sed hic etiam juvat eos, qui possident, eos undique vallat, eosque, qui ex vita excesserint, non dimittit, sed una cum illis peregrinatur, et una cum illis recedit, et ipsis luminaribus eos reddit illo die clariores. Quæ quidem sciens quoque beatus David, in Dei amore perseveravit, amoremque intus continere non sustinuit, sed audientibus omni ratione ignem ostendere contendit, quo intus ardebat. Cum enim dixisset : « Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum, » subjunxit : « Quando veniam et apparebo ante faciem Dei? » Vide ardentem hominem, vide inflammatum. Sciens enim se, cum hinc recesserit, eum esse visurum, ne expectat quidem dilationem, moramque non patitur, sed hic nobis spiritum ostendit apostolicum. Etenim ille quoque ingemiscebat propter diuturnitatem hujus peregrinationis. Idipsum huic quoque usuvenit. Et ideo dicebat : « Quando veniam et » apparebo ante faciem Dei? » Et si esset quidem privatus aliquis, humilisque et abjectus, et vivens in paupertate, magnum quidem esset vel sic vitam præsentem contemnere : sed non esset ita magnum, ut nunc regem videre tantis fruentem deliciis, tantæque gloriæ consortem, innumerabiles victorias consecutum, in multis bellis victorem omni ex parte clarum, insignem et illustrem; hæc omnia irridere, divitias, gloriam, et omnes delicias, ad futura autem aspirare et inhiare : hoc est magni cujusdam et excelsi animi, hoc est animæ, quæ tenetur studio sapientiæ, et cœlesti amore vere capta est.

VII. Eum nos quoque imitemur, ne præsentia admiremur, ut admiremur futura : vel potius admiremur futura,

[1] 2 Cor. v, 2.

ne admiremur præsentia. Si enim in illis cogitandis perpetuo versemur, et regnum cœlorum, immortalitatem, vitam, quæ nunquam desinet, ducendam cum Angelis choream, futuram cum Christo conversationem, gloriam illam, quæ nunquam interit aut corrumpitur; vitam autem ab omni dolore liberam apud nos ipsos consideremus, et quod lacrymæ, probra, maledicta, mors, tristitia, labor, senectus, morbus, ægritudo, paupertas, et calumnia, viduitas, peccatum, et condemnatio, pœna et supplicium, et si quid est aliud in vita præsenti molestum et acerbum, ea omnia expulsa sunt : loco autem eorum introducta sunt pax, lenitas, mansuetudo, dilectio, lætitia, gloria, honor, splendor, et alia, quæ ne posset quidem oratio consequi, nihil nos rerum capiet præsentium, sed poterimus nos quoque dicere cum Propheta : « Quando veniam et apparebo ante »faciem Dei? » et ita affectos nec res splendidæ et secundæ nos efferent, nec insolentes efficient: nec quæ sunt molesta ac gravia, tristitia afficient; non invidia, non vana gloria, non aliquid aliud nos unquam efferet. Ne huc ergo temere ingrediamur, neque responsa perfunctorie emittamus, sed ea pro baculo sumentes egrediamur. Sufficit autem unusquisque versus ut nobis comparet plurimum philosophiæ, ut corrigat dogmatum sententiam, et ut afferat maximam vitæ utilitatem : et si unamquamque dictionem exacte perscrutemur, admodum uberes inde fructus colligemus. Neque enim paupertatem, nec negotia, nec tarditatem hic opus est prætexere. Etsi enim sis pauper, et propter paupertatem libris careas, vel libros quidem habeas, non suppetat autem tibi otium, mihi tantum responsa Psalmorum observa, quæ hic succinuisti non semel, non bis, non ter, sed sæpe, et ex eo magnam capies consolationem. Vide ergo quantum nobis thesaurum aperuerit, vel ipsum responsum. Nec mihi dicat quispiam: « Ante

interpretationem nesciebam quid valeret. » Nam etiam ante interpretationem omni tempore, a volente utcumque animum adhibere, bene potest intelligi responsum. Si enim teipsum solummodo docueris dicere : « Quemadmodum » desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima » mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem vi- » vum : quando veniam et apparebo ante faciem Dei ? » id vel ante interpretationem suffecerit tibi ad omnem introducendam philosophiam. Neque hoc solum, sed etiam unumquodque responsum easdem nobis suppeditabit divitias. Nam si rursus dixeris : « Beatus vir qui timet Domi- » num [1] : » et potueris scire quidnam sit id quod dicis : non divitem, non principem, non formosum, non eum qui valet viribus, non eum qui ædes possidet magnificas, non eum qui gerit magistratus, non eum qui in regia nutritur, nullum denique alium, nisi eum qui est pius ac religiosus, qui studio sapientiæ tenetur, qui Deum timet, beatum duces, non solum propter futura, sed etiam propter præsentia. Nam etiam in hac vita hic quoque est illo potentior. Nam si morbus quandoque invaserit, ille quidem indutus purpura, nihil a satellitibus et superbo illo exteriori apparatu juvatur ad solandam ægritudinem, sed domesticis, parentibus, omnibusque præsentibus, et aureis vestibus super eum positis atque substratis, jacet ille ardens veluti in fornace. Qui est autem pius, et Deum timet, non patre, non servo, non ullo alio præsente, postquam in cœlum non sæpe, sed bis et ter suspexit, omnem illam fornacem extinxit. Hoc etiam viderit quispiam evenire in rebus adversis, et in omnibus, quæ inopinato accidunt, eos quidem qui divitiis affluunt, clarique sunt et insignes, turbari : eos autem, qui sunt pii, et sapientiæ studiosi, omnia ferre facile et placide. Jam vero ante ea omnia, si nihil grave

[1] Psal. cxi, 1.

evenerit, ejus, qui Deum timet, conscientia est a majori et sinceriori voluptate plena, quam divitis anima. Ille enim, etsi externo cibo fruatur, gravius afflictatur omnibus, qui fame vexantur, dum sua mala in memoriam redigit, et cum mala vivit conscientia : hic autem, licet necessario alimento careat, erit tranquilliori et alacriori animo, quam ii, qui fruuntur omnibus deliciis, ut qui bona spe alatur, et suorum recte factorum remunerationes quotidie expectet. Sed ne longiori utens oratione videar afferre molestiam, relinquens iis, qui sunt paulo studiosiores, legendum unumquodque responsum, et quæ in eo sita est, scrutandam vim, hic finiam orationem, illa suadens vestræ dilectioni, ut non hinc frustra egrediamini, sed responsa tanquam margaritas sumentes, ea domi perpetuo conservetis et meditemini, amicisque et uxoribus ea omnia dicatis : et si ulla vos vexet animi perturbatio, si excitetur cupiditas, si ira, aut quævis alia a ratione aliena perturbatio, ea assidue canatis : ut et in hac vita magna tranquillitate fruamur, et in futura vita bona æterna consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri et sancto Spiritui, sit gloria, imperium, honor, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM XLIII.

Victoriæ auctori filiis Core.

Deus, auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis, opus quod operatus es in diebus eorum, et in diebus antiquis[1]. *Alius interpres ait:* In diebus prioribus. *Alius,* In diebus ab initio.

I. Hunc Psalmum dicit Propheta, non ex persona propria, sed ex persona Machabæorum, narrans et prædicens quæ futura erant in illo tempore. Tales enim sunt Prophetæ; omnia tempora percurrunt, præsentia, præterita, futura. Quinam sunt autem hi Machabæi, quidque passi sunt, et quid fecerunt, necessarium est primum dicere, ut sint apertiora quæ in argumento dicuntur. Ii enim, cum invasisset Judæam Antiochus, qui dictus est Epiphanes, et omnia devastasset, et multos, qui tunc erant, a patriis institutis resilire coëgisset [2], permanserunt illæsi ab illis tentationibus, et quando grave quidem bellum ingruebat, nec quidquam poterant facere quod prodesset, se abscondebant: quod etiam fecerunt Apostoli. Non enim semper præsentes in media irruebant pericula, sed nonnunquam et fugientes et latentes cedebant. Postquam autem parum respiraverant, tanquam generosi quidam leunculi ex antris exilientes, et e latebris emergentes, statuebant non se amplius solos servare, sed etiam alios quotcumque possent: et civitatem et regionem omnem obeuntes, collegerunt quotquot invenerunt adhuc sanos et integros, et multos etiam qui laborabant, et corrupti erant, in statum pristi-

[1] Psal. XLIII, 1, 2. — [2] 1 Machab. 1, 11, 12.

num redegerunt, eis persuadentes redire ad legem patriam. Deum enim dicebant esse benignum et clementem, nec unquam adimere salutem, quæ proficiscitur ex pœnitentia. Hæc autem dicentes, habuerunt delectum fortium virorum. Non enim pro uxoribus, liberis et ancillis, patriæque eversione et captivitate, sed pro lege et patria republica pugnabant. Eorum autem dux erat Deus. Cum ergo aciem dirigerent, et proprias exponerent animas, fundebant adversarios, non armis fidentes, sed loco omnis armaturæ pugnæ causam sufficere ducentes. Ad bellum autem euntes, non tragœdias excitabant, non pæana canebant, sicut nonnulli faciunt; non asciscebant tibicines, ut fit in aliis castris; sed Dei superne auxilium invocabant, ut adesset, opem ferret, et manum præberet, propter quem bellum gerebant, pro cujus gloria decertabant. Videamus ergo quid hæc castra Dei loquantur, quæ sunt spirituali munita auxilio, cum sunt hostes aggressura. «Deus, auribus » nostris audivimus.» Quia enim nonnulli eorum, qui cum ipsis stabant in acie, Antiochi multitudinem, instructam aciem, et victoriam videntes, quodque omnia primo impetu cepisset, propriamque imbecillitatem et paucitatem considerantes, molliores erant et imbecilliores; eorum animos spiritusque excitans, et ostendens in Dei ductu universum situm esse, et absque exercitu, si is opem ferat, posse parari victoriam, instar precationis compositam suasionem et exhortationem effert ad commilitones, et Deum alloquens eos promptiores reddit et alacriores. Non est autem hæc parva pars adhortationis. Neque enim tantum virium habuisset ad eos conversa oratio, sicut ad Deum directa. Et ideo procedens dixit : « Non in gladio suo possederunt » terram, et dextera eorum non salvavit eos [1]. » Hoc est enim ejus qui eos recreat et reficit, qui sunt molliori et imbe-

[1] Psal. XLIII, 4.

cilliori animo ad labores suscipiendos, qui quærunt victoriam ex humana rerum serie. Omnis ergo hæc precatio est ad milites adhortatio, quæ jubet omnia in Deum conjicere, statuereque ex spe in illum pendere victoriam. Cur autem non dixit absolute: «Audivimus,» sed « Nostris auribus audi»vimus?» Quanam enim alia corporis parte auditur? Numquid quæ dicuntur, sunt supervacanea? Absit. Sed hic est mos communis hominum, qui, quando aliqua narrant, de quibus sunt facti certiores, et res magnas et magni ponderis referunt, iis, quibus ea non sunt usque adeo certa, aures semper adjiciunt, dicentes se auribus audivisse. Non in hac autem solum actione, sed etiam in aliis hoc ipsum facere consuevimus, nostros ipsorum sensus producentes in testimonium. Est ergo eorum qui volunt fidem facere auditori, aures adjungere. Nam in oculis etiam, et in manibus hoc ipsum facimus, ut quando dicimus: «Manibus nostris palpavimus.» Dicebant item Apostoli: « Quæ viderunt oculi »nostri, et manus nostræ contrectaverunt [1].» Vide autem eorum vel hinc ex proœmio virtutem, qui cum tot et tanta propter Deum passi essent, a patria et libertate excidissent, pericula adiissent, alii autem in fugam acti, montes et solitudines persequerentur, nihil eorum interim dicunt, videlicet, « Hoc et illud passi sumus propter te, da nobis auxilium:» sed tanquam hæc eis deessent, quæ jure afferre possent, nec fiduciam ex suis factis haberent, ad ea, quæ Deus majoribus illorum fecerat, confugiunt. Eos enim, qui fiduciam non habent, hæc facere non est mirandum, cum ipsos ad hoc trahat necessitas. Cum autem illi, qui, quoniam recte fecerunt, magnifice loqui possunt, nolunt ex iis servari, sed ex Dei benignitate, qua in patres usus est, hoc est magnum argumentum eorum humilitatis: prompti autem et alacris sui animi non parvam hinc quoque causam

[1] 1 Joan. 1, 1.

statuunt. Sufficit enim Dei vel sola appellatio ad profligandа bella innumera.

II. « Patres nostri annuntiaverunt nobis. » Audite quot-quot filiorum nullam curam geritis : quicumque eos carmina diabolica canentes toleratis, contemnitis vero divinas narrationes. Sed non hi ejusmodi, sed in narrationibus præclarorum Dei factorum vitam assidue consumebant, et duplex lucrum faciebant. Nam et qui beneficio affecti erant, dum beneficiorum recordarentur, meliores evadebant; et qui ex illis orti erant, non parvum Dei cognitionis argumentum sumebant ex his narrationibus, et incitabantur ad imitandam virtutem. Eis enim libri erant ora eorum, qui ipsos genuerant, omnisque schola et omnis diatriba has habebat narrationes, quibus nihil erat jucundius, nihil utilius. Si enim rerum solum narrationes, fabulæque, et figmenta solent sæpe multos consolari auditores, multo magis hæc, quæ magnam ostendebant beneficentiam, potentiam, sapientiam, curam, et una cum voluptate auditorem excitabant, et meliorem reddebant. Qui enim, dum hæc agerentur, interfuerant, et visu exceperant, ea auditui tradebant, et ad fidem faciendam non minus valebat auditus, quam visus. Non minus enim credebant ii, qui non affuerant, nec viderant, quam ii, qui affuerant et viderant. Hoc quoque eos non parum exercebat ad fidem. Videamus autem quid narrarint, et num similis argumenti meminerint. Qui enim est aliquid rogaturus, et postulatum consecuturus, ex data aliis gratia eum oportet petere similia. Quod autem dico, est ejusmodi. Petit aliquis famulus a nobis donum : si ostenderit alium quoque id accepisse, maximam affert rationem, cur id debeat accipere, nisi exemplum lædat differentia. Differentiam autem dico personæ vel rei. Si enim qui accepit, talis sit, qualis qui petit, et id quod petitur, simile, stat exemplum. Sin autem ille quidem jure accepit,

hic autem non itidem, postulatione majori erit opus. Necesse est autem id quod dico manifestum facere ex Scripturis. Chananæa, postquam audiit: « Non est bonum accipere » panem filiorum, et dare canibus [1], » dicit : « Etiam Do- » mine : nam et catuli edunt de micis mensæ dominorum » suorum [2]. » Et Paulus rursus scribens, dicebat : « Si alii » vestræ potestatis sunt participes, multo magis nos [3] : » ex personæ differentia se plus juris habere ostendens. Et rursus scribens ad Philemonem, dicebat : « Quia viscera » Sanctorum requieverunt per te, frater. Propter quod mul- » tam fiduciam habens in Christo Jesu imperandi tibi, quod » ad rem pertinet, propter charitatem magis obsecro [4]. » Hic est ex æquo exemplum. Quando enim primus fuerit qui accepit, veluti quamdam secundo januam aperit, si similis sit qui est petiturus, vel si eadem petat. Non solum autem ex iis, quæ aliis data sunt, sed ex iis etiam quæ in nos ipsos antea collata sunt, fit sæpe valida postulatio : quod etiam fecit Paulus scribens ad Philippenses, et dicens : « Quoniam » et Thessalonicam semel et iterum quod mihi usui futurum » erat, misistis [5]. » Et ideo multi, qui multis donant, hoc præcipiunt ne id dicant aliis, ne in unum facta gratia, ei, qui dedit, multos petitores excitet, utpote cum non possit subterfugium invenire qui dedit quominus det aliis. Et hoc quidem merito jubent homines, ut qui dando fiant pauperiores : Deus autem contra prædicat et proclamat ea quæ dat aliis, ut aliis etiam præbeat occasionem rursus ab eo petendi. Dando enim majores ejus ostenduntur divitiæ. Et ideo dicit Paulus : « Qui dives est in omnes, et super » omnes invocantes eum [6]. » Vidisti novam quamdam naturam divitiarum? eam tu quoque imitare magnificentiam. Quando enim opes repositas consumpseris, tunc ipsas ma-

[1] Matth. xv, 26. — [2] Ibid. 27. — [3] 1 Cor. ix, 12. — [4] Philem. vii, 9. — [5] Philip. iv, 16. — [6] Rom. x, 12.

gis augebis. Si autem infoderis, ipsas tunc magis diminues. Et quid mirum si hoc accidit in spiritualibus, cum hoc fiat etiam in carnalibus? Si quis enim propter parcimoniam frumentum domi situm non consumpserit, nec in terram jecerit, id vermibus exedendum tradit. Sin autem disperserit, majorem messem colliget.

III. Audite quotquot estis tardi ad eleemosynam. Audite qui vobis divitias servando diminuitis. Audite qui nihilo melius affecti estis, quam qui sunt in somniis divites. Quæ sunt enim præsentia, sunt somnio nihilo meliora. Sed quemadmodum qui in somniis sibi videntur habere pecunias, licet fuerint regiæ gazæ domini, cum dies illuxerit, sunt omnium pauperrimi : ita etiam in vita præsenti, qui nihil illuc auferre potuerit, est omnium pauperrimus, licet omnia possederit. In somniis enim solum dives fuit. Si velis ergo mihi ostendere divitem, tunc mihi ostende quando fuerit dies, quando in illam patriam recesserimus : nunc autem non potero discernere divitem et pauperem. Non enim est rerum veritas sed potius sunt jucunda et speciosa vocabula. Quemadmodum enim nonnulli appellant cæcos, πολυβλέποντας, hoc est, multum videntes, licet res nomen non sequatur, imo ii sint maxime non videntes : ita etiam nomen divitum hic dico circumferri eorum qui nihil illic possident. Quando enim hic dives fuerit, tunc eum scio maxime esse pauperem : nisi enim esset valde pauper, non valde ditesceret. Quemadmodum enim cæcum, nisi omnino esset excæcatus, non appellassent ipsum πολυβλέποντα, hoc est, multum videntem : ita hic etiam putandum est. Deposita ergo deceptione nominum, veritatem arripiamus. Res enim non consistunt in nominibus, sed rerum natura effingit nomina ex propria substantia. Hic vocatur dives, sed non est. Et quomodo non est, quando multum argenti, multum auri, lapides pretiosi, vestes aureæ, et omnia alia

ei affluunt? Quoniam non aurum, nec vestes, nec pecuniæ, sed eleemosyna facit divitem. Hæc enim sunt fœnum, hæc ligna et stipula. Qualis enim, dic, quæso, vestium amictus illum ad terribile illud tribunal nudum stantem operire poterit? Quod pertimescens Paulus dicebat : « Siquidem » induti, non nudi reperiemur [1].» Quæ pecuniæ eum in periculum adductum poterunt eximere? Qui famuli poterunt adesse domino qui flagellatur? Quæ domus? qui lapides pretiosi? Quæ balnea poterunt abstergere sordes susceptas ex peccatis? Quousque vos ipsos seducitis? Quousque rerum veritatem non cernitis, sed somniis inhiatis, cum prope et in foribus sit judicium? Sed revertamur ad ea quæ sunt proposita. « Patres nostri annuntiaverunt nobis, » opus quod fecisti in diebus eorum, in diebus antiquis. » Potest etiam hoc verbum sumi anagogice. Etsi enim illis patres narraverunt, tamen nobis etiam dedit Dei gratia, ut quæ apud illos facta sunt, per sancti Spiritus adventum disceremus. Quomodo autem poterit quispiam hæc sumere anagogice? Si ea trahat ad præclara novæ gratiæ facinora, quod in cælum sublati sumus, quod regno digni simus habiti, quod Deus homo factus sit, quod solvat intermediam sepis maceriam. Sed redeamus ad historiam. « Opus quod » operatus es in diebus eorum, in diebus antiquis.» Meminit cujusdam antiquæ narrationis, et quæ præclare olim facta sunt adducit. Et cur non alicujus novi meminit? Quoniam apud homines quidem jure ea, quæ sunt recens acta, narramus : et per ea ipsos attrahimus, quia eorum imbecilla est memoria. Deo autem æque sunt omnia cognita, et vetera et nova. « Ecce enim, inquit, tu cognovisti » omnia novissima et antiqua [2].» Nihil autem refert an veterem, an novam narrationem quis dixerit, modo sit proposito conveniens. Quamnam autem vult antiquam dicere

[1] 2 Cor. v, 3. — [2] Psal. cxxxvm, 5.

narrationem? Audiamus. « Manus tua gentes disperdidit, » et plantasti eos : afflixisti populos, et expulisti eos [1]. » Agnovistis-ne quodnam bellum dicat, quam victoriam, quod tropæum? Opus-ne habetis, ut id a nobis declaretur? Existimo quidem multos jam intellexisse quod dicitur. Propter eos autem qui ignorant, necesse est aliquid nostrum addere. Quorum ergo tropæorum, quorum facinorum meminit? Eorum quæ in Ægypto, eorum quæ in deserto, eorum quæ in terra promissionis facta sunt, vel potius eorum quæ in promissione [2]. Neque enim ii, qui ex Ægypto egressi sunt, pervenerunt in Palæstinam, sed omnes ceciderunt in deserto. Quando ergo qui ex illis nati sunt, et qui in deserto sunt educati, ingressi sunt in Palæstinam, inquit, eis non fuit opus armis, sed vel ipso solo clamore urbes ceperunt : et cum Jordanem transiissent, primam urbem quæ eis occurrit, Jericho, saltantium potius, quam bellantium ritu diruerunt. Armati enim, non tanquam ad pugnam, sed tanquam ad festivitatem ac choream egressi sunt, ornatus potius gratia, quam ut tutiores essent, armis instructi, et sacris vestibus induti, et habentes Levitas qui castra præcedebant, muros cinxerunt. Et videri poterat spectaculum admirabile, et pene incredibile, tot millia exercitus certo ordine et numerose incedentia; in silentio summo, honesteque ac decore, perinde ac si nullus adesset, cum tubarum clangore et modulatione omnia recte gessisse. Erubescant qui tumultuantur in Ecclesia. Si enim ubi tubæ resonabant, tam pulcher erat ordo, et tanta moderatio : ubi Deus ipse loquitur, quam veniam assequentur, qui propter suos tumultus impediunt ne, quæ dicuntur, audiantur? Sed cur, inquit, non meminit eorum qui excesserunt ex Ægypto? Quoniam omnes ceciderunt, quoniam pœnas dederunt. Cur autem omnes perierunt,

[1] Psal. XLIII, 3. — [2] Num. XIV, 23, et Hebr. III, 17.

Quia valde peccarunt. Hinc autem aliud quoque providit, ut qui Palæstinam erant occupaturi, mala, quæ erant in Ægypto, non viderent, omnem nempe superstitionem, omnem impietatem, et ut tantæ improbitatis nullum magistrum haberent. Eos enim ita præoccuparat Ægyptiorum consuetudo, et eos ita ceperat, ut post tot miracula ne in deserto quidem pure erroris reliquias abstergerent. Quod si etiam cepissent Chananæos, prioribus deteriores magistros, quo non erupisset eorum impietas? Et ideo eos, qui nati erant, continuit in deserto, donec ad virorum ætatem pervenissent eorum filii.

IV. Hæc autem loquimur non ex nobis, sed e Scripturis deprompta. Nam per Ezechielem Deus hoc ipsum eis exprobrat, quod cum eos in desertum eduxisset, et multum cum eis disseruisset, non audiebatur [1]. Sed qua de causa jussit eos armis indui, cum essent aggressuri Jericho? Fuisset enim admirabilius, si hoc fecissent sine armis. Scilicet cum jubeat aliquid humanum facere, et aliquid sensile auxilium accipere, hoc facit se demittens ad eorum imbecillitatem. Quid potuerunt enim arma efficere ad muros diruendos? Quid vero clangor tubarum? Si enim fuisset bellum adversus homines, fuisset aliquod momentum in armis reponendum: sin autem erant casura mœnia, curnam armis induuntur? Sub Gedeone quoque, qui capti sunt, erant æquales iis qui non capti sunt (10), omnes enim manifesti fuerunt [2]. Cur ergo hæc fiunt? Ut qui hæc jubentur, ad fidem deducantur. Anima enim quæ coalita est corpori, et nihil unquam vidit incorporeum, et sensibilibus inhiat, ab iis quæ videntur ad ea quæ mente comprehenduntur, deduci opus habet. Unde etiam Prophetis de Deo loquentibus opus fuit humanorum membrorum meminisse, non ut illam naturam a corruptione et interitu alienam ad

[1] Ezech. xx, 10. — [2] Judic. vii, 3.

membrorum figuras effingerent, sed ut animam in sensilibus cum corpore enutritam, ex humanis ea traderent dogmata quæ sunt supra hominem. Quoniam ergo Dei operatio est aliquid quod apprehenditur intelligentia : ne qui tunc erant, non crederent, ponit etiam aliquid sensibile. Si enim dixisset : « In septem diebus evertetur urbs, vobis quiescentibus, et nihil facientibus : » fortasse multi non credidissent, nunc autem hæc præcepta veluti quoddam fundamentum humanæ menti subjicit. Et ne id quod dicitur existimetis esse solummodo conjecturam, volo vobis narrare veterem historiam quæ confirmat quod dicimus. Naaman erat quidam Syrus. Eum cum lepra invasisset, et propter eum morbum erubesceret, ut qui in maximo periculo versaretur, venit in Palæstinam; brevitate enim utendum est; volens a Prophetà liberari hoc malo. Cum ergo venisset, et in viri foribus constitisset, vocavit medicum. Ille autem exaudivit quidem, non tamen est egressus; sed tantum misit, jubens eum tingi in fluvio Jordane. Ille autem, quoniam erat leve mandatum, multum habens ex sensibili, et quod non habebat opus sublimi cogitatione, non credidit. Sed quid dicit? « Ego dicebam quoniam » egredietur ad me, et imponet manum suam, et invocabit » Deum suum, et curabit lepram[1]. » Vides quomodo anima opus habuerit re aliqua sensibili? Non existimavit enim jussum medici sufficere, sed manu opus fuisse, quod erat imbecillitatis ejus, qui curabatur. Porro multa quoque alia hinc solvuntur. Ideo Christus etiam non semper verbo sanat[2], sed etiam manu; immisit enim manum in os et in linguam[3] : et alicubi quidem verbo solo, alicubi autem voluntate solum omnia faciens, curabat eos qui accedebant. Quare ergo hoc faciebat? Propter imbecillitatem eorum qui accedebant. Et ut scias hoc factum fuisse propter eo-

[1] 4 Reg. v, 11. — [2] Matth. VIII, 8. — [3] Marc. VII, 33.

rum imbecillitatem, laudabat eos qui ejusmodi rebus minime opus haberent. « Amen enim, inquit, dico vobis, » non inveni tantam fidem in Israël[1] : » quandoquidem non traxit eum in domum suam Centurio, sed dixit ejus jussum sufficere. In Ezechia itaque nihil tale fit, sed est solummodo prædictio, et nihil humanum assumptum est[2] : et ideo in eo quoque qui uxoris zelotypia laborat, jussa est res aliqua crassior. Quod si velis hæc quoque sumere anagogice; « Omnia enim, inquit, hæc in figura eveniebant » illis: scripta sunt autem ad correctionem nostram, ad » quos fines sæculorum devenerunt[3] ; » cogita apud te optimos Ecclesiæ doctores pro tuba oratione utentes, et adversariorum mœnia diruentes, et populum integra et perfecta Jesu armatura armatum. Septem autem dierum numerus jam ante nobis solvit sabbatum : neque enim ejusmodi legis præcepta principaliter data sunt. Et ideo de sacrificiis quidem dicit : « Quis enim ea requisivit e ma- » nibus vestris[4] ? » Et rursus : « Numquid vota et carnes » sanctæ auferent peccata tua[5] ? » Et rursus : « Numquid » hostias et sacrificia obtulistis mihi in deserto quadraginta » annis[6] ? » Et rursus : « Cur mihi affers thus ex Saba, et » cinnamomum de terra longinqua[7] ? » Et iterum : « Sacri- » ficium et oblationem noluisti[8]. » Et rursus : « Numquid » holocausta et sacrificia vult Deus, annon ut ei obedia- » tur[9] ? » Et rursus : « Si voluisses sacrificium, dedissem[10]. » Et rursus : « Auditio bona super sacrificium[11]. » Et iterum festa ejiciens inquit : « Odio habui, repuli festa vestra. Au- » fer a me sonum canticorum tuorum, et cantum organo- » rum tuorum non exaudiam[12], et diem magnum non susti-

[1] Matth. VIII, 10. — [2] 4 Reg. XVIII. — [3] 1 Cor. X, 11. — [4] Isaï. I, 12. — [5] Jer. XI, 15. — [6] Amos V, 25. — [7] Jer. VI, 20. — [8] Psal. XXXIX, 7. — [9] 1 Reg. XV, 22. — [10] Psal. L, 18. — [11] 1 Reg. XV, 22. — [12] Amos V, 21 et 23.

» neo, et jejunium et ferias odit anima mea [1]. » Et rursus : « Non est hoc jejunium quod elegi [2]. » Rursus quoque dicebat Ezechiel : « Dabo vobis præcepta non bona, in quibus » non vivetis in ipsis [3]. » Ita etiam sabbatum hic solvitur. Sed cur dicit : « Quis hæc requisivit de manibus vestris ? » Hoc vobis relinquo solvendum. Poteritis autem talia invenire, si puram vitam egeritis.

V. Si enim Cornelium propter vitam optimam vocavit ad arcanorum cognitionem [4], et Eunuchum, quod studiose legeret, ad rei cognitionem deduxit [5] : multo magis vos qui jam fidem assecuti estis, si rectam vitam ostenderitis, docebit quæ sunt manifestiora. Quemadmodum enim vita immunda est impedimento quominus ea cognoscantur, ut dicit Paulus : « Non potui loqui vobis tanquam spiritualibus, quoniam lites sunt in vobis et contentiones [6] : » et rursus Esaïas : « Scire vias meas desiderabunt, ut populus » qui fecit justitiam [7] : » Sic vita munda et quærendi studium manu ducunt. « Quærite enim, inquit, et inve- » nietis [8]. » Quinetiam parabola ejus, qui petit panes ab amico, qui jam dormiebat, hoc ostendit. Propterea Salomon quoque, quoniam petiit spiritualia, ea etiam accepit, quæ non petiit [9]. Quando autem et assiduitas, et spiritualis petitio, et pura vita affuerit, cogita apud te quanta erit accipiendi facultas. Atqui vel ipsa per se sola assiduitas plurimum potuit. « Dico enim, inquit, vobis, etsi non prop- » terea quod sit ejus amicus, ei dabit : propter impudentiam » tamen ejus dabit ei [10]. » Sed revertamur ad propositum. « Opus quod operatus es in diebus eorum, in diebus anti- » quis. Manus tua gentes disperdidit, et plantasti eos [11]. » Vide quam proprie dictione usus est. « Non eo, inquit, so-

[1] Isaï. I, 14. — [2] Id. LVIII, 5. — [3] Ezec. XX, 25. — [4] Act. X, 4. — [5] Id. VIII, 27. — [6] 1 Cor. III, 1. — [7] Isaï. LVIII, 2. — [8] Luc. XI, 9. — [9] 3 Reg. III, 11. — [10] Luc. XI, 8. — [11] Psal. XLIII, 3.

lum rem deduxisti, ut illi quidem vincerent, hi vero vincerentur, sed omnia longius processerunt, licet antea quoque non æquo certamine res gereretur. Illi enim possidebant, hi vero erant advenæ : sed tamen tanta facta est mutatio, ut illi quidem radicitus evellerentur, hi vero fierent cives et habitatores. » Et ideo de illis quidem dicit : « Manus tua » gentes disperdidit : » de Judæis autem, « Plantavit. » Manum autem dicit ejus potentiam. Quod si eos qui aliunde adveniebant, et nec urbem, nec domum habebant in qua sedes figerent, aut in quam se reciperent, reddidit tam cito potentiores iis qui intus habitabant, multo magis nos paternis bonis ejectos non despiciet. Quid est autem, « Plan» tasti ? » Fixisti. Quod est enim plantatum, fit firmum et stabile. Quid igitur, dic, quæso, non migrarunt ? non abducti sunt in loca aliena ? Abducti sunt certe, sed non propter imbecillitatem ejus qui collocaverat, sed propter vitium eorum qui plantati sunt. Nisi enim quæ fecerant, fuissent eis impedimento, nihil vetuisset quominus domi manerent. « Afflixisti populos, et expulisti eos[1]. » Nonnulli dicunt hæc dici de Ægyptiis. Mihi autem videtur hoc quoque dictum esse de gentibus. Nam de illis quoque sumpsit supplicium, in utroque suam ostendens potentiam, in delendis scilicet inimicis et suis confirmandis. « Non enim » in gladio suo possederunt terram. » Alius, « Non enim » in ense suo possederunt terram. Et brachium eorum non » salvavit eos. Sed dextera tua, et brachium tuum, et illu» minatio vultus tui. » Alius inquit : « Lux. Quoniam com» placuisti in eis[2]. » Atqui vincebant omnes armati in bellis. Armati quidem, verum id non armorum vi fiebat, sed Dei virtute, qui exercitui præerat. Vides quomodo loco orationis attexit consilium, suadens ut omnia in Deum conjiciant, ejusque arbitrio permittant ? Quomodo autem

[1] Psal. XLIII, 3. — [2] Ibid. 4.

rem vocat hæreditatem, cum patres, avi, et proavi terram non obtinuerint, sed alio et alio tempore consumpti sint? Quia facta est patribus promissio. « Veni, inquit, in ter-» ram, quam tibi ostendero, et dabo tibi terram, et semini » tuo [1]. » Cum autem dixisset dexteram et brachium, quoniam paulo crassiora verba memoravit, vide quomodo attollit orationem, rursus subjungens, et dicens : « Et illu-» minatio vultus tui [2],» hoc est, defensio, providentia. Velle enim et adesse illis solum sufficerit. Deinde etiam causam : « Quoniam complacuisti in eis. » Hoc est, « Quoniam dilexisti eos, quoniam voluisti. » Res itaque, quæ fiebant, erant gratiæ, non recte factorum, nec id ex propria virtute assecuti sunt, sed ex Dei benignitate. « Tu es ipse rex » meus et Deus meus, qui mandas salutes Jacob [3]. » Alius, « Manda de salute Jacob. » Et quænam est hæc consequentia ? Magna quidem cum iis quæ dicta sunt. Quod enim dicit, est ejusmodi : « Nos ab illis originem duximus, et tu Deus ille ipse es, qui et tunc et nunc illa fecisti. Undenam ergo est tanta mutatio ? Non enim alius quidem ille Deus, tu alius, sed tu idem ipse es. »

VI. Neque vero rursus tu quidem es, ego vero alium Deum mihi ascribo, sed « Tu es rex meus, et Deus meus. » Ab imperio tuo non resiluimus, alium ducem non inscripsimus. « Qui mandas salutes Jacob. » Hoc est, et Deus idem, et eadem est providentia. Undenam est ergo rerum mutatio ? Quid est ergo, « Qui mandas? » Qui præcipit, qui jubet ut Jacob servetur. Hic rursus ostendit auxilii facilitatem, et maximam potestatem. Sed neque proavi, nempe Jacob sine causa meminit, sed ut causam suam magis probet, ejus virtutem adducit, volens sibi Deum reddere propitium. « In te inimicos nostros ventilabimus » cornu [4]. » Et tu idem es, inquit, et providentia eadem,

[1] Gen. XII, 1, et XIII, 15. — [2] Psal. XLIII, 4. — [3] Ibid. 5. — [4] Ibid. 6.

et nos nostra tibi ascribimus, et eisdem armis usi sumus. Hoc enim sibi vult illud : « In te inimicos nostros ventila-» bimus cornu. » Alius autem dicit : « Eos qui nos affligunt » cornu petemus. Et in nomine tuo spernemus insurgentes » in nos [1]. » Alius, « Conculcabimus. » Quid, inquit, dico, « In te? » Vel nomen tuum solum invocare sufficit ad omnia egregie peragenda. Non dixit enim : « Vincemus, vel superabimus, » sed, « Nihili ducemus, nec eos esse aliquid putabimus. » (Hoc enim sibi vult illud : « In te inimicos nostros » ventilabimus, et in nomine tuo nihili ducemus insurgentes » in nos. » Non enim existimabimus eos esse aliquid, nec perterrebimur,) sed tanquam nihili homines, persequemur. Quod significans alius interpres, dixit : « Conculca-» bimus, » per vim partam victoriam, instructam absque certamine aciem, pugnam sine metu ostendens. « Non » enim in arcu meo sperabo. » Alius, « Confidam. Et gla-» dius meus non salvabit me [2]. » Et quare his usus es? Cur autem armaris, et arcum et gladium tractas? Quoniam ita jussit Deus noster, propterea eis usus sum : universum autem in eum conjicio, et ejus arbitrio permitto. Ita docebantur bellare cum inimicis sensibilibus, superno auxilio muniti. Ita etiam cum spiritualibus inimicis. Tu quoque, quando adversus diabolum bellum geris, dic ita : « Non confido meis armis, hoc est, non meæ virtuti, nec meæ justitiæ, sed Dei misericordiæ. » Ita etiam dicebat Daniel : « Non in justitiis nostris prosternimus miserationem nos-» tram ante te [3]. Salvasti enim nos de affligentibus nos, et » odientes nos confudisti [4]. » Alius, « Quia servasti nos. » Quid opus est, inquit, dicere vetera, et quæ facta sunt a majoribus? Nos, inquit, ipsi habemus multa pignora providentiæ, et gloriosa tropæa, frequentesque, admirabiles

[1] Psal. xliii, 6. — [2] Ibid. 7. — [3] Dan. ix, 18. — [4] Psal. xliii, 8.

et incredibiles victorias enumerare possumus. Propterea enim dixit : « Confudisti, » ostendens eum non solum nos liberasse, nec tantummodo eripuisse, sed cum magno dedecore eorum qui nos invadebant. « In Deo laudabimur » tota die, et in nomine tuo confitebimur in sæculum [1]. » Alius inquit : « Deum laudamus toto die. » Victoria quidem, inquit, præteriit, nobis autem manet gratiarum actio. Totum enim diem dicit, totam vitam. Non enim cessamus, inquit, tuum laudare auxilium et illo gloriari. Hæc est nostra gloria. Hoc gloriationis genere apud omnes utimur, non quod civitatem magnam habeamus et admirabilem, nec quod primi vincamus, nec quod viribus corporis simus superiores : sed quod verum Deum habeamus, in hoc gloriamur : non solum quando nobis auxiliaris, sed etiam quando deseris. Hoc enim est, « Tota die : » sicut etiam dicit Paulus : « Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce » Christi [2]. » Nulla est enim, nulla, inquam, est alia ejusmodi gloria. Quocirca rursus dicit : « Non solum autem, » sed etiam gloriantes in Deo [3]. » Nihil enim potest conferri cum hac gloriatione. Nemo ergo se jactet et glorietur propter divitias, nemo propter ea quæ ad hanc vitam pertinent, sed propter hoc solum, quod habeat Deum dominum. Hoc est omni libertate melius, hoc est ipsis cœlis præstantius. Si enim hujus vel illius esse dici, gloriandi occasionem sæpe attulit apud homines, cogita quantam affert gloriam Dei esse dici. Quocirca Paulus quoque hoc pro magna dignitate posuit, dicens : « Qui autem Christi » sunt, carnem crucifixerunt [4]. » Diapsalma. Alius, « Sem» per. » Hebræus autem illud sic exprimit, « Sel. Nunc au» tem repulisti nos, et confudisti nos. » Alius, « Tametsi repu» listi nos. » Alius, « Sed ad hæc rejecisti. Et non egredieris

[1] Psal. XLIII, 9. — [2] Gal. VI, 14. — [3] Rom. V, 11. — [4] Galat. V, 24.

» Deus in virtutibus nostris [1]. » Alius, « Et non progredie-» ris in militiis nostris. » Repulsam enim statim pudor sequitur, et ad mala patienda esse omnibus expositum. Virtutes autem hic appellat eorum exercitus, quandoquidem in eis est regis potentia : cum Deus hoc summo consilio providerit, ut esset hoc principi, et iis qui ejus reguntur imperio, vinculum. Nam et rex iis opus habet qui ejus jussis pareant, et hi eo qui illis præsit, et alter alterius auxilio indiget. Ne aliqua enim esset arrogantia, effecit Deus, ut magna sæpe parvis egerent. Hoc ipsum fecit etiam in rebus inanimis. Labantem enim columnam subjectus sæpe calculus firmam stabilemque præstitit, et navigium in quo quamplurimi sunt vectores, parvus clavus dirigit, et liberat a periculis. Quid est autem, « Tametsi repulisti nos? » Licet, inquit, tot et tanta passi simus, a te non deficimus, te laudantes, gloria afficientes, et in te gloriantes. « Aver-» tisti nos retro post inimicos nostros. Et qui oderunt nos, » diripiebant sibi [2]. » Alius, « Posuisti nos extremos cujus-» vis inimici. » Vide quomodo mala verbis extollit, et calamitatem verbis amplificat, ostendens eos etiamsi essent admodum peccatores, satis tamen pœnarum dedisse.

VII. Hoc etiam fecerunt pueri ex redundanti quadam copia in fornace tunc canentes et dicentes : « Tradidisti » nos in manus inimicorum nostrorum pessimorum, præ-» varicatorumque, et regi injusto, et pessimo ultra omnem » terram [3]. » Et rursus : « Imminuti sumus plus quam om-» nes gentes, sumusque humiles in universa terra [4]. » Hoc ipsum hic quoque significat propemodum dicens : « Omnibus hominibus viliores et abjectiores sumus, quandoquidem sumus tua nudati providentia, et nec eo usque quidem mala nostra steterunt, sed etiam præda facti sumus inimicis, qui nos suo arbitrio dividebant. » Hoc enim sibi vult :

[1] Psal. XLIII, 10. — [2] Ibid. 11. — [3] Dan. III, 32. — [4] Ibid. 37.

« Diripiebant sibi ipsis, » id est, nullo prohibente. « Dedisti » nos tanquam oves escarum, et in gentibus dispersisti nos [1]. » Alius, « Ventilasti nos. » Quid est, « Tanquam oves esca- » rum? » Id est, « Fecisti nos, inquit, ad invadendum facil- limos, nos viles esse ostendens. » Sunt enim aliquæ oves acquisitionis, quæ sunt aptæ ad generandum : sunt vero aliæ, quæ propter senium, vel propter sterilitatem sunt tantum utiles ad comedendum. Et quod est acerbissimum, in gentes erant dispersi; quodque illis omnium gravissi- mum erat, ne legem quidem poterant illic accurate ser- vare, et a patriæ reipublicæ institutis exciderant. « Et non in unam gentem, sed ubique, inquit, dispersi sumus, ad unum solum, nempe male patiendum, parati : ulcisci au- tem, aut manus extollere non possumus. » Hoc enim signi- ficat similitudo ovium. « Vendidisti populum tuum sine » pretio. » Alius, « In non substantia. » Alius, « Non sub- » stantiæ. Et non fuit multitudo in commutationibus nos- » tris [2]. » Alius, « Et non multum fecisti pretium eorum : » quod autem ait est ejusmodi; videtur enim dictum esse valde obscurum : sed attendite, ut psallatis cum intelli- gentia. Quid est ergo quod dicitur? Quam sint viles et abjecti ostendit, nempe nullius pretii : « Tanquam vilis, in- quit, pretii, abjectos et contemnendos nos dimisisti. » Hoc autem dicit more humano : solemus enim quæque vilia dare vel sine pretio. Quæ porro magni facimus, ea si ven- damus, magno pretio vendimus : quæ vero parvi, ea vel gratis. Improbos itaque servos, alii quidem dimidio pre- tio, alii vero nullo accepto pretio, dederunt. Si minori autem pretio tradere, ostendit quam sit vile quod venditur : nullo pretio dare, multo magis. Hoc ergo dicit : « Perinde ac si homo quispiam rebus suis cedat sine pretio, ita etiam ipse nos tanquam nullius pretii dimisisti, nos valde con-

[1] Psal. XLIII, 12. — [2] Ibid. 13.

tempsisti. » Hoc itaque significat etiam per id quod subjungit : « Et non fuit multitudo in commutationibus nostris ; » hoc est, « In emptione nostra. » Et ideo dicit alius : « In appre- » tiatione nostra, » id est, « In venditione nostra. » Pretium enim est permutatio : sæpe enim servum damus, et aurum vel argentum accipimus. « Posuisti nos opprobrium vicinis » nostris, subsannationem et derisum iis qui in circuitu » nostro sunt [1]. » Alius dicit : « Pompam iis, qui in circuitu » nostro sunt. Posuisti nos in parabolam in gentibus [2]. » Grave est hoc supplicium et intolerabile, ab impiis maxime probris affici, ab inimicis hæc pati, esse circumcirca qui insultent, et undique circumiri ab iis qui probra ingerunt. Quid est autem parabola ? Narratio, probrum. Erant enim circumcirca quidam scelerati, nulloque sensu præditi, qui non solum non miserebantur, sed probris etiam et contumeliis afficiebant, quod eos maxime angebat. Mihi autem videtur hic dicere Arabas, qui prope eos habitabant. « Com- » motionem capitis in populis [3]. » Alius, « Transmotionem. » Hebræus autem, « Manoud. » Vel hoc ergo dicit : « Transmovisti nos. » Vel per gestum motus capitis ostendit valde lætantis insolentiam. « Tota die verecundia mea contra me » est. » Alius, « Ignominia mea. Et confusio faciei meæ » cooperuit me, a voce exprobrantis et obloquentis. » Alius, « Et blasphemantis. A facie inimici et persequentis [4]. » Hæc eos magis quam supplicia cruciabant. Quia enim eis semper et assidue eveniebant res secundæ, et hostes vincebant, omnium tunc ora aperta sunt, cum ipsi cecidissent, afflictique et prostrati essent : nec respirare quidem poterant, sed perpetuum supplicium expectabant. « Hæc » omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te : et inique » non egimus in testamento tuo [5]. » Alius, « Nec fraudem

[1] Psal. XLIII, 14. — [2] Ibid. 15. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 16, 17. — [5] Ibid. 18.

» fecimus pacto tuo. » Nos, inquit, aliis contraria via ingressi sumus. Illi enim, antequam res ullæ adversæ evenissent, prostrati sunt : nos autem post res adversas gravesque calamitates, firmo et immobili animo constitimus. » Hæc autem dicunt, ut bonam spem concipiant qui cum eis sunt, hortantes. Et ideo cum Daniel et tres pueri dicant : « Peccavimus, injuste fecimus [1] : » hi dicunt : « Non » inique egimus in testamento tuo : » commilitonum animos et spiritus excitantes. « Si enim, inquit, maxima passi sumus, et ab eis originem ducimus, qui magnis affecti sunt beneficiis, et in calamitatibus minime declinavimus, spes est nobis magnæ salutis. »

VIII. Quod ergo dixi a principio, hoc quoque nunc dico, eos vice precationis illis addere animos, perinde ac si eis dicerent : « Quanam de causa spem salutis abjecistis ? Deum habemus qui nos defendit, et si quid peccavimus, satis pœnarum pendimus : in tentationibus fortiter restitimus ; eum, qui etiam peccatorum semper curam gerit, viæ ducem habemus, et ideo bonus exitus est nobis omnino expectandus. » Quid est autem : « Non inique fecimus in testamento » tuo ? » Hoc est, « Non inique nos gessimus in iis, quæ nobis credita sunt, sed ea perfecte custodivimus. » Est enim maxima iniquitas, quando quis transgreditur legem, quæ vindicat, quæ non sinit ut vel a propinquis injuria afficiamur, et vitium prohibet ; quando quis est ingratus in eum, qui tot nobis bona præbet. « Et non recessit retro cor nostrum. » Alius, « Non abscessit. Et non declinasti semitas nostras a » via tua [2]. » Alius, « Nec inclinata sunt quæ nos erigunt. » Alius, « Et non aversum est retro cor nostrum, nec decli» narunt gressus nostri. » Quod prius dixit, hoc etiam hic dicit, eos in tantis malorum fluctibus ne tantillum quidem lapsos esse. Pulchre autem sic dicit. Quemadmodum enim

[1] Dan. III, 29. — [2] Psal. XLIII, 19.

lex ducit in anteriora, ita iniquitas retro transfert, et quemadmodum lex jubet recta via ingredi, ita etiam iniquitas traducit hominem in locum desertum et inaccessum. Viam ergo hic dicit legem. Illud autem, « Declinasti, » quod alii dicunt, « Nec inclinata sunt quæ nos erigunt, a via tua : » Hebræus dicit : « Vathet adschurenu meni orach. » Si quis autem velit sequi interpretationem Septuaginta, et non aliorum, illud, « Declinasti semitas nostras a via tua, » hoc est, « Procul a templo tuo nos collocasti, et in aliena terra habitare curasti, » quod non permittebat ut cultus perageretur. « Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis. » Alius, « In loco inhabitato. » Alius, « In loco Sirenum. Et cooperuit nos umbra mortis [1]. » Alius, « Obstruxisti nos. » Hæc mihi esse videtur retributio, eo quod superius, cum mala narrarent, dicerent : « Et confusio faciei meæ cooperuit me, » a voce exprobrantis et obloquentis, quoniam humiliasti » nos : » si quis ita acceperit ut referatur ad illud, « Declinasti semitas nostras a via tua : » habet hic consequentiam convenientem sensui quem diximus. Significat enim quomodo eos a viis suis repulerit; legibus, inquam, et institutis; eosque in loca deserta abduxerit, et inter inimicos dimiserit. Hoc enim significat illud : « Cooperuit nos umbra mortis, » pericula dicens, quæ mortem pariunt, et quibus mors est proxima, quo sensu dolores mortis, et inferorum portas vocat Scriptura. Inevitabilia autem esse mala hic per umbram et operimentum ostendit, a quibus nec liberari, nec vel minimum quidem respirare possent. « Si obliti sumus nomen Dei nostri, et si expandimus manus nostras ad Deum alienum. Numquid Deus requiret » ista? Ipse enim novit abscondita cordis [2]. » Hoc est bonorum servorum, male patientes dominum colere et perseverare. Hæc sunt documenta philosophiæ. Hæc etiam do-

[1] Psal. XLIII, 20. — [2] Ibid. 21, 22.

cent auditores non simulare, sed Deum toto corde adorare. « Novit enim, inquit, abscondita cordis. » Hæc autem dicunt, illos terrentes, ne quid Deo indignum cogitent. Vide autem magnum virtutis incrementum : subjungit enim dicens : « Quoniam propter te mortificamur tota die : » æstimati sumus sicut oves occisionis [1]. » Magnum est enim manere Dei cultores, et ad alium non defecisse : multo autem majus est, cum mors assidue et quotidiana pericula immineant, talem conservare dilectionem. Considera autem quantum sit genus philosophiæ, cum ipse quoque Paulus eo utatur, apostolicorum periculorum procellas enumerans in Epistola ad Romanos [2]. Quot ergo hi coronis digni fuerint, quando in Veteri Testamento ad eamdem mensuram certaminum, quæ suscipienda erant in Novo, pervenerint? Quod enim dicit Palus, « Quotidie morior [3], » hi quoque dicunt, non experientia, nec eventu, sed animo. Quare autem dicit : « Propter te? » Licebat nobis, inquit, deficere, a patriæ reipublicæ institutis recedere, et tutos esse, sed malumus male pati, et patria instituta servare, quam, postquam a patriis institutis exciderimus, in pace vitam agere. « Æstimati sumus sicut oves occisionis. » Tam facile, inquit, nos interimunt. Hic autem ostendit eorum mansuetudinem. Sed tamen quamvis simus tam facile expositi, firmo tamen et immobili animo permanemus. Hic etiam jure admiranda est Dei potentia, quod eos, qui tanquam occisionis oves erant expositi, conservaverit, et quotidie morientes non siverit in mortem incidere. « Exurge, » quare obdormis, Domine? » Alius, « Quare es tanquam » dormiens? » Alius, « Expergiscere. » Alius, « Evigila. Ex» urge, et ne repellas in finem. Quare faciem tuam aver» tis? » Alius, « Abscondis. Oblivisceris inopiæ nostræ et

[1] Psal. xliii, 22. — [2] Rom. viii, 36. — [3] 1 Cor. xv, 31.

» tribulationis nostræ [1]? » Alius, « Malitiæ nostræ. » Quod autem dicit, est ejusmodi. » Potes mala solvere; neque enim propter tuam imbecillitatem, sed ex tua permissione hæc fiunt. » Somnum hic dicit quietem; exurrectionem, retributionem; faciem vero, protectionem, providentiam, curam, auxilium.

IX. Cur « Oblivisceris inopiæ nostræ? » Vide rursus pium et gratum animum. Non dixit: « Recte factorum: » non dixit: «Animi firmi et immobilis; » non dixit: « Animæ probatæ in tentationibus. » Sed quando quidam sese purgant, illa ponunt: quando autem petunt auxilium, ex iis ut salvi fiant postulant, ex quibus ii qui sunt condemnati. Quoniam, inquit, satis pœnarum dederunt, quoniam extrema passi sunt. Hoc etiam sæpe facit Paulus, et alii Prophetæ. Atque hæc hi dicebant, cum nihil adhuc scirent nec de gehenna, nec de regno, nec ullam adhuc talem didicissent philosophiam, omniaque facile ferebant. « Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra. Conglutinatus est in terra venter noster [2]. » Quoniam enim dixit: « Oblivisceris inopiæ nostræ, » hoc est, afflictionis, dicit deinceps quæ sit afflictio. Quod autem dicit, tale est: « Perimus, defossi sumus, nihilo meliori sumus conditione, quam mortui. » Jure aurem dixerit quispiam eorum etiam, qui rebus præsentibus affixi sunt, animam in terram esse humiliatam: eorumque, qui gulæ serviunt, ventrem esse terræ agglutinatum. Etenim qui amore vinctus tenetur, et luto inhiat, incorporeamque, quæ in se est, facultatem cineri mancipat, jure hæc pati dicatur. Quid enim aliud est pulchritudo corporis, nisi pulvis et lutum, atque adeo quidpiam his etiam deformius ac tetrius? Quod si fidem non habes, considera sepulcra hominum, et videbis lutum et pulverem. Quando enim facies vitam præsentem exuerit, tunc appa-

[1] Psal. XLIII, 23, 24. — [2] Ibid. 25.

ret id quod est, imo vero etiam ante mortem : quando enim senectus invaserit, quando morbus afflixerit, tunc videbis quid appareat; est enim lutum : sed ut peritus artifex, vel ex vili et nullius pretii materia fecit ingentem oriri pulchritudinem, non ut forniceris, sed ut tibi suam ostenderet sapientiam. Ne ergo Artifici injuriam feceris, nec ejus sapientiæ opus, stupri et impudicitiæ a te fiat materia. Formam eo usque mirare, ut gloria et honore afficias Artificem, ulterius autem ne progrediare, animi perturbationem excitans. Pulchrum opus : is ergo, qui fecit, est adorandus, non contumelia afficiendus. Si quis, dic, quæso, auream alicujus statuam et regiam imaginem cœno, et aliis ejusmodi fœdaverit, nonne ultimum luerit supplicium? Si autem qui inter homines ingrate et scelerate se gerit, tanti reus est supplicii : qui Dei opus tanta affecit ignominia, quid tandem patietur, et maxime quando qui hæc facit, habet uxorem? Ne mihi enim dixeris naturæ cupiditatem. Propterea enim permissum fuit matrimonium, ne ultra proprios terminos progredereris. Vide enim quanto dignus eris supplicio. Nam Deus tuæ quieti et honori prospexit, ut et naturæ rabiem per uxorem compesceres, et hoc absque ullo periculo faceres, et ab omni turpitudine et dedecore liberareris. Tu autem eum, qui tantam tui curam gerit, ex redundanti quadam et exuberanti copia, injuria afficis. Dic enim mihi, quæso, si noluisset lege lata statuere matrimonium, quantam vim, et quantum cruciatum sustinuisses? Cum ergo oporteat te ei gratias agere, et gloria eum afficere, quod tibi maximam laboris partem amputaverit, dum tibi non vulgare solatium excogitavit : tu per summum ingrati animi crimen eum contumelia afficis, omnem pudorem exuis, terminos tibi præscriptos transilis, et tuam gloriam probro afficis? Non audis Paulum et nunc, et in medio clamantem : « Fugite fornica-

» tionem[1] : » vel potius Christum audi, qui ejus movet animum? Cur alienam ediscis pulchritudinem? Cur de vultu non tuo curiose scrutaris? Cur ferris per præcipitia? Cur retibus teipsum illaqueas? Oppone murum tuis oculis, tuos oculos obstrue, impone legem tuis oculis. Audi Christum minantem, et impudicum aspectum tanquam adulterium condemnantem[2]. Quid te juvat voluptas, quando ea vermem parit, quando metum perpetuum, quando immortale ei, qui fecerit, supplicium? Quanto est melius, dum nostrarum cogitationum vim parumper sustinemus, frui perpetua animi tranquillitate, quam, dum nefariis nostris cupiditatibus paupulum indulgemus, immortali cruciatu affici? « Ne, o filii, ne ita faciatis. Non bona est fama quam » de vobis audio[3]. » Scio ad quos dirigatur oratio, non ad omnes : sed ubi vulnus invenerit, illic medicamentum adhibet. Cur matrimonium violas? cur cubile injuria afficis? cur membrum tuum lædis? cur famæ tuæ maculam et ignominiam inuris[4]? Excinde animi perturbationem, tolle delicias. Deliciæ enim et ebrietas sunt fons fornicationis. Si animi remissione non utaris ut oportet, id affert tibi afflictionem. Audi quid passi sint Judæi, qui fornicati fuerant, qui corporis Christi non fuerant participes, qui spiritualis mensæ fructum non perceperant : « Nec fornice- » mur, inquit, sicut nonnulli eorum fornicati sunt, et » ceciderunt in uno die viginti tria millia[5]. Exurge, Domine, » adjuva nos, et redime nos propter nomen tuum[6]. » Alius, « Sta nos defendens, et libera nos propter misericordiam » tuam. » Vide quomodo concluserunt orationem : post innumerabilia, quæ ab eis recte et ex virtute facta fuerant, undenam salutem assequi æquum censent? a misericordia, a benignitate et clementia, propter nomen Dei. Quid est,

[1] 1 Cor. VI, 18. — [2] Matth. V, 28. — [3] 1 Reg. II, 24. — [4] 1 Cor. VI, 15. — [5] Id. X, 8. — [6] Psal. XLIII, 26.

« Propter nomen tuum? » Ne ipsum profanetur, quod ipse etiam sæpe dicit : « Facio propter nomen meum. » Vidisti humilitatem et contritum animum? Et undenam petunt salutem? A clementia, a misericordia, tanquam quibus recte facta deficerent, et nulla justa salutis causa suppeteret, licet tot et tanta pericula laboresque susceptos jactare possent, ad Deum cuncta referebant. Nos quoque, qui in gratia sumus, eos imitemur, et Deo gloriam emittamus. Cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM XLIV.

Pro victoria, pro floribus filiorum Core. *Alius,* Victoriæ auctori : propter lilia filiorum Core. *Hebræus pro* liliis, *dicit* Al sosanim. Intelligentiæ canticum in dilectum. *Alius,* Scientis canticum propter amicitiam. *Alius,* Dilectis : *Hebræus autem dicit :* Idithoth. *Septuaginta,* In finem pro iis qui commutabuntur, filiis Core, ad intellectum, Canticum pro dilecto.

Eructavit cor meum verbum bonum [1]. *Alius,* Irrepsit. *Alius,* Motum est cor meum verbo bono.

I. Vellem nunc adesse omnes Judæos et Gentiles [2], et hoc libro a Judæis accepto, Psalmum ita legere. Neque enim ignoratis, et in judiciis, et ubique tunc maxime a suspicione remotum esse rerum testimonium, quando id fertur ab inimicis. Ut hoc ergo hodie quoque eveniat, exhibeamus testimonium ex Veteri, ut et Judæi, et Gentiles

[1] Psal. XLIV, 1, 2. — [2] Vide D. Guillon, tom. XIV, pag. 146-154.

pudore afficiantur. Judæi quidem legentes, et non intelligentes : Gentiles vero videntes libros nobis offerri ab inimicis. Neque enim poterunt ea a nobis esse conficta dicere, cum non nos, sed qui Christum crucifixerunt, libros nobis præbeant, qui de ejus potestate loquuntur. Sed sive adsunt, sive non, nos nostro officio fungamur et aggrediamur interpretationem. Hic enim Psalmus in Christum est inscriptus, et ideo habet inscriptionem, « In dilectum, » et, « Pro » iis qui commutabuntur. » Is enim nobis magnam fecit mutationem rerumque conversionem, ac traductionem. Hanc mutationem significans quoque Paulus dicebat : « Qua» re si qua in Christo nova creatura [1]. » Et ideo non dicit in principio : « Dixit cor meum. » Quoniam enim eorum, quæ dicebantur, nihil erat humanum, sed cœlestia ac spiritualia erat narraturus, eaque non ex propria inventione, sed ex divina operatione, eructationis nomine hoc significat. Eructamus enim non quando volumus, sed hunc sermonem habemus quando volumus, eumque et dicimus, et reprimimus : eructationem autem non itidem. Ostendens itaque quæ dicuntur, non esse humani studii, sed divinæ inspirationis, quæ eum incitabat, eructationem prophetiam appellavit. Quemadmodum enim in eructatione id quod fit, oritur ex qualitate ciborum : ita etiam in doctrina spirituali. Talia ergo eructabat, qualia comedebat. Vide autem alibi quoque alium Prophetam hanc operationem similitudine sensibili exprimentem, et volumen libri comedentem, idque cum voluptate. « Fuit enim, inquit, in ore meo » tanquam mel dulce [2]. » Quia ergo spiritualem gratiam acceperunt, eis quoque similia eructarunt. Quod enim nec de hac eructatione sensibili, nec de cibis agatur, audi quidnam eructet, et quis ille sit qui eructat. Non stomachus, qui est ciborum receptaculum, sed cor. « Eructavit

[1] 2 Cor. v, 17. — [2] Ezech. III, 3.

» enim, inquit, cor meum. » Et quid eructat ? Non cibum, nec potum, sed quæ sunt mensæ opportuna, « Bonum ver- » bum, » nempe de Unigenito. Is est enim maxime bonus. « Veni enim, inquit, non ut judicem mundum, sed ut » mundum salvum faciam[1]. » Omnia mitia ac mansueta, omnia supplicio libera. Eructat autem talia, quoniam cor suum expurgavit. Quemadmodum enim venter, quando sordidis succis fuerit plenus, eis cognata et consimilia eructat : sed quando sanus fuerit, ei quoque convenientem edit eructationem : ita etiam cor Prophetæ, postquam fuit a peccatis liberum, accepit gratiam Spiritus, et eructat verbum bonum. Hinc etiam aliquid aliud discimus, nempe Prophetas non fuisse sicut vates. Illic enim quando dæmon animam invaserit, orbat mentem ac cogitationem, et rationem obscurat, et ita omnia illi ore suo loquuntur, mente nihil intelligente eorum quæ loquuntur, non secus ac si tibia aliqua inanimata loquatur. Hoc etiam dixit aliquis eorum qui sunt apud ipsos philosophorum, his verbis : « Quemadmodum ii, qui responsa canunt, et vates, multa » quidem dicunt, eorum autem quæ dicunt, nihil sciunt. » Sed non ita facit sanctus Spiritus, sed permittit ut cor cognoscat quæ dicuntur. Si enim non cognosceret, quomodo diceret : « Verbum bonum ? » Dæmon enim, utpote hostis et inimicus, cum hominum natura bellum gerit : Spiritus autem sanctus, ut qui nostri curam gerat, et beneficio afficiat, id agit, ut qui eum suscipiunt, sint sensus participes, et illis intelligentibus, revelat quæ dicuntur. « Dico ego opera mea regi[2]. » Alius, « Facta mea. » Quænam dicit opera ? Prophetiam. Quemadmodum enim fabri ærarii opus est facere dolabram, et architecti domum facere, et navium fabricatoris navem compingere : ita est etiam Prophetæ texere prophetiam. Quod enim hoc quo-

[1] Joan. XII, 47. — [2] Psal. XLIV, 2.

que sit opus, audi Christum dicentem de Apostolis : « Dig-» nus est operarius mercede sua [1] » Et Paulus : « Maxime » qui laborant in verbo et doctrina [2]. » Si enim non erat opus, quomodo habuit laborem? Quid est enim hoc opere præstantius? Quid vero utilius? Omnibus artibus sublimius est. Quodnam est ergo opus quod regi dicit? Hic hymnus, hæc prophetia. Non dixit autem cuinam regi, significans se dicere Deo universorum. Quemadmodum enim, quando dicimus regem Persarum, non simpliciter et absolute regem dicimus, sed adjicimus, Persarum, ita etiam Armeniorum; quando autem nostrum dicimus, non habemus opus additamento, sed sufficit nobis regem dicere : ita etiam Propheta, quoniam loquitur de eo qui vere rex est, satis habet si dicat : « Regi. » Sicut enim, cum dicimus Omnipotentem, nulla opus habemus adjectione, quoniam non est alius omnipotens : ita etiam cum regem dicimus, non habemus opus alia adjectione, quod non sit alius rex Deus. Alioquin autem is, qui id dicebat, rex erat. Unde clarum est eum non de homine dicere, sed de Deo universorum : et ideo non dixit βασιλεῖ, sed τῷ βασιλεῖ, adjectione articuli peculiarem dominationem ostendens.

II. Deinde rursus declarans quæ dicuntur, non esse ab homine excogitata, meditata et composita, sed ea esse divinæ gratiæ, et se tantum linguam eis commodasse, subjunxit : « Lingua mea calamus scribæ velociter scriben-» tis [3]. » Calamus autem ea scribit, quæ jubet manus ejus qui eum tenet. Alius autem dicit : « Lingua mea ut stylus » scribæ celeris. » Quid sibi vult illud, « Celeris? » Ut ex eo quoque ostendat gratiam. Qui enim aliquid ex se prolatum loquitur, differt et cunctatur, meditans, componens, impeditus ignoratione, inscitia, et dilatione : et multa sunt quæ velocitatem sermonis interturbant. Quando autem

[1] Luc. x, 7. — [2] 1 Tim. v, 17. — [3] Psal. xliv, 2.

mentem movet Spiritus, nihil est quod impediat : sed sicut aquæ impetus, cum magno murmure præcipitat, progreditur : ita gratia Spiritus cum magna celeritate procedit, omnia levia, plena et expedita proferens. Deinde hoc ipsum rursus expurgans, et ostendens nihil esse humanum eorum quæ dicuntur, subjungit. « Speciosus forma præ filiis » hominum [1] » Nonnulli quidem dicunt hoc dictum esse de lingua, quod sit calamus speciosus forma : mihi autem videtur eum deinceps de Christo dicere. Et ideo alius quoque dicit interpres : « Pulchritudine ornatus es a filiis ho- »minum. » Magno enim ardore et summa in eum affectione percitus, ad eum convertit orationem, quemadmodum Jacob quoque dicebat : « Ex germine, fili mi, ascendisti, re- » cumbens dormivisti ut leo [2]. » A Deo enim afflatus, cum eo deinceps loquitur, et ad ipsum dirigit orationem. Hoc autem dicit non per comparationem ; non enim dixit : « Speciosor, » sed, « Speciosus forma præ filiis hominum. » Hæc pulchritudo est alia ab illa. Considera autem quomodo primum loquitur de humanæ naturæ susceptione. Quod autem de ea loquatur, ostendunt quæ sequuntur. Cum enim dixisset : « Speciosus forma præ filiis hominum, » subjunxit : « Diffusa est gratia in labiis tuis [3] ; » Deus autem non habet labia, sed de humanæ naturæ susceptione agitur. Alius autem interpres dicens : « Refusa est gratia labiis tuis, » hoc fecit apertius. Quid autem est, « Refusa est, » nisi velut si quis diceret : « Quæ erat intus, scaturiit, emanavit ? » Quomodo ergo dicit alius Propheta : « Vidimus ipsum, et non » habuit speciem, nec pulchritudinem, sed speciem ejus » indecoram, diminutam præ filiis hominum [4] ? » Non dicit de deformitate, absit : sed de ejus contemptione. Cum enim semel humanam naturam suscepisset, quæcumque erant

[1] Psal. XLIV, 3. — [2] Gen. XLIX, 9. — [3] Psal. XLIV, 3. — [4] Isaï. LIII, 2, 3.

vilia et contemnenda pervasit, ut qui nec sibi matrem reginam asciverit, nec tempore incunabulorum in lecto aureo positus sit, sed in præsepi [1] : nec in magnifica domo fuerit educatus, sed in fabri lignarii humili domuncula. Et rursus, cum Discipulos assumeret, non rhetores et philosophos accepit, et reges, sed piscatores et publicanos [2] : et tenuem hanc vitam persequebatur, nec domum habens [3], nec vestibus pretiosis indutus, nec delicata et lauta mensa fruens, sed ab aliis nutritus, probris affectus, contemptus, ejectus et fugatus. Hæc autem faciebat ex superabundanti quadam copia humanum fastum conculcans. Quoniam ergo nil magnificum nec gloriosum præ se ferebat, nec ullos comites habebat, nec satellites, imo vero nonnunquam etiam solus circuibat, sicut quilibet e populo, propterea ille quidem dicit : « Vidimus ipsum, et non habuit speciem, » nec pulchritudinem [4] : » hic autem, « Speciosus forma præ » filiis hominum, » significans gratiam, sapientiam, doctrinam, miracula. Deinde describens ejus pulchritudinem, dicit : « Diffusa est gratia in labiis tuis. » Vides eum hæc dicere de humana ab eo suscepta natura? Quæ est autem hæc gratia? Per quam docuit, per quam fecit miracula. Gratiam hic dicit, eam quæ venit ad carnem. « Super » quem, inquit, videris Spiritum descendentem tanquam » columbam, et manentem super ipsum, is est qui bapti- » zat [5]. » Omnis enim gratia effusa est in illud templum. Non dat enim illi Spiritum in mensura. « Nos enim de ejus » plenitudine accepimus [6] : » illud autem templum integram et universam accepit gratiam. Hoc Esaïas quoque significans, dicebat : « Requiescet super ipsum Spiritus sapientiæ » et intelligentiæ, Spiritus consilii et virtutis, Spiritus » scientiæ et pietatis. Spiritus timoris Dei implebit ipsum [7]. »

[1] Luc. II, 7.— [2] Matth. IV, 18, et IX, 9.— [3] Luc. IX, 58. — [4] Isaï. LIII, 2. — [5] Joan. I, 32. — [6] Ibid. 16. — [7] Isaï. XI, 2, 3.

Sed illic quidem est integra et universa gratia : in hominibus autem parum quid, et gutta ex illa gratia. Propterea non dixit : « Do Spiritum, » sed, « Effundam de Spiritu » meo super omnem carnem [1]. »

III. Hoc itaque evenit. Omnis enim orbis terrarum accepit ex illo Spiritu. Incœpit enim donum a Palæstina, processit autem in Ægyptum, in Phœniciam, Syriam, Ciliciam, Euphratem, Mesopotamiam, Cappadociam, Galatiam, Scythiam, Thraciam, Græciam, Galliam, Italiam, omnem Libyam, Europam, Asiam, in ipsum Oceanum. Quid longiori oratione opus est? Quantum terræ sol respicit, tantum pervasit hæc gratia : et hæc gutta ac stilla Spiritus implevit universum orbem terrarum scientia. Per eam signa fiebant, omnium peccata solvebantur. Gratia tamen, quæ data est in tot regionibus, est aliqua tantum pars et arrha doni. « Dans, enim, inquit Apostolus, arrham Spiritus » in cordidus nostris [2], » hoc est, partem operationis. Spiritus enim non dividitur. Vide autem quantus sit fons. « Alii » enim per Spiritum datur sermo sapientiæ : alii vero sermo » scientiæ secundum eumdem Spiritum : alii vero fides, alii » gratiæ curationum, alii vero operationes potestatum in » eodem Spiritu ; alii autem Prophetiæ, alii discretiones » Spirituum, alii genera linguarum [3]. » Tot dona in tot gentes, quæ in baptismo suscepta est gratia in universum terrarum orbem extendit. Hæc autem omnia facit stilla Spiritus. Quod enim stilla esset, declaravit cum dixit : « Effundam de Spiritu meo, » et cum « Arrham » appellavit. Per hoc enim clarum est parum quid ex toto datum esse. Quocirca Joannes quoque hoc ipsum significans dicebat : « Ex plenitudine ejus nos omnes accepimus [4] : » Ex eo quod, ut ita dixerim, superfluebat, ex eo quod redundabat,

[1] Joël. II, 28. — [2] I Cor. I, 2. — [3] Id. XII, 8-10. — [4] Joan. I, 16.

ex eo quod supereffundebatur, omnes accepimus. Considera ergo quam sit omni ex parte sufficiens gratia Spiritus, quæ universo orbi terrarum tanto tempore sufficit, et neque circumscribitur, nec consumitur, sed omnes quidem implet opibus et gratia : ipsa vero minime consumitur. Deinde quoniam nomen Spiritus multa nomina complectitur; nam et Angelus, et anima, et ventus hoc dicitur, et multa alia : subjunxit : « De Spiritu meo. » Quemadmodum ergo hominis spiritui intercedit cum homine cognatio, ita etiam Dei Spiritui, sed ei nihilo secius manenti in propria hypostasi. Idque Paulus significans, dicebat : « Quis enim » hominum novit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis » qui in ipso est? Ita etiam quæ sunt Dei, nemo novit, nisi » Spiritus Dei [1], » non confundens hypostases seu personas, absit : sed nobilitatem Spiritus significans. Quanta ergo est ipsius animæ cum seipsa consensio, tanta est Spiritus cum Patre cognatio. Quemadmodum ergo Filius quoque dicitur Verbum, nec est tamen ejusmodi ut non subsistat, sed per id cognoscimus quæ sit ejus cum Patre cognatio : ita etiam Spiritus Dei dicitur Spiritus, nec tamen non subsistit. Et quemadmodum quoniam est proprius ac germanus Patris Filius, propterea nobis largitur adoptionem filiorum : ita etiam Spiritus, quoniam sua natura est ex Dei substantia, dona nobis præbet. Nam homo quoque, quandoquidem natura homo est, ideo potest hominis pingere imaginem. « Propterea benedixit te Deus in æternum [2]. » Alius dicit : « Hujus rei gratia. » Vides quomodo ex vehementi affectione ad ipsum orationem dirigit? Ea de causa alibi quoque non simpliciter futura prædicit, sed præ se ferens figuram oblati criminis, ut quando dicit : « Quare » fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania [3]? » Ita etiam hic cum dicit : « Propterea benedixit te Deus in

[1] 1 Cor. II, 11. — [2] Psal. XLIV, 3. — [3] Id. II, 1.

» æternum. » Cum enim nec de ejus ortu, nec de educatione, nec de aliis quidquam dixisset, hic obiter de eo loquitur. Qua de re? Quod omnia quidem dicere per ordinem, est Evangelistarum, et ideo illa eis reservavit; hoc enim erat officium illorum narrationis: prophetiæ vero munus est partes aliquas sumere, et de eis disserere. Et ideo Prophetæ quoque hoc ubique faciunt: nam pauca quædam, quæ ad historiam pertinent, injicientes et adumbrantes, recedunt. Ideo hic quoque: « Benedixit te Deus, » inquit, in æternum, » sic declarans ejus verba tanta gratia fuisse plena. Considera ergo virtutem gratiæ. Deambulat quandoque prope mare, et invenit Jacobum et Joannem, dicitque eis: « Venite post me, et faciam vos » piscatores hominum. Illi vero, et patre et retibus relictis, » eum secuti sunt [1]. » Deinde etiam cum alibi diceret omnibus Apostolis: « Numquid vos quoque vultis recedere [2]? » Dicit ei Petrus: « Domine, verba vitæ æternæ habes, et » nos credidimus et cognovimus quod tu es Christus Filius » Dei vivi: et ad quem abibimus [3]? » Quid dico Discipulos? Ipsi Pharisæi, cum misissent ministros, audierunt eos dicentes: « Nunquam homo sic locutus est, ut hic homo [4]. » Et alii rursus dicebant: « Nunquam sic visum est in Israël. » Et mirabantur, inquit, quod eos doceret tanquam habens » potestatem, et non ut Scribæ ipsorum et Pharisæi [5]. »

IV. Si velis autem tu quoque scire gratiam, considera quanti sint ponderis et momenti ejus præcepta, et videbis ejus potentiam. « Nisi quis renuntiaverit omnibus, » et præterea animam suam odio habuerit, inquit, « Non est » me dignus [6]. » Sermo tamen tantum potuit, ut in opus exiret, et revera id fieret; tanta erat ejus gratia. Quid est majori nobiscum familiaritate ac necessitudine conjunc-

[1] Matth. IV, 19, 20. — [2] Joan. VI, 68. — [3] Ibid. 69, 70. — [4] Joan. VII, 46. — [5] Matth. IX, 33, et VII, 28. — [6] Luc. XIV, 33.

tum, quam anima? Atqui ipsa quoque contemptui habita est propter illius jussum. Tu autem cum audis : « Benedixit te » Deus, » ne labaris, nec humile et abjectum quidpiam cogitaveris. Quemadmodum enim jam ante dixi, de carne loquitur, quæ habet labia, quæ gratiam suscipit, quæ suscipit benedictionem; Deus enim nec benedictione opus habet, nec gratia. Nam Deus nullius rei indiget. « Quemadmodum, » enim, inquit, Pater suscitat mortuos et vivificat : ita etiam » quos vult Filius vivificat [1], » Et rursus : « Opera quæ ille » facit, ea quoque facit Filius similiter [2]. » Et rursus : « Sicut » cognoscit me Pater, et ego quoque cognosco Patrem [3]. » Illud enim, « Sic, » et « Similiter, » et « Sicut, » significant eum esse per omnia similem : sed hic de humana natura quam susceperat, agitur. Audimus autem ipsum quoque rursus dicentem : « Propterea Pater me diligit, quia ego pono ani- » mam meam pro ovibus [4]. » Numquid eum non diligebat antea? Quomodo ergo dixit : « Hic est Filius meus dilec- » tus [5]? » Sed hoc posuit volens ostendere quantum et quam præclarum ab eo ederetur facinus. Sicut ergo illic in reddenda ratione est causa aliqua, ita etiam hic quoque causa est manifesta. Hac enim de causa prius dixit : « Spe- » ciosus forma præ filiis hominum; » et : « Diffusa est » gratia in labiis tuis, » et : « Propterea benedixit te Deus » in æternum, » id susceptæ humanitati ascribens; ut quando rursus humanum quid dicturus sit, et quod sit ejus dignitate inferius, ne labaris, sed cognoscas de quonam loquatur. Ita etiam Jacob humanitatis susceptæ consilium significans, post multa alia dicebat : « Gratiosi ejus » oculi sicut vinum, et candidi dentes ejus plus quam lac [6]. » Divinitas autem non habet dentes. Alius quoque Propheta dicit : « Percutiet terram verbo oris sui, et spiritu labio-

[1] Joan. v, 21. — [2] Ibid. 19. — [3] Id. x, 15. — [4] Ibid. 17. — [5] Matth. III, 17. — [6] Gen. XLIX, 12.

» rum tollet impium [1], » eadem dicens quæ Paulus : « Quem » Dominus consumet spiritu oris sui, et adolebit appari- » tione suæ præsentiæ [2]. » Ne tu ergo, cum hæc audieris, contemnas, ostendit tibi vires Divinitatis. Neque enim carnem dividit a Divinitate, neque Divinitatem a carne, non substantias confundens, absit : sed unionem ostendens. Propterea dicit : « Benedixit te Deus in æternum. » Quis est autem modus benedictionis? Assistunt Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, laudibus celebrantes. Omnis terra a finibus in fines Deum incarnatum canit, et laudibus afficit. Primus enim Adam ingenti repletus fuit maledictione, hic contra multa benedictione. Ille audivit : « Maledictus tu in operibus tuis [3], » et alius post illum : « Maledictus, qui facit opus Dei negligenter [4] ; » Et, « Maledictus qui non permanet in omnibus quæ scripta » sunt in libro hoc [5] ; » Et, « Maledictus, qui pendet in » ligno [6]. » Vides quot maledictiones? Ab his omnibus te liberavit Christus, factus maledictum. Quemadmodum enim seipsum humiliavit, ut te exaltaret, et mortuus est, ut te redderet immortalem : ita etiam factus est maledictum, ut tu implereris benedictione. Quid potest conferri cum hac benedictione, quando per maledictionem largitur benedictionem? Neque enim ipse opus habuit benedictione, sed eam tibi dat. Quemadmodum enim, quando dico eum fuisse humiliatum, non dico mutationem, sed humanæ susceptæ naturæ demissionem : ita etiam, quando dixero eum esse benedictum, non hoc dico, quod ei fuerit opus benedictione, sed rursus ostendo demissionem humanæ susceptæ naturæ. Benedicta fuit ergo humana natura : « Christus enim a mortuis excitatus, non moritur am-

[1] Isaï. xi, 4. — [2] 2 Thess. ii, 8. — [3] Gen. iii, 17. — [4] Jer. xlviii, 10. — [5] Deut. xxvii, 26. — [6] Id. xxi, 23, et Galat. iii, 13.

» plius [1], » nec est maledicto obnoxius : imo vero nec ante quidem erat obnoxius, sed suscepit maledictum, ut te ab eo liberaret. « Accingere gladio tuo super femur tuum, Po- » tentissime [2]. » Alius, « Cinge ensem tuum super femur. » Alius, « Circumpone veluti gladium tuum super femur. » Specie tua et pulchritudine tua [3]. » Alius, « Laudem tuam » et auctoritatem tuam. » Alius, « Gloria et decore tuo. » Quænam est hæc mutatio, et quænam verborum translatio? Cum enim de doctore loqueretur; hoc enim sibi vult illud, « Diffusa est gratia in labiis tuis; » armatum regem nobis repente describit, nec ita ut locum teneat prophetiæ, sed ut locum supplicationis. Non dixit enim : « Accingetur gladio suo, » sed rogat, et dicit : « Accingere gladio » tuo : » deinde huic etiam armaturæ admiscet pulchritudinem, nunc quidem gravis armaturæ militem significans, nunc vero venustum hominem ac speciosum. « Specie » enim, inquit, tua et pulchritudine tua. » Deinde sagittarium. « Sagittæ enim, inquit, tuæ acutæ, Potentissime. » Et rursus victorem et triumphatorem : « Populi, inquit, » sub te cadent in corde inimicorum regis [4] » Eumdem rursus inducit unguentis delibutum, qui est miles gravis armaturæ, et rex, et sagittarius, et victor. « Myrrha enim, » inquit, et gutta, et casia a vestimentis tuis. »

V. Quid ergo commune inter se habent arma et unguenta, unctio et gladius, doctrina et bellum, arcus et pulchritudo? Hæc enim sunt signa pacis, illa vero prælii et instructæ aciei. Quis ergo est simul et pacis amicus, et rei militari deditus? cui distillat unguentum, et armis est munitus? Quis procedit ex domibus eburneis, et hostes fundit innumerabiles, et maximam stragem facit? Quomodo solvemus hanc difficultatem? Si recte sciamus hæc quoque dici de Patre. Nam ipse quoque Propheta eum

[1] Rom. VI, 9. — [2] Psal. XLIV, 4. — [3] Ibid. 5. — [4] Ibid. 6.

alibi armatum introducit, ut quando dicit : « Nisi conversi » fueritis, gladium suum vibrabit : arcum suum tetendit, » et paravit ipsum, et in eo paravit vasa mortis [1]. » Et rursus alibi : « Induet thoracem justitiam [2]. » Vide autem eamdem quoque auctoritatem. Quemadmodum enim illic dicit : « Gladium suum vibrabit, » non ab alio jussus, sed ipse ex seipso : ita hic etiam, « Sagittæ potentis acutæ, populi » sub te cadent in corde inimicorum regis. » Deinde ostendens eum omnia ex sua auctoritate facere, dicit : « Deducet » te mirabiliter dextera tua [3]. » Non aliunde, inquit, operationem suscipis, sed ipse tibi ipsi sufficis. Audi autem ipsum quoque pacis Deum dicentem Discipulis : « Non veni » pacem in terram mittere, sed gladium [4]. » Et rursus : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accen- » datur [5] ? » Hic autem de eodem loquens, quomodo sit venturus dicit : « Descendet sicut pluvia in vellus, et tanquam » gutta quæ distillat super terram [6]. » Hæc dico, ut attenti sitis et vigilantes, et quæ ex dictionibus significantur diligenter sumentes, solvatis apud vos dubitationem. Hæc enim nomina significant ejus operationes. Ita ergo hic quoque cum audieris : « Accingere gladio tuo super femur » tuum, Potentissime, » existima esse nomen ejus operationis : ita etiam arcus et sagittas. Quemadmodum enim Scriptura dicit Deum irasci, non perturbationem animi ei tribuens, sed per hanc dictionem, ultricem ejus operationem ostendens, et quæ sunt crassiora attingens : ita idipsum significat, cum arma memorat. Quia enim non per nos ipsos, sed per alia instrumenta punimur, volens ejus puniendi ostendere facultatem, id per nomina nobis nota significavit, non ut arma in Deo cogitemus, sed ut significantius et cum majori emphasi ejus ultionem audiamus.

[1] Psal. vii, 13, 14. — [2] Sap. v, 19. — [3] Psal. xliv, 5. — [4] Matth. x, 34. — [5] Luc. xii, 49. — [6] Psal. lxxi, 6.

At multi, inquies, ex hoc loco læsi sunt; sed temere, et a propria inscitia: cum enim Deum audirent, debebant intelligere id dictum esse tropice et figurate. Nunc vero nec per alia quidem verba neglexit Scriptura eos docere Deum esse impatibilem. Audi ergo quomodo alibi docet, quam sit ei facile sumere supplicium, dicens: « Exurgat Deus, et dissi- » pentur inimici ejus [1]. » Numquid opus est armis? Numquid gladio? Sufficit, inquit, solum si exurrexerit. Sed hoc quoque rursus est crassum, et ideo sæpe dicit: « Qui respicit super » terram, et facit eam tremere [2]. » Et rursus: « A facie ejus » commota est terra [3]. » Atqui hoc quoque crassum est. Audi ergo rursus id quod est sublimius: « Omnia quæcumque » voluit fecit [4]: » ei enim solum voluisse sufficit. Vide autem quomodo in his etiam crassioribus ostendit Deum nullius rei egere. Neque enim prius armorum meminit, quam eum potentem vocaverit; et rursus cum arma enumerasset, omnem victoriam ejus dextræ ascripsit, hoc est, ejus naturæ et potentiæ. Quod alius quoque Propheta significans, dicebat: « Principatus ejus super humerum ejus [5], » non ut humerum intelligas, absit, sed ut scias Deum non egere aliorum auxilio. « Accingere gladio tuo super femur tuum, » Potentissime, specie tua et pulchritudine tua. » Quid hic igitur dicit? Per hæc crassiora nomina ostendit ejus operationem, per quam orbem terrarum rexit, per quam bellum confecit, et tropæum erexit. Erat enim bellum gravissimum, et omnium bellorum acerbissimum, in quo non barbari bellum gerebant, sed dæmones tendebant insidias, et universo orbi terrarum afferebant exitium. Quocirca Esaïas quoque dicebat: « Et fortium dividet spolia [6]. » Et rursus alibi: « Spiritus Domini super me, qua de causa » unxit me, ad evangelizandum pauperibus misit me, ad

[1] Psal. LXVII, 2. — [2] Id. CIII, 32. — [3] Id. CXIII, 7. — [4] Id. CXXXIV, 6. — [5] Isaï, IX, 6. — [6] Id. LIII, 12.

» prædicandam captivis remissionem[1]. » Quamobrem Paulus ubique in principio Epistolarum scribens dicebat : « Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro[2]. » Et rursus : « Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum[3]. » Ne autem, dum audis, « Accingere gladio tuo, » ensem intelligas sensilem, audi quæ sequuntur. Cum enim dixisset : « Ac- » cingere gladio tuo, » subjunxit, « Specie tua, et pulchri- » tudine tua : » hoc est, gladius, species ejus, pulchritudo, gloria, auctoritas, majestas, et magnificentia. Nullius enim illa indiget substantia ad ea recte gerenda, quæ fuerint proposita : est enim nullius indiga. Eum ergo adhortatur Propheta, pro universo orbe terrarum eum ad bellum educens. Deinde a sublimibus orationem rursus deducit ad crassiora. Cum enim dixisset gladium et femur, ascendit ad speciem et pulchritudinem : et illinc rursus descendit ad ea, quæ sunt magis corporea, et dicit : « Intende, pros- » pere procede, et regna[4]. » Cum autem dixit : « Intende, » arcum significavit et sagittam. Deinde ostendens rursus eum armis non egere, subjunxit, « Prospere procede, et » regna. » Alius autem interpres dicit : « Promove. » Regnum autem hic dicit, quod cum advenisset, administravit extremis temporibus, quodque est secundum propriam rationem et scientiam.

VI. Hæc autem verba indicant Prophetæ desiderium videntis jam quæ erant ab eo facienda, et universum orbem terræ deductum ad veritatem, et ideo tropo et figura imperantis usus est. Consueverunt enim minores, quando sunt acri majorum inflammati studio, his uti dictionibus. « Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam[5]. » Adverbio veritatis utitur. Vides quomodo seipsam interpretatur Scriptura, et ostendit victoriam versari in intel-

[1] Isaï. LXI, 1. — [2] Rom. I, 7. — [3] Ephes. II, 14. — [4] Psal. XLIV, 5. — [5] Ibid.

ligentia, et esse spiritualem? Qui enim meminit armorum, gladii, et arcuum, quomodo hic meminit mansuetudinis? Quid enim commune inter se habent bellum et mansuetudo, modestia et pugna? Permultum quidem certe, si quis recte expenderit. Nam et David et Moses erant mites: et ideo de illo quidem dicit Scriptura: « Memento, Domi- » ne, David, et omnis mansuetudinis ejus [1]. » De Mose autem: « Erat Moses mitissimus omnium hominum qui erant » super terram [2]: » tamen videntur ii, qui erant omnium mitissimi, omnium maxime ulcisci. Sed si vultis, dicamus prius de eorum mansuetudine. Cum hic Beatus cepisset sæpe Saülem, et esset in ejus potestate eum de medio tollere, manum in eum non immisit: quinetiam, cum alii ipsum incitarent, ei pepercit, et iram repressit [3]. Jam vero cum Semeï eum contumelia afficeret, et ejus calamitati tunc insultaret, vellentque duces transire, et maledicum hominem probris ejusmodi insectantem interimere, verba profert omni sapientia plena [4]. Illum quoque parricidam et incontinentem adolescentem, quomodo suis commendat ducibus, dicens: « Parcite mihi filiolo Absalom [5]? » Quando autem in principio loquebatur cum fratribus ei invidentibus propter futuram victoriam, cogita quam mansuete loquitur dicens: « Numquid non verbum est [6]? » Quid vero Moses: pro iis, qui eum lapidibus petierant [7], pro iis, qui eum, quantum in eis erat, de medio sustulerant, audi quid dicat: « Si peccatum quidem eis dimittis, dimitte: sin mi- » nus, me quoque dele de libro quem scripsisti [8]. » Cum alii rursus eum moverent ad æmulationem, et incitarent ad iram, pulchra illa et sapientiæ plena verba locutus est, dicens: « Quis det totum populum Domini Prophetas

[1] Psal. CXXXI, 1. — [2] Num. XII, 3. — [3] 1 Reg. XXIV, 9 et seqq. — [4] 2 Reg. XVI, 5-13. — [5] Id. XVIII, 5. — [6] 1 Reg. XVII, 29. — [7] Exod. XVII, 4. — [8] Id. XXXII, 31, 32.

» esse[1] ?» Pro sorore autem rursus, quæ eum maledictis incesserat, quam suppliciter precatur[2] ? Ex multis quoque aliis locis videri potest ejus mansuetudo, quando etiam e terra ejectus, et in Palæstinam ingredi prohibitus, cum omni comitate et mansuetudine Judæos alloquitur. Sed tamen hic mitis, ut Dathan, Abiron et Core, cum in sacerdotium invasissent, a terra absorberentur, et alii exurerentur, quod ignem alienum obtulissent, æquum existimavit[3]. David quoque ille mansuetus, et Goliath prostravit, et exercitum fugavit, et retulit victoriam[4]. Hoc est enim vel maxime mansueti, suas quidem injurias remittere, eos autem, quibus fit injuria, defendere: quemadmodum Christus quoque fecit. Cum enim in crucem ascendisset, dicebat : « Pater, ignosce eis, nesciunt enim quid faciunt[5]. » Et Jerusalem rursus deflens, dicebat : « Quoties volui con» gregare filios vestros, et noluistis : ecce relinquetur do» mus vestra deserta[6]. » Et cum impactus esset ei colaphus, non colaphum contra impegit, sed ei qui impegerat, se excusat[7] : et cum appellaretur dæmoniacus, ejiciebat dæmones : et cum vocaretur planus, et impius, et Dei adversarius, in regnum eos suum ducebat. Discipulis quoque præcepit ut ubique flagella sustinerent, persecutionem paterentur, expellerentur, inferioremque locum deligerent. « Qui enim vult in vobis esse primus, inquit, sit vester mi» nister[8]. » Domesticum autem subjunxit exemplum, dicens: « Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed minis» trare, et dare animam suam redemptionem pro multis[9]. » Quod si expellit dæmones, et cum diabolo bellum gerit, et errorem tollit de medio, hoc quoque est maxime mansuetudinis, omne quidem vitium abolere, eos autem, qui

[1] Num. xi, 29. — [2] Id. xii, 13. — [3] Id. xvi, 15. — [4] 1 Reg. xvii. — [5] Luc. xxiii, 34. — [6] Matth. xxiii, 37. — [7] Joan. xviii, 22, 23. — [8] Matth. xx, 26. — [9] Ibid. 28.

ab illo detinentur, liberari, insidiantes dæmones coërcere, et qui ab eis probris affecti fuerint, a malis eripere. Quid est autem, « Propter veritatem, et mansuetudinem, et jus- » titiam? » Dixit bellum, dixit instructam aciem, ostendit armatum militem, dicit deinceps quæ pulchra et præclara in regno suo gesserit, genus tropæi, conditionem et naturam victoriæ. Alii enim omnes homines regnantes, vel pro civitatibus, vel pro opibus, vel pro inimicitiis, vel pro vana gloria bellum gerunt : ipse autem propter nullum eorum, sed propter veritatem, ut eam plantet in terra : et propter mansuetudinem, ut qui sunt feris immaniores, mansuetos efficiat : et propter justitiam, ut in quos tyrannidem exercet iniquitas, eos justos faciat, primum quidem ex gratia, deinde ex recte factis : « Et deducet te mirabiliter dextera » tua [1]. » Alius, « Et illuminabit te super terribilia dextera » tua. » Alius, « Et ostendet tibi terribilia dextera tua. »

VII. Vidisti quomodo rursus nobis aperuit dignitatem ejus, qui hæc præclara facit? Sicut enim, cum superius dixisset arma, et gladium, ascendit ad speciem ac pulchritudinem, et ad incorporeas intelligentias deduxit auditorem; ita cum rursus descendisset ad id quod est crassius, nempe arcus et sagittas, paulatim rursus erigit auditorem, belli causas referens, veritatem, mansuetudinem, justitiam; deinde rursus modum quoque victoriæ. Quisnam autem est is? « Et deducet te, inquit, mirabiliter dextera » tua. » Quod autem dicit, tale est. Ipsa sibi ipsi natura sufficit, ipsa sibi ipsi sufficit potentia ad videndum quæ sunt agenda, et finem eis imponendum. Recte autem dixit alius : « Terribilis dextera tua, » sunt enim valde terribilia et horrore plena quæ gessit; mors deleta est, perfracti sunt inferi, paradisus fuit apertus, cœlum patuit, obstructa sunt ora dæmonibus, inferna cum supernis commixta sunt, Deus

[1] Psal. XLIV, 5.

homo factus est, homo sedit in solio regio, aperta est spes resurrectionis, immortales expectationes, ineffabilium bonorum usus fructus, et alia quæcumque per suum adventum præclare gessit : et ideo dixit : « Deducet te ad terribilia » hæc dextera tua, » ostendens sibi ipsi sufficere naturam et potentiam ad ea invenienda et perficienda, quæ fuerant proposita. Septuaginta autem dicunt : « Deducet te mira- » biliter dextera tua, » hoc est, non solum mirari oportet, quod res pulchras et præclaras gesserit, sed quod eas præter hominum expectationem et opinionem gesserit. Per mortem enim mors deleta est ; per maledictum maledictum sublatum est, et data benedictio ; per esum nuper ejecti fueramus, per esum rursus introducti fuimus. Virgo nos paradiso expulit, per Virginem vitam æternam invenimus. Per quæ condemnati sumus, per ea fuimus coronati. Hæc ergo animo agitans Propheta, dicebat : « Deducet te » mirabiliter dextera tua. » Numquid opus est armis : Num gladio ? Num arcu et sagittis ? Vidisti quomodo ipsa natura, ipsa potentia, est sibi ipsi sufficiens ? Sed vide eum tanquam saltatorem optimum rursus a sublimibus descendere ad crassiora. « Sagittæ tuæ, inquit, acutæ, Potentissi- » me. Populi sub te cadent in corde inimicorum regis [1]. » Alius, « In corde inimici regis. » Vide rursus quando meminit sagittarum, quomodo potentis verbum accepit, ut scias eum non egere sagittis, sed ipsum sibi ipsi sufficere. Hæc est autem series. « Sagittæ tuæ acutæ, potens, in corde » inimicorum regis. » Illud autem, « Populi sub te cadent, » in medio interponitur. Hic ergo mihi esse videtur duplex expositio. Vel enim dicit judaïcam captivitatem, et civitatis eversionem et excidium, vel per anagogen vim verbi vocat sagittas. Quibusvis enim sagittis velocius pervasit orbem terrarum, et eorum qui prius erant inimici, cor

[1] Psal. XLIV, 6.

tetigit, non ut interficeret, sed ut ad se attraheret. Quod etiam in Paulo evenit. Non enim aberraverit quisquiam, si dixerit illud verbum sagittam, quod e cœlis emissum tetigit cor ejus, qui prius erat inimicus, et amicum reddidit. « Populi sub te cadent. » Vidisti quam recte bellum gestum sit? quomodo reconciliati fuerint qui prius erant seditiosi? quomodo docti? quomodo initiati? Ipse enim casus, et quod sint sub illo, est omnibus fundamentum et radix altitudinis. Cum enim eos liberasset ab arrogantia, et ab inani fastu et gloria, et ab errore dæmonum, eos sibi ipsi subdidit. Ita etiam alius Propheta eum ostendit cruentatum, cum sic dicit : « Quis hic est, qui venit ex » Edom? rubedo vestimentorum ejus ex Bosor[1]? » Nusquam illic arma, arcus et sagittæ, sed vestes ; verbum quidem paulo crassius, sed hoc tamen subtilius : et tamen illic quoque in ea crassitudine erigit sensim orationem ad res incorporeas. Quoniam enim rogat Propheta undenam rubræ vestes, dicit : « Torcular calcavi solus[2], » ostendens victoriæ facilitatem, et quod nullum habuerit qui ei opem ferret, sed ipse sibi ipsi suffecerit. Quemadmodum enim hic dicit : « Deducet te mirabiliter dextera tua ; » ita etiam illic : « Torcular calcavi solus. » Ut enim facile est ei, qui ingreditur torcular, calcare botros : ita etiam Deo facere quæ voluerit, imo ne sic quidem, sed longe facilius. « Thro» nus tuus, Deus, in sæculum sæculi. Virga directionis, virga » regni tui. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem. Prop» terea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consor» tibus tuis[3]. » Alius, « Thronus tuus, Deus, æternus, et » ultra. » Hebræus autem dicit illud : « Deus, Deus tuus, » eloïm, eloach. » Quid hic dixerit Judæus? De quonam enim hæc dicuntur? Quid vero hæreticus? Si dixerit enim dici de Patre : « Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi, »

[1] Isai. LXIII, 1. — [2] Ibid. 3. — [3] Psal. XLIV, 7, 8.

quomodo ei conveniet, quod deinceps sequitur : « Prop-» terea unxit te Deus, Deus tuus ? » Neque enim Pater est Christus, neque ipse unctus est. Unde clarum est eum loqui de Unigenito, de quo prius quoque dictum est, de quo dixit etiam Esaïas : « Et ejus regni non erit finis [1]. »

VIII. Sed illud quæsierit fortasse quispiam, cur nunc loquitur de Divinitate, cum de humanæ naturæ susceptione antea verba fecerit? Quoniam idipsum quoque facit Matthæus. A carne enim incipit, et ita exorditur : « Liber ge-» nerationis Jesu Christi [2]. » Similiter etiam Lucas et Marcus : et Joannes autem solus aliter. Cum enim prius dixisset de Divinitate : « In principio erat Verbum, et Verbum erat » apud Deum, et Deus erat Verbum [3], » et de ea multum disseruisset, tunc dixit : « Et Verbum caro factum est, et » habitavit in nobis [4]. » Quod si secus ac cæteri Evangelii scriptione usus est, sic quoque magnam inter ipsos ostendit consensionem. Et quomodo, inquies, fuerit rationi consentaneum, ut sit in eo, quod est contrarium, consensio? An nescis quod comedere repugnat ei, quod est non comedere, et bibere ei, quod est non bibere, et dare ei, quod est non dare? Sæpe autem medicus quoque multa facit ejusmodi, non secum pugnans, sed sibi valde consentiens: unum enim sibi finem proponit, ægroti sanitatem. Hoc ipsum etiam usuvenit in Evangelistis. Nam æstas quoque est hyemi contraria, ad unum tamen respicit finem, perfectionem et maturitatem fructuum. Jam vero universus quoque mundus constat ex contrariis, sed multum ad vitæ nostræ usum consensum ostendit. Quinetiam Christus quoque via Joanni contraria ingressus est. Ille enim comedebat, hic vero non comedebat. « Venit enim, inquit, Joan-» nes, neque comedens, neque bibens, et dicunt: Dæmonium » habet. Venit Filius hominis bibens et comedens, et dicunt:

[1] Isaï. IX, 7. — [2] Matth. 1, 1. — [3] Joan. 1, 1. — [4] Ibid. 14.

» Ecce homo vorax, et vini potor [1]. » Sed etsi erant quæ fiebant contraria, unum tamen finem respiciebant, nempe eorum, qui sagena erant capiendi, salutem. Ita etiam hic ordo Divinitatis et humanæ susceptæ naturæ, etsi secus ac ab aliis, ab Joanne introductus est, id tamen eis valde convenienter factum est. Et quomodo? Dicam ego : quia in principio quidem, cum sermo nondum esset disseminatus, consentaneum erat versari in explicanda humanitate, et de carne doctrinam aperire, a crassioribus et sensilibus ducentes exordium [2] : sed postquam introducta fuerat scientia, et prædicationem jam susceperant, erat deinceps tempus opportunum a sublimioribus inchoandi. Quamobrem Prophetæ quoque, si quando de eo disserunt, ab humanæ naturæ susceptione incipiunt, et exordium ducunt. Vide itaque quomodo Michæas ab infimo orditur : « Et tu Be-» thleem terra Juda, nequaquam es minima in principibus » Judæ. Ex te enim mihi egredietur dux, qui pascet po-» pulum meum Israël [3]. » Atqui non erat Divinitas ex Bethleem, sed caro. Sed non permansit in hoc solo, sed ad Divinitatem etiam ascendit, dicens : « Et egressus ejus ab » initio ex diebus sæculi [4]. » Et rursus Esaïas : « Ecce virgo » in utero concipiet, et pariet filium, et vocabunt nomen » ejus Emmanuël [5], » quod est interpretatum, « Nobiscum Deus [6]. » Vides quomodo is quoque a carne ascendit ad Divinitatem? Et rursus alibi considera hoc ipsum ab eo fuisse factum : dicit enim : « Puellus natus est nobis filius, et da-» tus est nobis, et vocatur nomen ejus magni consilii An-» gelus, admirabilis, consiliarius, Deus fortis, potens, prin-» ceps pacis, pater futuri sæculi [7]. » Vides quomodo rursus a puero carnisque susceptione, veluti per quosdam gradus ascendens, sistit in Divinitate. Ita etiam Pater ejus cogni-

[1] Luc. VII, 33, 34. — [2] 1 Cor. II, 1. — [3] Mich. V, 2, et Matth. II, 6. — [4] Mich. V, 2. — [5] Isaï. VII, 14. — [6] Matth. I, 23. — [7] Isaï. IX, 6.

tus est primum ex creaturis. « Invisibilia enim ejus, inquit » Paulus, a creatione mundi operibus intellecta, conspiciun- » tur [1]. » Et ideo ipse quoque seipsum sæpe effingit in specie sensibili, paulatim evehens humanum genus ad cogitationes incorporeas. Et quid miraris si in dogmatibus hoc consilio et hac œconomia usus sit, cum in præceptis et mandatis hoc ipsum faciat? Quocirca Propheta quoque sic hoc in loco oratione usus est, a carne ad Divinitatem ascendens : labia enim sunt carnis; et a Divinitate rursus ad carnem descendens, et varietate orationis utens ad salutem Catechumenorum. « Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi. » Thronum hic non modo thronum, sed regnum dicit. Hic ergo illum dicit æternum, alibi autem etiam altum. « Vidi » enim, inquit, Dominum sedentem super thronum excel- » sum [2]. » Et rursus : « Quoniam altus thronus tuus [3]. » Alius quoque Propheta vidit eum sedentem super thronum gloriæ. David autem ostendit etiam thronum humanitatis. « Misericordia enim, inquit, et judicium correctio throni » ejus [4]. »

IX. Hæc omnia de ejus regno dicta sunt, quod scilicet fine careat : hoc enim est, « In sæculum sæculi, » quod sit gloriosum, quod excelsum, quod potens et validum. Rursus quod sit expers principii, quando dicit : « Regnum tuum, » regnum omnium sæculorum [5]. » Quemadmodum autem thronus est regni signum : ita etiam virga, et regni, et jurisdictionis. Et ideo dicit : « Virga directionis, virga regni » tui [6] » Clarum enim illic est quod justum est, clarum est quod est rectum, nihil illic adumbratum. Audiant qui insaniunt, et mente capti, imo vero qui sunt eis deteriores. Quinam autem sunt hi? Qui divinam providentiam reprehendunt, et dicunt : « Cur hoc et illud sic factum est? » Quo-

[1] Rom. I, 20. — [2] Isaï. VI, 1. — [3] Dan. VII, 9. — [4] Psal. XCVI, 2. — [5] Id. CXLIV, 13. — [6] Id. XLIV, 7.

modo enim non absurdum, ut qui fabro quidem assidet, et ligna frangentem et secantem contemplatur, ab eo rationem non exigat : et dum medicus scindit et urit carnem, et in domuncula ægrotum includit, et fame excruciat, nec ullus astantium, nec ipse qui laborat, de iis quæ fiunt, curiose investigat : et dum gubernator tendit funem, velumque et intendit, et rursus remittit, et navis latera inundat, nemo sit curiosus, nec in unoquoque horum opificum inquirat et sciscitetur, sed taceat et quiescat, quamvis ii in arte sæpe peccent : de ineffabili autem sapientia, de inenarrabili clementia, de infinita providentia curiose quispiam indaget? Quantæ hæc non sunt insaniæ? Et opem quidem ferre, vel pecunias erogare pro iis, quibus fit injuria, vel pro pauperibus, non facile inveniuntur qui velint, perpetuo autem inquirunt, cur hic pauper, cur ille mendicus, et cur alter sit dives. Serve nequam et stolide, cur non oculos demittis, nec teipsum condemnas, nec, freno linguæ injecto, mentem tuam reprimis, nec mittens de tantis rebus curiose inquirere, hanc anxiam indagationem in tuam vitam convertis? Respice ea quæ fecisti, respice mare peccatorum ; et si es curiosus et anxius inquisitor, exige a te ipso verborum, quæ male dixisti, et rerum, quas male fecisti, rationem. Nunc autem tui quidem ipsius prætermisso examine, licet hæc quidem socordia supplicium afferat, curiosa autem indagatio salutem, sedes Deum in jus vocans, tuis peccatis alia adjiciens. Non audis Prophetam ei dicentem : « Virga directionis, virga regni tui? » Et rursus alius : « Judicium ejus, inquit, tanquam lux exibit[1] : » Quod si non nosti omnia quæ sunt tui domini, propterea eum gloria affice, propterea eum maxime adora, propter ineffabilem ejus majestatem, propter incomprehensibilem ejus providentiam, propter variam ac sapientem ejus cura-

[1] Osee VI, 5, et Soph. III, 5.

tionem. « Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem [1]. » Postquam enim superius dixit præclara ejus facta, victorias, tropæa, salutem orbis terrarum, quod eam veritate replevit, quod mansuetudine, quod justitia, ostendens fuisse rationi consentaneum ut hæc fierent, loquitur deinceps de dignitate ejus qui illa fecit, monstrans eum fuisse Deum, regem, fine carentem, incorruptum judicem, Justorum amatorem, malis infensum. Quoniam, inquit, est ejusmodi, propterea talia ab eo facta sunt. Nemo ergo de his dubitet. Qui enim ea fecit, ea fecit cum et posset et vellet. Postquam de Divinitate sublimiora dixit, revertitur ad loquendum de carne, et ait : « Propterea unxit te Deus, Deus » tuus [2] ? » Alius dicit : « Propter hoc unxit te. » Eo quod in iis quæ dicta sunt, te recte gesseris, iniquitatem ejeceris, justitiam plantaveris, et quæ fecisti feceris. Tu autem ne conturberis, dum audis hæc Patri attribui. Non enim id facit, ut eum privet recte factis, sed ut ea quæ sunt Filii, Patri ascribat, qui ea etiam quæ sunt Patris, sua esse dicit. « Omnia enim, inquit, mea tua sunt, et tua mea [3]. » Nam de resurrectione Paulus quidem disserens dicit : « Deus » ipsum suscitavit a mortuis [4]. » Joannes autem : « Solvite » templum hoc, et in tribus diebus excitabo ipsum [5]. » Quid est autem oleum lætitiæ? Atqui Christus nusquam unctus est oleo, sed Spiritu sancto. Et ideo adjecit : « Præ consor- » tibus tuis : » hoc ipsum significans neminem ita unctum fuisse ut ipse. Multi enim fuerunt ante ipsum Christi, id est, uncti, sed nemo sic : sicut etiam agni multi, sed ipse eximius : sic et multi filii, sed ipse Unigenitus, sunt enim omnia ejus eximia, non ea solum quæ pertinent ad Divinitatem, sed ea etiam quæ ad humanitatem. Nemo enim unctus est tali Spiritu. Si id autem appellat oleum, ne mi-

[1] Psal. XLIV, 8. — [2] Ibid. — [3] Joan. XVII, 10. — [4] 1 Cor. VI, 14. — [5] Joan. II, 19.

reris. Nam cum Propheta sit, loquitur paulo obscurius, et magis ænigmatice. Recte autem dixit : « Exultationis, » ut ostenderet id esse lætitiæ. « Fructus enim Spiritus » est dilectio, gaudium, pax [2]. » Alius autem dicit, « Oleo » venustatis. » Hebræus vero, « Sason, » hoc est, elegantiæ, gloriæ, ornamenti. Sin autem sit lætitiæ, id quoque verum est. Ut ergo cum audivisti gladium, gladium non intelligis : et cum arcum et sagittas, non arcus et sagittas, sed ejus operationem qui hæc fecit, ut jam ante dixi : ita cum oleum audieris, ne oleum solum arbitrare, sed unctionem intellige. Oleum enim erat signum Spiritus, res autem principalis et necessaria erat Spiritus. Cum hoc ergo ita se habeat, ne dubita eum vocare Christum : nam Abraham quoque appellabatur Christus, et Prophetæ : sed non omnes oleo uncti sunt : quemadmodum cum dicit : « Nolite tan- » gere Christos meos, et in Prophetis meis nolite malignari [2]. » Quando autem unctus est Christus? Quando tanquam in columbæ specie Spiritus super eum venit [3]. Consortes autem hic vocat omnes spirituales, quemadmodum Joannes dicit : « Nos omnes ex plenitudine ejus accepimus [4]. » De ipso autem : « Non ad mensuram dat Spiritum Deus [5]. » Et rursus : « Effundam de Spiritu meo super omnem car- » nem [6]. » Illic autem non ex Spiritu, sed totus venit Spiritus, et ideo dixit : « Non ad mensuram dat Deus Spiritum. » Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis [7]. » Alius, « In vestimentum tuum. » Alius, « In omnes vestes tuas. »

X. Nonnulli quidem dicunt Prophetam per hæc significare sepulturam; nonnulli vero, indicare diversitatem unctionis. Neque enim fiebat olim unctio ex his unguentis, sed ex aliis. Et ut discas hunc esse alium modum unctionis, per differentiam materiarum significavit differentiam

[1] Galat. v, 22. — [2] Psal. civ, 15. — [3] Matth. iii, 16. — [4] Joan. i, 16. — [5] Id. iii, 34. — [6] Joël. ii, 28. — [7] Psal. xliv, 9.

operationis. Illud autem, « A vestimentis tuis, » ostendit ejus quoque vestes fuisse plenas gratia. Quæ itaque sanguinis profluvio laborabat, sanguinis rivos repressit, cum vestis fimbriam attigisset. Sive hoc ergo, sive illud sit accipiendum, nulla prohibet ratio, sunt enim a me utraque admittenda. Sicut ergo, nihil enim prohibet eadem rursus dicere, cum arcum et gladium audis, et quæ sunt ejusmodi, non ea audis sensibili more; ita nec cum myrrham aut casiam audiveris, ea sensibiliter intelligas, sed spiritualiter. « A domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiæ re» gum in honore tuo [1]. » Alius dicit : « A templis eburneis, » unde delectaverunt te, dum te honorant. » Alius, « In » gloriosis tuis. » Postquam dixit quæ recte gessit, dicit etiam honorem qui præclara ejus facta consecutus est, nempe eum in pretiosissimis templis esse adorandum. Antiquitus enim hæc materia erat pretiosissima, et magno studio conquirebatur, nempe eburnea. Unde etiam dicebat alius Propheta : « Væ qui dormitis in lectis eburneis [2]. » Et rursus ostendit prædicationem non perventuram solum ad privatos, sed regna etiam subjecturam, ædesque illi magnificas extructum iri. Hæc jam videntur reipsa fieri. Volens enim Propheta ostendere vim prædicationis, dicit quomodo ceperit, quomodo subjecerit mulieres, viros, privatos, divites, eos ipsos, quibus erant redimita capita diadematibus, et eorum uxores, ut templa Deo ubique excitarent. Deinde quoniam deinceps ad hæc dicenda digressus est, de his fusius dicere exorditur, eos qui illum colunt, et qui ei supplicant describens. Et cum ostendisset quomodo populi sub eo cadunt, quomodo cor ipsorum tetigit, quomodo inimicos superavit, quomodo eum deduxit dextera, quomodo veritatem, mansuetudinem et justitiam plantavit, rursus quoque metaphorica oratione usus est, veluti in

[1] Psal. XLIV, 10. — [2] Amos VI, 4.

imagine Ecclesiam describens : et quæ postea dixerunt Apostoli, hic quidem : « Despondi vos uni viro virginem » castam exhibere Christo [1] ; » ille autem : « Qui habet » sponsam, sponsus est [2] ; alius vero : « Simile est regnum » cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo [3] ; » ea hic quoque prædicit, introducens simul sponsam et reginam : et ideo dicit : « Astitit regina a dextris tuis [4]. » Alius, « Sta- » bilita est, » hoc est, firmiter stetit immobiliter. Quod alibi dicit Christus : « Portæ inferi non prævalebunt adversum » eam [5]. » Vidisti insignem honorem ? vidisti summam dignitatem? eam quæ conculcata, et quæ in infimum locum deturbata fuerat, in quantam extulerit altitudinem, ut ei assisteret ? Cognovisti ad quantam ea, quæ erat captiva, alienata, meretrix, scelerata et execranda, dignitatem ascenderit? Cum ministratoriis potestatibus astitit. Filius quippe, ut qui sit honore æqualis, sedet a dextris : ipsa vero stetit. Quamvis enim sit regina, est tamen creatæ substantiæ. Quomodo ergo dicit Paulus : « Conresuscitavit » et consedere nos fecit in cœlestibus in Christo Jesu [6] ? » Sed attende quam exacte loquatur. Non dixit solummodo : « Conresuscitavit et consedere fecit : » sed, « In Christo, » hoc est, per Christum. Quoniam enim, inquit, caput nostrum est supra : nos autem corpus, cum superius sedeat nostrum caput, honoris participes fuimus, etiamsi hic stemus. « In vestitu deaurato, circumdata varietate [7]. » Alius, « In diademate auri de Suphir. » Quemadmodum in rege non arcus et sagittas intelligimus, ita nec in sponsa vestes intellige, sed per ea quæ sunt sensibilia, accipe sensa, quæ Deo conveniant. Ne quis enim tale quid suspicetur, subjunxit : « Omnis gloria filiæ regis ab intus [8]. » Atqui vestes

[1] 2 Cor. xi, 2. — [2] Joan. iii, 29. — [3] Matth. xxii, 2. — [4] Psal. xliv, 10. — [5] Matth. xvi, 18. — [6] Ephes. ii, 6. — [7] Psal. xliv, 10. — [8] Ibid. 14.

sunt omnium maxime extrinsecus, et propter eos qui vident. Sed hoc ita se habet, quando sunt res corporeæ : quando vero agitur de rebus spiritualibus, converte intro mentis oculos. Hanc vestem rex texuit, atque illam per baptismum induit. « Quotquot enim, inquit, in Chris» tum baptizati estis, Christum induistis[1]. » Antea enim erat nuda, turpis et inhonesta, exposita omnibus qui transibant per viam. Ex quo autem illam vestem induit, evecta est ad illam altitudinem, et ut a dextris staret digna fuit habita. Pulchre autem ipsam quoque vocat varietatem. Non constat enim vestis ex uno tantum genere. Non potest quippe servari ex gratia tantum, sed fide quoque opus est, et post fidem virtute. Nunc autem non agitur de vestibus. Neque enim Spiritus tantum in ea studium ponebat, ut aureas vestes mulieris describeret. Si enim mulieres, quæ se exornant, reprehendit Esaïas, et ubique expulsæ sunt deliciæ, quomodo hic ornatam mulierem laudaverit[2] ? « Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam ; et obliviscere » populum tuum, et domum patris tui. Et concupiscet rex » decorem tuum[3]. » Alius ait : « Ut concupiscat. Quoniam » ipse est dominus tuus. » Alius, « Ipse enim est dominus » tuus. Et adorabunt ipsum[4]. » Alius, « Et adora ipsum. » Et filia Tyri in muneribus. » Alius, « Filia autem fortis » dona feret. Vultum tuum deprecabuntur omnes divites » plebis[5]. »

XII. Vides quomodo nihil est sensibile? quomodo nihil corporeum, sed omnia spiritualia? Quomodo enim sponsa est ejusdem filia? Quomodo autem filia sponsa? in rebus quidem corporeis hæc non insunt, sed hoc quidem aliud, et illud aliud : in Deo autem insunt utraque. Ipse enim eam regeneravit per baptismum, et ipse quoque eam des-

[1] Gal. III, 27. — [2] Isaï. III, 16.— [3] Psal. XLIV, 11, 12. — [4] Ibid. — [5] Ibid. 13.

pondit. « Audi filia, et vide. » Duo ei præbuit : et doctrinam, quæ per verba traditur, et visum, qui et per miracula, et per fidem suscipitur : et hæc quidem dedit, illa vero pollicitus est. « Audi ergo verba mea, vide mea miracula, et mea opera, et meas fer admonitiones. » Vide autem quale det prius præceptum. « Obliviscere populum tuum, et » domum patris tui. » Quia enim eam despondit ex gentibus, hoc ei prius præcipit, ut illam consuetudinem ex animo deleat, e memoria eximat, a mente ejiciat, non solum ea fugiendo, sed ne eorum quidem recordando. « Et oblivis- » cere populum tuum, et domum patris tui. » Quando autem dicit et populum et domum, intelligit omnia quæ illic ab eis fiunt, et quod ad vitam, et quod ad dogmata pertinet. « Et concupiscet rex decorem tuum. » Vides eum non loqui de pulchritudine corporis : « Si enim hæc feceris, tunc, inquit, eris pulchra, tunc rex concupiscet decorem tuum. » Hæc enim non facit pulchritudo corporea. Atqui inter infideles videmus corpoream pulchritudinem, et ex Gentilibus formosas mulieres. Sed ut scias eum non loqui de pulchritudine corporis, eam dicit constitui ex ejus obedientia : obedientia autem non constituit pulchritudinem corporis, sed animæ. « Si enim hæc, inquit, feceris, tunc eris pulchra, tunc eris sponso amabilis. « Quoniam ipse est dominus » tuus. » Ecce pater, et sponsus, et dominus apparuit. Quoniam enim jussit a parentibus recedere, populi oblivisci, consuetudinem expellere, ostendit maximam et justissimam esse causam cur ea præciperet, magnamque esse rationis consequentiam, idque debere fieri. Si enim idem pater tuus, idem sponsus, et idem dominus, æquum est ut ab illis omnibus te sejungas, et te ipsam illi addicas. Non dixit autem : « Quoniam ipse est pater tuus, » sed, « Quoniam ipse » est dominus tuus, » ut ea potissimum ratione illam tangat : « Quoniam qui est dominus et pater tuus, voluit quoque

sponsus fieri. » Imo vero illud ipsum quoque factum esse dominum, summæ est sollicitudinis et clementiæ, ut quæ erat serva dæmonum, et conculcabatur ab errore, eam suam esse vellet. Non solum autem ancillam, sed filiam fecit et sponsam. « Obliviscere populum tuum, et domum » patris tui. » Non enim venis ad alienum quempiam, sed ad eum, qui te fecit, et est omnibus illis tibi propinquior, ac de te est sollicitus, tuique curam gerit. Ipse enim est dominus tuus et pater, et ipse omnia tibi dedit. « Et ado- » rabunt eum. Et filia Tyri in muneribus. » Quænam est hæc consequentia? certe optima : est enim optimum genus adhortationis. « Accede, inquit; » sunt enim maximæ ejus vires, et omnes ei obedient. Mittens autem Propheta dicere orbem terrarum, dicit propinquam civitatem, quæ morbo impietatis tunc maxime laborabat, et erat arx diaboli, de cujus opibus et magnificentia fama erat maxima, ex parte totum significans. Mihi autem videtur omnem impietatem et luxuriam sic vocare : solet enim mores ex urbibus exprimere, ut quando dicit : « Audite verbum Domini, » principes Sodomorum : audite legem Dei vestri, populus » Gomorrhæ [1]. » Atqui alloquebatur Judæos : sed quoniam ea faciebant quæ fiebant a Sodomitis, eos appellat a nomine Sodomorum. Et quid miraris si eos sic appellat ex patria, cum eis quoque det patres ejusmodi, dicens : « Pa- » ter tuus est Amorrhæus, et mater tua Chettæa [2] ? » Et ne hic quidem sistit eorum accusationem, sed etiam ad feras usque deducit orationem, in Novo quidem Testamento sic dicente Scriptura : « Serpentes genimina viperarum [3]. » Et rursus in Veteri : « Ova aspidum ruperunt, et telam » araneæ texunt [4]. » Et alibi : « Numquid non sicut filii » Æthiopum vos estis mihi [5] ? » Ita hic etiam eos, qui impie

[1] Isaï. I, 10. — [2] Ezech. XVI, 3. — [3] Luc. III, 7. — [4] Isaï. LIX, 5. — [5] Amos. IX, 7.

et libidinose vixerunt, Tyrios appellavit. Sed etiam eos, inquit, superabo, et in eos dominatum obtinebo, et ita obtinebo, ut ipsi me adorent : et non solummodo adorent, sed munera etiam et primitias offerant, quod est maximum genus adorationis, et signum summæ obedientiæ. « Vultum »tuum deprecabuntur divites plebis. » Quid est « Depre»cabuntur? » Honore et gloria afficient, qui nunc magni sunt et excelsi. Hoc enim fit in Ecclesia; eos, qui ex virtute vitam agunt, omnes honorant, colunt, licet sint et opibus et auctoritate insignes. Omnibus enim copiis et facultatibus est major virtus.

XII. Videte autem Ecclesiam, quæ honoratur ab omnibus. Recte vero dixit : « Vultum tuum, » hoc est, gloriam tuam, formam et pulchritudinem tuam. Deinde quoniam vultus meminit, et vestium, et pulchritudinis, ne quis crassior sentiret aliquid sensibile, subjunxit dicens : « Omnis »gloria filiæ regis ab intus [1]. » In mentem, inquit, ingredere, edisce pulchritudinem animæ, de illis tecum loquor : et si vestem dico, et si pulchritudinem dico, si fimbrias dico, si aurata dico, si dico quodcumque sit ejusmodi, de mente loquor, doctrina est de animo, est de virtute quod dicitur, de interna gloria. Ideo fidenter orationem reducit ad corporeas similitudines; postquam crassum auditorem ex dictis correxerat. « In fimbriis aureis circumamicta, »varietate ornata [2]. » Alius, « Per fibulas aureas varie in»duta. » Nomine auri virtutem rursus vocans, ita etiam dicit Paulus : « Si quis superædificat super hoc fundamen»tum, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, »stipulam [3] : » virtutem et vitium harum materiarum appellatione ostendens. Ne enim existimares hæc esse id, quod situm est interius, non permittit ut quæ sunt externa imagineris, sed intra trahit cogitationem. Quemadmodum

[1] Psal. XLIV, 14. — [2] Ibid. 15. — [3] 1 Cor. III, 12.

enim corpus his indutum, pulchrum apparet : ita ornatur anima, si sit virtute induta. « Adducentur regi virgines post » eam. » Alius, « Sequentur. » Alius, « Offerentur. Proximæ » ejus afferentur tibi. Afferentur in lætitia et exultatione. » Adducentur in templum regis [1]. » Vidisti vestes fimbriatas? vidisti amictum aureum, florem virginitatis? hæc est vestis Ecclesiæ. Considera autem mihi quam accurate loquatur Propheta. Quia enim non statim cum primum constituta est Ecclesia, floruit bonum virginitatis, sed aliquanto post tempore, propterea ipse quoque postea id ponit, nempe postquam ea oblita fuerit populi et domus patris, et induta fuerit illo ornatu, et specie ac pulchritudine refulserit. Et ideo dicit : « Post eam proximæ ejus » afferentur. » Proximæ non loco tantum, sed et moribus et dogmatibus cum ea congruentes. Hæreticorum enim virgines non recte dixeris virgines, neque enim sunt proximæ reginæ. « Afferentur in lætitia et exultatione. » Vide hic dictum apostolicum resplendere, et illam enuntiationem ostendi etiam in Propheta. Quænam autem ea est? « Tribulationem carnis habebunt, quæ nubunt [2]. » Quemadmodum autem illæ afflictionem, ita hæ lætitiam et exultationem. Illæ enim filios et maritum, domum, famulos, cognatos, soceros, generos, nepotes, liberorum multitudinem, eorumdemque vel defectum vel orbitatem curare coguntur. Neque enim nunc tempus est describendi multiplices curas matrimonii. Virgo autem crucifixa, et a præsentibus liberata, et curis ad hanc vitam pertinentibus effecta superior, et Euripo trajecto, in cœlum quotidie suspiciens, fruitur gaudio spiritus, perfunditur exultatione. Non solum autem præsentia Propheta, sed etiam futura subindicat, quando pulchras et splendidas lampades habentes fiunt obviam, sponsum excipientes [3]. Templum

[1] Psal. XLIV, 15, 16. — [2] 1 Cor. VII, 28. — [3] Matth. XXV, 4.

autem regis hic vocat regiam, et sponsi thalamum appellat cubilia. « Pro patribus tuis nati sunt filii tui [1]. » Alius, « Erunt tibi filii tui. » Quoniam superius meminit populi et parentum, dicens : « Obliviscere populi tui, et domus » patris tui : » ostendens in hoc quoque omnia ei fausta et prospera futura, hoc subjunxit : « Quæ enim erat sterilis, est mater filiorum innumerabilium. Quamobrem etiamsi avulsa es a parentibus, at tuorum filiorum chori erunt adeo clari, insignes et illustres, ut totum orbem terrarum impleant. »

XIII. Mihi autem videtur dicere Apostolos, qui fuerunt in ea doctores. Deinde describens eorum vires, potentiam et gloriam dicit : « Constitues eos principes super omnem » terram [2]. » Egent-ne hæc interpretatione? Ego quidem non existimo, quemadmodum nec sol, quando est splendidus : quæ autem dicta sunt, sole sunt clariora. Universum enim orbem terrarum pervaserunt Apostoli, ac verius principes fuerunt, quam ipsi principes, regibusque potentiores. Reges enim, dum vivunt, dominatum obtinent : iis autem mortuis, intercidit dominatus; hi post mortem verius imperant. Et regum quidem leges ratæ sunt et validæ intra eorum fines, jussa autem piscatorum per universum orbem terræ extensa sunt. Imperator Romanorum Persis non posset ferre leges : nec Persarum rex posset ferre leges Romanis. Hi autem Palæstini, et Persis, et Romanis, et Thracibus, et Scythis, et Indis, et Mauris, et universo denique orbi terrarum leges dederunt : nec solum dum ii viverent, firmæ et ratæ fuerunt, sed his etiam mortuis, confirmatæ sunt; et qui eas leges acceperunt, mallent animam millies profundere, quam ab illis desciscere. « Memor » ero nominis tui in omni generatione et generatione. » Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, et in sæ-

[1] Psal. XLIV, 17. — [2] Ibid.

» culum sæculi [1]. » Alius, « Revocabo in memoriam nomen » tuum in unaquaque generatione. Propterea populi lau- » dabunt te perpetuo : » Alius : « Propter hoc populi confi- » tebuntur tibi. » Dixit magnitudinem principatus, a longitudine terræ, a latitudine orbis terrarum, a multitudine gentium, quæ subjectæ sunt. Dicit etiam aliunde ejus auctoritatem, quod non solum extendetur per universum orbem terrarum, sed etiam per universum ævum. « Immortalis enim, inquit, erit tui memoria, descripta in libris nostris, descripta in rebuspublicis, descripta in præceptis. » Vide quomodo suæ quoque Prophetiæ prædicit perpetuitatem. Cum enim dixit : « Memor ero nominis tui in omni gene- » ratione et generatione, » hoc significavit. « Etsi ego, inquit, mortuus fuero, te tamen cantabo vel moriens. » Corpus enim dissolvetur, litteræ autem manent, et lex perpetua. « Propterea populi confitebuntur tibi. » Unde cœperat, illuc desinit, nempe in Christum. « Propterea. » Propter quænam? Quod tot et tanta recte gesseris, quod tales principes constitueris, quod vitium exegeris, quod virtutem plantaveris, quod nostram naturam desponderis, quod hæc bona ineffabilia feceris : universus orbis terræ tibi laudem offeret, non in brevi tempore, nec in decem, et viginti, et centum annis, nec in parte orbis terrarum, sed terra et mare, quæ est habitabilis regio, et quæ non habitabilis, per omne ævum canent, gratias agentes pro bonis quæ a te acceperunt. Pro his autem omnibus nos quoque gratias agamus benigno et clementi Christo : per quem, et cum quo Patri gloria simul cum sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Psal. XLIV, 18.

EXPOSITIO

IN PSALMUM XLV.

In finem pro filiis Core, pro arcanis. *Alius*, Victoriæ auctori filiorum Core. *Alius*, Pro adolescentiis canticum.

Deus noster refugium et virtus, adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis. *Alius*, In afflictionibus inventus. Propterea non timebimus dum turbabitur terra, et transferentur montes in cor maris [1].

I. Solita utitur philosophia Propheta [2], a rebus quidem ad hanc vitam pertinentibus nos abducens, in spem autem supernam auditorem erigens. Ne mihi, inquit, dixeris arma, muros, et fossas, nec pecuniæ copiam, nec rei militaris scientiam, nec equorum multitudinem, nec arcus, sagittas et loricas, non sociorum vires, non militum phalanges, non robur corporis, et hostium experientiam. Sunt enim hæc omnia araneæ tela et umbra imbecilliora. Sed si velis videre copias inexpugnabiles, refugium insuperabile, præsidium quod non diripi, turrem quæ labefactari non potest, ad Deum confuge, vires illas attrahe. Recte autem dixit : « Deus refugium nostrum et virtus : » ostendens nos aliquando fugientes vincere, aliquando stantes et pugnantes. Utrumque enim oportet facere, et contra tendere, et declinare. Hoc etiam faciebat Paulus, aliquando quidem cedens, aliquando autem insultans iis qui adversabantur verbo veritatis. Hoc quoque Christus faciebat ut nos doce-

[1] Psal. XLV, 1-3. — [2] Vide D. Guillon, tom. XV, pag. 204-207.

ret. Hoc quoque nos oportet facere, et recte cognoscere opportunitatem temporis, et orare quidem ne ingrediamur in tentationem, secundum illud dictum evangelicum; ubi autem advenerit, non esse molli et ignavo animo, sed fortiter resistere. « Adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt » nos nimis. » Quod sæpe dixi, nunc quoque dico : non prohibet quominus veniant afflictiones, sed ubi advenerint, assistit, nos frugi et probos efficiens. Illud autem « Nimis, » aut « Valde, » adjungendum est illi voci, « Adjutor. » Neque enim leve, sed insigne fert auxilium, plus præbens solatii ex ope lata, quam sit suscepta molestia ex afflictionibus. Non enim quantum malorum conditio postulat, tantum nobis præbet auxilium, sed longe majus. « Propterea non » timebimus, inquit, dum turbabitur terra. » Vides quomodo majus et longe copiosus fert auxilium? Non solum enim dixit: « Non capiemur, nec cademus, sed ne id quidem patiemur, quod est naturæ proprium, ut terreamur et timeamus. » Undenam autem hoc evenit? Ex eo quod sit copiosum auxilium. Terram autem hic, et montes, et cor maris, non dicit elementa, sed eorum nomine intolerabilia pericula significat. Etsi omnia, inquit, videamus confusa, etiamsi perturbationem plane intolerabilem, etsi ea omnia evenire quæ nunquam facta fuerunt, etiamsi ipsam, ut ita dicam, creaturam cum seipsa collidi, ipsius naturæ terminos moveri, omnia ex ipsis convelli fundamentis, prima elementa confundi, et omnium denique rerum maximam fieri perturbationem, non modo non vincemur, sed ne timebimus quidem. In causa autem est, quod omnium horum dominus opem ferat, manum porrigat et assistat. Si autem vel his evenientibus minime cederemus, nec molles aut ignavi redderemur : multo magis si nos inimici invadant, et in nos aciem dirigant. « Sonuerunt et turbatæ » sunt aquæ eorum. Conturbati sunt montes in fortitudine

» ejus [1]. » Alius, « Sonantibus et turbatis aquis, et concussis » montibus in glorificatione ejus. » Postquam dixit : « Non » timebimus, » ne si omnia quidem confringantur ac collidantur, deinceps disserit de ejus potentia, quod scilicet sint vires ejus inexpugnabiles. Et merito, inquit, non timebimus, et quod semper facit, nunc quidem ex creaturis, nunc vero ex iis, quæ hominibus accidunt, vires ejus prædicans, hoc ipsum hic quoque facit. Quod autem dicit, est ejusmodi. Omnia concutit, labefacit, transfert quando voluerit, adeo sunt illi omnia prompta et proclivia. Mihi autem videtur hic significare multitudinem virorum fortium, et præstantissimos hostium, et infinitum populum adversariorum. Tanta est enim, inquit, ejus potestas, ut modo annuat, hæc omnia fiant. Quomodo ergo poterimus timere qui talem habemus dominum? « Diapsalma. » Alius, « Semper. Fluminis impetus. » Alius, « Divisiones. » Hebræus autem, « Phalagau. Lætificant civitatem Dei : sanc» tificavit tabernaculum suum Altissimus [2]. » Alius ait : « Sanctum habitationis Altissimi. Deus in medio ejus, et » non commovebitur. Adjuvabit eam Deus mane dilucu» lo [3]. » Alius dicit : « Circa matutinum. » Alius, « Cum » hora matutina instat. » Postquam dixit de ejus potestate et virtute, et ei omnia esse facilia, ad ejus erga Judæos, providentiæ argumentum convertit orationem, paucis ostendens quæ bona eis data fuerint. Hic enim, qui est adeo fortis, adeo potens terribilisque, qui omnia fert et agit, qui omnia movet, concutit, et transfert ac traducit, implevit civitatem nostram bonis innumeris. Fluvius enim hic profusam, copiosam, et quæ arceri nequit supernorum donorum copiam ostendit, perinde ac si diceret : « Tanquam ex fontibus omnia nobis bona profluunt. » Sicut enim fluvius qui scinditur in multas partes, subjectam regionem irri-

[1] Psal. XLV, 4. — [2] Ibid. 5. — [3] Ibid. 6.

gat : ita Dei providentia omni ex parte influit, abunde promanans, cum susurro perfluens, et omnia implens. Non solum autem præbet nobis securitatem, infractumque auxilium, sed etiam spirituale gaudium, et ideo dicit : « Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. » Quinetiam hoc ipsum est non parva pars beneficii, tabernaculum suum locum nostrum vocare.

II. Neque enim temere posuit illud, « Altissimus. » Qui est ergo adeo altus, qui nullo loco comprehenditur, qui est substantia ineffabilis, dignatus est vocare nostram civitatem suum tabernaculum, eamque omni ex parte continet. Hoc enim sibi vult illud, « In medio ejus : » quemadmodum etiam dicit : « Ecce ego vobiscum sum [1]. » Undique eam complectitur ; et ideo non modo nihil grave patietur, sed ne commovebitur quidem. Causa autem est, quod celerrimum assequitur auxilium, utpote quod sit promptum et paratum. Hoc enim sibi vult illud, « Mane diluculo : » quod non differtur, nec protrahitur, sed est semper recens et vegetum, et in tempore opportuno. « Conturbatæ sunt » gentes. » Alius, « Congregatæ sunt gentes. Inclinata sunt » regna. Dedit vocem suam Altissimus, mota est terra [2]. » Ostendit hic vim ejus auxilii. Non enim quibuslibet invadentibus, sed regibus, gentibus undique coëuntibus, unam civitatem circumdantibus et obsidentibus, non modo nihil grave ab eis passa est, sed etiam vicit, superavit, et evertit eos qui invadebant. Hoc enim sibi vult illud, « Inclinata sunt » regna, dedit vocem suam Altissimus, » perinde ac si dixeris : « Vel solo clamore sepit urbes : » verbum quidem crassum, et quod humano more dictum est. Neque enim vincit Deus voce et clamore, sed solo nutu et voluntate : sed tamen ex his quoque crassioribus eum sustollens, aliis altiorem dictionem excogitavit. Quia enim eum semper intro-

[1] Matth. xxviii, 20. — [2] Psal. xlv, 7.

ducit armatum, ostendens illa omnia dicta esse metaphorice, et tropice, et ut se ad nostrum captum accommodaret, Deus enim nullo eorum indiget, subjunxit : « Dedit vocem » suam, et commota est terra, » ostendens ipsum non solum urbes, gentes, et regiones, sed ipsum etiam elementum concutere. Solet autem terram quoque vocare multitudinem, ut quando dicit : « Et erat omnis terra labium unum[1]. » Dominus Virtutum nobiscum. Susceptor noster Deus » Jacob [2]. » Hebræus autem pro eo quod est, « Virtutum, » dixit: « Sabaoth. » Vide quomodo a terra tollit orationem ad cœlum, ad infinitos Angelorum cœtus, ad gentes Archangelorum, ad supernas Potestates. Quid enim mihi dicis castra, barbaros, et homines qui pereunt? Considera ejus vires ex regno quod in cœlis obtinet : quot invisibilium Potestatum exercitus sub se habeat instructos. Recte autem eos appellavit Virtutes, vires eorum ostendens : sed etiam dicit alibi : « Potentes virtute, facientes verbum ejus [3]. » Etenim unus Angelus, cum aliquando esset egressus, centum octogintaquinque millia sustulit [4]. Quid igitur, si est quidem potens, non vult autem nobis manum præbere? Atqui ne hoc timueris : ideo enim subjunxit, « Susceptor » noster. » Et vult igitur, et potest : ne ergo timeas. Quid si nos sumus indigni? Sed habemus a patribus traditam ejus in nos benignitatem. Hoc itaque subjiciens, dixit : « Deus Jacob : » quasi diceret : « Jam olim, et ab initio hæc fuit semper ejus consuetudo. « Diapsalma. » Alius, « Sem» per. Venite et videte opera Domini, quæ posuit prodigia » super terram, auferens bella usque ad fines terræ. Arcum » conteret, et confringet arma. » Alius, « Confregit; et cly» peos comburet igni [5]. » Alius, « Et currus comburet in » igni. » Postquam dixit de terra, de mari, de montibus,

[1] Gen. XI, 1. — [2] Psal. XLV, 8. — [3] Id. CII, 20. — [4] 4 Reg. XIX, 35. — [5] Psal. XLV, 9, 10.

de spirituali, quæ ipsis facta est, copia, de auxilio, ad spectatores rursus argumentum extendit, eos vocans ad tropæa ex magna voluptate, et summa in Dominum affectione, et narrans victorias, quas pro eis obtinuit. Recte autem dixit : « Prodigia, » non autem victorias et tropæa. Non enim quæ fiebant, certo ordine et serie agebantur : nec armis et virtute corporum decernebatur prælium, sed Dei nutu, rebus significantibus eum esse Imperatorem. Quoniam enim potentes vincebantur ab imbecillis, multi a paucis, qui dominatum obtinebant, ab iis qui eis parebant, et res præter spem succedebant, ea jure vocat prodigia, ut quæ admirabiliter et præter spem eveniebant, ut ubique terrarum sparsa fuerant.

III. Non aberraverit autem quispiam, si hoc per anagogen ad præsens etiam tempus desumpserit. Difficile enim dæmonum bellum confecit, et per universum orbem terræ pacem extendit : quinetiam quod sub sensum cadit, eorum bellum depulit. Quod Esaïas quoque significans dicebat : « Contundent gladios suos in aratra, et lanceas suas » in falces : et non sumet gens adversus gentem gladium [1] : » nec discent amplius bellare. Ante Christi enim adventum, omnes homines armis instruebantur, et nullus erat ab hoc munere immunis, et civitates pugnabant adversus civitates, et bello ubique confligebatur : nunc autem major pars terræ degit in pace, omnibus secure artes exercentibus, terram colentibus, et mare navigantibus : sunt autem pauci milites, qui pro aliis omnibus militant. Quinetiam eorum quoque nullus esset usus reliquus, si quæ decet faceremus, et non opus haberemus, ut commonefieremus ab afflictionibus. Ignem autem hic vocat ejus iram, et dicit rem quæ accidit, quod scilicet arma eorum et currus combusserint, cum eos per vim vicissent, quod etiam dicit Ezechiel [2],

[1] Isaï. II, 4. — [2] Ezech. XXXIX, 10.

quicumque sunt studiosi, norunt historiam. « Vacate et » videte, quoniam ego sum Deus. Exaltabor in gentibus, » et exaltabor in terra [1]. » Alius, « Curamini, et cognos- » cite. » Alius, « Sinite ut cognoscatis : » Hebræus autem dicit : « Ouarphou ouadou. » Hic mihi videtur alloqui gentes, propemodum hoc dicens. Novistis quidem ejus vires, et potentiam, quæ ubique terrarum se extendit. Opus est autem vobis otio, opus est sano animo. Hoc porro significat etiam illud, « Sinite. Errorem dimittite, a priori vitæ instituto recedite, a rerum improbarum, quæ vos detinent, caligine respirate : ut deducti a doctrina miraculorum, quietoque animo prædíti, Deum universorum agnoscatis. Neque enim miracula solum sufficiunt, nisi adsit pius et gratus animus. Nam apud Judæos quoque facta sunt miracula, nec ex eis quidquam emolumenti ad illorum salutem allatum est. Quemadmodum enim non sufficiunt solis radii, nisi oculus quoque sit purus et sanus : ita nec hic quidem sola miracula sufficiunt. Quocirca cum de illis disseruisset, hortatur eos, qui sunt ex illis utilitatem capturi, ut resipiscant a malis, quæ eos captos detinent, ut possint cognoscere Deum universorum. « Vacate, et vi- » dete, quoniam ego sum Deus, » non simulacra, nec statuæ. Vacate igitur, et multa evidentissima vobis argumenta ostendam. Hoc enim sibi vult illud, « Exaltabor in genti- » bus, et exaltabor in terra, » hoc est, per opera vobis magnus et excelsus ostendar. Habet enim propriam altitudinem pura illa, ab interitu aliena, et ineffabilis natura. Sed quoniam vos eam non perspicitis, eam vobis per opera ostendam. Non solum autem in Palæstina, nec solum Jerosolymis, sed etiam apud vos gentes. Ita ergo exaltatur, eos vincens ac superans, miracula faciens Babylone, miracula in Ægypto, miracula in deserto, miracula per uni-

[1] Psal. XLV, 11.

versum orbem terrarum, ut illi undique habeant doctrinam ejus cognitionis. « Dominus virtutum nobiscum, » susceptor noster Deus Jacob [1]. » Hic est ergo Deus, qui est ubique magnus, qui est ubique excelsus, is semper stetit nobiscum. Ne ergo timeatis, neque conturbemini, cum habeatis dominum adeo inexpugnabilem. Quem decet gloria, honor, et magnificentia, cum Patre principii experte, et vivifico suo Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM XLVI.

In finem, pro filiis Core. *Alius*, Victoriæ auctori filiorum Core.

Omnes gentes plaudite manibus. *Alius*, Manu. Jubilate Deo in voce exultationis. *Alius*, Significate in voce laudationis. Quoniam Dominus excelsus, terribilis, rex magnus super omnem terram [2].

I. Hic etiam Psalmus idem tangit argumentum [3], dicens victorias et tropæa, quæ contra hostes sibi pararunt, et universum orbem terrarum vocans ad ea laudanda, quæ gesta sunt. Sed nonnullis fortasse videtur divini Spiritus hortatione indignum esse proœmium, necnon ejusmodi jussio, plausus, strepitus, et vociferationes. Neque enim iis, qui in hunc venerandum locum, ad docendum constitutum, coëunt, hæc fortasse conveniunt, dixerit quispiam; sed iis,

[1] Psal. XLV, 12. — [2] Id. XLVI, 1-3. — [3] Vide D. Guillon, t. XIII, pag. 569-579.

qui in scena et conviviis versantur, crotala pulsare et plaudere manibus : viris autem, qui docentur a gratia Spiritus, convenit quies, ordo, et moderatio. Quid ergo his significatur, et quam jubilationem, quem plausum ait? Consueverunt enim hoc facere, qui, instructa acie, prælio sunt decertaturi, jubilare, inquam, et manibus maximos plausus edere, ad hostes perterrendos : a tranquillo autem animo est hoc alienum. Psalmus vero jubet utrumque, et plaudere manibus, et jubilare. Quid est ergo quod dictum est? Nihil aliud, nisi voluptatem, et signum victoriæ significat. Nam alibi quoque Propheta inducit fluvios plaudentes manibus. « Fluvii, dicens, plaudent manibus in idip-» sum [1]. » Esaïas autem arbores quoque adducit hoc facientes [2]. Hic ipse autem rursus, et montes, et colles exilientes [3] : non ut hoc intelligamus, nempe montes et colles exilire, nec plaudere fluvios, vel manus habere : hoc esset enim extremæ amentiæ; sed ut summam discamus voluptatem. Ita etiam possumus videre in hominibus. Et cur non dixit : « Gaudete, et exilite, » sed « Plaudite et jubilate? » Ut nobis insignem ostendat voluptatem. Quemadmodum enim Christus, quando dicit : « Tu autem, quando jejunas, unge caput tuum, » et faciem tuam lava [4] : » non hoc dicit, præcipiens ut ungamur : nemo enim nostrum hoc facit; sed ut ostendamus gaudium, lætumque animum. Præcipit enim ut lætus jejunet, tristitiam non præ se ferens. Ita etiam hic quoque non hoc jussi sumus, nempe plaudere manibus, et jubilare, sed dum psallimus, lætari, et voluptate affici. Jure autem sumpserit quispiam Psalmum per anagogen, historia sublimior effectus. Nam etsi initium ac proœmium ducit a sensibilibus, ad intelligibilia tamen deducit auditorem. Quod enim antea dixi, nunc quoque dico. Alia quidem ita sunt

[1] Psal. xcvii, 8. — [2] Isaï. lv, 12. — [3] Psal. cxiii, 4. — [4] Matth. vi, 17.

accipienda ut dicta sunt : alia vero aliter quam præ se ferunt : quemadmodum se habet in illo : « Lupi et oves si-» mul pascentur [1]. » Non intelligimus enim lupos et oves, nec paleas, vel bovem vel taurum, sed mores hominum per similitudinem brutorum exprimimus. Alia vero sunt accipienda dupliciter, ut et sensibilia intelligamus, et quæ in intelligentia versantur, suscipiamus, quemadmodum in anagoge et sublimi contemplatione filii Abraham [2]. Filium enim oblatum fuisse scimus, verum aliquid etiam aliud, quod latet in intelligentia, per filium excerpimus, nempe crucem. Et rursus in pecude in Ægypto [3], passionis similitudinem similiter exprimimus. Hoc ipsum hic quoque faciendum est. Neque enim loquitur solum de Arabibus et vicinis, sed vocat omnes gentes. « Quoniam Dominus ex-» celsus, terribilis, rex magnus super omnem terram. » Statim ergo a principio auditorem excitat, ad tot annuntiata bona vocans, et ad publicam totius orbis terræ concionem, divinumque ac spirituale quoddam festum, atque ad delapsam ex cœlis mysteriorum doctrinam. Et ideo dicit : « Plaudite manibus, » hoc est, « Gaudete, exilite. » Nam hoc quoque sermo jubet evangelicus, dicens : « Exultate [4] : » non utique jubens saltare et exilire : hoc est enim illiberale, sed vehementiam lætitiæ significans. Quod enim agitur, magnam meretur lætitiam. Quantum enim terræ sol respicit, sermo pervasit evangelicus, et servatus est universus orbis terræ : et qui ab errore antea detinebantur, judaïco cultu majorem ostenderunt philosophiam. « Omnes gentes plau-» dite manibus. » Illis, inquit, antea sceleratis, illis impiis et execrandis, quæ per immunda sacrificia quotidie polluebantur, quibus filios occidebatis, et turpia patrabatis, et adversus ipsam naturam contendebatis, eis nunc « Plau-

[1] Isaï. xi, 6. — [2] Gen. xxii, 2. — [3] Exod. xii, 3. — [4] Luc. vi, 23.

» dite manibus, jubilate Deo in voce exultationis. » Lingua illa, qua execranda gustastis, qua verba impia et blasphema protulistis, ea jubilate canticum victoriæ. » Solent enim exercitus, quando inclinatur acies hostium, non uti stataria pugna, sed concordi voce et clamore fractos jam et abjectos eorum animos conquassare, quod est claræ victoriæ, et tropæi maximi argumentum, quando bellum non manibus, sed clamore decernitur, isque loco manuum et armorum sufficit.

II. Hoc ergo fuit universum Christi opus. Difficile enim hoc bellum ipse confecit, forti alligato, suppellectile ejus vasisque ablatis. Cum sit autem benignus et clemens, eos qui nihil laboraverant, victoria frui jubet et tropæis, et ad epinicion offerendum eos præparat, perinde ac si ipsi se recte gessissent, et vicissent. Quocirca omnes quoque clamamus, non voce aliqua obscura, sed clarissima : « Ubi est, » mors, stimulus tuus? Ubi est, inferne, tua victoria[1] ? » Et rursus : « Ascendit Deus in jubilo[2]. » Hoc enim in hoc Psalmo dictum est. Et rursus alibi : « Ascendisti in altum, » captivam cepisti captivitatem, accepisti dona in homini- » bus[3]. » Obtulerunt etiam aliquando Judæi hymnum pro victoria, quando in mari fuit demersus Ægyptiorum exercitus, dicentes : « Canamus Domino : gloriose enim glori- » ficatus est[4]. » Sed nostra est multo major, non Ægyptiis demersis, sed dæmonibus; non Pharaone superato, sed diabolo ; non armis captis sensibilibus, sed sublata nequitia; non in rubro mari, sed in lavacro regenerationis; non egredientibus in terram promissionis, sed in cœlum tendentibus; non manna comedentibus[5], sed dominico corpore vescentibus[6]; non aquam e petra bibentibus[7], sed

[1] I Cor. xv, 55. — [2] Psal. xlvi, 6. — [3] Id. lxvii, 19, et Ephes. iv, 8. — [4] Exod. xv, 1. — [5] Id. xvi, 14. — [6] Joan. vi, 35. — [7] Exod. xvii, 6.

sanguinem e latere[1]. Ideo dicit : « Plaudite manibus, » quod liberati a lignis et lapidibus, cœlos, et cœlos cœlorum transcenderitis, et ad ipsum regium solium steteritis. « Ju- » bilate ergo Deo, » hoc est, « Illi offerte gratiarum actionem, illi victoriam, illi tropæum. » Non est bellum humanum, nec pugna sensibilis ; nec pro aliquo eorum, quæ ad hanc vitam pertinent, decertatur, sed pro cœlis ipsis, et iis quæ sunt in cœlis. Ipse suis auspiciis suoque ductu hoc bellum confecit : nobis autem victoriam impertiit. « Quoniam » Dominus excelsus, terribilis, rex magnus super omnem » terram. » Ubi nunc sunt qui detrahunt gloriæ Unigeniti ? Ecce rex magnus dicitur Filius, quod de Patre dictum est : « Ne juraveris enim, inquit, neque in cœlo, quoniam » est sedes ejus : neque in Jerusalem, quia est civitas regis[2]. » Et rursus alibi : « Deus fortis, potens, » quod est rex. Quando ergo audieris crucifixum esse Dominum, fuisse sepultum, ad inferiores terræ partes descendisse, ne labaris, nec angaris : est enim altissimus, et natura altissimus. Quod est autem altum natura, ab altitudine minime unquam recesserit, nec humile fuerit : sed etiam in humilitate ejus altitudo manet et ostenditur. Nam vel mortuus maxime ostendit suam in mortem potentiam. « Lux in tenebris lucet, » inquit, et tenebræ eam non comprehenderunt[3] : » ita etiam in humilitate ejus altitudo apparuit. Vide ergo ipsum, dum esset apud inferos, vel alta quævis concutientem. Sol enim tunc avertebat radios, petræ findebantur, et velum templi abrumpebatur, terra movebatur, Judas strangulabatur, Pilatus et ejus uxor terrebantur, ipse judex se defendebat. Quando ergo audieris eum vinctum esse et flagris cæsum, ne confundaris : sed vide eum ostendentem potentiam vel in vinculis. Dixit enim : « Quem quæritis[4] ? »

[1] Joan. XIX, 34. — [2] Matth. V, 34, 35. — [3] Joan. I, 5. — [4] Id. XVIII, 4.

et omnes humi supinos prostravit. Vides quam sit terribilis, qui sola voce et nutu tanta faciat? Quando ergo videris eum mortuum, fac animo cogites sublatum lapidem; Angelos, qui cum metu ad sepulcrum manent; inferos, qui refringuntur; mortem, quæ consumitur; captivos liberantem: et tunc cernes quam sit terribilis. Si autem in ipso ignominiæ tempore tanta fecit, in cœlo, in terra, apud inferos, quid non faciet tempore futuri sui adventus? Audi quid dicant dæmones tempore humilitatis, spumantes, vincula solventes, inaccessam viam reddentes : « Quid nobis et » tibi, Fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos [1]? » Si ergo hæc tunc, quando adveniet, et potestates cœlorum concutientur, et sol conversus fuerit in tenebras, et « Luna » non dabit lucem suam [2], » quid dicent? Propterea dicit : « Ex- » celsus, terribilis. » Vel potius, quid quis pro dignitate dixerit, diem illum narrans, quando mittet Angelos per universum orbem terræ; quando omnia concutientur; quando terra movebitur reddens mortuorum depositum; quando innumerabilia corpora excitabuntur; quando cœlum veluti velum aliquod contrahetur, quando statuetur terribile tribunal [3]; quando fluvii ignis trahentur; quando libri aperientur; quando quæ ab unoquoque in tenebris facta fuerint, in medium producentur; quando illæ intolerabiles pœnæ ac supplicia; quando minabundæ potestates; quando stricti gladii; quando erit abductio in gehennam; quando omnis peribit auctoritas, imperatorum, ducum, consulum, et præsidum; quando affuerit tantus Angelorum populus; quando Martyrum, Prophetarum, Apostolorum, Sacerdotum, Monachorum examina; quando illa ineffabilia præmia, quando bravia, quando coronæ, quando bona, quæ omnem mentem superant?

III. Quæ oratio hæc explicare poterit? Si enim creatio-

[1] Matth. VIII, 29. — [2] Id. XXIV, 29. — [3] Dan. VII, 9.

nem Propheta persecutus, defatigatus est, et resiliit, dicens : « Quam magnificata sunt opera tua, Domine [1] ! » et Paulus unum genus perscrutans Providentiæ, exclamavit, dicens : « O altitudo divitiarum [2] ! » quid dixerit quispiam diem illum describens? Hæc omnia cum prævidisset Propheta, dixit : « Dominus excelsus, terribilis, rex magnus » super omnem terram, » orbis salutem ostendens. Erat itaque etiam antea rex magnus, sed ignorabatur. « Mundus » enim per ipsum factus est, et mundus, inquit, ipsum non » cognovit [3]. » Nunc autem hoc quoque præclare gessit, quod nos sibi familiaritate jungendo rex magnus effectus est. Quidni enim magnus, qui pauperes piscatores, illitteratos, idiotas numero undecim, obscuros, peregrinos, magis mutos quam pisces, unicam tunicam habentes [4], calceis carentes [5], nudos, per universum orbem terrarum misit, et veluti mandato omnes cepit. Hoc est vere esse regem magnum, qui universum orbem terræ errore liberavit, et brevi temporis momento veritatem reduxit, et diaboli tyrannidem sustulit. Qui etiam, antequam essent qui ei parerent, erat rex magnus, non habens in servis vim imperii, non in specie ac vestibus, sed in ipsa natura. « Ego » enim, inquit, ad hoc natus sum [6]. » Hoc est esse regem magnum, qui non habet honorem extrinsecus allatum, qui nulla re opus habet ut sit rex, qui facit omnia quæcumque vult. « Euntes enim, inquit, docete omnes gentes [7], » et sermo in opus exibat : « Volo, mundare [8]. Tibi dico, dæ- » monium surdum, egredere ab ipso. Tace, obmutesce [9]. » Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo [10]. Venite, » possidete paratum vobis regnum ante constitutionem » mundi [11]. » Vides ubique potestatem? vides potentiam?

[1] Psal. xci, 6. — [2] Rom. xi, 33. — [3] Joan. i, 10. — [4] Matth. x, 9. — [5] Luc. x, 4. — [6] Joan. xviii, 37. — [7] Marc. xvi, 15. — [8] Matth. viii, 3. — [9] Marc. ix, 24. — [10] Matth. xxv, 41. — [11] Ibid, 34.

Ita enim cepit eos, qui paruerunt, ut persuaserit vel animam potius profundere, quam quod jussum est transilire. Rex enim habet honorem ab iis, qui ejus subjiciuntur ditioni : hic autem præbet honorem iis, qui ei obediunt, et ideo illud quidem est solum nomen, hoc vero res. Magnus est rex, qui universum orbem terræ cœlum fecit, et ut barbari philosophi essent, et Angelos imitarentur, curavit; populos nobis subjecit, et gentes sub pedibus nostris. O miraculum ! Eis, qui crucifixerant, adorare persuasit : eos, qui contumelia afficiebant, qui insectabantur maledictis, qui lapidibus affixi erant, docuit vel suas animas profundere, ad ipsius placitum. Non enim hoc ab Apostolis gerebatur, sed ab eo, qui illos præcedebat, et movebat eorum animum. Quomodo enim piscator, vel tabernaculorum constructor tantum terræ habitabilis orbem ita mutasset, nisi illius verba impedimenta omnia sustulissent? Et præstigiatores, et tyrannos, et oratores, et philosophos, et omnes denique, qui resistebant, tanquam pulverem discutientes, instar fumi dissolventes, ita veritatis lucem seminaverunt, non armis, nec vi pecuniæ, sed solo ac simplici sermone utentes. Imo vero non erat simplex sermo, sed erat quovis opere potentior. Quo tandem pacto? Invocabant nomen Crucifixi, et mors fugiebat, fugabantur dæmones, morbi curabantur, corporum vitia corrigebantur, nequitia fugabatur, pericula protinus recedebant, et mutabantur elementa. Quando ergo nobis dixerint : « Cur non opem sibi tulit in cruce? » hoc dicamus : « Quoniam hoc erat admirabilius. » Neque sunt paria, ex cruce descendisse, et postquam fuit crucifixus, tot esse mortuos ejus nomine suscitatos. Quod enim tunc sua sponte ibi manserit, ostendit ex iis, quæ sunt postea consecuta. Qui enim mortem, quæ alios invaserat, expulit, multo magis a seipso, priusquam invaderet, propulsare poterat, et qui aliis vitam præ-

bet, multo magis sibi ipsi præbere poterat. Quod etiam triduo post fecit, ex magna potentia suscitatus. Id autem ostendit per ea,quæ postea secuta sunt. Quando enim ejus nomen visum est habere tantam virtutem in alienis corporibus, ut invocatum mortem fugaverit, nemo possit dubitare quin etiam in proprio corpore magnam potentiam ostendisset, et mortem sibi subjecisset. « Subjecit populos » nobis, et gentes sub pedibus nostris [1]. » Vide sapientiam Prophetæ, qui omnia accurate dicit. Quod enim postea dixerunt Apostoli, « Quid nos intuemini, quasi nostra vir- » tute aut pietate fecerimus ut hic ambularet [2]? » id multo ante dicit Propheta. Illud autem, « Sub pedibus, » id quod subjectum erat ostendit, vel potius magnam subjectionem. Si vis autem scire quanta subjectio esset, audi. « Quotquot, » inquit, possessores agrorum aut domorum erant, venden- » tes afferebant pretia eorum, quæ vendebantur, et pone- » bant ante pedes Apostolorum [3]. » Alii autem cum pecuniis animam quoque profuderunt. « Qui, inquit, pro anima » mea suas cervices supposuerunt [4]. » De aliis quoque scribens dicebat : « Si possibile, inquit, fuisset, oculos vestros » effodissetis, et dedissetis mihi [5]. » Porro ad Corinthios quoque scribens dicebat Paulus : « Ecce enim hoc ipsum » secundum Deum tristitia affici, quantum in vobis studium » effecit : imo apologiam, imo indignationem, imo timorem, » imo desiderium, imo æmulationem, imo vindictam [6] : » usque adeo eos verebantur et pertimescebant. Et Lucas rursus scribens, dicebat : « Cæterorum autem nemo au- » debat se conjungere illis, sed magnificabat eos populus [7]. » Et rursus : « Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in cha- » ritate, et spiritu lenitatis [8]? »

[1] Psal. XLVI, 4. — [2] Act. III, 12. — [3] Id. IV, 34, 35. — [4] Rom. XVI, 4. — [5] Gal. IV, 15. — [6] 2 Cor. VII, 11. — [7] Act. V, 13. — [8] 1 Cor. IV, 21.

IV. Vidisti auctoritatem et potestatem? Hæc autem omnia fecit verbum illud, quod dixit, cum eos mitteret : « Ego » vobiscum sum[1]. » Ipse impedimenta omnia removebat, ante eos ambulans : ipse plana omnia faciebat, ac difficilia facilia reddebat. Atqui erant omnia plena bellis, omnia scopulis et præcipitiis, et nusquam licebat pedem figere, nec sistere : obstructi erant omnes portus, omnis domus clausa, omnium aures obturatæ; et tamen, cum primum ingressi et locuti fuerant, diruebant omnia hostium propugnacula, ut et ipsas animas profunderent, et innumerabilia pericula sustinerent pro iis, quæ dicta fuerant. « Elegit » nobis hæreditatem suam speciem Jacob quam dilexit[2]. » » Alius, « Glorificationem Jacob. » Vide quam sit accurata exactaque prophetia. Superius quidem dixit : « Subjecit » nobis populos et gentes. » Judæi primum accesserunt, primo ter mille, deinde quinquies mille, et postea gentes. Ipse enim rursus dicebat : « Et alias oves habeo, et illas me » adducere oportet, et fiet unum ovile, et unus pastor[3]. Deinde ne quis, cum audierit, « Elegit nobis hæreditatem » sibi, » dubitet et angatur, et dicat : « Quomodo ergo non credunt nunc Judæi? » correctione solvit dubitationem : maxime enim, quod ad se attinet, eos elegit, et quantum ad ipsum quidem spectat, nullum reliquit. Quod si finem quoque requiras, audi ea quæ sequuntur. Subjunxit enim, « Speciem Jacob, quam dilexit. » Hic autem mihi videtur fideles dicere, quod quidem Paulus significans, dicebat : « Non autem quod exciderit verbum Dei; non enim omnes » qui sunt ex Israël, sunt Israël, sed in Isaac vocabitur tibi » semen, hoc est : Non qui sunt filii carnis, ii sunt filii Dei, » sed qui sunt filii promissionis, æstimantur in semine[4]. » Species autem seu pulchritudo populi jure dicatur fideles.

[1] Matth. XXVIII, 20. — [2] Psal. XLVI, 5. — [3] Joan. X, 16. — [4] Rom. IX, 6-8.

Quid est enim speciosius illis qui crediderunt? Hæreditatem autem suam vocat gentem, non quod aliarum gentium nullam curam gesserit, sed vehementem in eos dilectionem, et cum eis conjunctionem, et providentiæ accessionem ostendens. Et ut scias quam sit accurata prophetia, vide quomodo utitur dictione vulgi, qua utitur in rebus quæ emuntur. Sæpe enim plerique aliquid ementes, pulchra illa esse dicunt, quæ reliquis antecellunt. Ostendens ergo non omnes servandos, dicit : « Speciem Jacob. » Hæc etiam ostenduntur in Evangeliis per innumerabiles parabolas. « Ascendit Deus » in jubilo[1]. » Non dixit : « Assumptus est, » aut « Deductus est » sed, « Ascendit, » ut ostenderet eum ascendisse, nullo alio cum ducente, sed ipsum hanc viam esse ingressum. Helias enim, qui non eadem, qua Christus, via processerat, ducebatur ab alia potestate. Non erat enim humanæ naturæ via peregrina ingredi. Unigenitus autem ascendit propria potestate. Quocirca Lucas quoque sic dicebat : « Et fixis oculis » intuebantur illum euntem in cœlum[2]. » Non dixit : « Cum » ipse assumeretur, » nec, « Cum portaretur : » erat enim ejus proprius incessus, quod fiebat. Si autem antequam crucifigeretur, ferebatur super aquas, adhuc patibili et gravi corpore circumdatus, quid mirum si, postquam incorruptibile sumpsit, aërem secuerit? Ubi autem « In jubilo? » Quis jubilavit, quando ascendit? Atqui hoc silentio factum est, et undecim solum præsentibus Discipulis. Vides non oportere dictiones simpliciter et uno tantum modo accipere, sed scire quid eis significetur? Quemadmodum enim dixi in proœmio Psalmi, jubilus aliquid aliud significat, nempe victoriam, tropæum. Quod ergo hic dicit, « In jubilo, » hoc est, ascendit in victoria, cum mortem vicisset, peccatum dejecisset, dæmones fugavisset, errorem expulisset, omnia in melius mutasset, in antiquam patriam, imo vero longe

[1] Psal. XLVI, 6. — [2] Act. I, 10.

meliorem, nostram naturam deduxisset. Cum enim advenisset, nemo ei restitit, non peccati tyrannis, non mortis potentia, non vis maledicti, non interitus, non nequitiæ magnitudo, non aliquid aliud ejusmodi : sed cum hæc omnia tanquam araneam perfregisset, dæmonum catervas, nervos diaboli, et hæc omnia profligasset, ascendit, rebus recte gestis, ut voluit.

V. Quocirca Paulus quoque ejus tropæum narrans, dicebat : « Cum expoliasset Principatus ac Potestates, tra» duxit libere de eis in seipso triumphans [1]. » Et rursus : « Delevit quod erat adversus nos chirographum in decretis, » quod erat nobis contrarium, et ipsum de medio sustulit, » affigens illud cruci [2]. Dominus in voce tubæ [3]. » Idem rursus significat, hoc est, in præclara victoria. Hic autem est aliud quoque intelligendum, nempe id fuisse clarum, apertum, illustre. Atqui nullus id tunc novit, cum fieret, sed tam evasit manifestum, quam si tuba cecinisset, atque adeo multo magis. Illud enim quod tunc clanculum factum est, nemo fere eorum, qui orbem terræ habitant, ignoravit : sed ipsum perinde revelavit rerum natura, ac si tuba cecinisset, imo multo magis. Neque enim tuba canens ita omnes vocasset ad illud spectaculum, sicut postea rerum vox ostendit ascensum, magis etiam quam tonitru rem claram efficiens. Neque enim tonitru ita vocasset orbem terræ, ut rerum ostensio eos, qui tunc erant, et qui postea erant futuri. Tonitru enim est tantum manifestum præsentibus; ipsa vero omnibus generationibus tuba clarius, et tonitru apertius ostendit quod factum est. Nec vero aberraveris, si tubas vocaveris ora Apostolorum, non tubas quidem æreas, sed auro pretiosiores, et gemmis magnificentiores. Cur ergo non dixit: « In tuba,» sed, « In voce tubæ ?» Significans eorum concordiam, sicut etiam dicit Paulus: « Sive ergo ego, sive illi,

[1] Coloss. II, 15. — [2] Ibid 14. — [3] Psal. XLVI, 6.

» sic prædicamus[1]. » Et rursus : « Multitudinis autem cre-» dentium erat cor unum, et anima una[2] : » tuba autem canebant, non ad bellum incitantes, sed prædicantes et annuntiantes victoriam. Quemadmodum enim in castris, quando cum signis in aciem prodeunt, præcedunt tubæ, quæ præsentes excitant, non aspectu solum, sed etiam auditu : ita tunc factum est. Ingredientibus Apostolis in unamquamque civitatem, tubæ sonabant, et ad audiendum omnes accurrebant. « Psallite Deo nostro, psallite : psallite » regi nostro, psallite. Quoniam rex omnis terræ Deus, spal-»lite sapienter : regnavit Deus super gentes[3]. » Postquam igitur narravit quam magna sint, et quam præclara quæ gessit, universum orbem terræ vocat ad eum laudibus celebrandum, cum magno studio et diligentia. Usus est idcirco repetitione; nec invitat solummodo ad psallendum, sed ad psallendum cum magna sapientia. Quid est, « Psallite » sapienter? » Cum quæ, inquit, facta sunt, didiceritis, considerantes rerum gestarum magnitudinem. Mihi autem videtur etiam aliquid aliud subindicare, cum dixit : « Sapien-» ter, » non voce tantum, sed etiam factis psallere, non lingua tantum, sed etiam vita. « Regnavit Deus enim Super gen-» tes, » inquit. Alius, « Supra gentes : » et quodnam hic regnum dicit? Non illud quod obtinet ratione creationis, sed hoc quod ratione ejus, ad quam eas ascivit, necessitudinis. Fuit enim rex omnium etiam antehac, ut qui esset opifex et creator : nunc autem et lubentium et gratias habentium : quod quidem est maxima laude dignum, et imprimis admirandum, eum, qui prius contumelia afficiebatur a Judæis, effecisse ut tanta fieret mutatio, ut ubique caneretur; et qui nec Prophetas legerant, nec in lege educati fuerant, imo vero plane erant ferinis moribus, repente mutati sunt, et omnibus illis abjectis erroribus, se ei subjecerunt, non

[1] 1 Cor. xv, 11. — [2] Act. iv, 32. — [3] Psal. xlvi, 7-9.

duæ, aut tres, aut quatuor, aut decem gentes, sed qui universum orbem terrarum incolebant. « Deus sedet super » thronum sanctum suum [1]. » Quid est, « Sedet super thro- » num? » Regnat, inquit, imperium obtinet. Recte autem dixit, « Sanctum. » Non solum enim regnat, sed etiam sancte regnat. Quid est, « Sancte regnat? » Pure. Homines enim, qui veniunt ad hoc imperium, ea potestate ad injuriam inferendam utuntur. Illud autem imperium est ab omni re ejusmodi intactum, purum, et sanctum. Neque enim fraus, neque aliquid ejusmodi, illud judicium corrumpit et circumvenit, sed est purum, sincerum, quacumque puritate fulgens clarius, resplendens ineffabili gloria. « Principes populorum congregati sunt cum Deo » Abraham. Quoniam Dei fortes terræ vehementer elevati » sunt [2]. »

VI. Hic ostendit quomodo fuerit extensum Evangelium, quod non solum privatum attigit, sed eos etiam, qui sunt redimiti diademate, et sedent in solio regio. Deinde ostendens eum esse unum Deum Novi et Veteris Testamenti, dicit : « Cum Deo Abraham, » id est, ille ipse qui et nostrorum majorum Deus est, et qui illis etiam legem dedit. Et ideo dicebat Jeremias : « Dabo vobis testamentum no- » vum, non secundum testamentum quod dedi patribus » vestris, in die quo ego apprehendi manum eorum, ut » educerem eos de terra Ægypti [3], » ostendens unum et eumdem esse legislatorem et Novi et Veteris Testamenti. Et Baruch rursus dicebat : « Hic est Deus noster, non repu- » tabitur alius præter ipsum. Invenit omnem viam scien- » tiæ, et dedit eam Jacob filio suo, et Israël dilecto suo. » Postea autem in terra visus est, et cum hominibus con- » versatus est [4], » significans eumdem esse qui legem de-

[1] Psal. XLVI, 7-9. — [2] Ibid. 10. — [3] Jer. XXXI, 31, 32. — [4] Baruch. III, 36-38.

dit, et qui incarnatus est, et eum, qui incarnatus est, legem dedisse. Hoc etiam dicit Propheta : « Congregati sunt, » inquit, cum Deo Abraham. » Hebræus autem pro eo quod est, « Cum Deo, Em eloi Abraham. » Et quomodo, quæso, hoc factum est? « Quoniam Dei fortes terræ vehe- » menter elevati sunt. » Quinam sunt autem Dei fortes, nisi Apostoli, fideles omnes? Quoniam enim potentia eorum usque adeo resplenduit, omnes vicerunt : recte autem eos appellavit « Fortes. » Quidni enim fortes, qui adversum orbem terræ aciem instruxerunt, adversus dæmones, adversus diabolum, adversus populos, adversus civitates, adversus gentes, adversus tyrannos, adversus tormenta ac supplicia, adversus sartagines, adversus fornaces, adversus consuetudinem, adversus naturæ tyrannidem, et omnia diruebant, et superiores omnibus evadebant, et a nullo vincebantur? Quomodo non fortes, qui vel post mortem, tantam ostendunt virtutem? Quomodo non fortes, quorum verba sunt quovis adamante duriora, nec ullum ea tempus abolevit, sed quotidie majus incrementum suscipiunt, dum omnes ubique orbis terrarum oras evangelica prædicatio pervadit? Pro his omnibus benigno et clementi Deo gratias agamus. Quoniam ei gloria et potentia, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM XLVII.

Canticum Psalmi filiis Core.

Magnus Dominus et laudabilis valde, in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus. Bene radicibus firmans exultatione universæ terræ [1]. *Alius dicit*, Pulchro germine, gaudio universæ terræ. *Alius*, Ab initio præscripto splendore universæ terræ.

I. Hic quoque significat liberationem a bellis et pugnis. Quia enim a Babylone reversi, et a longa captivitate liberati, terram paternam receperunt, et a multis bellis evaserunt, pro his omnibus Deo horum bonorum auctori gratias agentes, hos hymnos canunt; dicunt autem : « Magnus Dominus, et laudabilis valde. Magnus » quidem dicunt, sed « Quam magnus » non dicunt, hoc enim nemo scit, et ideo subjunxit : « Et laudabilis valde. » Non est enim finis ejus magnitudinis. Quod autem dicit, est ejusmodi : Oportet illum solum gloria afficere et laudare, idque supra omnem modum : laudare nempe eum propter hanc infinitam et incomprehensibilem essentiæ magnitudinem, et propter summa ejus in nos beneficia. Nam et voluit, et potuit quæ voluit. « In civitate Dei nostri, in monte sancto » ejus. » Quid dicis ? Illic ejus laudem concludis, qui est magnus, qui laudabilis, in civitate et in monte ? Non hoc dico, inquit, sed quod nos ante alia hoc cognoverimus. Vel propterea ergo dixit illud : « In civitate Dei nostri, » vel volens ostendere, quod per magnitudinem miraculo-

[1] Psal. XLVII, 1-3

rum, quæ ibi facta sunt, ostensa sit ejus magnitudo et gloria : quod eos, qui erant captivi, qui disjecti, qui contempti, qui in regione hostili velut in sepulcro detinebantur, ut adeo repente clari essent, procuraverit : ut et qui eos vicerant, superarent, et ad priorem redirent prosperitatem, et antiquus patriæ status eis restitueretur. Ostendit enim, inquit, ipsum etiam creaturarum, quæ videntur, magnitudo : sed quoniam complures antiquitus erant paulo insipientiores, cognitionem, quæ ex inimicis et ex victoria oritur, adjicit, mirabilia hæc tropæa assidue erigens, et res in melius mutari curans, ac præter spem et expectationem omnem ejusmodi miracula edens. Hanc autem vocat ejus civitatem, non alias ejus privans providentia, sed ut hos ostendat, quod ad cognitionis rationem attinet, aliis fuisse longe priores. Illæ enim ejus dici poterant ratione tantum opificii, hæc vero etiam ratione familiaritatis et necessitudinis, et quod hæc omnia illic fierent miracula. Tunc itaque ea dicebatur Dei civitas; nunc autem nos omnes Dei dicimur. « Qui enim Christi » sunt, inquit, carnem crucifixerunt cum vitiis et concu» piscentis [1]. » Vidisti summam et intentissimam virtutem? Et ideo appellabatur quoque mons Dei, quoniam Deus illic colebatur. « Bene radicibus firmans exultatione uni» versæ terræ. » Dictum valde obscurum, et ideo oportet attendere. Ei enim, qui perfunctorie legit, magnam affert dubitationem : qui id autem diligenter persequitur, videbit consequentiam, et accuratam sententiarum connexionem. Quod enim dicit, est ejusmodi : « Magnus Dominus in civitate Dei nostri, in monte sancto suo bene radicans, hoc est, bene radicibus firmans, et eam pulchre firmans ac stabiliens in gaudio et lætitia totius orbis terrarum. » Hoc etiam alius obscure significans dixit : « Præscripto

[1] Gal. v, 24.

» splendore universæ terræ. » Eam enim fecit splendorem et lætitiam universæ terræ. Illinc est fons pietatis, et radices et principia Dei cognitionis. Hanc ergo, cum talis esset, radicibus firmavit, ac stabilivit ad ornamentum totius orbis terrarum, ad exultationem, ad gaudium totius mundi. Jerosolyma enim tunc erat magistra universæ terræ, et qui volebant frui gaudio, cultumque et ornamentum capere, hinc ea quæ bona et honesta erant, discebant [1]. Et ideo hoc significans non dixit : « Radicibus firmans, » sed, « Bene firmans radicibus. » Quod si velis idipsum accipere anagogice, videbis rerum veritatem : hinc enim processit exultatio per universum orbem terrarum, hinc processit gaudium et lætitia, hinc emanarunt fontes philosophiæ, ubi Christus fuit crucifixus, unde profecti sunt Apostoli. « Ex Sion enim, inquit, egredietur » lex, et verbum Domini ex Jerusalem [2] : » Habet autem hoc gaudium radices immortales. « Montes Sion latera » Aquilonis [3]. » Alius, « Montes Sion femora Aquilonis. » Hebræus autem, « Ar Sion jerchthe Saphoun. » Qua de causa, quæso, meminit nunc Aquilonis, et situm loci nobis describit? quoniam assidue bellum hinc suscitabatur, invadentibus barbaris, idque Prophetæ dicunt frequenter, bellum ab Aquilone appellantes [4], et febrem illinc ferventem describunt : ita enim sita est regio Persarum, si habeatur ratio Palæstinæ. Quod factum admirans, hoc subjunxit, significans : « Eam, quæ illinc assidue vexabatur, fecisti inexpugnabilem : » perinde enim ac si quis diceret de corpore : « Partem illam imbecillam fe isti valentiorem : » hoc etiam hic ipse subindicat, dicens : « Unde luctus et lacrymæ, unde origo calamitatum, eæ partes impletæ sunt voluptate, alacritateque animi. Unde minæ, metus, et pericula, hinc gaudium et lætitia : » nec ullus

[1] Isaï. II. — [2] Ibid. 3. — [3] Psal. XLVII, 3. — [4] Jer. I, 13.

deinceps metuit aquilonarem illam partem mundi, nemo animo angitur, nemo suspicatur, sed omnes degunt in lætitia, cum ejus radices fixeris in voluptate. « Civitas regis »magni. Deus in domibus ejus cognoscitur, cum suscipiet »ipsum [1]. » Alius, « Cognitus est. » Alius, « Deus in regiis »ejus cognoscetur ad munimentum. » Alius, « Deus in »palatiis ejus cognitus est ad eripiendam eam. »

II. Prædicat ejus dignitatem, laudem, coronam, dicens : « Civitas regis magni. » Deinde ostendens quomodo sit civitas regis magni, adjungit : « Deus in domibus ejus cognos»citur, » magnam ostendens providentiam, quod eam totam omni ex parte servet, non illius tantum totius curam gerens, sed etiam in unamquamque domum suam ostendens providentiam. Nobis enim etiam absque eo est cognitus, inimicis autem ex eo suam ostendit virtutem. Tempore enim Ezechiæ, cum barbarorum nubes eam invasisset, et totam veluti sagena circumdedisset, recesserunt cum maxima suorum clade, relictisque cadaveribus [2]. » Quinetiam multi quoque alii in eam sæpe ingressi, ignominia affecti recesserunt. Hæc, inquit, omnia gesta sunt Dei providentia, eamque præclaram et insignem fecerunt. Non solum autem quod præclara, sed etiam quod adeo præclara facta sit, magna evasit. « Quoniam ecce reges terræ congregati »sunt, convenerunt in unum. » Alius, « Ecce enim reges »simul instructi sunt. Ipsi videntes sic admirati sunt, con»turbati sunt, commoti sunt. Tremor apprehendit eos. Ibi »dolores ut parturientis, in spiritu vehementi. » Alius, « Per ventum violentum. » Alius, « Ardoris. Conteres naves »Tharsis [3], » Alius, « Confringes. » Hebræus autem ait : « Tharsis. » Hic narrat bellum, bellum difficile, undique conflatum, et clariorem victoriam. Quoniam enim dixit illum ei patrocinari, et ejus curam gerere, ostendit dein-

[1] Psal. XLVII, 4. — [2] 4 Reg. XXIX. — [3] Psal. XLVII, 5-8.

ceps quomodo eam susciperet. Nam cum innumerabiles gentes eam invasissent; hoc enim significat per regum multitudinem; et non solum invasissent, sed etiam congregati aciem instruxissent, res ejusmodi gestæ sunt, ut ipsi abirent obstupefacti ob ea, quæ tanto miraculo facta sunt. Ita enim bellum conficiebatur, ut ipsi horrore ac torpore pleni recederent, et cum magna animi perturbatione resilirent, dum multi paucos, et ii qui ordines instruxerant, divisos timerent, nec secus afficerentur quam mulier quæ parturit. Unde clarum erat bellum non fuisse gestum humano more, sed Deum fuisse ducem in committendo prælio, qui non solum spiritus eorum deprimebat, sed etiam mentem eorum conquassabat, eisque dolores immittebat, et ineffabilem timorem afferebat: ac perinde accidit ac si magna classe congregata, vehemens ventus irruens, omnes naves contrivisset, triremes demersisset, magnamque repente perturbationem injecisset. Hic enim mihi videtur per hoc exemplum et victoriæ facilitatem, et perturbationis magnitudinem significare. Nam hi quoque, cum magnam classem parassent, et ex longinqua aliqua et aliena regione venissent, ira Dei veluti quodam vehementi vento omnes pericrunt. Et ideo locum quoque significans unde venerunt, subjunxit illud, « Tharsis. » Ita etiam significavit Hebræus per dictionem, quam vestra causa adjecimus in lectione contextus. Vel hoc ergo dici potest, vel illud quod ante dixi, quemadmodum naves Tharsis vehemens ventus irruens sæpe contrivit; ita etiam multitudinem illam Deus conturbavit. « Sicut audivimus, sic vidimus in » civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri [1]. » Vidisti quomodo exponit id quod est superius, « Bene radicans? » Non dixit enim: « Qui bene radicavit, » sed, « Bene radicans, » hoc est assidue providens, assidue curam gerens, assidue

[1] Psal. XLVII, 9.

muniens. Postquam enim dixit quæ tunc contigerunt, ad res antiquas narrandas rursus convertit orationem, ostendens hæc habere cum illis affinitatem. Quæ enim, inquit, verbis audivimus, ea factis vidimus, victorias Dei, tropæa, curam ac providentiam, et quæ opinionem superant miracula. Deus enim nunquam intermisit hæc facere. Ejus ergo est et liberare a periculis, et deducere ad Dei cognitionem. Recte autem meminit Propheta eorum, quæ longo ante tempore facta sunt. Oportebat enim et ex veteribus narrationibus, et ex recens gestis doceri, ut crassiores ex iis quæ fiebant, iis quoque quæ facta erant crederent, et duplex lucrum facerent, essetque eis auditio pro visu. « Deus fun» davit eam in æternum. Suscepimus, Deus, misericordiam » tuam in medio populi tui [1]. » Alius, « Æstimavimus, Deus, » misericordiam tuam in medio populi tui. » Hebræus autem, « Echalach demmenu. Secundum nomen tuum, Deus, » sic etiam laus tua in fines terræ. »

III. Quoniam dixerat: « Quæ audivimus, ea et vidimus, » nunc dicit et quid audierit, et quid viderit. Quid ergo audivit et quid vidit? Quod Dei gratia reddit civitatem firmiorem et inconcussam. Hoc est enim ei fundamentum, hoc robur, hoc eam facit inexpugnabilem, non humanæ opes et auxilium, non vis armorum, nec turres et mœnia. Sed quid? Deus eam regit et continet. Hoc enim eos maxime doceri oportuit, et Propheta assidue illos eo deducit. « Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio populi » tui. » Quid est, « Suscepimus? » Speravimus, expectavimus, cognovimus tuam humanitatem et clementiam. Quoniam enim dixit: « Fundavit, radicavit, muniit, ostendens tantam providentiam non proficisci ex meritis eorum, qui eam assequuntur, sed procedere ex bonitate ejus qui illa facit, et simul volens fastum eorum comprimere, sic locutus est,

[1] Psal. XLVII, 10.

hoc propemodum dicens : « Tuæ sunt misericordiæ hæc præclara facinora, tuæ gloriæ, tuæ bonitatis. Et ideo subjunxit: « Secundum nomen tuum, Deus : sic et laus tua in » fines terræ [1].» Laus, inquit, tua res adeo præclaras, magnas, et admirabiles operatur, adeo excelsas et gloriosas. Non enim ad mensuram curam gessisti eorum, quos beneficio afficis, nec propter eorum merita, sed pro tua magnitudine. Laus ergo tua, hoc est, tua celebratio, quæ ex operibus profecta est, fecit ut præclara tua facta evulgarentur. Facta enim fuerunt in Palæstina, sed propter ingentem ipsorum magnitudinem pervenerunt ad extremos fines orbis terrarum, et qui erant procul remoti, ea sciebant. Quæ facta itaque fuerant in Ægypto, meretrix Hiericuntina sciebat melius quam ii, qui interfuerant [2]. Rursus quæ in Palæstina evenerant, ii quoque qui in regione Persarum habitabant, prædicabant. Quæ rursus gesta fuerant in Perside, noverant qui in extremis finibus terræ agebant. Quapropter rex quoque misit litteras per universum orbem terræ, prædicans ea, quæ in fornace evenerant [3]. » Et ideo hic quoque cum dixisset : « Laus tua in fines terræ, » subjungit : « Justitia plena est dextera tua [4]. » Quod enim assidue facere consuevit, ut ab iis, quæ erga homines fiunt, ascendat ad ea, quæ ad ipsius naturam pertinent, hoc etiam fecit in præsenti : non ut aliqua ad Deum accedere aut ab eo recedere cogitemus, absit, sed quoniam infirmatur sermo et lingua humana, oportet dictis Deo dignum sensum tribuere. Quæ ergo Dei naturæ adsunt, ea dicit, quæ sunt ejus substantiæ conjuncta. Quænam autem ea sunt ? « Jus- »titia, inquit, plena est dextera tua.» Ostendit enim ea quæ fiunt, non esse ex meritis eorum quos beneficio afficit, sed ex sua substantia, quoniam ipsa ejus substantia delectatur justitia, lætatur benignitate et clementia. Hoc est ejus

[1] Psal. XLVII, 11. — [2] Jos. II, 10. — [3] Dan. III. 98. — [4] Psal. XLVII, 11.

opus, hæc est ejus consuetudo, et ideo tanta accipiebant ab eo beneficia. Quemadmodum enim ignis est calefacere, et solis illustrare : ita etiam ejus est benefacere, imo vero ne sic quidem, sed longe amplius. Et ideo sic quoque dixit: « Justitia plena est dextera tua, » ejus affluentiam, illamque ejus esse substantiæ conjunctam significans. « Lætetur » mons Sion, et exultent filiæ Judææ, propter judicia tua » Domine. » Alius, « Ob judicia tua. Circumdate Sion, et » complectimini eam. » Alius, « Et circuite. Narrate in » turribus ejus. » Alius, « Numerate turres ejus. » Alius, « Laudate. Ponite corda vestra in virtute ejus.» Alius, « In » ambitum. » Alius, « In abundantiam. Et distribuite do- » mos ejus. » Alius, « Dimetimini regias ejus. Ut enarretis » in progenie altera. » Alius, « In generatione posteriori. » Quoniam hic est Deus noster in sæculum et in sæculum » sæculi. Ipse reget nos in sæcula [1]. » Quanam de causa hæc præcipit, circuire civitatem, numerare turres, attendere ædificia, considerare ejus decorem, domos et palatia metiri, non opus est nostra interpretatione, sed oratio ipsa seipsam explicat. Cum enim hæc dixisset, causam quoque statim adjecit. Quamnam? « Ut enarretis in progenie al- » tera. » Quod autem dicit, hujusmodi est : « Impleamini gaudio, lætemini, exultetis. Sed non leviter ac obiter, sed accurate et diligenter ejus vires intelligite. « Quoniam enim fuit diruta, quoniam radicitus convulsa, ejusque solum propemodum interiit, et desperarunt fore ut ea in melius mutaretur, adeo ut dicerent : « Aruerunt ossa nostra, las- » sati sumus, consumpti sumus [2], » nec expectabant fore ut eam reciperent : eam tamen receperunt, et non talem qualem amiserant, sed longe meliorem, clariorem, atque illustriorem, majorem, ditiorem, potentiorem, et magnificentiorem in ædificiis, in rebus venalibus, in potentia, in

[1] Psal. XLVII, 12-15. — [2] Ezech. XXXVII, 11.

facultatibus. « Erit enim, inquit, ultima gloria domus hujus » supra priorem [1]. » Adhortatur populum, et propemodum hæc dicit : « Ecce hæc civitas, de qua erat omnis spes abjecta, quæ diruta et eversa fuerat, quomodo in splendidiorem speciem statumque restitua est? » Hæc ergo ipsa discite, ejus ædificationem, splendorem, claritatem, ut cum hinc Dei virtutem didiceritis, nempe quo pacto eam, cujus nulla erat spes relicta, majorem fecerit, narretis posteris vestris Dei potentiam, et perpetuam ejus providentiam, eumque nostri curam semper gerere, nos regere, et defendere. Hæ enim narrationes posteris quoque erunt magnæ argumentum philosophiæ, et occasio exactissimæ Dei cognitionis, et studii virtutis. Quamobrem jubet illos eam circuire, ut sint perfecti doctores posterorum.

IV. Quocirca nos quoque semper et continuo considerantes, civitatem nostram Jerusalem mente versemus, ac pulchritudinem ejus nobis ob oculos perpetuo ponamus, quæ regis sæculorum est metropolis, in qua Justorum sunt spiritus, chori Patriarcharum, Apostolorum, omniumque Sanctorum, ubi stabilia sunt cuncta, non prætereuntia, ubi pulchritudines sunt immortales, et quæ sub aspectum non cadunt, quæ solis iis hæreditate consequi licet, qui caducarum et fluxarum sæcularium curarum penitus obliti fuerint, opum scilicet ac deliciarum, et damnosarum diaboli voluptatum. Fraternum autem amorem, et hospitalitatem erga pauperes, et charitatem in proximum in dies augent, atque acceptas injurias ex animo condonant, ut cum hac ratione honeste atque ut Deo acceptum est, vitam traduxerimus, regni cœlorum hæreditatem accipiamus, in ipso Christo Domino nostro, cui gloria, et imperium una cum Patre, et Spiritu sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Agg. II, 10.

EXPOSITIO I

IN PSALMUM XLVIII.

In finem filiis Core. *Alius*, Triumphalis.

Audite hæc omnes gentes. *Alius*, Audite hoc. Auribus percipite omnes qui habitatis orbem. « *Alius*, Intimum Occidentem. *Alius*, Occidentem. *Hebræus*, Old. Quique terrigenæ et filii hominum. *Alius*, Etiam humanum genus, et præterea filii uniuscujusque viri. Simul in unum dives et pauper. *Alius*, Pariter [1].

I. Magna [2] quædam et arcana nobis nunc est dicturus Propheta. Neque enim quotquot sunt ubique terrarum ad audiendum vocasset, nec totius orbis theatrum excivisset, nisi magnum quid, et præclarum, et tanti conventus magnitudine dignum nobis esset dicturus. Neque enim amplius loquitur ut prophetans Judæis, qui Palæstinam habitant, sed veluti quidam Apostolus et Evangelista, ad omnem humanam naturam dirigit orationem. Lex enim uno in orbis angulo unam gentem docebat : sermo autem prædicationis ubique terrarum resonuit, et seipsum extendit, ut qui tantam pervaserit regionem, quantam sol percurrit. Illa enim erant pædagogica quædam institutio et ministerium condemnationis et mortis ; hæc autem gratia et pax. Quoniam ergo convocavit omnes genus ad audiendum, nos quoque hic adsimus, et videamus quid vult nobis di-

[1] Psal. XLVIII, 1-3. — [2] Vide D. Guillon, tom. XV, pag. 194-204.

cere Psalmographus, qui communi hominum generi præest. Licet ergo sint barbari, licet sapientes, licet privati, jubes omnes eos adesse? Etiam, inquit : et ideo incipiens quoque dixit: « Omnes gentes ; » et rursus amplificavit orationem dicens : « Quique terrigenæ, et filii hominum, » vocans omne genus hominum. Papæ quæ doctrina ! quam est apta omnibus et communis ! Et ideo non solum vocat omnes, sed magno studio et diligentia jubet eos illa, quæ dicuntur, attendere. Non solum enim dixit : « Audite hæc omnes gentes ; » sed etiam, « Auribus percipite. Auribus percipere autem nihil est aliud quam diligenter et attente audire. Auribus enim percipere id proprie dicitur, quando quis aure auri admota loquitur, seipsumque et illum jubet adhibere animum iis, quæ dicuntur. « Auribus percipite omnes qui habitatis orbem. » Etiamsi qui, inquit, non referuntur in numerum gentium, sed sunt mixti, et dispersi Nomades, eos quoque voco ad audiendum. Vide concionatoris prudentiam. Primum eorum animum excitavit, et erexit ad audiendum, eo quod omnes simul vocaverit. Deinde postquam vocavit, fastum eorum comprimit, ne propter multitudinem in arrogantiam efferantur. Talibus enim maxime auditoribus opus est, quando quis est verba facturus, quæ ad studium sapientiæ pertineant, nempe contritis, compositis, et ab omni fastu ac tumore liberis. Quomodo ergo ferocem eorum animum compescuit? Naturam in memoriam revocans. Postquam enim dixit : « Gentes, » subjunxit, « Quique terrigenæ et filii hominum, » dixit substantiam ex qua est principium nostræ generationis, communem omnium matrem revocavit in memoriam. Et quare dixit : « Filii hominum? » Quia dixerat : « Terrigenas, » ne quis existimaret, ut volunt mythologi, homines ab initio e terra pullulasse, quemadmodum nonnulli fabulati sunt, quosdam satu editos introducentes, propterea subjunxit : « Filii ho-

» minum. » Patres enim vobis sunt homines: principium autem generationis vobis et illis terra est. « Quid ergo « superbit terra et cinis[1] ? » Cogita apud te quænam sit mater tua, et fastum comprime : altos spiritus conculca ac deprime : considera quod « Terra es, et in terram rever- » teris [2], » et omnem arrogantiam expelle. Tali enim mihi auditore opus est. Ideo te sedatum reddo ac compositum, ut te accipiam aptum ad quæ dicuntur suscipienda : « Simul in unum et dives et pauper. » Vidisti nobilitatem Ecclesiæ. Quidni enim nobilitatem, quando ob conditionis differentiam non arcet auditorem, sed universa doctrina ex æquo profunditur, et pauperi, et diviti mensa communis exhibetur? Postquam enim dixit id quod omnes unit, eos videlicet esse terrigenas, et filios hominum, et communem esse naturam ostendit; tunc quæ ex rebus sæcularibus videbatur esse, differentiam et inæqualitatem oratione ejicit, communiter omnes vocans; est enim communis nostra natura : communiter omnes voco. Communis enim nostra civitas est orbis terrarum. Sed ex paupertate et divitiis differentiam aliquam excogitastis, et inæqualitatem introduxistis : atqui eam quoque rursus ejicio, non divites quidem admittens, pauperes autem habens despicatui ; nec pauperes quidem vocans, divites autem expellens, sed et hos, et illos, et non solummodo hos et illos, verbi gratia, hos quidem priores, illos vero posteriores, vel illos quidem posteriores hos vero priores, sed simul : sit communis conventus, communis concio, communis auditorum cœtus. Licet sit dives, ex eodem luto natus es : idem fuit tibi cum paupere ingressus, idem ortus. Et tu hominis filius es, et ille.

II. Cum ergo quæ sunt præcipua, et magis opportuna, et honore æqualia, ex æquo habeatis, cur propter umbras et somnia intumescis, ex iis quæ nihil sunt, communia dis-

[1] Eccli. x, 9. — [2] Gen. III, 19.

tiguens, communia naturæ, communia ortus, communia affinitatis et necessitudinis? Cur amictum exteriorem adducis, ut distinctionem ex eo efficias? Non fero, non patior, et ideo voco te cum paupere, dicens: « Simul in »unum dives et pauper. » In aliis enim non possunt simul videri dives et pauper, non in judiciis, non in aulis regiis, non in foris, non in mensis: sed illum quidem honoratum, hunc vero contemptum et abjectum: illum libere et confidenter agentem, hunc pudore et ignominia affectum videas. Sapientia enim pauperis nihili ducitur, et verba ejus non audiuntur. Locutus est dives, et eum pulchre ac recte dixisse aiunt. Pauper locutus est, et non est datus ei locus. At non hic. Neque enim in hac Ecclesia ac concione stultam illam ambitionem honorisque cupiditatem patior, sed communem omnibus doctrinam propono. Vide doctoris prudentiam, quomodo etiam, antequam incipiat concionem, ex ipsa sola vocatione maximum doctrinæ decretum protulerit. Qui enim omnes simul vocavit, neque illum sivit intumescere, nec hunc vilem et abjectum esse, sed ostendit nec divitias esse bonum, sicut nec paupertatem malum, sed ea esse supervacanea et externa. Quare nihil mea refert an hoc sis, vel illud: neque enim si sis dives, video tibi aliquid accedere; nec si sis pauper, decedere. Sed forte dixerit aliquis: « Et cur, cum homo sis, ejusdemque naturæ particeps, teipsum tanti facis, ut putes te esse idoneum orbis terrarum magistrum, et eos qui sunt in extremis finibus orbis convoces? quid potes dicere quod sit tanto dignum theatro? » Possum, inquit. Postquam enim vocavit orbem terræ, credibilem ac fide dignam reddens orationem, audi quid dicat. « Os meum loquetur sapientiam, »et meditatio cordis mei prudentiam [1]. » Alius, « Et cantil»labit cor meum prudentiam. » Hebræus autem hoc dixit:

[1] Psal. XLVIII, 4.

« Ovagith. » Vides quomodo statim extulit orationem. Non dicam, inquit, de pecuniis, non de dignitatibus, non de potentia, non de robore corporis, non de aliqua alia re fluxa : de sapientia sum exacte dicturus, quæ non temere mihi accessit ex tempore : « Inclinabo in parabolam au- » rem meam. » Alius « Inclinabo parabolæ aurem meam. » Hebræus dicit « Lamasal. Aperiam in psalterio problema » meum [1]. » Alius, « Ænigma meum. » Hebræus autem, « Idathi. » Et quomodo sunt hæc supra dictis consequentia? Pro doctore enim nunc video auditorem. Nos enim vocasti tanquam aliquid boni et utilis audituros ; postquam autem omnes adsunt et convenerunt, et te aliquid doctum ac præclarum dicturum es pollicitus, nihil adhuc locutus, relicto loco doctoris, auditoris partes suscipis. « Incli- » nabo enim, inquit, in parabolam aurem meam. » Quare hoc facit? Valde prudenter, et consequenter iis quæ dicta sunt. Quoniam enim dixit : « Loquar sapientiam : » ne quis existimaret esse humanum quod dicitur, et meditationem cordis : ne haberet suspectam ejus inventionem, per hæc ostendit divina esse ea quæ dicuntur, seque nihil loqui proprium, sed ea dicere, quæ audivit. Inclinavi enim, inquit, Deo aurem meam, audivi ab illo, et quæ in mentem meam a supernis demissa sunt, ea dico. Et ideo dicebat Esaïas : « Dominus dat mihi linguam doctrinæ, ut sciam » quando sermonem dicere oporteat : adjecit mihi aurem » ad audiendum [2]. » Et rursus Paulus : « Fides ex auditu, » auditus autem per verbum Dei [3]. » Vides illum quoque prius fuisse auditorem, et deinde doctorem? Et ideo dixit etiam alius interpres : « Et cantillabit cor meum. » Quid est, « Cantillabit? » Canet, dicet Psalmum aliquem spiritualem. Si autem dicit meditationem, ne conturberis. Quæ enim a Spiritu acceperat, ea assidue meditabatur, et apud

[1] Psal. XLVIII, 5. — [2] Isaï. L, 4. — [3] Rom. X, 17.

se versabat : et cum diu versasset, aliis proferebat. Qui est autem, « In parabolam? » Est nomen quod habet multa significata. Est enim parabola, loquela, exemplum, et exprobratio, ut quando dicit : « Posuisti nos in » parabolam in gentibus, commotionem capitis in popu» lis [1]. » Est etiam parabola, oratio ænigmatica, quam multi dicunt quæstionem, quæ aliud quidem significat, sed id non est apertum statim ex ipsis verbis, sed habet sensum intus latentem, cujusmodi erant ea, quæ dicebat Samson : « Egressus est a comedente cibus, et a forti dulce [2]. » Et Salomon, « Animadvertetque parabolam, et obscurum sermonem [3]. » Dicitur etiam parabola similitudo. « Aliam » parabolam, inquit, proposuit eis, dicens : Simile est » regnum cœlorum homini seminanti bonum semen [4]. » Dicitur etiam parabola figurata oratio. « Fili hominis, dic eis » parabolam hanc. Aquila magna, magnas habens pennas [5], » aquilam dicens regem. Dicitur etiam parabola, figura et imago, quemadmodum ostendit Paulus, dicens : « Fide » obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, et unigenitum » offerebat is, qui susceperat repromissiones. Unde etiam » in parabola eum retulit [6], » hoc est in figura et in imagine.

III. Quid ergo sibi vult hic parabola? Mihi videtur dicere narrationem. Si autem orationem facit obscuram et ænigmaticam, et quæ multum habeat difficultatis, ne sic quidem conturberis : hoc enim facit ut auditorem excitet : et alioqui quoniam facilitas multos ad negligentiam adducit, propterea loquitur in parabola. Nam Christus quoque multa loquebatur in parabolis, separatim autem eas solvebat Discipulis. Parabola enim dignum ab indigno distinguit ; dignus enim quærit invenire ea quæ dicuntur, in-

[1] Psal. xliii, 15. — [2] Judic. xiv, 14. — [3] Prov. i, 6. — [4] Matth. xiii, 24. — [5] Ezech. xvii, 1, 2. — [6] Hebr. ii, 17 et 19.

dignus autem prætercurrit : quod tunc etiam evenit. Judæi enim ne difficultate quidem excitati impellebantur ad interrogandum : ita non attendebant omnino ea quæ dicebantur. Ad movendam autem quæstionem sufficit, quando quid adumbratum proponitur. Quocirca Christus quoque hoc faciebat, et loquebatur in parabolis, eos stimulans et incitans, ut audire cuperent qui supini dormiebant : sed ne sic quidem attendebant : Discipuli autem animum adhibebant, et cum essent ignorantes, vel eo maxime manebant, quoniam ignorabant. Quocirca eis seorsum solvebat parabolas, et ideo quoque dicit : « Inclinabo in parabolam aurem » meam. Aperiam in psalterio problema meum. » Est autem problema oratio obscura et ænigmatica, et ideo alibi quoque dicit : « Loquar problemata a constitutione mundi [1]. » Quapropter ausus est etiam vocare sapientiam, divina fretus revelatione, et ideo etiam dicit : « *In* psalterio, » doctrinam spiritualem indicans, et se superno esse Numine afflatum. In cantici forma autem dat consilium, orationem reddens suaviorem. Vidisti quale proœmium composuit? Vocavit orbem terræ ; quæ est in vita, inæqualitatem expulit ; naturam in memoriam revocavit ; arrogantiam compressit ; pollicitus est se aliquid magnum et præclarum esse dicturum ; dixit se nihil ex se allatum proloqui, sed quæ ab illo audivit ; significavit in oratione esse magnam obscuritatem, nos reddens attentiores ; pollicitus est se nos spiritualem doctorum sapientiam, quam perpetuo meditabatur. Attendamus ergo, et ne prætereamus. Si est enim sapiens oratio, et parabola, et problema, mente erecta et excitata opus est. Quod est ergo consilium, et quod problema, quæ parabola, et quæ sapientia, quam audivit e supernis? « Cur » timebo, inquit, in die mala? » Alius, « In diebus maligni, » Alius, « Mali. » Syrus autem « Rha. Iniquitas calcanei mei

[1] Psal. LXXVII, 2.

» circumdabit me[1]. » Alius, « Vestigiorum meorum. » Hebræus autem « Aon accubai isubbani. » Vidisti quomodo est problema et ænigma, et obscura oratio, et permultum obscuritatis : sed, si videtur, primum intelligamus quemnam dicit malum diem. Quemnam ergo malum diem solet vocare Scriptura? Diem calamitatum, diem suppliciorum, diem ærumnarum. Quod etiam dicit alibi : « Beatus qui » intelligit super egenum et pauperem : in die mala libera- » bit eum Dominus[2]. » Talis est autem dies ille futurus peccatoribus terribilis et intolerabilis. Vidisti primum decretum supremæ sapientiæ, et quomodo tibi definiat oratio, quænam sint digna metu, quænam condemnatione. Nisi quis enim hæc sic optime distinguat, tanquam in profundis tenebris, rerumque confusione huc et illuc circumlatus, exitum non invenit. Nisi sit nobis definitum et constitutum quænam quidem timere, quænam vero execrari oporteat, magnus erit in vita error, et magnum periculum. Est enim extremæ amentiæ, timere ea quæ non sunt timenda, ea vero ridere quæ jure timenda sunt. In hoc homines a pueris differunt, quod hi quidem, ut quorum non sit perfecta adhuc intelligentia, larvas timent, hominesque saccis indutos : patrem autem aut matrem contumelia afficere nihil esse existimant, et in ignem quidem et lucernas ardentes insiliunt, strepitus autem quosdam minime timendos extimescunt : viri autem nihil horum curant. Quia ergo multi sunt pueris stultiores, tradit hanc distinctionem, et dicit quænam timere oporteat, non ea quæ multis videntur terribilia : paupertatem dico, ignominiam, et morbum. Hæc enim non sunt solum multis terribilia, sed etiam molesta et gravia. At nihil horum tale esse statuit, sed solum peccatum : hoc enim sibi vult illud, « Iniquitas » calcanei mei circumdabit me. » Hoc est ergo oratio ænig-

[1] Psal. XLVIII, 6. — [2] Id. XL, 2.

matica, hoc est novus tropus et admirabilis. Valde enim novum videtur esse multis et admirabile, dicere non oportere quidquam timere eorum, quæ sunt in vita gravia et molesta. Quid ergo timebo, inquit, in die mala? Unum tantum, ne forte viæ meæ, et vitæ iniquitas me circumdet. Solet Scriptura fraudem vocare calcaneum. « Qui edebat enim, inquit, mecum panem, sustulit in me calcaneum [1]. » Et Esaü rursus dicebat de Jacob: « Jam secundo me supplantavit [2]. » Est enim peccatum res ejusmodi, fraudulenta, et apta ad arripiendum. Hoc, inquit, vereor peccatum quod me decipit, quod me circumdat.

IV. Et ideo Paulus id vocat circumsistens [3], significans, id quod continue, quod facile, quod nullo ambit, et circumdat negotio. In his ergo judiciis multa timent homines, et vim opum, et potentiam, et injuriam, et fraudem. Illic autem nihil est ejusmodi, sed peccatum solum est terribile, quod undique circuit eos qui capiuntur, gravius quam quivis exercitus. Sunt ergo omnia agenda, ut non ab ipso circumdemur, postquam autem viderimus id nos velle comprehendere, oportet ejus occasiones fugere, ut faciunt egregii milites. Quod si etiam capti fuerimus, oportet id celeriter rescindere, quemadmodum fecit David, qui per pœnitentiam vires ejus abscidit [4]. Fuit enim ab eo circumdatus, sed id statim effugit. Qui hoc timuerit, nihil aliud unquam timebit, sed irridebit ea quæ in præsenti vita bona sunt, et quæ molesta sunt contemnet, cum solus ille metus ejus mentem agitet. Nihil enim, nihil certe aliud est ei formidabile, qui est hoc timore præditus: atque adeo ne ipsa quidem mors, quæ est caput rerum terribilium: nisi hoc unum solum. Quomodo? Quoniam tradit

[1] Psal. XL, 10. — [2] Gen. XXVII, 36. — [3] Hebr. XII, 2. — [4] 2 Reg. XII, 13.

gehennæ, quoniam transmittit ad immortalia supplicia. Si quis rursus in eo se recte gesserit, inducit omnem virtutem. Cogita enim quanta res sit, nec bonis rebus intumescere, nec molestis animum demittere, præsentium nullam rationem ducere, futura respicere, diem illum expectare, in tali metu assidue versari. Qui talis est, erit Angelus, qui hoc solum timuerit, et nihil aliud: nihil enim aliud timebit, si hoc unum timuerit ut timere oportet: quemadmodum qui non hoc timuerit, is erit obnoxius multis terroribus. « Qui confidunt in virtute sua, et in multitudine » divitiarum suarum gloriantur. » Alius, « Superbientes. Fra» ter non redimit, redimet homo? Non dabit Deo placatio» nem suam. Et pretium redemptionis animæ suæ [1]. » Et quænam est hæc consequentia, dixerit quispiam? Pulchra, et recte cohærens, et magnopere dependens a prioribus. Quia enim loquebatur de judicio, et de illa terribili reddenda ratione, et de sententia quæ corrumpi non potest: multi autem in iis, quæ hic sunt, judiciis, judicibus emptis, jus corruperunt, et pœnam vitarunt: sententiam illam, quæ minime corrumpi potest, prædicans, et quem prius dixit, timorem augens, hæc subjunxit, ostendens se recte dixisse, oportere unum esse timorem, nempe eum qui ex peccato profiscitur, et nullum alium. Jus enim non potest illic corrumpi pecunia: nec licet donis seipsum e gehenna eripere: nec salutem afferre potest patrocinium et oratoris defensio, nec aliquid aliud. Quamvis enim sis dives, quamvis potens, quamvis alicui notus et familiaris, hæc omnia sunt illic inutilia; illic unusquisque ex factis vel punitur, vel coronatur. Quandoquidem et qui erat ætate Lazari, valde dives erat [2], sed nihil ei profuerunt divitiæ: et notæ erant virgines virginibus, sed nihil eas juvit illa familiaritas: unum est enim illic solum quod quæritur. Vos ergo,

[1] Psal. XLVIII, 7-9. — [2] Luc. XVI, 19.

inquit, qui opibus fiditis, et estis circumdati potentia, frustra intumescitis: neque enim vobiscum transmittetur in illud judicium pecuniæ abundantia, nec vires potentiæ; sed nec ulla necessitudo aut cognatio, nec aliquid ejusmodi, vos illic eripiet. Non licet illic, solutis pecuniis, aut ulla expiatione, aut pretio animæ ullum unquam servari. Quid ergo est quod dicit Scriptura? « Facite vobis amicos » ex iniquo mammona, ut vos recipiant in æterna taberna» cula [1]? » Quidnam est quod dictum est? Nihil contrarium, nec repugnans prioribus, sed valde etiam consentiens. In præsenti enim vita faciendi sunt amici, solvendo pecunias, erogando ac consumendo facultates in egenos. Nihil ergo hic aliud significat, nisi largam et copiosam eleemosynam. Si enim, cum nihil eorum feceris, illuc recedas, nemo te defendet. Neque enim nos defendit illorum amicitia, sed quod ex mammona amici facti fuerint: propterea adjecit amicos ex mammona, ut scias quod ipsa tua opera tibi parcent, eleemosyna, clementia, in pauperes munificentia. Nam quod nec cognatio, nec necessitudo quidquam prosit absque operibus, audi quod dicat Propheta: « Si sterit Noë, et Job, et Daniel, filios suos et fi» lias suas non liberabunt [2]. » Et quid dico in futura vita, quando nec in præsenti quidquam juvat amicitia? Quantum luxit et flevit Samuël, et Saülem non eripuit [3]? Quantum vero precatus est Jeremias, et Judæos nihil juvit? imo etiam dum oraret fuit reprehensus [4]. Et quid miraris, si nihil profuit Jeremias, quando nec Mosem quidem ait, si fuisset illo tempore, servare potuisse Judæos, quandoquidem eorum invaluerat nequitia, nec ex se aliquid attulerant?

V. Quantum pro Judæis lamentatus est Paulus, dicens:

[1] Luc. XVI, 9. — [2] Ezech. XIV, 14. — [3] 1 Reg. XV, 35. — [4] Jer. XLII, 4.

« Fratres, bona quidem voluntas cordis mei et obsecratio » ad Deum est pro ipsis ad salutem[1] ? » Quid ergo valuit ejus obsecratio ? nihil. Et quid dico obsecratio, cum pro eis esse etiam anathema optaverit[2] ? Quid ergo ? sunt-ne supervacaneæ Sanctorum preces? Nequaquam, sed magnas etiam vires habent, quando tu quoque eis auxilium tuleris. Ita etiam Petrus suscitavit Tabitham, non solum oratione, sed etiam illius eleemosyna[3]. Ita Sancti orantes alios adjuverunt. Et hoc quidem hic, ubi stadium est et lucta : illic autem nihil horum, sed est ex solis factis salus. Pulchre autem hic ludificatur divites, et eos qui intumescunt. Neque enim dixit: « Qui habent pecunias, » nec, « Qui magnam habent potentiam : » sed , « Qui confidunt in multitudine » divitiarum suarum, » et in suis viribus gloriantur, eos irridens et insectans, quod umbris confidant, et propter fumum se venditent. Recte autem dixit : « Pretium redem- » ptionis animæ suæ non dabit. » Pretium enim animæ non est ne universus quidem mundus. Et ideo dicebat : « Quid » prodest homini si universum mundum lucretur, animæ » autem suæ detrimentum patiatur[4] ? » Ut autem scias ne universum quidem mundum esse pretium animæ, audi quidnam Paulus dicat de aliis Sanctis : « Circumierunt in » ovinis et in caprinis pellibus, egentes, pressi, afflicti, qui- » bus dignus non erat mundus[5]. » Mundus enim est propter animam. Quemadmodum ergo non acceperit pater domum pro filio, ita e cDeus mundum pro anima, sed operibus et recte factis opus est. Vis scire quantum sit pretium animarum nostrarum? Redempturus eam Unigenitus, non mundum dedit, non hominem, non terram, non mare, sed suum pretiosum sanguinem. Quocirca dicebat Paulus : « Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum[6]. » Vidisti

[1] Rom. x, 1. — [2] Id. ix, 3. — [3] Act. ix, 40. — [4] Matth. xvi, 26. — [5] Hebr. xi, 37, 38. — [6] 1 Cor. vii, 23.

magnitudinem pretii? Quando ergo eam tanti emptam perdideris, quomodo poteris eam deinceps emere? « Christus » enim a mortuis suscitatus non amplius moritur [1]. » Vidisti quam sit pretiosa anima, et quanta sit ejus dignitas? Ne eam ergo negligas, et captivam efficias. « Et laboravit in » æternum. Et vivet in finem [2]. » Alius interpres dixit: « Et » quievit in sæculum: » Alius, « Cum desierit huic sæculo, » vivet in æternum. » Quoniam enim dixit de divitibus, quoniam dixit de potentibus, et ostendit ex his nihil lucri fieri: dicit deinceps de iis qui vixerunt in virtute, de iis qui vixerunt in laboribus et afflictionibus, acuens athletas philosophiæ. Noli enim hoc mihi dicere, ait, ærumnam illi ac laborem exantlandum fuisse; verum considera fructum, quod homo sit immortalis, quod vita immortalis excipiat, vita quæ finem non habet. Quanto igitur sit melius, cum hic parum laboraveris, requiem æternam assequi, quam cum hic tibi parumper indulseris, perpetuo cruciari? Deinde ostendens non illic solum esse præmia et coronas, sed etiam hic quoque esse principia præmiorum, subjunxit: « Non » videbit interitum, cum viderit sapientes morientes [3]. » Ne enim mihi dicas: « Solummodo futura promittis: » do tibi hic etiam pignora coronarum, imo vero arrham ipsam et præmia. Quomodo, et quanam ratione? Quoniam qui philosophatur, et spe futurorum erigitur, ne mortem quidem mortem esse putabit, sed videns mortuum jacentem ante oculos, non ita afficietur ut multi, cum apud se reputet coronas, præmia, bona ineffabilia, quæ neque oculus vidit, nec auris audivit, vitam illam, ducendam cum Angelis choream. Quemadmodum ergo agricola, cum videt frumentum dissolvi et interire, non abjicit animum, nec mœrore afficitur, sed tunc maxime exultat et lætatur, sciens fore ut ille interitus sit ortus melioris principium, et fun-

[1] Rom. VI, 9. — [2] Psal. XLVIII, 9, 10. — [3] Ibid. 11.

damentum majoris fertilitatis : ita etiam justus, qui recte factis gloriatur, et regnum quotidie expectat, quando viderit mortem sitam ante oculos, non angitur, nec se afflictat ut multi, non vexatur et perturbatur. Scit enim mortem iis, qui recte vixerunt, esse migrationem et transitum ad meliora, et cursum ad accipiendas coronas. Quosnam autem dicit sapientes? Non eos qui vere sunt sapientes, sed qui sapientes esse existimantur. Mihi autem videtur dicere externos sapientes, eos ideo irridens, quod cum viderentur esse sapientes, stulti facti sint, cum de resurrectione non sint philosophati. Quando ergo viderit illos philosophos pereuntes, cum lamentis, lacrymis, et luctu elatos, tunc ipse nihil tale patietur, sed erit talis ejusmodi superior, ut qui bona spe erigatur, et sciat hunc interitum non interimere substantiam, sed tantum mortalitatem, et corruptionem consumere. Hæc enim mors non perdit corpus, sed consumit corruptionem. Substantia enim manet, et resurgit cum majori et ampliori gloria, sed non omnium. Resurrectio enim erit omnium communis : resurrectio autem cum gloria, communis erit eorum qui recte vixerunt. « Simul insipiens et stultus peribunt. Et relinquent alienis » divitias suas. Et sepulcra eorum domus eorum in æter» num. Tabernacula eorum in progeniem et progeniem. » Vocaverunt nomina sua in terris suis [1]. » Alius dicit : « Quæ sunt intra domos eorum in æternum. » Alius, « Ha» bitationes eorum in generationem, nominantes nominibus » suis terras. » Hebræus autem, « Aleadamoth. »

VI. Vidisti quomodo non solum ex futuris, sed ex iis etiam, quæ hic eveniunt, abducit a vitio et ab avaritia, et deducit ad virtutem, in pecuniis congerendis insaniam coërcens, et eos qui præsentibus inhiant, eaque admirantur, stultos vocans, et id per res ipsas ostendens? Quid

[1] Psal. XLVIII, 12.

est enim, dic, quæso, stultius homine qui laborat, et se excruciat, et tantas opes congregat, ut ex ejus laboribus alii se voluptate expleant? Quid est hoc inani labore deterius, quando ipse quidem sudores et labores perpessus decesserit, aliis autem divitias fruendas reliquerit, et nec aliquibus quidem necessariis et ei familiaritate conjunctis, sed sæpe etiam hostibus et inimicis? Et ideo non dixit: «Aliis,» sed « Alienis relinquent divitias suas. » Quid est autem, « Simul »insipiens et stultus peribunt?» simul cum iis, qui prius dicti sunt, inquit. Hic mihi videtur verba facere de impiis, qui toti rebus præsentibus affixi sunt, easque suspiciunt, de futuris autem nihil philosophantur, ea de causa vocans eos insipientes. Si enim posthac, ut putas, nihil erit, cur teipsum vexas et excrucias, undique pecunias congerens, et labores quidem sustinens, fructum autem non percipiens? « Et sepulcra eorum domus illorum in æternum. » Hoc dicit, sicut erat eorum existimatio. « Tabernacula eo- »rum in progeniem et progeniem, vocaverunt nomina sua »in terris suis. » [Alius autem dicit: « Quæ sunt intra do- »mos eorum in æternum. » Hebræus autem « Carevam ba- »thumo laholam. »] Quid hac amentia possit esse deterius, quam putare sepulcra esse domum perpetuam? in iis gloriam ambitiose persequi? Multi certe sæpe sepulcra construxerunt magnificentiora domibus. Vel enim hostibus laborant, et afflictantur, vel vermi et cineri, hæc stulte consumentes. Talis enim est eorum mens et sententia, qui de futuris nihil sperant. Sed hic mihi venit in mentem deplorare, quod multi etiam eorum qui sperant futura, illos hac in re imitentur qui nullam habent spem futurorum, sepulcra ædificantes, et præclara monimenta construentes, et aurum infodientes, et suas facultates ad alios transmittentes: qui quidem sunt hac in re illis deteriores. Qui enim post hæc nihil expectat, etiamsi id facit præter

rationem, attamen quia nihil expectat, suum laborem et industriam confert in res præsentes. Tu autem, homo, qui nosti vitam futuram, et bona illa ineffabilia, et quod ex dicto evangelico : « Justi tunc fulgebunt sicut sol [1] : » quam veniam assequeris? quomodo te defendes? quod non supplicium jure patieris, qui hic omnia consumas in pulvere, in cinere, in monumentis, in hostibus, in inimicis? « Vo- » caverunt nomina sua in terris suis. » Ecce aliud genus amentiæ, ædificiis, agris et balneis sua nomina inscribere, et putare se magnam consolationem ex eo accipere, et umbram pro rei veritate persequi. Si enim perpetuam memoriam desideras, ne nomen, o homo, ædificiis inscribas, sed tropæa recte factorum erigas, quæ et in præsenti vita nomen tibi conservant, et in futura vita immortalem tibi requiem comparant. Si sis memoriæ cupidus, ego te doceo viam veram et apertissimam, virtutis curam gere. Nihil enim facit nomen adeo immortale, ut natura virtutis. Id ostendunt Martyres, ostendunt Apostolorum reliquiæ, ostendit memoria eorum qui recte et in virtute vixerunt. Quot reges urbes condiderunt, portus extruxerunt, et nominibus suis impositis, decesserunt, nec tamen eis quidquam profuit, sed silentio et oblivioni mandati sunt? Piscator autem Petrus, qui nihil fecit eorum, quoniam virtutem est persecutus, et civitatem maxime regiam occupavit, etiam post mortem resplendet sole clarius. Quod tu autem facis, est ridiculum, et plenum ignominia. Hæc enim monimenta non solum non te clarum reddent, sed etiam facient ridiculum, et ora omnium aperient. Ædificia enim non sinunt tuam avaritiam, quæ oblivioni tradi poterat, temporis excursu extingui, et stant veluti columnæ et tropæa erecta adversus avaritiam. « Et homo cum in honore » esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipienti-

[1] Matth. XIII, 43.

» bus, et similis factus est illis [1]. » Hic mihi videtur deinceps Propheta deplorare, quod animal rationis particeps, cui fuit traditum regnum in terris, eo declinaverit, ut esset non minus vile et abjectum, quam bruta, dum in rebus vanis laborat, et ea, quæ sunt suæ saluti contraria, molitur, inanem gloriam persequitur, avaritia tenetur, in rebus inutilibus se exercet. Virtus enim est honor hominis, et de rebus futuris philosophari, et omnia procurare, quæ ad illam vitam pertinent, et præsentia negligere. Brutorum enim vita præsentis vitæ limitibus concluditur : nostra autem tendit ad aliam meliorem, et cujus non est finis. Sed hi, qui de futuris nihil sciunt, sunt brutis deteriores : nec ii solum, sed etiam qui sceleratam et perditam vitam agunt, utpote qui fiant serpentes, scorpii, et lupi propter improbitatem, et boves propter vecordiam, et canes propter impudentiam.

VII. Quid enim, dic, quæso, est insipientius iis, qui in sepulcris et monumentis operam suam collocant, et ad aliorum nominum appellationes stant hiantes et mirabundi? Nihil enim memoriam efficit præterquam sola virtus, non ædes, non statuæ, non filii, non aliquid aliud ejusmodi. Ædes enim opus sunt architecti, statuæ statuarii, filii vero naturæ : tui autem nusquam est memoria. Et ideo vocat eum brutum Propheta, quoniam cum insipientiæ se jugo submiserit, bruto deterius ducitur. Illud enim est utile et aptum ad agriculturam; hic autem, qui seipsum subjecit insipientiæ, illo etiam in hoc factus est deterior. Quoniam enim superius dixerat quam esset mens eorum crassa, terrena, vilis et abjecta, et quam inutilis esset labor eorum in cogendis pecuniis, volens amplificare eorum accusationem, adducit Dei beneficia ; quod solent sæpe facere Prophetæ. Esaïas enim, cum esset eos accusaturus, pri-

[1] Psal. XLVIII, 13.

mum quidem dicit honorem, quo Judæi a Deo affecti sunt, ita scribens : « Filios genui, et exaltavi : ipsi autem me » nihili fecerunt [1]. » Hoc igitur in loco, una dictione declarans beneficia, quæ homines a Deo acceperunt : « Homo, » inquit, cum in honore esset, non intellexit. » Quemnam autem dicit honorem? Audi eum alio Psalmo dicentem : « Minuisti eum paulominus ab Angelis, gloria et honore » coronasti eum [2]. » Deinde exponens honorem, subjungit : « Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves, et boves uni- » versas, insuper et pecora campi. Volucres cœli, et pisces » maris, qui perambulant semitas maris [3]. » Hic est enim honor longe maximus, ei in omnia, quæ videntur, permisisse dominatum, idque cum nihil recte gessisset. Cum enim eum nondum finxisset, dixit : « Faciamus hominem » ad imaginem et similitudinem nostram [4]. » Deinde interpretans illud : « Ad imaginem, » subjunxit : « Et præsint pis- » cibus maris, et volatilibus cœli, et bestiis terræ [5]. » Et hunc brevem et tricubitalem, et viribus corporis brutis longe inferiorem, rationis affinitate fecit cunctis excelsiorem, animam rationalem ei largitus : quod quidem est honoris signum maximum. Per eum enim civitates condidit, mare secuit, terram coluit, artes invenit innumerabiles, ferociores belluas superavit, et quod est omnium maximum et primum, Deum, qui fecit ipsum, cognovit, et ad virtutem deductus est, novitque quid sit bonum, quid secus. Solus ex iis, quæ videntur, Deum orat; revelationes accepit, idque solus rursus ; cognovit multa arcana et ineffabilia, didicit quæ sunt in cœlis; propter ipsum terra, propter ipsum cœlum, propter ipsum sol et sidera, propter ipsum lunæ cursus, tempestatum conversionumque vicissitudines; propter ipsum fructus, arbores, et tot genera

[1] Isaï. 1, 2. — [2] Psal. VIII, 6. — [3] Ibid. 8, 9. — [4] Gen. 1, 26. — [5] Ibid.

animantium; propter ipsum dies et nox; propter ipsum missi sunt Apostoli et Prophetæ; propter ipsum sæpe missi sunt Angeli. Quid pluribus opus est? neque enim fieri potest, ut omnia persequamur. Propter ipsum unigenitus Dei Filius homo factus est, crucifixus, et sepultus, et terribilia illa miracula facta sunt post resurrectionem. Propter ipsum lex, propter ipsum paradisus, propter ipsum diluvium. Nam hoc quoque est maximum genus honoris, eum et beneficiis et pœnis corrigere. Propter ipsum omni priori tempore innumerabilia gesta et administrata sunt. Porro ipsum quoque futurum judicium fit propter ejus honorem. Quocirca Job quoque dicit : « Quid est homo quod duxisti eum in judicium [1] ? » Quemadmodum alibi dicit ipse Psalmista : « Quid est homo » quod memores ejus [2] ? » Propter ipsum rursus veniet Unigenitus donans bona innumerabilia. Alia enim jam dedit per baptismum, et sacramenta, et mysticam aliam initiationem collata bona, et aliis miraculis terram implevit : alia vero se daturum est pollicitus, regnum cœlorum, vitam æternam, facturum suos hæredes, illosque cum eo regnaturos. Quocirca Paulus quoque dicebat : « Si susti- » nemus, et conregnabimus [3]. » Hæc ergo omnia considerans Propheta, eos jure brutis comparat, qui tantam nobilitatem vitio prodiderunt, et ad affectiones illorum desciverunt. Hoc ipsum sæpe faciunt alii quoque Prophetæ, impudentem auditorem volentes per comparationem pudore suffundere. Et ille quidem dicit : « Equi in fœminas » insanientes facti sunt [4]. » Hic vero : « Cognovit bos pos- » sessorem suum, et asinus præsepe domini sui [5], » acerbius quam David loquens. David enim dicit : « Comparatus est » jumentis insipientibus, et similis factus illis : » ille autem

[1] Job. XIV, 3. — [2] Psal. VIII, 5. — [3] Rom. VIII, 17, et 2 Tim. II, 12. — [4] Jer. V, 8. — [5] Isaï. I, 3.

dicit eos fuisse magis expertes rationis quam bruta. Illa enim, inquit, cognoverunt possessorem, « Israël vero me » non cognovit [1]. »

VIII. Alibi quoque alius quidam vir Sapiens, ostendens vel formicis esse deteriorem virum pigrum et desidem, et otio languentem, cum illuc mittit, ut discat esse laboriosus : « Vade, dicens, ad formicam, o piger, et imitare vias ejus [2]. » Illa enim, cum nec agrum cultum habeat, nec sit qui eam cogat, nec domini imperio pareat, parat æstate alimentum, et tempore messis multa reponit. Rursus autem jubet ire ad apem : « Proficiscere ad apem, et disce quod ea sit ope- » raria : nam principium dulcorum fructus ejus, cujus la- » bores reges et privati ad sanitatem afferunt [3]. » Alius vero dicit : « Principes tui tanquam lupi Arabiæ [5]. » Et alius : « Sedisti in deserto tanquam cornix [4]. » Zachariæ autem filius dicit : « Serpentes, genimina viperarum, quis vobis » ostendit fugere a ventura ira [6]. » Et alius rursus : « Ova » aspidum ruperunt, et araneæ telam texunt [7]. » Alibi autem idem Propheta dicit : « Venenum aspidum sub labiis eo- » rum [8]. » Et rursus : « Ira eis ad similitudinem serpentis [9]. » Tale est enim vitium, eum qui talis est et tantus, totque diadematibus coronatus, eo redigit, ut sit non minus ignobilis quam bruta. Et ideo in præsenti quoque Psalmo, cum elegisset duo vitii genera, et alia auditoribus reliquisset colligenda, eos, qui illis tenentur, ita pungit. Quid enim fuerit a ratione alienius homine, qui temere, et cum sui capitis malo ac discrimine orbem terræ percurrit, et innumerabiles pecunias colligit, non sibi, sed aliis sibi non notis, sæpe autem hostibus et insidiatoribus? Recte autem dixit : « Relinquent alienis divitias suas. » Quid est enim stultius,

[1] Isaï. I, 3. — [2] Prov. VI, 6. — [3] Eccli. XI, 3. — [4] Sopho. III, 4. — [5] Jer. III, 2. — [6] Matth. III, 7. — [7] Isaï. LIX, 5. — [8] Psal. CXXXIX, 3. — [9] Id. LVII, 5.

quam, ut hi faciunt, labores quidem et peccata, quæ in his colligendis admittuntur, suscipere, alienis vero eorum usufructu cedere? Deinde cum amore pecuniæ inanem quoque gloriam adducens in medium, eos pungit vehementissime, dicens : « Vocaverunt nomina sua in terris suis. » Quid his rursus est a ratione alienius, qui lapidibus et lignis et inanimatæ materiæ suam committunt memoriam, et propriam credunt gloriam? Aliquos enim bonis omnibus everterunt, viduas spoliarunt, et pupillorum facultates diripuerunt, ut vermi domum facerent splendidam, tineæque et corruptioni magnificos ambitus ædificarent, quod existiment suam per ea futuram immortalem memoriam, quæ ne parvo quidem momento temporis potuerunt corpora retinere. « Hæc via illorum scandalum ipsis[1]. » Quænam est, quæso « Hæc via? » Studium quod in res ejusmodi confertur, vanus labor, insana pecuniæ habendæ cupiditas, insatiabilis gloriæ ebrietas : et ante futurum, inquit, supplicium hic fit eis scandalum et impedimentum. Non parvum igitur offendiculum, non parvum impedimentum, non parvum obstaculum hæc via est ad operationem virtutis. Et ideo dicit : « Hæc via illorum scandalum ipsis. » Recte autem dixit hanc viam esse ipsis scandalum. Sibi ipsis vincula injiciunt, seipsos impediunt. « Et postea in ore suo com» placebunt[2]. » Hoc quod dixit, est gravissimum, et causa cæterorum malorum. Qui enim in his peccant, et delinquunt, et adeo desipiunt, seipsos felices ac beatos esse ducunt, æmulatione dignos, et iis, quæ fiunt, delectantur. Vitium autem quod laudatur ab iis, qui eo laborant, considera quantam facit accessionem malæ cupiditatis. Si enim, dum vituperatur, dum propris afficitur, dum arguitur, dum ab ejus, qui sobrii hominis cogitationem parumper suscipit, conscientia flagellatur, dum laceratur, et odio habetur, adeo

[1] Psal. XLVIII, 14. — [2] Ibid.

tamen impudenter viget, et invalescit, et in dies augetur : quando non solum non fuerint quæ prohibeant, nempe accusatio, conscientiæ reprehensio, gestorum correptio, de facinoribus pœnitentia, rubor, pudor, fletus ac lacrymæ, sed omnino contra, seipsos etiam laudant qui faciunt, et sibi encomia componunt, et eo ipso se aliis meliores esse ducunt, et postquam fecerint, laudant ea quæ fecerunt, hoc enim sibi vult illud : « Et in ore suo complacebunt; » quo non ii deflexerint? Sunt enim tanto furore perciti, et adeo emotæ mentis, ut etiam, quando suam libidinem expleverint, quando eos videntes iniquitatem oporteret erubescere, exultant, se efferunt, de facinore delectantur. Tale est enim peccatum, ut priusquam factum sit, suam velet turpitudinem, ebrietate voluptatis suam obtegens abominationem : sed postquam factum fuerit, et libidinis quidem voluptas parumper cesserit, conscientiæ autem accusatio invaserit, nudam rationem flagellans, tunc maxime cernitur quam sit perniciosum. Hi autem, nec tunc quidem postquam se expleverint, sed postquam viderint opes coacervatas, sepulcra excitata, inania ædificia perfecta, cum oporteret eos compungi ac deflere, post hæc etiam, hoc est, post opus, postquam res fuerit adimpleta, tunc adhuc magis ægrotant. Postquam ergo nihil eis relictum est ex ipsis remedii, tunc restat ut Deus exequatur quod suum est.

IX. Quemadmodum enim qui seipsos condemnant ob peccata a se admissa, quæ a Deo ferenda esset, sententiam anticipantes evitant, sicut etiam dicit Paulus : « Si enim »nos ipsos judicaremur[1] : » ita quorum tam gravis est morbus, ut nulla ducantur pœnitentia, et peccantes sua peccata non condemnent, Dei in se supplicium cum maxima vehementia attrahunt. Quoniam ergo ii, qui aliena rapiunt, vel

[1] 1 Cor. XI, 31.

qui sua temere profundunt, et quæ in pauperes erogare oporteret, in sepulcra, vermes et tineas consumunt, et nec eorum quidem, quæ fecerunt, ulla tanguntur pœnitentia, sed manent ægroti immedicabiliter : audi quid deinceps fiat. Quid ergo fit? A Deo traduntur supplicio, et ideo subjunxit : « Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet » eos [1]. » Non hic mansuetudinem per nomen ovium significans, quid enim possit illis esse sævius, qui pauperum quidem nuda corpora, et ventres fame enectos despiciunt, domos autem corruptioni, vermi et tineæ magnifice extruunt? sed facilem eorum interitum, repentinum exitium, et quam facile capi possint ab eis qui illis insidiantur. Nihil est enim imbecillius homine, qui in vitio vitam transigit. Quod his quoque eveniet, et ita concidentur, ita funditus peribunt, et tam facile devenient ad inferos, tam breviter, tam expedite, tam nullo negotio, quam oves quæ mactantur. Hoc est mors, imo vero res est morte acerbior. Post talem enim mortem eos mors immortalis excipiet, et ideo nusquam in sinus Abrahæ, nec in ullam aliam regionem cernuntur recedere, sed in infernum, hoc pœnæ, hoc supplicii, hoc summi exitii nomen est. Et hic mors eorum vilis est, et contemnenda, et illic in supplicio manent. Ita etiam solemus dicere de iis quæ facile pereunt. Hic sicut ovis occisus est. Quia enim sicut bruta vixerunt, etiam ut bruta pereunt, non habentes bonam spem de futuris. Nec hoc solum, sed etiam magno eorum malo. « Mors depascet eos. » Hic mihi videtur mortem dicere interitum qui illic est, et supplicium, quemadmodum etiam alibi dicit : « Anima quæ peccat, ipsa » peribit [2] : non naturæ extinctionem, sed pœnam significans. Persistit autem in metaphora. Quoniam enim dixit oves, eorum quoque pastorem ostendit. Quis autem hic est? Vermis venenatus, tenebræ nunquam cessaturæ, vincula

[1] 1 Cor. xii, 15. — [2] Ezech. xviii, 20.

quæ solvi nequeunt, stridor dentium. Vide ergo eos undique puniri. In vita, quoniam eis ad virtutem allatum est impedimentum, quoniam vitii servi et mancipia facti sunt, et supervacaneum ridiculumque laborem susceperunt : in morte, quoniam fuit mors eorum vulgaris et ingloria: in tempore mortem sequente, quoniam perpetuus eos tenet interitus. « Et dominabuntur eorum Justi in matutino[1]. » Quoniam multi crassiores, et non plus sensu præditi quam lapides, non habent certam et claram spem de futuris, sed iis, quæ sunt præsentia, et quæ videntur, inhiant, eos ænigmatice tangit. Deinde cum paucis futura obscure significasset, confert rursus orationem ad contemptum eorum et pœnam in vita præsenti, ostendens quam sint imbecilli, viles, contemnendi, et quod licet sint millies divites, et magna sint succincti potentia, ab iis tamen, qui virtutem exercent, habentur pro servis et mancipiis. Ideo dicit: « Do» minabuntur eorum Justi in matutino : » hoc est, celeriter, continuo, et nec tempore quidem opus habebunt, nec labore, nec mora. Talis est enim rerum natura, ut vitium virtuti serviat, eamque formidet ac pertimescat, licet illud quidem sit fuco et pigmentis innumeris obtectum : hæc vero nuda, et per seipsam decertans. Atqui contra videmus malos obtinere dominatum in bonos. Sed ne consideremus errorem sententiæ vulgi, is enim ex falsa opinione oritur; sed recto res judicio discernamus, et videbis id quod dico esse certissimum. Sit enim aliquis malus dominus, et bonus servus; vel, si mavis, ad aliud majus potius exemplum rem deducamus. Sit rex malus, et privatus bonus, videamus quis sit dominus alterius, et ubinam resplendet dominatus, quis sit qui imperat, et quis paret alterius imperio. Quomodo ergo hoc sciemus? Rex rem malam et scelere plenam privato imperet; quid igitur bonus ille privatus, et qui ei

[1] Psal. XLVIII, 15.

subjicitur? non modo non acquiescet, nec obediet, sed eum etiam, qui imperat, conabitur abducere ab instituto, licet mori oporteat. Quis est ergo liber? Is-ne qui quod vult facit, et ne regem quidem metuit? an qui a subdito suo contemnitur? Et ne in incerto exemplo prolixa utamur oratione, uxor Pentephræ Ægyptia (11), annon erat regina? annon toti Ægypto præerat? annon habebat regem conjugem? annon maximam habebat potestatem[1]? Quid vero Joseph? nonne servus? nonne captivus? nonne famulus emptitius? Nonne illa adversus adolescentem omnem aciem instruxit, non alii belli curam committens, sed ipsa descendens in aciem? Quis ergo tunc erat servus, quis liber? Illa-ne quæ precabatur, orabat, et supplicabat, et non homini, sed improbissimo animi morbo serviebat? an is qui contemnebat diadema, sceptrum, purpuram, et omnem illam externam speciem ac pompam, et rescindebat ejus machinationem? Nonne illa quidem repulsam passa recessit, et alii rursus animi morbo mancipata est, nempe iræ, quæ ratione non regitur et vindictæ; hic vero exiit, capite redimito coronis innumeris, et in ipsa servitute libertatem magis resplendentem ostendens?

X. Nihil est enim æque liberum ut virtus, nihil æque servum ut vitium. Et ideo dicit etiam alibi quispiam : « Sapiens servus obtinebit dominatum in dominos insi» pientes[2]. » Quemadmodum enim captivus, etsi immensas habeat divitias, eo ipso facile capi potest et expugnari ab omnibus : ita etiam qui ab animi perturbationibus captus est, est tela araneæ vilior. Quid vero in bello? annon eos videmus vincere? Quid in rebus tractandis et consultandis? annon quæ dicunt firma sunt et stabilia, etsi nullus pareat? Quid autem in iis quæ hanc vitam consequuntur? Annon dives ille tanquam mendicus, guttam petiit, nec eam impetravit[3]? pauper autem, quoniam erat bonus, et virtutis

[1] Gen. xxxix, 7. — [2] Prov. xvii, 2. — [3] Luc. xvi, 20 et seqq.

studiosus, annon in maxima fuit felicitate, et eadem ei sors quæ Abrahæ obtigit? Quid autem in Apostolis? annon vincti, flagris cæsi, innumera mala passi, eos superabant qui illos malis afficiebant [1]? Cogita ergo quam animi dubios et perplexos eos reddebant, adeo ut dicerent : « Quid » faciemus his hominibus[2]? » Atqui tenebant eos vinctos, et in mediis judiciis comprehensos, et obtinebant illi quidem locum judicum et magistratuum; hi vero tanquam rei illic stabant, et hi tamen illos vicerunt. Ubique denique, si quis diligenter consideret, videbit virum bonum vincere virum improbum : eaque vere est victoria, non vulgaris illa quæ falsa est et fucata, ac quæ facile convincitur, sed illa firma, stabilis, et immobilis. « Et auxilium eorum veterascet in » inferno[3]. » Hoc est, erit imbecillum. Quod autem dicit, est ejusmodi. Non solum hic facile capi poterunt, nullo opem ferente, nullo manum præbente, omnibus expositi, imo etiam quod est gravius, ne illic quidem habebunt qui defendat, opem ferat, manum præbeat, et eorum supplicium consoletur. Itaque nec virgines prudentes stultis opem ferre potuerunt, non Abraham diviti, non Noë, et Job, et Daniel filiis et filiabus. Illud enim, « Veterascet, » est, erit imbecillum, evanescet, ac delebitur. « Quod enim » veterascit ac consenescit, non longe abest ab interitu[4]. » A gloria sua exturbati sunt. Quod maxime desiderabant, propter quod omnia faciebant, et nihil non moliebantur, nempe ut post mortem magnam sibi pararent gloriam, per pecunias, per ædificia, per sepulcra, per nomina inscripta in sepulcris; ab eo, inquit, excident, quod eos maxima molestia afficiebat dum viverent, et hæc scirent. Talia enim ædificia sunt accusationes mortuorum. Nam etsi corpus terra tegatur, lapides tamen vocem emittunt, eorum cru-

[1] Rom. VIII, 37, et 2 Cor. IV, 8. — [2] Act. IV, 16 — [3] Psal. XLVIII, 15. — [4] Hebr. VIII, 13.

delitatem et impudentiam quotidie accusantes, communes eos hostes proclamantes, eos qui prætereunt, ut eos diris et maledictis prosequantur et accusent, invitantes. Quænam est ergo hæc gloria, accusatorem relinquere non tacentem, sed solo aspectu ora omnium aperientem, et apud omnes qui vident et accedunt, eos qui ædificarunt gravissime increpantem? Quidnam potest cum hac conferri stultitia, quando ea faciunt de quibus puniuntur, pro quibus accusantur, propter quæ etiam post mortem a multis effodiuntur : ex quibus execrationes, reprehensiones et multa crimina oriuntur, tam ab eis qui injuria affecti sunt, quam qui non affecti sunt? « Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferni, » quando acceperit me [1]. » Postquam dixit mercedem malorum, et stipendium peccati, dicit etiam præmia bonorum : quod et ipse et alii Prophetæ facere solent, ut ex utroque auditorem instituant, nempe et ex pœnis peccatorum, et ex præmiis virtutis. Ita ergo se habent res illorum, infamia, labor inanis, stultitia, risus, dedecus, interitus, mors, tormentum, perpetuum supplicium, molestiis expositum a gloria et securitate excidisse, vivos et mortuos vituperari et accusari, nullum invenire malorum solatium. Nostra autem contra se habent omnia, liberatio a supplicio, libertas animæ, securitas, honor, gloria. Hæc enim omnia subindicavit, cum dixit : « Verumtamen Deus redimet animam » meam de manu inferni, quando acceperit me. » Inferos hic dicens supplicium, cruciatus illos intolerabiles. Considera autem quantus sit honor, non propter hoc tantum, sed etiam propter id quod subjungitur. Cum enim, inquit, acceperit me, tunc ipsum videbo clarius quam nunc. Nunc enim per fidem ambulamus, non per speciem, tunc autem facie ad faciem. Redempta autem anima, corpus quoque erit bonorum particeps [2]. « Ne timueris, cum dives factus

[1] Psal. XLVIII, 16. — [2] 1 Cor. XIII, 12.

»fuerit homo, vel cum multiplicata fuerit gloria domus »ejus [1]. »Hæc cum ita se habeant, inquit, quid times præsentia? Quid te male habet inopia? Quid formidas divitem? Audivisti quæ dicta sunt de resurrectione, de bonorum hæreditate, de supplicio malorum? quid umbras deinceps pertimescis? Illa enim sunt firma ac stabilia, hæc vero sunt similia floribus qui flaccescunt. Omnibus itaque aliis prætermissis, arcem malorum invasit, nempe divitiarum cupiditatem : ea enim diruta, alia quoque simul destruuntur.

XI. Et quomodo non timebo, inquit, eos qui tantum possunt? Potentia est ad breve tempus, vires unius horæ : transit rerum successus, umbras et somnia imitantur pecuniæ, divitiæ, et honor tantus, et ideo subjunxit : « Quoniam, »cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum »eo gloria ejus [2]. »Subjungens causam, cur non timeat quæ sunt momentanea : venit mors, radicem abscidit, et universa coma decidit cum foliis, et domus facile capi potest ab omnibus. Quemadmodum ergo oves et capræ post sectionem jacentem arborem invadunt : ita etiam in iis qui hoc modo sunt divites, multi amici, multi eorum quos beneficiis affecerunt, inveniuntur res illorum perdere et evertere, et qui tot et tanta possidebat, tot pocillatores, tot coquos, crateres aureos et argenteos habebat, tot et tanta terræ jugera, domos, mancipia, equos, mulos, camelos, castra servorum, solus abit, et nemo cum eo discedit, nec ipsas quidem vestes sumens. Quo enim fuerit splendidius indutus, tanto lautiorem mensam vermi parans recedit, et sepulcrorum effossoribus ampliorem cupiditatem, et in miserum corpus majores insidias. Quo enim se magis exornat, eo in se majorem contumeliam comparat, manus eorum, qui thecas effodiunt, armans in seipsum et invitans. Et quid tum? inquies. At hic quidem certe se jactat, glo-

[1] Psal. XLVIII, 17. — [2] Ibid. 18.

riatur, et intumescit usque ad mortem. Imo vero multi ne ad mortem quidem, sed in illos coortis insidiatoribus, quibusvis reis graviora passi sunt, pecunia spoliati, infamia notati, in carcere habitantes. Qui enim heri in curru, hodie in catena; qui heri observabatur ab adulatoribus, nunc a carnificibus obsidetur; qui unguenta olebat, nunc est respersus sanguine; qui in molli lecto accumbebat, in duro solo jacet; qui ab omnibus colebatur, ab omnibus contemnitur. At in morte ejus sunt magnificæ et splendidæ exequiæ. Et quid ad illum, qui non sentit? major fœtor, major horror, invidia vehementior : est enim filiis cum mortuo bellum perpetuum propter illam magnificentiam. Vide autem quam sit verbum accurate positum, et quam sit magna philosophia. Non solum enim eum ex eo insectatur, quod non una recedant, sed etiam eum hic omni pompa et apparatu spoliat, et nec divitias quidem esse ostendit, quando earum possessione fruebatur. Non dixit enim: « Cum multiplicata fuerit gloria ejus, » sed « Gloria domus ejus. » Hæc enim omnia quæ enumeravi, fontes, ambulacra, porticus et balnea, aurum et argentum, equi et muli, stragulæ, vestes, et indumenta, sunt gloria domus, non hominis qui domum habitat. Hominis enim gloria est virtus, unde etiam vadit una cum possessore. Manet autem ipsa domus gloria, imo vero ne manet quidem, sed etiam una cum domo dissolvitur, nec quidquam ei profuit qui in ea versabatur : neque enim erat illius. « Quia anima ejus in vita ipsius benedicetur [1]. » Postquam dixit de ejus gloria et divitiis, nunc transit ad dicendum de laudibus. Quia enim divites hoc magno studio persequuntur, assentationem in foro, observantiam a populo, publicas laudationes, simulatione referta encomia, magnumque esse videtur in theatris, in conviviis, in judiciis plausu excipi, ab omnibus prædicari, beatum existimari : vide

[1] Psal. XLVIII, 19.

quomodo hoc quoque detrahit, ex tempore. In vita enim ejus, inquit, hoc est, hæc observantia, et hoc, laudibus affici, est ab præsentem usque vitam : una autem cum aliis hoc quoque dissolvitur, ut quod sit caducum et momentaneum, sed etiam quando id exhibetur a laudantibus, post mortem recedit in contrarium, quando larva metus detracta fuerit. « Confitebitur tibi cum benefeceris ei [1]. » Vide quomodo accusat etiam eorum beneficia. Tu enim assentaris et observas, quamdam ad tempus observantiam simulans : ille autem habebit etiam tibi gratias, a te emens, ut quæ sunt ei grata facias, et magno id emens, tunc tibi, inquit, aget gratias. Hoc enim sibi vult illud : « Confitebitur tibi, quando » benefeceris ipsi. » Non dixit : « Quando feceris quod sit utile, quando benefeceris, » sed. « Quando quæ sunt ei cordi, et quæ ex ejus animi sententia, feceris : » ostendens utrinque esse damnum, et ex ficta assentatione, et ex pernicioso ministerio. « Introibit usque in progenies patrum suorum, us- » que in æternum non videbit lumen. Et homo, cum in » honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis » insipientibus, et similis factus est illis [2]. Introibit, » sive imitabitur patrum zelum, et ex improbis natus, improbitatem in sortem accipiet : vel sic intelligas; nisi quid boni fecerit, ex divitiis nihil fructus percepisse deprehendetur. Relinquet autem majores suos in pulvere usque ad judicium : nec secundum naturæ legem lucem aspicere poterit. Deinde resumit iterum ea quæ prius dixerat, his verbis : « Et homo, cum in honore esset, non intellexit, com- » paratus est jumentis insipientibus, et similis factus est » illis. » Ille, inquit, qui ita mortuus est, nec pecunias ut par erat dispensavit, nihil a bruto differet; utpote qui a Deo acceptum honorem non cognoverit; similis factus est jumentis, quorum vitæ finis una mors est. A quibus uti-

[1] Psal. XLVIII, 19. — [2] Ibid. 20, 21.

nam liberemur, tam discipuli, quam doctores, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO II

IN PSALMUM XLVIII.

In dictum illud prophetæ David : Ne timueris, cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit gloria domus ejus [1], *et de hospitalitate.*

I. Jucundum agricolæ aratrum trahere ad expurgandum arvum, sulcos findere, spinasque convellere, atque ita semina jacere, nulla superstite spina quæ sementi officiat : multo jucundius dicenti, cum in aurem tumultu vacuam divina sensa jacit. Ideoque cum voluptate sermonem ordimur, quia hoc arvum expurgatum conspicimus. Licet enim mentem vestram non videamus; at aperti oculi et arrectæ aures vestræ, internæ tranquillitatis mihi præbent indicium : in vestram quippe conscientiam ingredi nequeo. Verum oculi vestri intenti atque in sublime erecti testificantur nullam intus esse perturbationem; imo potius cum alacritate clamatis : « Sparge semina; quidquid jeceris, spe fructus decerpendi excipimus : sæcularem enim omnem curam ex animo ejecimus. » Proinde altiorem ego semper sententiam attingo, agri nobilitati confisus. Neque enim Scriptura sapientem tantum doctorem quærit; sed etiam intelligentem auditorem. Idcirco beatos vos prædico, beatum me dico. « Beatus enim, inquit, qui loquitur in aures

[1] Psal. XLVIII, 17.

» audientium [1], » et, « Beati qui esuriunt et sitiunt justi-» tiam [2]. » In vos igitur, qui cum studio adestis, sensa jacimus. Alii quippe omnes nunc in foro sunt, et sæcularibus curis labefactantur, vos autem superiores terra facti, spiritualia sensa excipitis; illi ancillæ serviunt, dum carnem curant, vos nobilem liberamque animam exornantes, ipsam servatis. Ubinam nunc versaris, o homo? in foro? Quid collecturus? Cœnum et lutum. Veni, a me unguentum accipe. Cur colligis pecunias fluxas, avaritiam vere tyrannum, magistratus qui pereunt, sæcularium curarum copiam, quæ nunc adest, et cras non erit? Quid decerpis flores, relicto fructu? Cur post umbram curris, et veritatem non comprehendis? Cur persequeris quæ pereunt, et quæ permanent non quæris?« Omnis caro fœnum, et om-» nis gloria hominis quasi flos fœni. Exsiccatum est fœnum, » et flos cecidit. Verbum autem Domini manet in æter-» num [3]. » Divitiis abundas? Et quid hoc ad animam? Pecuniis locupletior, anima pauperior; foliis ornaris, et fructu eges. Quid, quæso, hinc utilitatis? Nactus es pecunias, quas hic relicturus es. Nactus es magistratum, unde insidiæ oriuntur. Veni, fruere sermonibus philosophiæ plenis : expia peccata tua, depone iniquitates tuas, expurga conscientiam, erige cogitationem, esto angelus et homo. Relinque carnis naturam, et levem vitæ pennam sume : te segrega a visibilibus, ut hæreas iis quæ sub sensum non cadunt. Ascende in cœlos, choreas age cum Angelis, siste te ante tribunal supernum et excelsum : relinque fumum et umbram, fœnum, aranearumque telam : neque enim possum tantæ vilitati aptum nomen imponere. Hæc porro dico, nec finem dicendi faciam. Veni, et te hominem præsta, ne naturalis appellatio tibi falso ascripta sit. Num intelligitis id quod vobis dictum est? Homo est, ait ali-

[1] Eccli. XXV, 12. — [2] Matth. V, 6. — [3] Isaï. XL, 6-8.

quis, sed homo sæpe nomine tenus, non item sensu. Cum enim te video præter rationem viventem, quomodo te hominem vocabo, non bovem? Cum te rapientem conspicio, quomodo te hominem appellabo, non lupum? Cum te fornicantem video, quomodo te hominem vocabo, non suem? Cum te dolis utentem video, quomodo te hominem nominabo, non serpentem? Cum te veneno infectum video, quomodo te hominem vocabo, non aspidem? cum te insensatum animadverto, quomodo te hominem vocabo, non asinum? Cum te adulterum cerno, quomodo te hominem vocabo, non equum emissarium? Cum te inobsequentem stupidumque video, quomodo te hominem vocabo, non lapidem? Nobilitatem a Deo accepisti, cur naturæ virtutem prodis? Quid, quæso, facis? Alii homines illa sunt instructi arte, ut bruta, quoad ejus fieri potest, in hominis nobilitatem transferant; psittacos docent humana voce loqui, arteque naturam cogunt, leones cicures reddunt, perque forum trahunt. Leonem efferum animal cicurem reddis, et te lupo efferatiorem exhibes? Quodque gravius est : quæque bellua unum habet vitium, lupus rapax est, serpens dolosus, aspis venenosus : at homo improbus non item. Sæpe namque non uno vitio affectus est; sed ex rapax est, et dolosus, et venenosus, brutorumque vitia in animo suo colligit. Quomodo itaque te hominem vocabo, qui nec regni insigne, nec diadema, nec purpuram habeas? « Faciamus, inquit, hominem ad imaginem et similitudi»nem nostram [1]. » Cogita ad cujus imaginem factus sis, homo, nec te ad vilem bestiarum conditionem deprime. Si videris regem, purpuram et diadema abjicientem, at cum militibus commixtum, prodentemque imperium suum, quo pacto illum regem vocabis? Tu homo es : ne mihi ostenderis te hominis animam habere, sed an prudentia

[1] Gen. I, 26.

sis homo. Præes brutis, et brutorum affectuum tuorum factus es servus?

II. Et quomodo homo evadam? inquies. Si cogitationes carnis, absurdas illas, subegeris : si ejeceris fornicationem; si ejeceris intempestivum amorem pecuniarum; si improbam illam tyrannidem ejeceris; si purum locum tuum reddideris. At quomodo efficiaris homo? Si huc veneris, ubi homines creantur; si te equum sumam, te hominem faciam; si te lupum sumam, te hominem faciam; si te serpentem accipiam, faciam te hominem, non naturam, sed propositum mutans. Sed quid dices? Liberos habeo, domui præsum, de uxore sollicitus sum, paupertate premor, necessarium victum paro. Obtentus hæc sunt et causificationes. Si enim hic te perpetuo retinerem, ac ne vel momento concederem, ut externis vacares negotiis, posses hac excusatione uti, mihique dicere: « Liberos habeo, domui præsum : » ac probe certe hoc diceres. Imo potius neque tunc illa dicere oporteret. Potest enim Deus tibi hic agenti majori copia tua omnia augere. Nunc autem nullam tibi hujusmodi necessitatem impono, neque dico, ut quotidie his vaces, sed bis tantum in hebdomada. Quid grave, quid onerosum? Non per totum diem, sed per exiguum temporis spatium veni in Ecclesiam : accipe spiritualia sensa, ne accipias vulnera : non ut alios dejicias, sed ut in Ecclesiam forum convertas. Veni, accipe arma, ut armatus noxiam plagam non accipias. Sta in acie, sed armatus. Sta in loco sancto, sed puris præditus oculis. Intra in portum, sed diligenter navem commove. Hæc potes hoc in loco discere : sed abnuis, et in sæcularia castra Dei mandatis nudatus te conjicis. Cogita quantum sit ex Ecclesia egredi humana omnia despicientem, molestiasque calcantem, bonisque superiorem factum, ita ut neque illis superbiat, neque his prematur : qualis erat Job,

neque paupertate obrutus, neque divitiis elatus; sed in rerum vicissitudine æqualem servans animum. Veni, sume armaturam a me. Qualem armaturam? quæ tibi sæpe salutem pollicetur. Exis et vides hominem equo vectum aureo freno, multis satellitibus stipatum; rursusque vilem quemdam et abjectum. Hinc invidia in divitem commoveris. Livor pauperis te apprehendit. Accedit ad te David, adest et dicit : « Ne timueris, cum dives factus fuerit homo [1]. » Egredere cum Propheta, et ne timeas. Abi quo tibi dico cum Propheta, cum doctore, cum baculo, cum precone. « Ne timueris, cum dives factus fuerit homo. » At dices : « Hoc monentis est, et consilium dantis, ac quæ decent commonstrantis. Dic mihi etiam modum, quo debeo hominem non timere. » Quia divitiarum natura hominis naturam imitatur. Qua autem ratione, ego dicam. Quid est homo? Animal vile, caducum, exigui temporis : tales etiam divitiæ; imo non tales, sed infirmiores. Sæpe namque non cum homine desinunt, sed etiam ante hominem. Nostis vos innumera exempla in hac urbe, circa intempestivam hujusmodi divitiarum jacturam; et didicistis, vivente possessore, possessionem periisse : divitiarum enim finis est mutatio in paupertatem. Perpende igitur quam brevis temporis sit possessio. Nam possessor vivit post jacturam possessionis. Atque utinam periisset possessio, neque in perniciem traxisset ipsum possessorem. Non erraveris igitur, si dixeris divitias esse domesticum ingratum, sanguinarium et homicidam, domesticum qui in remunerationem hero necem infert. Quodque gravius est, non cum hominem deserit, ipsum in pericula conjicit, sed et antequam ipsum relinquat, turbat ipsum, ac consternat. Ne mihi respicias illum sericis vestimentis indutum, unguentis perfusum, et famulitio cultum; sed ejus con-

[1] Psal. XLVIII, 17.

scientiam resera, ejus adhuc opulenti animum retege, videbisque intus tumultus et turbas. Cum autem videris alium ejus casu labentem, calamitatem propriam edisce.

III. Quid enim humanis rebus fallacius? id quod sæpe dixi, fluvialium undarum naturam imitantur, simul apparent et prætereunt, simul tenentur, et effluunt. « Ne timueris, cum dives factus fuerit homo. » Hunc accipe sermonem, canticum spirituale. Cum enim ingressa fuerit invidia, et una accesserit hic versus, dictum illud animi affectum talem eliminat. « Ne timueris, cum dives factus » fuerit homo. » Hæc mea sunt remedia, quæ non pecunias, sed cœlos quærunt. Non enim corpus curo, sed animæ remedium appono; non vestræ tantum, sed etiam meæ. Etsi namque doctor sim; sed homo etiam sum, communi subjectus naturæ, communemque doctrinam præbens. « Ne timueris, cum dives factus fuerit homo. » Hunc accipe versum in thesaurum et argumentum : hunc accipe versum radicem divitiarum et opulentiæ. Non enim divitem esse, sed divitias nolle, hæ sunt veræ divitiæ. Num intellexistis illud quod vobis dictum est? Qui vult esse dives, possessionibus eget ac pecuniis; qui autem non vult esse dives, est semper in opulentia. « Ne timueris, cum dives » factus fuerit homo, aut cum multiplicata fuerit gloria » domus ejus [1]. Ne timueris, » dic mihi, propter quid? Quoniam metuendi sunt divites, vitam Propheta explicat. Quid metuis hominem foliis ornatum, fructus expertem? Cur times hominem qui in amaritudine ambulat? Cur times hominem semper trementem? Quid times hominem in perpetuo metu viventem? Servus enim tuus non timet te absentem : ille vero dominum suum intus circumfert. Quocumque ierit, amor pecuniæ ipsum sequitur. Is propinquos,

[1] Psal. XLVIII, 17.

domesticos, amicos, invidos, beneficos, omnes simul habet inimicos. Invidiam quippe magnam concitat. Pauper certe neminem timet, quoniam philosophia et patientia tantum dives est. Dives autem, quia in habendi cupiditate vivit, omnibus perosus est, et in publicis cœtibus hostis circumit, vultu assentantibus, animoque odientibus omnibus. Quod autem hæc illo modo se habeant, ingruente vento, cadentibusque foliis, cum scilicet mutatio rerum advenit, tunc ementiti amici comperiuntur, tunc assentantium larvæ noscuntur, tunc manifestus evadit simulantium chorus, tunc scena aperitur. Aperiuntur ora omnium dicentium: « Scelestus ille, improbus, perditissimus. » Quid ais? Annon heri ipsi adulabaris? Annon manus ejus osculabaris? Hæc larva erant. Venit tempus, et larvam posui, mentemque aperui. Quid ergo times, quæso, eum qui a tot hominibus accusatur? Et quid hoc? Utinam ne se ipse accuset. Hæc dico non quod divitias, ut millies dixi, criminari velim, sed eos qui bona re male utuntur. Pecuniæ enim cum operibus honestæ sunt. Quomodo honestæ? Si paupertatem sublevent, si inopiam substentent. Audi Job dicentem : « Ego eram oculus cæcorum, pes claudorum, » ego eram pater egenorum [1]. » Ecce divitiæ sine peccato, sed cum amore pauperum; « Domus mea omni venienti » aperta fuit. » Hoc divitiarum ministerium est, earum nempe quæ non nomine, sed re sunt divitiæ. Illæ divitiæ servæ sunt harum, illæ quippe nomen sunt re vacuum; hæ vero et nominis et rei veritatem habent. Quænam? Eæ quæ ad virtutes et ad eleemosynam exercendam impenduntur. Quomodo? ego dicam. Est dives qui omnium bona rapit, et est dives qui sua pauperibus erogat : hic in colligendo, ille in spargendo dives est : ille seminat terram; hic cœlum excolit. Quantum præstat terræ cœlum, tantum illius

[1] Job, XXIX, 15, 16.

opulentia hujus divitiis infirmior est. Hic innumeros habet amatores; ille omnes accusatores. Et quod est mirabile, raptorem et avarum non illi modo qui læsi sunt, sed etiam ii, qui nihil mali sunt passi, oderunt, vicem illorum dolentes, qui mala sunt perpessi : misericordem vero, non modo ii qui misericordiam sunt consecuti, sed etiam ii qui non sunt experti, diligunt. Virtus enim est vitio præstantior, fratres. Vitium illos etiam, qui læsi non sunt, inimicos habet; eleemosyna autem illos quoque, qui beneficio non sunt affecti, habet amicos. Omnes enim dicunt : « Deus illi bene faciat. » Quo tandem bono affectus es? Nullo; sed frater meus; non ego, sed membrum meum. Beneficium quippe illi præstitum, meum reputo. Vidisti quantum bonum sit virtus, quam desiderabile, quam amabile, quam pulchrum? Misericors est communis portus, pater omnium, baculus senum. Misericors si quid insuave patiatur, precantur omnes, « Deus ipsius misereatur, ipsi bene faciat, bona apud illum maneant. » Si autem ad raptorem veneris, audies qui dicant : « Execrandus ille, improbus, scelestus. » Quid passus es? Ego nihil, sed frater meus : adsunt quotidie clamores innumeri. Si ceciderit, omnes in illum irruunt. Hoccine vita? hoc divitiæ? Annon hæc conditio deterior quam reorum damnatorum? Qui damnatus est, corpore ligatus est; hic anima. Vides eum vinctum, et non miseraris ipsum? Illum odi, quia vinctus est, non vi, sed proposito : quia catenam attraxit.

IV. Rursus tu contra divites? dicent mihi. Rursus vos contra pauperes. Rursus tu contra raptores? Rursus vos contra eos, quorum bona rapiuntur. Vos non satiamini, dum pauperes devoratis et mordetis; ego non satior vos corripiens et emendans. Semper tu his hæres, semper tu pauperi adhæres? Abscede tu ab ove mea, abi a grege, ne ipsum labefactes. Si vero labefactas gregem meum, an cri-

mini vertes, si te persequar? Si pastor essem ovium, annon me incusares, si lupum in gregem ingruentem non persequerer? Pastor sum rationabilium ovium : non lapide persequor, sed verbo : imo potius non persequor te, sed voco. Esto ovis, accede, esto e numero gregis mei. Cur gregem corrumpis, qui augere deberes? Non persequor te, sed lupum persequor. Si lupus non es, non te persequor. Si lupus factus es, teipsum accusa. Non contra divites, sed pro divitibus sum. Hæc quippe dicens, pro te dico, etsi non sentias. Quomodo pro me loqueris? Quia te a peccato libero, et a rapina, omnibusque te amicum constituo, omnibus desiderabilem. Semper dico tibi : « Rapuisti-ne? pecunias auxisti? Veni, te mutabo : inimicitiam in amicitiam convertam, periculum in securitatem. Hæc in hoc sæculo, illic vero rursum dabo tibi regnum cœlorum, ne in supplicia æterna abeas; ut accipias bona, « Quæ oculus » non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascende- » runt [1]. » Hæccine persequentis sunt, an consulentis? amantis, an odientis? Verum tu me oderis : imo vero te amo. Præceptum Domini mei habeo : « Diligite inimicos » vestros [2]. » Non abscedo abs te, sed tibi medeor. Dominus noster crucifixus est, et dicebat : « Pater, ignosce illis, » quia nesciunt quid faciunt [3]. » Num te persequor? Morbum tuum pello. Num tecum pugno? cum vitio certe tuo. Annon me beneficum ducis? annon curatorem? annon patronum præ aliis omnibus? Quis alius te his de rebus alloquetur? Num magistratus? nihil simile loquetur, sed de accusationibus et de crimine aget. Num uxor? De ornamentis tantum et de auro loquetur. Num filius? de hæreditate, de testamento, de sorte dicet. Num domesticus? is de ministerio, de servitute, de libertate. An parasiti? illi de conviviis, de cœnis, de prandiis. An ii qui in theatro?

[1] 1 Cor. II, 9. — [2] Matth. V, 44. — [3] Luc. XXIII, 34.

illi de risu turpi, de concupiscentia effreni. An is qui in foro? Ille de testamentis, de hæreditate, de libertate, in quibus ille versatur. Unde hæc audias, nisi a me? Omnes te metuunt, ego vero te contemno : donec talis fueris, contemno, te despicio, morbum tuum contemno. Ego seco, tu clamas. Sed non timeo vocem tuam, opto salutem tuam : medicus enim sum. Si ulcus habens medicum vocares, videresque ferrum acuere, annon diceres : « Seca etiamsi doleam, » eo quod ex sectione salutem expectares? Me autem fugis, non secantem, sed sermone animam tuam purgantem. Atqui medicus quid facit? Secat sæpe, et ulcus deterius facit : ego deterius non facio, sed melius. Illic enim natura est imbecilla et nutans, remediorumque debilitas; hic autem vis sermonis. Medicus tibi salutem non pollicetur, ego tibi salutem polliceor, audi me. Ideo unigenitus Filius Dei descendit, ut nos reduceret, et cœlis ipsis excelsiores constitueret. Unum solum timeo, peccatum. Cætera facessant omnia, divitiæ, paupertas, potentia, quidvis aliud. Hæc dico, nec finem dicendi faciam : neque enim quemquam gregis mei perire volo. Quid ergo? Potest-ne fieri ut dives salutem consequatur? Sane quidem. Job dives erat, Abraham dives erat. Vidisti ejus divitias? vide hospitalitatem. Vidisti mensam ejus? vide benignitatem. Quid ergo Abraham? dives erat. Num tecum contendi? Dives-ne erat Abraham? Imo dives erat. Vidisti ejus divitias? Vide ejus vitæ institutum. Meridie apparuit ei Dominus juxta quercum Mambre sedenti [1]. Et ecce tres viri. Et surgens; non enim putabat Deum esse eum, qui præsens erat, quomodo enim? adoravit, et dixit : « Si judicatis me dignum, ut ingrediamini in tabernaculum trabium mearum. » Vides quid in meridie faceret senex? Non sub tecto sedebat, sed peregrinos et viatores prorsus ignotos pertrahebat, et surgens

[1] Gen. XVIII, 1, et seqq.

adoravit dives et nobilis. Qui pecuniis affluebat, relicta domo, uxore, pueris, domesticis, quos trecentos octodecim habebat, illis omnibus relictis, exiit piscaturus; sagenam hospitalitatis expandit, ne viator, ne peregrinus domum præteriret. Vide quid faciat senex. Non præcipit famulo, quos trecentos octodecim habebat; sciebat enim genus famulorum negligens esse; ne obdormisceret famulus, et peregrinus præteriret, sicque ipse prædam amitteret. En Abrahamum, en divitem. An dignaris tu pauperem vel respicere? an ipsi respondere? an ipsum alloqui? Quod si aliquando des, certe per famulum. At non ita vir justus. Sed sedebat, ardentes radios excipiens, rore in æstu perfusus: umbra ipsi erat desiderium hospitalitatis. Sedebat fructum hospitalitatis decerpens, idque dives cum esset. Huic mihi confer hodiernos divites. In meridie ubi sedent? in inferis. Ubi sedent? in morte ebrietatis. Ubi sedent? in publico, projecti, ebrii, corde obcæcati, brutis stupidiores. Sed non ita Justus ille.

V. Vis imitari Abrahamum? Sic imitare, non impedio, imo suadeo. Etiamsi majora a nobis exigantur, quam ab Abrahamo. « Nisi enim abundaverit, inquit, justitia ves» tra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intra» bitis in regnum cœlorum [1].» Interea tu saltem Abrahamum assequere. Quid habuit Abraham? Hospitalis erat, surrexit, et adoravit, cum ignoraret quinam essent qui præterirent. Si enim scivisset, nihil admirandum fecisset, quia Deum coluisset; verum ignoratio eorum, qui aderant, majus ejus hospitalitatis studium declarat. Sedebat et excepit, quomodo? Liberaliter: vitulum mactavit, Saram vocavit, uxorem hospitalitatis consortem fecit, neque eam in cubiculo latentem, sed sub quercu stantem. Illa enim mensa demum aperuit vulvam ejus, naturæque sterilitatem corre-

[1] Matth. v, 20.

xit. Mactavit vitulum et accepit Isaac. Farinam conspersit, et semen accepit ut stellas cœli et arenam maris. Verum plane dices : « Da mihi quoque fructum tot genuinorum filiorum. » Infelix, miser, et vilissime, terrena quæris? Cœlum tibo do, Angelorum societatem, æternam voluptatem, et mortem corruptionemque quæris? Vitam tibi do finem non habentem. Major est remuneratio, major retributio. Studiose attende dictis meis, ut rerum conversionem videas. Cum enim oporteret hospitalitatis studium declarare, quid dicit Abraham uxori suæ Saræ? « Festina, inquit, et » commisce tres mensuras similæ [1]. » Hæc audiant mulieres. « Festina et commisce tres mensuras similæ. » Commune quippe nobis theatrum, et utrique sexui magisterium offertur. Audiant mulieres id quod dicitur : audiant viri, et imitentur. « Festina, inquit, et commisce tres mensuras » similæ : » et ipse cucurrit in armentum boum. Laborem partiuntur, ut etiam ambo coronam sortiantur. Communia sunt jura nuptiarum : communia sint virtutis officia. « Adjutricem te accepi, sis mihi adjutrix etiam in rebus altioribus : Festina, festina. » Urget uxorem, et ne tarditas tædium afferat hospitibus, « Festina, et commisce tres mensuras » similæ. » Laboriosum præceptum, grave mandatum : « Commisce tres mensuras similæ. » Non dixit : « Quid hoc? Num hac spe tibi nupsi, ut me ad molendum coquendumque panem adhiberes, mulierem tot divitiis instructam? Trecentos octodecim servos habes, et illis imperare non curas, sed me ad hoc ministerium urges? » Nihil simile dixit, neque cogitavit. Sed quia uxor erat Abrahami, non corporis solum, sed etiam virtutis consortio, ideo dixit illi : « Festina : » illaque alacriter mandatum arripuit : sciebat enim uberem hospitalitatis fructum. « Festina, commisce. » Sciebat mulieris diligentiam. Ubinam sunt hodiernæ mu-

[1] Gen. xviii, 6.

lieres? comparemus illas cum Sara. Num talia mandata excipiunt? talia opera? Profer mihi ornatus cupidæ mulieris manum, eamque extrinsecus inauratam vides, intus autem quasi obsessam. Quot, quæso, pauperum prædam manus tua gestat? Profer manum tuam, ostende illam. Quo induitur? rapina. Profer manum Saræ, quo induitur? hospitalitate, eleemosyna, charitate, pauperum amore. O præclaram dexteram! Vide dexteram et dexteram. Verum una quidem forma est dexteræ, multum vero discrimen. Illic fontes lacrymarum, hic coronæ et præmia. Hæc dico ut neque uxores talia quærant a viris, neque viri uxores hæc petentes ferant. En Saram, en divitem illam : commiscuit tres mensuras similæ. Quantus labor? Verum non sensit laborem, ob spem fructus et lucri. « Festina, com-» misce tria metra similæ. » Quid facis? te comis et ornas, mulier? Cui vis placere? viro-ne tuo? Malum studium, si viro sic placitura es, si sic studes ipsi placere. Quomodo igitur placebo? continentia. Sed qua ratione placebo? modestia, philosophia, mansuetudine, charitate, concordia, consensu. Hæc ornamenta tua, mulier. Hæ virtutes tuæ concordiam pariunt : illi vero ornatus ut placeas non efficiunt, verum id præstant ut viro oneri sis. Cum enim illi dixeris : « Rape et affer mihi : » exiguo tempore places; sed postea inimicum illum habes. Ut autem discas te viro non placere : domi illa deponis, et in Ecclesia illis circumornaris. Si viro placeres, domi illa gestares. Verum, ut dixi, in Ecclesiam ingrederis, auratis manibus et collo. Si venerit Paulus, terribilis simul ille et amabilis : terribilis peccatoribus, amabilis pie viventibus, clamabit et sic dicet : « Mulieres oportet ornare se, non auro et margaritis, et » veste pretiosa [1]. » Deinde si ingrediatur Gentilis, videatque in superiore parte illas ista ferentes, in inferiore vero Pau-

[1] 1 Tim. II. 9.

lum hæc loquentem, annon dicet : « Hæc sunt scena et fabula? » Certe non sunt scena res nostræ, etiamsi hæc ita fiant. Verum Gentilis ille læditur et dicit : « Ingressus sum in Ecclesiam Christianorum, et audivi Paulum dicentem : « Non in auro et margaritis; » illam vero mulierem opere contraria exhibentem. »

VI. Quid tibi utilitatis affert aurum, o mulier? Ut pulchra et speciosa appareas? Verum illud nihil tibi confert ad pulchritudinem animæ. Sis animo speciosa, et eris corpore amabilis. « Sapientia hominis vultum ejus illumina»bit[1]? » atqui sapientia est animæ ejus. Nihil ita amorem parit ut charitas. Si enim vir tuus te amat, etiamsi deformis sis, tamen amabilis ipsi videris. Si autem te oderit, etiamsi speciosa sis, ne quidem videre te volet. Odium quippe animi formam vultus apparere non sinit. Cum enim ab eo ornatus et aurum petitura es, tum ipse te aversaturus est, perinde atque eum qui in foro aliquid ab eo exigat. Verum ab illo fugere potest, a te minime, quæ intus es semper, et petis officia rationi contraria. Hæc ne solum auribus excipias, o mulier, sed etiam animo commuteris. Verba mea remedia sunt, quæ ad tempus mordent, sed perpetuo juvant et voluptatem afferunt. Medicus sum, vulneraque fodico, ne præ vetustate deterius ulcus efficiant. Ego medicinam exerceo, sanitatem verbo tribuens. Alii vero præsentis vitæ fluxam, fallacem, et vilem conditionem ostendunt. Sed quod dicebam de Abrahamo; neque enim promissionis obliviscar : « Festina, permisce : » hæc unaquæque mulier in mente describat, hæc unusquisque vir in conscientia habeat. Cur gestas sericas vestes, et equos habes aureis frenis, mulasque ornatu decoratas? Mula infra ornatur, aurum in tegumento tenetur. Pecunias mulæ rationis expertes circumferunt, quæ aurea frena habent :

[1] Eccl. VIII, 1.

mulæ rationis expertes ornantur, et pauper fame confectus pro foribus tuis sedet, Christusque fame necatur. O summam amentiam! Quæ defensio? quæ venia, quando Christus stat pro foribus tuis habitu pauperis, tu vero nullo modo flecteris? Quis te ex suppliciis illic inferendis eripiet? Dedi, inquies, eleemosynam. Verum ne dederis solum quantum ille vult, sed quantum potes. Quid tum dices, quæso, cum supplicia intolerabilia, cum cruciatus illi aderunt, cum minæ, et terribiles potestates, cum fluvius ignis cum strepitu fervebit, cum tribunal illud terribile, cum judicium incorruptum, cum natura illa, quæ principio caret, cum humanarum rerum cessatio, cum neque pater, neque mater, neque vicinus, neque rex, neque viator, neque hospes te juvare poterunt? Sed stabit solus homo cum operibus suis, quorum causa vel damnabitur, vel coronabitur. Quid tum dices? Tum sermonis mei recordaberis. Sed quæ tibi hinc utilitas? nulla. Quandoquidem dives ille recordatus est, ac tempus pœnitentiæ quærebat; sed nihil hinc lucri retulit. Verum dicebat: « Mitte Lazarum, ut intingat summum » digitum suum in aqua, et refrigeret linguam meam, quia » vehementer crucior[1]. » Verum non misit Lazarum, non quod stilla aquæ magno paradisi fonti jacturam afferret, sed quod eleemosynæ stilla nullo modo possit cum inhumanitate misceri. Quoniam enim tempore stadii contemptus fuerat, tempore coronæ nulla eum consolatione dignatus est.

VII. Hæc dico, ut neque pauper ob paupertatem lacrymetur, neque dives gaudeat ob divitias. Opulentus es? Pereant divitiæ, nisi congruentes divitias in medium afferas. «Festina, et commisce tres mensuras similæ. Deinde cu» currit ipse ad boves, et mactavit vitulum[2]. » Cursor fuit senex, neque enim ipsi carnis vigor solutus erat, sed mens

[1] Luc. xvi, 24. — [2] Gen. xviii, 7.

philosophica nervos habuit; vicit naturam alacritas. Herus domesticorum trecentorum octodecim, vitulum gestans, onere non opprimebatur, sed alacritate mentem levabat. Cursus seni propositus erat, et magnum ministerium, uxorique labor et opera. Non solum enim pecuniarum liberalitate, et lauta mensa, sed etiam ministerio multo officioque proprio hospites excipiebant; non famulorum opera, sed manibus membrisque suis ministrantes. Deinde præsto erat uxor ancillæ habitu, et hospites recumbebant ignoti: neque enim finem hæc dicendi faciam. Putabant enim eos esse pauperes quospiam. Verum hæc non animo versabant, sed se peregrinos suscipere. Astabant ambo illo tempore, hospitalitatis botrum vindemiantes mente, philosophia, ministerio, susceptione hospitum, labore, officio, charitate, dispensatione, accuratione, ut nihil retro relinquerent. Et stabat uxor ad arborem, thalami vice arbore utens, et pro tecto umbram foliorum habens, nec indecorum duxit in publico versari. Stabat enim proprium exhibens ornatum, et ministerii fructum demetens. Quid ergo is qui advenerat? « Secundum hoc tempus veniam, et erit Saræ » filius[1]. » Qualem fructum mensa protulit! quam pulchrum! quam celerem! quam formosum! ut uva matureſcat et perfecta evadat! Etenim verbum illud ingressum est in vulvam, puellumque formavit. Hujusmodi sunt hospitalitatis fructus. Attende iis quæ dicturus sum. Postea vero puer ille ex mensa natus, postquam crevit, postquam vir esse cœpit hospitalitatis fructus: non enim ita illum genuit uterus, ut genuit mensa, imprimis autem Dei verbum; postquam crevit et vir factus est, tempusque nuptiarum advenit: attende dictis studiose: moriturus demum erat senex, beatus ille Abraham patriarcha, qui cum mulieribus depravatis et nequissima gente habitabat: accersitum

[1] Gen. xviii, 10.

famulum suum sic alloquitur : « Hic sunt improbæ Chananæorum mulieres. » Quid igitur cupis ? « Abi in terram, ubi » ego natus sum, et inde duc uxorem filio meo [1]. » Novæ res ac mirabiles ! Scitis vos et plane nostis : cum quispiam filium suum vult uxorem ducere, patrem matremque solitos esse hac de re agere, in alienamque domum abire, illi assentari, hunc colere, pronubas pronubosque multos rem tractare : hinc pecuniarum promissiones, et multa sollicitudo patris matrisque, ut per se ipsi colloquantur, nec ipsos pudet, neque erubescunt, neque negotium famulis committunt. Cum autem hospes advenit, dicunt : « Vade tu, deduc eum inferius, illumque excipe. » Contra vero Abraham, cum oporteret opus edere magnum et philosophicum, per se illud agit : hospitalitatem non committit famulo, sed uxori et sibi. Cum autem de uxore sumenda et de connubio tractabatur, famulo dicit : « Abi. » Hic mulieres contra faciunt. Si velint cum aurifice colloqui, non erubescunt, sed ipsæ exeunt, et assident ne aurum subripiatur : pecuniarumque aviditas id efficit, ut decorum contemnant et dignitatem. At Abraham non sic, sed cum hospites vellet excipere, per se et per uxorem agebat ; cum de connubio ageretur, per famulum. Cur itaque Abraham commemoras, quod nempe dives esset ? Hæc tu quoque de Abrahamo cogita, et nullum unquam aspernaberis. Sed unde ad hæc dicenda digressus sum ? arrepto Propheta et illo baculo : « Ne ti- » mueris, cum dives factus fuerit homo. » Hic enim versus illa omnia peperit : et ecce thesaurum invenimus auro refertum. « Ne timueris, cum dives factus fuerit homo. » Accipe baculum hunc, qui tremula corpora erigere possit. Neque enim sic baculus tremula corpora annosorum et senum erigere potest, ut hic versus juvenum et senum, concupiscentia et peccatis obsessorum, tremulam mentem

[1] Gen. XXIV, 4.

excitat : « Ne timueris, cum dives factus fuerit homo. » Quid times hominem, qui non homo, sed lupus est? Quid times hominem impietate plenum et auro obsessum? Quid times hominem, qui per iniquitatem sua prodidit, et qui hostem suum sæpe intus habet? Sed mihi declaravit Propheta dicens : « Ne timueris, cum dives factus fuerit homo. » Mihi de reliquo modum expone, quo debeo non timere divitem : « Vel cum multiplicata fuerit gloria domus ejus. »

VIII. O nobilitatem dictionis! quo pacto in narratione et doctrina philosophiam introduxit! « Ne timueris, cum » dives factus fuerit homo, vel cum multiplicata fuerit gloria » domus ejus. » Non dixit: « Et cum multiplicata fuerit gloria ejus; » sed « Gloria domus ejus. » Cum enim ingressus in domum divitis cujusdam, videris columnas miræ magnitudinis, aurea capitella, et marmore crustatos parietes, aquæductus et fontes et ambulacra, arbores vento agitatas, omniaque musivis operibus plena, eunuchorum auro fulgentium turbam, famulorum multitudinem, solum tapetibus stratum, mensam auro splendentem, et cubilia exornata : hæc omnia gloria domus sunt, non gloria hominis. Hominis quippe gloria, est pietas, æquitas, eleemosyna, mansuetudo, humilitas, pax, justitia, charitas erga omnes sine hypocrisi. Hæc omnia sunt gloria hominis. Cur times divitem? Itaque domum ipsius potius time. Illa enim dives est, non is qui habitat. Verum non timeo illam, inquit. Quare? Quia aurum est inanimata materia. At hominem metuis? Etiam. Quare? Num illius sunt divitiæ? ædium est splendor : marmora murus habet. Quid hæc ad habitantem? Aurea laquearia : quid ad possidentem? Capitella columnarum aurea sunt; quid ad caput illius qui in peccatorum luto demersus est? Sed mundum est pavimentum? verum immunda conscientia. Sed sericæ sunt vestes? verum pannis laceris anima onusta. Domus dives est, sed ejus pos-

sessor est pauper. « Cum multiplicata fuerit gloria domus »ejus.» Et ut discatis gloriam esse domus, et non hominis, vos ex verbis vestris redarguo. Ingressus persæpe in pulchras ædes alicujus et postea egressus, quid ais? «Vidi pulchra marmora.» Num dicis: « Vidi formosum hominem?» Mirabiles sunt columnæ, pulchræ fenestræ. » Num dicis : « Mirabilis est herus? » Multum auri est in laquearibus. Num dicis: « Eleemosyna magna est? » Multi fontes, magnificentia ingens. » Num dicis : « Ingens magnificentia est possessoris? » Ubique de muris, ubique de marmoribus, ubique de fontibus, de aquis loqueris. Vides rursus equum freno aureo fulgentem, et dicis : « Pulchrum est frenum : » ergo aurificis ista laus est. « Egregium vestimentum : » ergo textoris est laus. « Speciosi servi: » ergo vendentis ista laus est. Manetque ille incoronatus, res autem ejus laudibus ornantur. At cum vides hominem probum, dicis : « Probus homo, pulcher, modestus, mirabilis, misericors, benevolus, compunctus, semper precibus vacans, semper jejuniis insistens, semper in Ecclesia versans, nunquam a divina doctrina se removet. » Hæ laudes ejus, hæ coronæ. Disce igitur quid sint divitiæ hominis, et quid divitiæ domus : «Ne timueris. » Si enim didiceris divitias probe distinguere, non ultra timebis. Vides eum, quem divitem putabas, pauperem et egenum esse? « Ne timueris, cum dives »factus fuerit homo. » Et ut discas hæc ita se habere, etsi hic te decipiat, mortis tempore ipsum respice. Num aliquid ex his omnibus sumit, et sic abit? Utique mortuus est, et nudus jacet, qui sericis vestibus inducbatur. Jacet nudus in tumulo : servique abeunt et discedunt, nemoque illum curat : neque enim illius servi erant. Abiit, et nihil suorum deinceps jacet. Uxor ejus luget et se excruciat, crines solvit : omnes consolantur, nec audit : liberi orphani sunt, uxor vidua : omnes abjecti sunt, pincernæ,

crateres, parasiti, assentatores, eunuchi. Ex vasis illis aliquod accipere, et abire non potest. Sed quid? solus effertur, laudibus extollunt : ecquid ad illum? At inanis gloria ipsum celebrem reddit? Quare? An potest aliquid ex illa sumere? Nihil ex illis potest ipsi adesse in die illo. In sepulchrum abit qui omnia rapuerat, intra tres cubitos sepelitur, nec quid amplius : terra operit vultum ejus et una operculum loculi. Abscedit uxor. Ubinam divitiæ? ubi servi? ubi pompa? ubi ædes magnæ ac splendidæ? ipsum relinquunt : uxor etiam deserit, velit nolit : fœtor enim ipsam abigit, fontes vermium ipsam expellunt. Hoccine totum? Etiam. Nihil enim suorum habens discessit. Ut vero discas eum nihil suorum habentem abscessisse, beati Martyres, quia sua secum auferunt, id consequuntur ut a sepulcro ipsorum non recedamus. At hic ne uxor quidem manere potest. Illic imperator diadema abjicit, et in sepulcro Martyris manet, rogans obsecransque, ut liberetur a malis et hostes vincat. « Ne ergo timueris, cum dives factus » fuerit homo. » Hoc sumpto versu, canere incipiamus Domino, et pro his omnibus gratias agamus ipsi, Patri et Filio et Spiritui sancto, quia ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO III

IN PSALMUM XLVIII.

Cum alius ante perorasset, sermo Constantinopoli habitus, in magna Ecclesia (12), *cum pauci convenissent, in illud,* Ne timueris, cum dives factus fuerithomo [1], *et de eleemosyna.*

I. Parvus est fructus ejus, qui præclare dixit, sed maturus : tenuis est chorda, sed ingens sonus : pauca verba, sed magni pretii sunt sententiæ. Nam et universum populum laudibus excitavit, eosque præconiis diligentiores effecit, et auctorem agriculturæ indicavit, atque compositis in ejus laudem hymnis, postquam ex Apostoli præcepto gratias egit, orationem glorificatione conclusit. Quod si mensam cito removit, non ob egestatem, sed ob humilitatem id egit. Non enim, quod dicere plura non posset, orationi finem tacendo imposuit, sed ut docendi munere nobis cederet. Age ergo nos quoque tumultuum, qui jam contigerunt, procella liberati, tanquam fluvialibus quibusdam aquis aures nostras lectione Scripturarum abluamus. Ita faciunt et nautæ : postquam tempestatem evaserunt, et multum pelagus emensi ad tranquillum portum pervenerunt, demissis velis, deposito remo, et exscensu e navi facto, balneis, cibo, potu, somno ac deliciis corpus refocillant, ut vegetius illud et aptius ad reliquam navigationem reddant. Ilos imitemur nos quoque, ac nupera illa perturbatione, tumultu, fluctibusque perfuncti, tanquam ad

[1] Psal. XLVIII, 16.

quietum quemdam portum animam nostram ad Scripturarum lectionem appellamus. Etenim portus est nullis fluctibus agitatus, murus inexpugnabilis, inconcussa turris, gloria quæ nequit eripi, armatura impenetrabilis, animi tranquillitas invicta, voluptas continua, et quæcumque bona dixeris, divinarum congressus Scripturarum. Hic et mœrorem abigit, et animi tranquillitatem tuetur, pauperem ditiorem reddit opulentis, et divitibus securitatem acquirit, peccatorem justum efficit, tuto præsidio Justum munit; mala quæ insunt evellit, bona quæ desunt inserit; malitiam fugat, ad virtutem reducit, nec reducit modo, sed radicibus etiam firmat, et, ut perpetuo maneat, efficit, cum spiritualis medicina sit, ac divina quædam et ineffabilis incantatio, quæ passiones exterminat. Nam et spinas peccatorum extirpat, et arvum expurgat, et pietatis jacit semina, et fructum ad vigorem perducit. Nequaquam igitur tot aspernemur bona, neque a collectis absimus, sed huc nos assidue conferamus, ut continue sanemur : nec ullus divitem cernens invidia saucietur, aut inopia gravetur : sed vera cognita rerum natura, prætereat umbras, veritatem amplectatur. Siquidem umbra, licet corpore major appareat, est tamen umbra : certe enim major eo non est alioqui, sed videtur, et tum videtur, cum a solis radiis remotiores fuerimus : sic nimirum circa meridiem, dum ferventis solis radii capiti imminent, undique in angustum redigitur, et contrahitur, ac brevior fit, quod utique in rebus etiam humanis cernitur. Nam quandiu se longius quis a virtute sejungit, magnæ illi res videntur humanæ : ubi vero se in clarissimo Scripturarum lumine collocarit, tum vero quam viles, quam breves, quam nullius momenti sint res caducæ animadvertit, ac probe intelligit nihilo eas meliori conditione, quam fluviales undas esse, quæ simul appareant, et dilabantur. Quam ob causam cum Propheta

philosopharetur, et pusillanimes istos et infelices castigaret, qui humi reptant, et ad divitiarum pompam obstupescunt, qui reformidant ac tremunt eos, qui ejusmodi rebus circumfluunt, et nos ab hoc pavore abduceret, ac suaderet, ut eas tanquam res nihili contemneremus, dicebat : « Ne » timueris, cum dives factus fuerit homo, aut cum multi» plicata fuerit gloria domus ejus. Quoniam cum interierit, » non sumet omnia [1]. » Vides quam accurata oratione fuerit usus, et clarissime cuncta distinxerit? non enim dixit : « Cum multiplicata fuerit ejus gloria,» sed « Gloria domus ejus, » indicans aliud esse gloriam hominis, et aliud gloriam domus. Quid igitur est hominis gloria, et quid gloria domus? Hæc enim clare dignoscenda sunt, ut ne somnia potius, quam veritatem amplectamur. Sunt igitur domus gloria porticus, ambulacra, laqueare aureum, pavimentum lapillis ornatum, prata, horti, servorum greges, supellex sumptuosa, quorum nihil ad hominem pertinet. Hominis gloria, recta est fides, zelus in Deum, charitas, mansuetudo, lenitas, assiduitas in precibus, in eleemosynis impertiendis liberalitas, castitas, modestia, cæteræ omnes virtutis species. Atque ut hæc ita se habere intelligas, is quidem qui illa possidet, gloriam ex illis nullam colligit, neque idcirco præclarus aliquis appellabitur, quod præclaras ædes habeat, vel hortum, vel pratum, vel servorum turbam, vel vestes pretiosas. Laus enim omnis in possessione subsistit, neque transit ad possessorem. Domum enim laudamus et hortum, pratum, ac vestium pulchritudinem, quæ commendatio est artis eorum, a quibus elaborata sunt illa, non virtutis ejus, qui sibi illa comparaverit, sed contra plane improbitatis argumentum.

II. Tantum ergo abest ut ejusmodi possessionum conditio gloriam possessoribus ullam conciliet, ut eam summo-

[1] Psal. XLVIII, 17, 18.

pere imminuat. Eos enim, qui in ejusmodi rebus suas ostentant divitias, tanquam crudeles, inhumanos, sordidos, et a philosophia penitus alienos traducunt omnes : neque enim hominis gloria sunt ista, ut dixi, sed domus : verum eos, qui in castitate, modestia, mansuetudine, clementia vitam degunt, qui totos Deo se devoverunt, admiramur, laudamus, prædicamus, quandoquidem hæc præsertim est hominis gloria. His ergo perspectis, neminem beatum esse existimate, qui rebus illis abundet, quæ nihil cum illo commune habent : licet quempiam videris in curru sedentem, supercilio sublato, sese erigentem, et ipsas nubes attingentem, non quidem reipsa ; neque enim fieri potest ; sed mentis arrogantia, vel potius vecordia, ne gloriosum istum, neve sublimem ac magnum arbitreris. Nam sublimem reddunt non mulæ currum trahentes, sed culmen virtutis, quod ad cœlorum sedes nos subvehit : licet alium videas equo insidentem, multis stipatum lictoribus, qui plebem in foro arceant, ne hunc quidem propterea beatum prædices, sed animum ejus excute et explica, tumque sententiam de eo ferto, quam forma illius conspecta suggesserit. Ita sunt ridicula quæcumque nunc cernuntur. Cur enim, quæso, in foro turbam arces ? aut cur obvios quosque submoves, et homo cum sis, homines fugas ? Quis hic fastus ? quænam arrogantia ? Num lupus es factus aut leo, ut, dum in urbem ingrederis, omnes in fugam vertas ? Imo vero lupus lupum nunquam abiget, nec leonem leo ; sed inter se congregantur, ac naturæ communionem reverentur : tu vero, cui præter naturam aliæ multæ suppetunt occasiones et causæ mansuetudinis, humilitatis, æqualitatis, cur feris ipsis ferocior evadis, et propter brutum animal ratione præditos contemnis. Ac Dominus quidem tuus hominem in cœlum evexit : tu vero nec forum cum illo communicas. Quid dico in cœlum ? in ipso regio solio collocavit ; at tu ex

urbe illum ejicis. Quid autem sibi vult aureum frenum, quo equus ornatur? quam vero excusationem, aut quam veniam obtinebis, qui jumentum, quod nullum istius liberalitatis sensum capit, ultra necessarium usum exornas : perinde namque aurum est illi ac plumbum ; Christum autem cernis fame confectum, neque necessarium illi suppeditas alimentum? Cur item, homo cum sis, cum hominibus misceri dedignaris ; sed in mediis urbibus solitudinem quæris, nec tibi in mentem venit Dominum tuum cum publicanis cibum sumpsisse, cum meretrice collocutum, cum latronibus crucifixum, et cum hominibus fuisse commixtum, sed fastu ac superbia efferatus, humanam ipsam naturam amittis? Hinc magnus in nobis oritur misericordiæ contemptus, hinc avaritiæ studium, hinc crudelitas, et inhumanitas. Cum enim aureum frenum equo adhibes, cum auream famulo armillam, et aureas lapidi bracteas, cum pelles apud te sunt aureæ, vestes aureæ, cingulus aureus, itemque calcei, tantamque tibi hujus nequitiæ necessitatem imponis, ut insatiabilem cupiditatem explere contendas, et omnium sævissimam belluam pascere, avaritiam dico : tum et orphanos spolias, et viduas nudas, et communis omnium hostis incedis, vanoque labore suscepto, cursum inis, qui nullo bono fine claudetur. Quid enim hoc sibi vult, quod barbarum servum tuum auro exornas? quod lucrum? quæ utilitas animæ oritur? quod commodum corpori? quis domui reditus? Imo vero plane contrarium, sumptus intempestivus, alienæ a ratione impensæ, materia luxuriæ, malitiæ documenta, prodigæ ac dissolutæ vitæ occasio, animæ corruptela, via, quæ ad innumera mala deducit. Lecti vero argento nexi, auroque fulgentes, scabella et lebetes inde conflati, multusque risus, quid ad emendationem vitæ conferre possunt? aut quid te juverunt ut melior fieres, vel conjugem tuam, vel alium quempiam domesticorum?

Nonne hinc potius fures, ac multi parietum perfossores? nonne inde fugitivi famuli fiunt? Cum enim quocumque oculos suos convertant, argentum fulgere conspexerint, furacitatis in eis morbus alitur. Nam si te liberum hominem, et qui propter nobilitatem magnifice de te sentis, quod in foro refulget argentum ad cupiditatem allicit, multo magis famulum. Atque hæc a me non ideo dicuntur, ut fugitivos servos crimine liberem, eosque qui talia scelera perpetrent, sed ut vos cohorter ne talium illis morborum alimenta subministretis. At enim, eas opes ubi deponemus? inquiunt, num in terram defodiemus? Absit, sed meis consiliis acquiescere si volueris, modum te docebo, quo fugitivum hunc servum probum ac fidelem efficere poteris.

III. Sunt enim planc fugitivæ divitiæ, hodierno die transeuntes ad hunc, cras ad illum : neque fugitivæ sunt tantum, sed alios reddunt etiam fugitivos, dum efficiunt ut ii, quibus custodiendæ commissæ sunt, sæpe fugam arripiant. Quo tandem igitur pacto fieri potest, ut fugitivus iste teneatur? Contrario penitus modo cæteris fugitivis. Nam alii quidem, dum retinentur, manent; hic, si detineatur, aufugiet; si dispergatur, manebit. Quod si forte novum tibi, quod dico, videatur, hoc ex agricolis disce. Siquidem illi, cum inclusum triticum domi defoderint, tineis ac vermibus rodendum illud exponunt ac perdunt; sin autem in arva dispergant, non illud modo conservant, sed etiam multiplicant : ita quoque divitiæ, dum in arculis manent, et sub januis vectibusque vel in terram defossæ, confestim aufugiunt : sin autem, ut agricolæ triticum in agros, sic in pauperum ventres illas disperseris, non modo non aufugiunt, sed copiosiores inde redduntur. Hæc ergo cum scias, ne famulis eas trade, sed innumeris manibus tenendas committe, viduarum scilicet, pupillorum, corpore mutilatorum, eorumque qui carcere sunt conclusi.

Non enim poterunt tot manibus detentæ diffugere, sed firmiter tenebuntur, et auctiores fient. Sed quid liberis meis derelinquam? inquit. Enimvero non omnia te cogo profundere : quanquam si omnia profundas, hac ratione liberos amplius ditabis, dum pro pecunia Deum illis propitium, et opes eleemosyna partas, et inter homines adjutores innumeros ac benefactores derelinques. Ut enim raptores, tametsi nulla læsi simus injuria, odio prosequimur : sic eos qui misereri, et egenis succurrere noverunt, tametsi nihil ad nos ex illorum liberalitate dimanavit, reveremur et amamus : nec illos tantum, sed illorum etiam liberos. Cogita ergo quantum sit illud ornamentum, ut ab innumeris hominibus filii tui videantur adamari, cum omnes ista verba pronuntient, si in sustentationem egenorum opes impendantur : « Ille benigni hominis, ille misericordis est filius. » At tu rem quidem sensu carentem exornas; quippe cum sensus expers sit lapis, quantumvis innumeris eum talentis auri contegas; ei vero, qui sensu præditus est, et enecatur fame, ne necessarium quidem alimentum impertis. Quando igitur tremendum illud tribunal apparuerit, et ignei fluvii, quando a nobis rerum gestarum rationes exigentur, qua defensione tantam ignaviam tantamque vecordiam et immanitatem tueberis? quam legitimam excusationem afferes? Ut enim aliorum quisque propositum scopum habet, atque rationem, qua suas dirigat actiones : et agricola, si rationem ab illo exigas, dicet quam ob causam boves junxerit, sulcum duxerit, aratrum traxerit, et mercator quare navem in mare deduxerit, et operarios conduxerit, ac pecunias deposuerit, et architectus et calceorum sutor, faber ærarius, pistor et singuli quarumvis artium opifices rationem reddunt et causam : ita tu quoque, dum lectum argento sic operis, dum equum et lapidem deauras, ac pelles ejus-

modi apparas, si a te ratio exigatur, quam causam dices, quem modum? An vero ex ejusmodi lecto dulcior tibi somnus obrepit? at hoc dicere minime potes : quin potius si quid præter opinionem dicendum est, etiam injucundior : major enim est sollicitudo, et anxietas major. An vero firmior est propter aurum structura? ne hoc quidem verum est; an melior equus ob tale frenum? an vero servus? plane contrarium hic quoque cernitur. Cur igitur tam ineptos in his omnibus vos ostenditis? Omnino dicetis, inde vos gloriam vobis illustriorem comparare. Quid? nonne jam inde ab exordio sermonis audivisti hæc hominis non esse gloriam, sed plane contrarium, ignominiam et dedecus, vituperium et risum? ex his livor, innumeraque oriuntur mala, quantoque stabiliores sunt possessiones, tanto magis constans ac perennis est accusatio : atque ingentes istæ ac magnificæ domus stant instar gravissimorum quorumdam accusatorum vocem mittentes etiam post obitum possessorum : et corpus quidem terræ mandatur, at conspectus ædificiorum ambitionis memoriam una cum corpore sepeliri non patitur : sed prætereuntium unusquisque dum altitudinem, amplitudinemque splendidæ ac magnæ domus intuetur, vel secum ipse vel proximum alloquens, dicet : « Quam multis ex lacrymis domus ista constructa est? quot spoliatis pupillis? quot viduis injuria affectis? quot operariis mercede privatis? Itaque tibi contrarium plane contingit, cum gloriam consequi vivendo cuperes, ne post ipsum quidem vitæ finem accusatoribus liber es : sed tanquam in ærea columna tuum nomen domus circumferens efficit, ut mille convitiis proscindaris ab iis, qui te viventem ne quidem unquam viderunt.

IV. Quando igitur ne hoc quidem lucrum ex ista superflua liberalitate colligitur, fugiamus, dilectissimi, fugiamus

hunc morbum, neque feris ipsis ferociores evadamus. Illis communia sunt omnia, terra, fontes, pascua, montes et saltus, nec altera quidquam amplius habet quam altera : tu vero, cum homo sis, mitissimum animal, bellua sævior evadis, dum mille pauperum cibos, atque adeo multorum millium una domo tua concludis. Quanquam non sola nobis est natura communis, sed alia multo plura quam natura : commune cœlum, sol, luna, cœtus astrorum, aër, mare, ignis, aqua, terra, vita, mors, adolescentia, senectus, morbus, sanitas, ciborum ac vestium necessitas. Spiritualia rursus communia sunt hæc, sacra mensa, corpus dominicum, pretiosus sanguis, regni promissio, lavacrum regenerationis, purgatio peccatorum, justitia, sanctificatio, redemptio, arcana bona, « Quæ oculus non vidit, »nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt [1]. » Annon igitur absurdum est, qui tot tantisque mutuo communicamus, natura, gratia, promissionibus ac legibus, in pecuniis adeo violentos esse ac rapaces, nec eamdem juris æquabilitatem servare, sed brutorum immanitatem excedere, idque cum non ita multo post ista deserturi simus, neque deserturi tantum, sed et horum causa summum salutis discrimen adituri? Nam mors quidem ab eorum usu nos abducit, ad pœnas vero deinceps, et ad supplicia æterna deducit. Ne igitur nobis hoc accidat, multam exhibeamus misericordiam : hæc enim est regina virtutum, quæ nobis in futura vita multa cum fiducia succurret, atque a pœna supplicioque vindicabit, nec ullus ei se opponet, qui cum ipsa cœlum intraverit. Leves quippe sunt ejus alæ, multaque valet apud Deum gratia, atque ad ipsum regium solium ascendit, ad quem intrepide suos alumnos introducit : « Orationes enim, inquit, tuæ et »eleemosynæ ascenderunt in memoriam in conspectu

[1] 1 Cor. II, 9.

» Dei [1]. » Cur ergo nos quoque non ad illam altitudinem ascendamus, ab intempestiva illa avaritia, inutili luxuria, et ambitione liberati? superflua reddamus utilia : multas illas opes profundamus, easque judicis dexteræ committamus, qui et illas custodire tuto poterit, et inde nobis in die judicii benignus, propitiusque fiet, licet innumeris nos sceleribus astrinxerimus, indulgentiam nobis ac veniam largietur, quam omnes utinam consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria, et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM XLIX.

Deus deorum Dominus locutus est, et vocavit terram, a solis ortu usque ad occasum [2].

I. Ipse quoque dixit alibi : « Deus stetit in congregatione » deorum [3]. » Et paulo post : « Ego dixi : Dii estis [4]. » Et Paulus : « Etsi enim sunt qui dicuntur dii et domini multi [5]. » Et Moses : « Diis non maledices [6]. » Et alibi : « Videntes filii » Dei filias hominum [7]. » Et rursus idem : « Qui execratur » Deum, peccatum accipiet : qui autem nominat nomen » Domini, lapidibus obruetur [8]. » Et rursus : « Dii, qui cœ- » lum et terram non fecerunt, pereant sub cœlo [9]. » Quosnam ergo significat per hoc nomen in illis testimoniis, et

[1] Act x, 4. — [2] Psal. xlix, 1. — [3] Id. lxxxi, 1. — [4] Ibid. 6. — [5] 1 Cor. viii, 5. — [6] Exod. xxii, 28. — [7] Gen. vi, 2. — [8] Levit. xxiv, 15, 16. — [9] Jer. x, 11.

quosnam hic dicit deos? Principes. Quocirca subjungit : « Diis non maledices, nec principi populi tui dices male [1] » Dicit etiam eos, qui ex parente aliquo virtute prædito originem duxerunt. Quia enim Enos, qui summam ostendit virtutem, Dei nomine vocatus est : qui autem ex illo nati sunt omnes, et nepotes fratris illius, inter se conjungebantur : filios Dei vocat, qui ex viro bono genus duxerant. « Cœperunt enim, inquit, vocari nomine Dei [2]. » Dicit etiam populum Judæorum, qui hac appellatione honestatus est, dum dicit : « Ego dixi : Dii estis, et filii Excelsi » omnes [3]. » Et alius : « Filius primogenitus meus Israël [4]. » Sic enim vocabat eorum populum propter suam benignitatem. Sic etiam solvitur illud : « Qui execratur Deum, » peccatum accipiet. » Hoc est, qui principi maledicit, peccat. « Qui autem nominat nomen Dei, obruetur lapidibus. » Hoc est, qui iis, qui non sunt, ejus qui Deus est, nomen tribuit. Quia enim non potest ejus peccato ignosci, in ipsum gravissimum constitutum est supplicium. Dicuntur etiam Dii gentium, non propter honorem, nec quod ita sint appellandi, sed propter eorum, qui decepti sunt, et illos ita vocarunt, errorem. Quapropter dicit quoque Paulus : « Nam etsi sunt qui dicuntur dii [5], » significans eos non esse deos, ne appellationis quidem honore tenus. Hic ergo de quibusnam dicit : « Deus deorum? » Mihi videtur dicere de diis gentium, non ut qui sint, sed ut qui ita existimentur ab iis, qui in errorem abducti sunt. Quoniam enim crassiores erant Judæi, et a cultu idolorum non erant omnino liberi, sed simulacra suspicientes colebant, et multas iniquitatis habebant reliquias : vel ex eo ipso eorum animos deprimit, ostendens illum eorum esse dominum. Nam est ipsorum quoque dæmonum dominus, loquor de ipsis sub-

[1] Exod. XXII, 28. — [2] Gen. IV, 26. — [3] Psal. LXXXI, 6. — [4] Exod. IV, 22. — [5] 1 Cor. VIII, 5.

stantiis, mala enim mens et omne vitium ab ipsis invecta sunt. Videtur autem mihi hic quoque Psalmus cohærere priori. Nam in hoc quoque scripta est reprehensio et accusatio eorum qui deliquerunt. Sed illic quidem totum orbem terræ vocabat ad audiendum, hic autem ipsa elementa, quæ extensa sunt per universum orbem. Aliud est hic theatrum, et aliud auditorium. Illic sunt gentes, terrigenæ, dives, pauper : hic cœlum et terra : ipsum quoque Deum introducit disceptantem, et ei tribuit orationem defendenti causam suam apud populum Judæorum. Majore itaque nobis attentione opus est. Hoc etiam facit alius Propheta; introducit Deum causam suam agentem, et statuit loco judicum convalles et fundamenta terræ. « Audite » enim, inquit, convalles et fundamenta terræ. Quoniam » judicium est Deo cum populo suo, et cum populo disse- » ret [1]. » Et rursus : « Judicio contendet vobiscum, et cum » patribus vestris [2]. » In multis autem locis Scripturæ potest videri hæc figura : quod quidem est imprimis admirabile, et dignum Dei benignitate. Ostendit enim ejus ineffabilem bonitatem, qui se adeo demiserit, ut cum hominibus judicio contendat. « Ex Sion species decoris ejus [3]. » Habet aliquid propheticum, habet etiam historicum, quod dictum est : fuit enim et in Veteri ex illo ejus decor. Templum enim, sancta sanctorum, omnis cultus, omnisque forma ac ritus legis veteris, multitudo sacerdotum, sacrificia et holocausta, sacri hymni, psalmodiæ, omnia illinc proficiscebantur, et typus futurorum illic ante descriptus fuerat. Postquam autem veritas quoque affuit, ea rursus illinc quoque cœpit initium. Illinc enim crux resplenduit. Illinc innumerabilia quæ præclare gesta sunt. Et ideo Esaïas quoque scribens de lege Novi Testamenti, dicit : « Ex Sion » egredietur lex, et verbum Domini ex Jerusalem, et judi-

[1] Mich. VI, 2. — [2] Jer. II, 9. — [3] Psal. XLIX, 2.

» cabit in medio Gentium[1]. » Sion enim hic dicit locum integrum, et civitatem, quæ juxta illum sita est, Judæorum metropolim. Illinc enim tanquam ex quibusdam carceribus veloces equi, nempe Apostoli, emissi sunt in totum orbem terræ. Illinc cœperunt signa facere : illic fuit resurrectio, illic ascensio, illic proœmia et initia nostræ salutis, illic arcana illa cœperunt prædicari dogmata ac decreta. Illic primum Pater revelatus est, cognitus est Unigenitus, et data est tanta gratia Spiritus. Illic Apostoli revelarunt sermonem de rebus incorporeis, de donis, de potestatibus, de futurorum bonorum promissionibus. Quæ omnia Propheta considerans, id vocat ejus decorem. Dei enim species ac decor est ejus bonitas ac benignitas, et in omnes beneficentia. « Deus manifeste veniet, Deus noster, et non » silebit[2]. » Vides quomodo procedens aperit sermonem, et revelat thesaurum, et lætiorem emittit radium, dicens : « Deus manifeste veniet. » Quando enim non venit manifeste? Quando? In priori adventu : venit enim absque ullo strepitu, multos celans, et diu latens. Quid dico multos? quando nec ipsa quidem Virgo (15), quæ cum utero gestabat, noverat arcanum mysterii, nec ejus fratres credebant in ipsum, nec is, qui videbatur esse pater, magnum quid de eo concipiebat.

II. Et quid dico homines? Ipsum quoque diabolum latuit. Neque enim, si scivisset, tanto post tempore in monte eum interrogasset an esset Dei Filius, neque id semel, et bis, et tertio fecisset. Et ideo dixit Joanni eum revelare incipienti : « Sine modo[3], » hoc est, « Tace nunc, neque enim tempus est ut reveletur arcanum carnis susceptæ consilium : volo adhuc latere diabolum : tace ergo, inquit, ita enim nos decet. » Et cum a monte descendisset, præcepit ut ipsum esse Christum nemini dicerent[4]. Tunc

[1] Isaï. II, 3, 4. — [2] Psal. XLIX, 3. — [3] Matth. III, 15. — [4] Id. XVII, 9.

enim venit ut pastor qui quærebat errantem ovem, et qui repugnantem feram venari volebat : et ideo seipsum adumbrabat. Sicut enim medicus non sese protinus ægroto terribilem exhibet, ita nec ipse in principio se voluit manifestare, sed paulatim et sensim. Hunc itaque ejus adventum, qui fuit absque strepitu, significans hic ipse Propheta, dicit postea : « Descendet tanquam pluvia in vellus, et tan» quam stilla quæ distillat super terram [1]. » Neque enim venit strepitum edens, non turbans ac tumultuans, non terram movens, non fulgura emittens, non cœlum concutiens, non Angelorum turmas immittens, non medium firmamentum disrumpens, et ita super nupes descendens, sed absque strepitu per uterum Virginis, cum ea novem mensibus illum tulisset, tanquam fabri filius in præsepi paritur, in vilibus fasciis insidiis appetitur, fugit cum matre in Ægyptum. Deinde post mortem ejus, qui maxima scelera admiserat, tunc revertitur, et huc illuc circumiens, habitu semper erat ut unus ex plebe, et erat illi vestis vilis, et mensa vilior, perpetuus incessus, et ita perpetuus, ut ex itinere etiam defatigaretur. Verum non tunc sic veniet, sed adeo manifeste, ut ne ullo quidem opus habeat, qui ejus adventum annuntiet. Propterea ipse quoque suam claritatem significans, dicebat : « Si audieritis » esse in penetralibus, nolite intrare : si in deserto, nolite » exire. Sicut enim fulgur exit ab oriente, et relucet us» que ad occidentem; ita erit adventus Filii hominis [2], » ipse seipsum ostendens, ac prædicans. Nam hoc etiam in fulgure evenit, nec opus habemus aliquo, qui annuntiet, sed simul atque apparuit, simul omnibus cognitum fuit. Ita etiam dicit Paulus : « Quoniam ipse Dominus in jussu, » in voce Archangeli, in extrema tuba descendet de cœlo [3]. » Ita etiam Propheta vidit eum ferri super nubes, et fluvium

[1] Psal. LXXI, 6. — [2] Matth. XXIV, 26, 27. — [3] 1 Thes. IV, 15.

ante eum trahi et tribunal terribile, et reddendas vitæ rationes quæ vitari non possunt. Tunc enim, tunc judicio et sententia opus est. Et ideo non amplius, ut medicus, sed ut judex apparet. Daniel itaque et thronum ejus videt, et fluvium qui ante tribunal trahitur, et omnia illi ignita ostenduntur, currus et rotæ[1] : sed non in principio, nec quando in primo adventu venit, tale quid ostendit, non ignem, non fluvium, non aliquid aliud ejusmodi, sed præsepe, diversorium, tugurium, et inopem matrem. Quanquam alioqui ex hoc ostendit eum esse a conversione et mutatione alienum. Quoniam enim dixit eum, qui sedebat super thronum, habuisse capillum candidum ut lanam, et vestem sicut nivem, ne pilos vestemve existimares, sed splendorem ac puritatem, ignem ubique esse dicit. « Ignis » in conspectu ejus exardescet, et in circuitu ejus tempes» tas valida[2]. » Ita etiam hic simul eum esse mutationi et conversioni minime obnoxium, lucidumque et inaccessum ostendit per has similitudines. Neque vero sistit ad ignem usque, sed volens ostendere vehementiam supplicii, subjungit dicens : « Tempestas valida. » Est autem καταιγὶς, vel intolerabilis massa nivis, quæ in quodvis inciderit pertrahit et evertit, vel vehemens ventorum impetus, qui idipsum efficit, et est iis, quæ occurrunt, intolerabilis. Volens igitur ostendere illud supplicium esse intolerabile, adduxit has similitudines. « Advocabit cœlum de sursum, et terram » discernere populum suum[3]. » Rursus meminit elementorum, per quæ bona innumerabilia ad genus hominum pervenerunt, non solum ad vitam et constitutionem corporis, sed etiam ad Dei cognitionem. Pulchritudines enim, et magnitudines, et rationes situum, et substantiæ, ex quibus constant hæc elementa, et quæ ex eis fiunt, ac quæ generaliter omni tempore, vel sæpe sigillatim eveniunt, hæc

[1] Dan. VII, 9. — [2] Psal. XLIX, 3. — [3] Ibid. 4.

omnia corpora alunt et constituunt, et ad opificis cognitionem deducunt. Et ideo dixit Paulus : « Invisibilia ejus » ex creatura mundi operibus intellecta perspiciuntur, » æternaque ejus potestas ac divinitas [1]. » Et rursus : « Quia » enim in sapientia Dei non cognovit mundus per sapien- » tiam Deum [2], » hoc est, per sapientiam, quæ cernitur in creaturis, ut quæ non sit parva, sed vel maxima et clarissima doctrina. Ac quæ quotidie per eum fiunt, etiamsi videantur fieri naturæ consequentia, ipsa tamen etiam opificem prædicant. Opifex enim est naturæ Dominus.

III. Ne mireris autem si ad Judæos dirigat orationem, de generali judicio disserens. Ita enim Paulus quoque dicit : « Ira et indignatio, tribulatio et angustia super omnem » animam hominis operantis malum, Judæi primum et » Græci [3]. » Et rursus : « Quicumque sine lege peccarunt, » sine lege et peribunt : et quicumque in lege peccarunt, » per legem judicabuntur [4]. Congregate illi Sanctos ejus, » qui ordinant testamentum ejus super sacrificia [5]. » Cur quos est accusaturus, et quos condemnaturus, sanctos hoc loco appellat? Accusationem augens, et honorem adjiciens, ad majorem significationem supplicii. Ita etiam nos quoque, cum videmus aliquos peccasse, et volumus eos vehementius insectari, cum eorum dignitatibus eos vocamus, ut graviorem reddamus accusationem, dicentes : « Voca diaconum vel presbyterum. » Quoniam ergo hi quoque appellabantur regale sacerdotium, et populus peculiaris, et eo nomine sibi valde placebant, ex eo ipso contexit criminum magnitudinem. « Qui ordinant testamentum ejus » super sacrificia. » Quoniam cum mala innumerabilia auderent, et tot in se vitiorum genera susciperent, rapientes, in bona aliorum per avaritiam invadentes, occidentes,

[1] Rom. I, 20. — [2] 1 Cor. I, 21. — [3] Rom. II, 9. — [4] Ibid. 12. — [5] Psal. XLIX, 5.

adulterantes, sanguinem sanguine miscentes ; existimabant præclare se gerere, et legem ac testamentum adimplere, si oves et vitulos sacrificarent, ideo probra illis ingerens, eosque irridens dicit : « Qui ordinant testamentum » ejus super sacrificia : » hoc est, qui ad salutem sufficere existimant, si corpora brutorum sacrificent. « Et annun- » tiabunt cœli justitiam ejus [1]. » Volens hic rursus ostendere ejus justitiam esse claram, nitidam, apertam, cui contradici non possit, et quæ in confesso sit, introducit elementa insensibilia eam prædicantia, eadem, quam prius dixit, figura. « Quoniam Deus judex est [2]. » Jus, inquit, unicuique definiens. Neque enim hic temere posuit illud, « Judicare, » sed ut ostenderet eum etiam esse justum, et aliis reddere quod justum est. In Deo enim illud « Judex, » pro justo sumptum est, quemadmodum Paulus id quoque posuit dicens : « Nam quomodo judicabit Deus mundum [3] ? » Hoc est enim maxime judicium : hoc est maxime esse judicem, non solum ferre sententiam, sed eam juste ferre. Judicabuntur autem Judæi, et qui tunc erant, et qui postea in Novo Testamento se inique gesserunt : illi et naturam et legem habentes accusatricem : hi autem præter illa, etiam ea quæ illorum gratia Christus fecit. Quid enim poterunt dicere, vel quam causam afferre, quare non crediderint? Sed ea, quæso, quæ dicuntur attendite, ut positis ora eorum, qui contradicunt, obstruere. Satius est enim eos a nobis victos nunc corrigi, quam se vincere putantes illuc abire, et condemnari a communi judice orbis terræ. Quid ergo poterunt dicere Judæi, quamobrem Christum interfecerint? Quodnam parvum vel magnum crimen ei possunt objicere? Quod se Deum faciebat [4], inquit. Atqui non erant hæc verba quo tempore crucifixus

[1] Psal. xlix, 6. — [2] Ibid. — [3] Rom. iii, 6. — [4] Joan. x, 33.

est, sed quædam alia. Non enim dicebant : « Qui facit seipsum Deum, » sed « Qui facit seipsum regem, non est amicus » Cæsaris [1]. » Atqui voluerant eum sæpe regem eligere, et aufugit. Sed antea, inquit, ei crimini dabant quod se Deum fecisset. Quid hoc ad rem? Si enim falso et injuria, et cum vere non esset, juste fuit crimen intentatum. Si autem juste, eum adorasse, non crucifixisse oportuit. Videamus ergo numquid, cum non esset vere Deus, Deum seipsum faceret, hoc est, ostenderet et demonstraret. Undenam ergo vis hoc cognoscere? Ab iis quæ tunc facta sunt, an ab iis quæ nunc fiunt? Ab iis quæ in partu facta sunt? Quis unquam natus est ex virgine? Quis talem stellam ostendit? Quis autem Magos tanto duxit itinere [2], non vi aut necessitate, sed suasione ac revelatione? Vides universam creaturam Dominum cognoscentem? Prima cedit natura, nec potest repugnare, nec contradicere, dicens : « Partum non expedio : non didici ex utero virginis infantem in lucem producere : non novi matrem facere absque conjugio, sed suis excessit limitibus : » Dominum enim suum cognoverat. Jam autem nato Angeli affuerunt, eum, qui est in cœlis, esse in terra significantes : et cœlum terra facta est, utpote cum rex hic esset : et Magi adorarunt, qui ex tam remotis locis venerant : et infans quidem in Palæstina jacebat in præsepi : illi vero ex barbara regione tantum honorem tantumque cultum offerebant, quantum æquum erat Deo offerri. At hæc quidem fortasse non admittent, sed alia signa quærent in præsenti generatione. Sed ne hæc quidem nobis deficient. Talis enim res est veritas : abundat justis rationibus, quibus suam causam tueatur. Nam hic maxime ne ullam quidem possunt umbram afferre contradictionis. Etsi enim non aderas, quando nascebatur ex Virgine, oportebat tamen credere Prophetæ dicenti :

[1] Joan. XIX, 12. — [2] Matth. II, 1.

« Ecce virgo in utero concipiet, et pariet filium : et voca- » bunt nomen ejus Emmanuël [1]. » Si non aderas, quando carne tectus terram obibat, et simul cum servis versaba- tur Dominus, lege Jeremiam, et ille tecum loquetur sic dicens : « Hic est Deus noster : non reputabitur alius præter » ipsum. Invenit omnem viam scientiæ; et dedit eam Jacob » puero suo, et Israëli dilecto suo. Post hæc in terris visus » est, et cum hominibus conversatus est [2]. »

IV. In aliis quoque omnibus, videbis Prophetas, quorum libros hac de causa in hodiernum usque diem frustra ver- sas et agitas, hæc omnia aperte prædicare. Sed ejusmodi quidem certamina sæpe adversus eos a nobis dicenda sus- cepta sunt, et sæpe suscipientur : nunc autem quæ sunt suscepta prosequamur. « Et annuntiabunt cœli justitiam » ejus, quoniam Deus judex est. » Hic mihi videtur dicere justitiam, maximam ejus curam, et summam in eos ipsos benignitatem, multiplicem, variam ac multiformem in ho- mines providentiam, per creationem, per legem, per gra- tiam, per ea quæ sub visum cadunt, et quæ non cadunt, per Prophetas, per Angelos, per Apostolos, per supplicia, per beneficia, per minas, per promissa, per ordinem tem- poris. « Audi populus meus, et loquar tibi, Israël et testifi- cabor tibi [3]. » Vide rursus benignitatem et mansuetudinem ex ipso proœmio. Perinde enim ac si homo quispiam ho- mini tumultuanti et turbas excitanti diceret : « Si audias, loquar : Si attendas, dicam : » ita etiam servis Dominus : « Si me audieris, inquit, dicam. » Erant enim pigri ac negli- gentes, et ne tantillum quidem legum lectioni quiete præ- bebant aures. Id autem significans quispiam Propheta, qui tunc erat in Perside, dicebat : « Ero eis tanquam vox psal- » terii dulce canentis [4]. » Sæpe item dicebant Prophetis ne

[1] Isaï. VII, 14, — [2] Baruch. III, 36-38. — [3] Psal. XLIX, 7. — [4] Ezech. XXXIII, 32.

prophetarent, imo eos repellebant[1], atque ii urgeri videbantur [2]. Ita etiam videtur rex minari et præcipere alicui Prophetæ, ne populum convocet [3]. « Deus Deus tuus ego sum [4]. » Non temere posita est hæc repetitio : sed quoniam iis loquebatur, qui erant surdi, stupidi et nullo sensu præditi, loquitur de ejus dominio, mox futuræ narrationis optimum hinc sumens exordium, ostendens eos illi debere libertatem, et æquum esse ut illi solvant debitum, tanquam servi domino, tanquam opera opifici, tanquam maximis beneficiis et honoribus affecti. « Non in sacrificiis tuis arguam te. » Holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper [5]. » Ita etiam eos accusant cæteri Prophetæ, quod potiore virtutis parte contempta, salutis spem in eis reponerent. Ad se enim defendendos hæc erant allaturi. Sacrificamus, holocausta offerimus. Sed non accessi, inquit, de his litigaturus, nec quod hæc contempta essent, vos accusaturus. Esaïas autem eos insectatur vehementius, dicens : « Quid mihi » multitudinem sacrificiorum vestrorum? Plenus sum. Ho» locaustum arietum, et adipem agnorum, et sanguinem » taurorum et hircorum nolo. Quis enim requisivit hæc de » manibus vestris [6]? » Atqui permulta dicta sunt de sacrificiis : sed non hæc decernit tanquam hæc præcipue velit : sed ad infirmitatem eorum se demittit. Jeremias quoque dicit : « Cur mihi fers thus ex Saba, et cinnamomum ex » terra longinqua [7]? » Omnes denique, ut semel dicam, Prophetæ hoc nihil magni esse dicunt. Quocirca ipse quoque incipiens sic dicit : « Deus Deus tuus ego sum : » ex eo ostendens ipso esse indignam hanc colendi rationem. Deum enim non fumo, nec nidore, sed per optimum vitæ institutum, non corporeum, sed in mente situm, colere et honorare oportet. Sed non sic externorum dæmones, imo

[1] 3 Reg. XIX, 10. — [2] Zach. VII, 11, 12. — [3] Jer. XXXII, 3. — [4] Psal. XLIX, 7. — [5] Ibid. 8. — [6] Isaï. I, 11, 12. — [7] Jer. VI, 20.

etiam hæc requirunt, et hoc videtur ostendere quidam Poëta apud Græcos,

« Hoc enim nos sortiti sumus munus. »

Deus autem noster non sic : illi enim humanum sanguinem sitientes, et eos ad has cædes volentes paulatim pellicere, hæc petebant assidue : ipse autem, cum vellet eos paulatim a mactatione brutorum abducere, hac indulgentia usus est, et permisit sacrificia, ut sacrificia tolleret. « Non accipiam » de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Quo- » niam meæ sunt omnes feræ sylvarum, jumenta in mon- » tibus et boves. Cognovi omnia volatilia cœli, et pulchritudo » agri mecum est [1]. » Vide quomodo paulatim erigit eorum animum, qui in terras defixi erant, excæcatam eorum mentem aperiens, et ostendens se hæc jussisse, non quod eis egeret, nec lege sanxisse quod ea probaret. Si enim, inquit, ita coli vellem, cum omnem terram, quæ sub sole est, obtineam, et omnia creaverim, procurarem ut mihi lauta et opipara fierent sacrificia. Deinde eos etiam irridens ac reprehendens, ut magis pungat accusatio, subjunxit : « Si » esuriero, non dicam tibi : meus est enim orbis terræ et » plenitudo ejus [2]. » Quia enim ipse ea concessit, ut eos paulatim ab eis abduceret : ipsi autem in re adeo vili et abjecta perstiterunt, cum ex ea indulgentia nullum magnum fructum cepissent, propterea crassius et humanius disserens, dicit : « Si esuriero, non tibi dicam. » Hoc est, « Neque esurio; » Deus enim non esuriet, neque defatigabitur; nec si his vellem coli, deessent mihi innumera sacrificia et holocausta. Omnia enim mihi affatim et abunde suppetunt, et cum sim ipse Dominus, mea volo a te accipere, ut hac via et ratione te ad meam amicitiam attraham, et a rerum inanium consuetudine abducam. »

[1] Psal. XLIX, 9-11. — [2] Ibid. 12.

V. Deinde rursus erigens ad id quod est sublimius, subjunxit : « Numquid manducabo carnes taurorum, aut san-» guinem hircorum potabo [1] ?» Hæc, inquit, ne hominibus quidem jussi facere, sed etiam maximum constitui supplicium iis qui vescuntur sanguine [2]. Quomodo ergo indigerem sanguine, qui servos meos a tali esca abduco? Cum hæc ergo omnia repulisset, et se esse indigna ostendisset, accusationemque permultis deridendi causa dictis respersisset, non hic finem loquendi fecit, sed ostendit alium sacrificii modum, functus hac in re optimi medici officio, ut abducens a rebus inutilibus, ea, quæ juvare possint, vulneribus applicet. Postquam enim hæc perfecit, dicit : « Im-» mola Deo. » Et quomodo sacrificabo, inquit? Absque sanguine. Hoc enim sacrificium Deo maxime convenit. Et ideo cum dixisset : « Immola Deo,» subjunxit, « Sacrificium » laudis [3] : » hoc est gratiarum actionis, sacrorum hymnorum, gloriæ per bona opera Deo tribuendæ. Quod autem dicit, est ejusmodi: « Ita vivas ut Dominus tuus glorificetur. » Quod etiam Christus docuit, dicens : « Luceat lux vestra » coram hominibus, ut videant bona vestra opera, et glo-» rificent Patrem vestrum qui in cœlis est [4]. » Laus enim nihil aliud est quam laudatio, gloria et celebratio. Sit ergo vita tua ejusmodi, ut tuus laudetur ac celebretur dominus, et perfectum obtulisti sacrificium. Hoc sacrificium Paulus quoque requirit, dicens : « Exhibete membra vestra hostiam » viventem, sanctam, Deo placentem [5]. » Et rursus hic ipse Propheta alibi : « Laudabo nomen Dei mei cum cantico, » magnificabo ipsum in laude, et placebit Deo plus quam » vitulus juvenis cornua producens et ungulas [6]. » Ita etiam sacrificavit Job post plagas illas, quæ naturam superabant, gratias agens, et hæc verba loquens : « Dominus dedit,

[1] Psal. XLIX, 13. — [2] Levit. VII, 27. — [3] Psal. XLIX, 14. — [4] Matth. V, 16. — [5] Rom. XII, 1. — [6] Psal. LXVIII, 31, 32.

» Dominus abstulit : sicut Domino placuit, ita factum est : » sit nomen Domini benedictum in sæcula [1]. Et redde Al- » tissimo vota tua [2]. » Hic dicit supplicationes, suadens ut in oratione assidue perseveremus, et quæ professi fuerimus, cum celeritate reddamus. Pulchre autem dixit : « Redde, » Post promissionem enim res efficitur debitum. Sic Anna tradidit filium [3], ut debitum maximum. Tu ergo sive promittas eleemosynam, sive vitam pudicam, sive aliquid aliud tale, ad id exolvendum festina. Si quis autem exacte perpenderit, etsi minime promittatur, virtus tamen ei debetur. Id autem Christus significans, dicebat : « Quæ enim debuimus facere, » fecimus [4]. » Atqui dixit parabolam servi, cui erat minimum imperatum, nempe ut non accumberet, sed transiret et ministraret. Quidam autem quoque dicit : « Ne tardaveris red- » dere votum tuum [5]. » Pollicitus es ? redde, ne forte mors te invadat, et id rescindat. Et quid ad me, inquit ? Vita enim non erat in mea potestate. Et ideo differre non oportuit, dum cogitas esse incertum exitum, et non esse in tua potestate aut vivere, aut hoc e loco excedere. Quod ergo videris pro tua defensione afferre, id plane te arguit. Neque enim mors in causa fuit, quominus redderes, sed tua mora ac dilatio. « Et invoca » me in die tribulationis tuæ, et eruam te, et honorificabis » me [6]. » Vides copiosam dari mercedem ? Quid ergo potest conferri cum hac benignitate, quando dat nobis mercedem virtutis, et mercedem longe majorem laboribus, eaque datur in tempore admodum opportuno ? Et cur, inquit, dixit : « Invoca me ? » Cur expectat ut a nobis invocetur ? Volens in nobis efficere majorem familiaritatem, et vehementiorem amicitiam, dando, invocando, et accipiendo. Virtus enim Deo familiarem efficit ; idipsum facit remuneratio. Rursus autem vota ac preces hanc familiaritatem

[1] Job. I, 21. — [2] Psal. XLIX, 14. — [3] 1 Reg. I, 28. — [4] Luc. XVII, 10. — [5] Eccl. V, 3. — [6] Psal. XLIX, 15.

conciliant. Et ideo dicit : « Da mihi, et do tibi. » Quinetiam in dando una accipis : ipse enim his non indiget. Quamobrem etsi fueris moderatus, mansuetus, et pudicus, Deo ex hoc non aliquid accessit, sed teipsum effecisti meliorem : et tamen pro his, tanquam quæ ipsum juvarent, maximas tibi mercedes et coronas constituit. Quinetiam ante illas coronas non parva voluptate frueris, ut qui bonam tecum circumferas conscientiam, et bona spe in posterum erigaris. Diem autem afflictionis hic dicit, non calamitatum, nec fortuitorum casuum, sed quia sive peccatum bello impetat, sive diabolus obsideat, malas invehens cupiditates, magnum auxilium assequeris. « Et eruam te, et honorificabis me. » Hoc rursus dicit, non egens nostra gloria. Quomodo enim egeret, qui est Deus gloriæ? sed ut per hymnum gratiarum actionis fiat memoria beneficii, et sit vehementior in eum affectio, et ut primo felicitatem maximam accipiamus.

VI. Neque a decoro aberraveris, si dixeris eum loqui de die afflictionis, et de die futuro : illa enim nunquam cessat afflictio. Hic enim et mors adveniens solvit calamitates; amici consolantes, et finis qui expectatur, sæpe etiam rerum quæ speratur mutatio, diuturnitasque temporis mollivit ac mitigavit perturbationem animi, itemque res adversæ propinquorum. Habere enim ærumnarum socios, et videre multa ejusmodi exempla, visum est multis esse quid magni ad consolationem. Illic autem nihil est ejusmodi : neque enim adest aliquis qui consoletur, sed amicis destituti omnes sunt. Non longitudo temporis mollit dolorem; quomodo enim, cum flamma perpetuo illos premat? Non spes liberationis : est enim æternum supplicium. Non mortis expectatio : est enim pœna æterna, et sunt etiam quæ puniuntur corpora immortalia. Et ne hoc quidem quod videtur multis afferre solatium, quod videant scilicet alios puniri. Primum enim non possunt videri qui puniuntur, cum tene-

bræ, quæ sunt instar sepimenti, oculis caliginem offundant. Deinde magnitudo doloris ne sinit quidem admittere sensum hujus consolationis. Dives ergo nihil ex ea re acceperit solatii, nec ii qui strident dentibus. « Peccatori autem dixit Deus : » Quare tu enarras justitias meas [1] ? » Vidisti lyram perfectam, citharam bene compositam, diversis sonis unum edere concentum ? Hic est enim sensus, et id apud Apostolos, et apud alios Prophetas scriptum cerni potest, et Paulus etiam ita dicit, ipse quoque ostendens nihil prodesse alios docere, nisi quis seipsum prius doceat. Quoniam enim sibi valde placebant, sicut propter sacrificia, ita etiam propterea quod legem haberent, et dicerentur aliorum doctores, ostendens eos ex illa re non magnum fructum capere, quando ipsi manerent indocti, acrius eos insectans, dicit : « Qui ergo » alium doces, teipsum non doces ? Qui prædicas non fu» randum, furaris ? Qui abominaris idola, sacrilegium ad» mittis ? Qui de lege gloriaris, per legis transgressionem » Deum dehonestas [2] ? » Et ideo de seipso dixit alibi : « Ve» reor ne cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar [3] : » eorum tumorem deprimens, quibus doctrina verbi magnos faciebat spiritus, cum essent ipsi virtute destituti. Aliter quoque hoc quod nunc dicit tractat, ad Judæos se convertens, quando dicit : « Quando enim gentes, quæ legem non ha» bent, quæ legis sunt, natura faciunt : hi legem non habentes sibi ipsis sunt lex [4]. » Et rursus : « Non enim auditores legis justi apud Deum, sed factores legis justificabuntur [5]. » Et Propheta : « Qui tenebant legem, nesciebant me [6]. » Et rursus » : Frustra facti sunt juncus falsus scribis [7]. » Qua de re ? « Quoniam turtur et hirundo et agri passeres, cogno» verunt tempora ingressus sui, populus autem meus non » cognovit judicia mea [8]. » Hic autem dicit, non solum nihil

[1] Psal. XLIX, 16. — [2] Rom. II, 21, 23. — [3] 1 Cor. IX, 27. — [4] Rom. II, 14. — [5] Ibid. 13. — [6] Jer. II, 8. — [7] Id. VIII, 8. — [8] Ibid. 7.

lucrari ex eo quod doceat alios, cum qui virtutem non exercet, sed seipsum etiam primo gradu dignitatis dejicere. Si enim in externis judiciis qui deliquit, is indicti silentii infamia punit, in publico doctrinæ ludo quomodo ei loqui permittetur, qui est peccato obnoxius? Major autem est hic doctrinæ ludus illo judicio. Illic enim qui puniuntur pœnas luunt : hic autem eo tendunt omnia, ut non puniantur qui peccaverunt, sed ut peccatum pœnitentia corrigant. Sane in aulis regiis nemo fuerit regiæ vocis interpres, si fuerit pravæ et corruptæ vitæ convictus. « Quare ergo enar- » ras justitias meas, » et alios doces, et tamen contrarium facis, vita contradicente iis quæ a te dicuntur, et avertis nonnullos eorum qui volunt attendere? Non enim ita doces verbis, sicut rebus et factis abducis. « Quocirca Christus illum laudat doctorem, qui verbis et factis perfectam doctrinam ostenderit. « Qui enim fecerit, inquit, et docuerit, hic mag- » nus vocabitur in regno cœlorum [1]. » Habeat ergo vita tua claram vocem, eadem quæ dicis docentem, et licet os tuum obstruxeris, vel tuba clarius personabis, non solum apud præsentes, sed etiam apud eos qui procul siti sunt. Ita etiam « Cœlum enarrat gloriam Dei [2], » cum nec os habeat, nec linguam moveat, neque spiritum ex imo profundat, sed per eorum, quæ videntur, pulchritudinem deducat spectatorem ad admirationem Opificis. Quod ergo illic est in cœlo pulchritudo aspectus, hoc sit in anima tua virtus. Quod si cum sis sordidatus, et innumerabiles habeas accusatores, maximeque tuam ipsius conscientiam, doctoris sedem coneris invadere, quando ad vitia reprehendenda accesseris, non alios magis quam teipsum accusabis. « Et assumis testa- » mentum meum per os tuum [3]? » Recte dixit : « Per os. » Est enim cor destitutum fructibus, qui ex eo oriuntur, et labra incassum moventur, et ad ejus, qui loquitur, condemnatio-

[1] Matth. v, 19. — [2] Psal. xviii, 2. — [3] Id. xlix, 16.

nem. Si quis autem mentem fuerit scrutatus, magnum bellum inveniet. « Tu vero odisti disciplinam, et projecisti » sermones meos retrorsum [1]. » Disciplinam hic dicit legis doctrinam, quæ animum componit, vitium expellit, et virtutem inserit. Quomodo ergo eam tractas, et in alios seminas, cum ipse eam factis non habeas? « Proje- » cisti enim, inquit, sermones meos retrorsum. »

VII. Non solum enim ex legis doctrina, nulla est tibi facta accessio, sed etiam quod habes a natura, mutilum reddidisti. Eorum enim quæ sunt agenda, et non agenda, rationes a natura insitæ sunt. Tu autem eas repulisti, et non habuisti in memoria. « Si videbas furem, currebas cum » eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas [2]. » Quoniam enim fieri non potest ut homo sit nulli omnino peccato obnoxius, et ideo dixit quispiam : « Quis gloriabitur » mundum se habere cor? aut quis audacter dicet se esse » purum a peccato [3]? » Et Paulus cum dixisset : « Nihil mihi » conscius sum, » subjunxit : « Sed non in hoc justificatus » sum [4]. » Et justus in principio sermonis sui ipsius accusator est [5], videlicet suorum peccatorum. Ut nemo ergo posset dicere : « Si omnes sunt peccatores, peccatorem autem jussit non narrare justitias, quis ergo narraturus erit? » Ne quis ergo hæc diceret, genera peccatorum enumerat per species. « Est enim peccatum ad mortem [6], » quemadmodum Heli quoque dicebat : « Si peccans homo peccaverit, » orabit pro eo sacerdos. Si autem Domino peccaverit, quis » orabit pro eo [7]? » In lege etiam alia quidem erant immedicabilia, ut etiam morte punirentur : alia vero habebant aliquod promptissimum remedium : ita etiam Christus in Novo : « Si peccaverit frater tuus, inquit, argue eum inter » te, et ipsum solum. Si autem non audierit, assume adhuc

[1] Psal. XLIX, 17. — [2] Ibid. 18. — [3] Prov. XX, 9. — [4] 1 Cor. IV, 4. — [5] Prov. XVIII, 17. — [6] 1 Joan. V, 17. — [7] 1 Reg. II, 25.

» tecum duos. Si ne hos quidem audierit, sit tibi tanquam » ethnicus et publicanus [1]. » Et tamen, cum alicubi dixisset Petrus : « Quoties, si peccaverit in me frater meus, dimit- » tam ipsi? » Audivit, « Usque ad septuagies septies [2]. » Hic autem post duas admonitiones ostendit magnum esse delictum, nec eum cogit rursus expectare. Quid ergo? suntne hæc illis contraria? Absit : sed illud « Septuagies septies, » dicit, si eum pœniteat. Quomodo enim dimittet quispiam ei, qui neque confitetur se peccasse, neque ducitur pœnitentia? Etenim cum a medico remedia petimus, vulnus etiam ostendimus. Quis est ergo peccator de quo hic dicit Scriptura? Attente audiamus. Eum enim describit per ea quæ consequuntur, sic dicens : « Si videbas furem, currebas » cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas. Os » tuum abundavit malitia, et lingua tua concinnabat dolos. » Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, et adversus fi- » lium matris tuæ ponebas scandalum [3]. » Vidisti nequitiam, non secus atque in imagine aliqua, suis coloribus descriptam : et quomodo improbus vitio bellua factus est, dum naturæ nobilitatem prodidit. Ne hanc ergo imaginem leviter pertractemus, sed singula accurate inquiramus. « Si vi- » debas furem, currebas cum eo. » Hoc est causa omnium malorum, hoc est quod virtutem maxime evertit, quod retardat ac reprimit studium multorum ad ea quæ sunt honesta : quando non solum non reprehendunt aliqui, sed etiam iis, qui peccant, gratulantur. Hoc autem non est minus quam peccare. Audi Paulum dicentem : « Non solum » hæc faciunt, sed etiam consentiunt facientibus [4]. » Hoc est autem non parvum peccatum, etiamsi quis mala non faciat, una cum malis gaudere, eisque gratulari. Ille enim potest dicere necessitatem causari paupertatem, etsi non

[1] Matth. XVIII, 15 17. — [2] Ibid. 21, 22. — [3] Psal. XLIX, 19, 20. — [4] Rom. I, 32.

sint justi prætextus : tu autem cur laudas quod factum est, cum nec ullam quidem ex eo voluptatem percipias? Atque ille quidem fortasse ducetur pœnitentia : tu autem has quoque tibi fores occludis, medicamentum tollis, et tantum solatium evertis, portum undique tibi obstruens reditus ad pœnitentiam. Quando ergo te viderit, qui non peccato obnoxius alios debes reprehendere, non solum non id facere, sed etiam prætexere et adumbrare, et non solum adumbrare, sed etiam opem ferre, quid de seipso putabit, et quid de eo quod admissum est? Multi enim homines, ut plurimum, non ex iis solum quæ animo conceperunt, ferunt de rebus agendis sententiam, sed etiam ab aliorum instituto opinioneque corrupti : et si qui peccavit, viderit omnes se aversantes, existimabit se aliquod magnum et indignum scelus admisisse; quando autem viderit non solum non indignantes, sed etiam placide ferentes, atque adeo blandientes, corrupto deinceps conscientiæ judicio, multorum sententia depravatæ suæ menti astipulante, quid non audebit? quando autem seipsum condemnabit, et sine scrupulo peccare cessabit? Oportet itaque, etiam si quis malum faciat, seipsum condemnare; per id enim eo devenitur, ut a malo cessetur, et licet quæ bona et honesta sunt non faciat, ea tamen laudare. Nam via ad operationem est alacritas. At hic quoniam iis quæ fiunt applaudit, jure eum insigniter et vehementer pungit ac notat. Si enim vel reprehensum vitium adeo viget, et laudata virtus vix suos ad sudores provocat, quid erit si hoc non factum fuerit? Hoc viderit quispiam fieri vel in choro sacerdotum. Quod si hoc vel in discipulis grave est, multo magis in magistris.

VI. Quid facis, o homo? lex violata est; temperantia contempta est; tot peccata ab aliquo eorum, qui sacerdotio funguntur, commissa sunt; inferna supernis confusa sunt;

atque adeo quæ superna sunt, inferna facta sunt, et tu non perhorrescis? At Propheta quidem ipsa etiam elementa insensibilia vocat ad gravissimo dolore simul deflenda ac deploranda mala, quæ communiter fiunt. « Stupuit cœlum, » et terra horruit supra modum [1]. » Et rursus : « Lugebit » Carmelus, lugebit vinum, lugebit vinea [2]. » Et inanimæ quidem creaturæ lugent et ingemiscunt, atque una cum Domino indignantur : tu autem, qui es rationis particeps, non doles, non reprehendis, non es vehemens ultor legum Dei violatarum, sed es etiam peccatorum socius? et quænam tibi possit dari venia? Numquid enim Deus opus habet ultore? numquid iis, qui opem ferant, indiget [3]? sed vult te hujus rei esse ministrum, ne in eadem incidas, dum alii succenses effectus temperantior, ut ex eo tuam in Deum pietatem ostendas. Quando enim, cum alius peccarit, prætercurreris, neque reprehenderis, neque ægre tuleris, animum tuum negligentiorem et ad casum proniorem efficis, et maxime procuras ut in eadem sæpe incidat : illum autem importuna hac tua gratia non leviter offendis, efficiens ut in futuro sit gravior ei reddenda ratio, et ad præsentia eum reddens segniorem. Hæc autem non solum de furibus dicta sunt, sed etiam de quovis alio peccato. Quod est autem ultimum peccatorum, primum posuit, ut scias eum, qui propter hoc veniam non assequitur, multo magis in alio non consecuturum. Audi ergo quidnam deinceps dicit: « Et cum adulteris portionem tuam ponebas, » veniens ad id quod est majus. Illud enim hoc longe minus est. Quidam autem hæc peccata inter se conferens, sic dixit : « Non » est mirum si quis furans deprehensus fuerit, furatur enim » ut suam animam impleat esurientem [4]. » Si huic ergo ignosci non potest, multo magis nec adulterio. Adulterium

[1] Jer, II, 12. — [2] Isaï. XXIV, 7. — [3] Id. XL, 13. — [4] Prov. VI, 30.

autem hic vocat fornicationem. Si videris ergo aliquem eorum, qui tecum congregantur, fornicantem, et ad sacramenta accedentem, dic ei, qui est minister distributionis eorum : « Hic est indignus sacramentis, arce profanas manus.» Si enim ne justitias quidem enarrare dignus est, considera quo ejus procedet punitio, quando sacram etiam mensam ausus fuerit attingere, non solum autem ejus, sed illius etiam qui connivet. Non dixit enim: «Et adulterabaris,» sed, « Cum adulteris portionem tuam ponebas. » Papæ ! quantum malum ex eo quod celentur et obtegantur aliorum putredines, quando dicit eum esse socium solvendi pro peccato supplicii, nec hoc illo esse minus ! Ille enim potest obtendere animi perturbationem, licet sit prætextus cui non dari possit venia, quemadmodum et fur, famem. Tu autem ne hoc quidem. Quanam ergo de causa, cum non fruaris voluptate, supplicii socius et particeps evadis? Et ideo externi quoque judices, non eos solum qui scelus perpetrarunt, sed servos etiam, quos viderint sceleris fuisse conscios, puniunt : et domini, qui eos tradunt, lubenter eorum sanguinem biberent, et carnibus vescerentur, nec minorem ejus, quod factum est, culpam in eos conferunt, quam in eam quæ est adulterata. Qui enim expansa vela non contraxerunt iis, quæ occulte fiebant, dederunt majorem facultatem : ii et adulterio pollutam mulierem, et maritum, cui facta est injuria, et eum ipsum, qui adulterium commisit, contumelia et probro affecerunt. Si enim prænuntiassent, si id significassent, abacta et sublata esset omnis venatio. Et quemadmodum in retia maxime immittunt, qui retia extendunt, et iis quæ capienda sunt assident, omnemque dolum omni ex parte celant, nec strepitum, nec aliquid aliud fieri permittunt, quod posset feram abigere : ita hic etiam, si assederis laqueo, qui est positus a diabolo, et cum scias fore ut in eum adulter incidat, neque

strepitum edas, nec tumultum excites, tunc eum maxime perdis. Ne enim dixeris illud verbum, quod magna indolentia plenum est : « Quid mihi curæ est? curo ego mea:» tunc enim tua maxime curabis, quando tua quæres in eo quod est utile proximo. Et ideo dicebat Paulus : « Nemo » quod suum est quærat, sed quod alterius [1]. » Ut invenias, inquit, quod tuum est, quære quod est alterius. « Os tuum » abundavit malitia, et lingua tua concinnabat dolos. Se» dens adversus fratrem tuum loquebaris, et adversus fi» lium matris tuæ ponebas scandalum. » Ne enim diceret : « Hoc facio ex humanitate : » ecqua certe fuerit humanitas, cum qui casurus est in barathrum non prohibere, nec retinere? iniquæ voluptati gratificari? eum qui mortiferum bibit venenum, negligere? Verum ne hoc quidem poteris dicere, quod enim non sit hoc humanitatis, sed somnolentiæ, segnitiei, et socordiæ, hinc cernas : quomodo eo dimisso qui facit injuriam, fratrem maledicto afficis qui nullam fecit injuriam? Quomodo insidiaris ei, qui nihil offendit, nihil deliquit? Vide summam utrobique nequitiam. Eum quidem, qui est ebrius cupiditate, non prohibes quominus inebrietur, ut sit temperatus : eum autem, qui nullam fecit injuriam, punis. « Sedens enim adversus fratrem » tuum loquebaris, et adversus filium matris tuæ ponebas » scandalum. »

IX. Vide quomodo in narrationis decursu auget accusationem. Eum, inquit, qui matri fuit in partu causa eorumdem dolorum, qui fuit ejusdem uteri particeps, qui ex eadem radice germinavit, qui idem habet ortus principium, qui ab ineunte ætate tecum crevit, eum maledictis insectaris, et non solum insectaris, sed etiam in opus deducis insidias? Hoc enim sibi vult illud, « Ponebas scandalum. » Si autem non est impetendus maledictis, qui naturalium

[1] 1 Cor. x, 24.

pariendi dolorum in eodem fuit utero particeps, multo magis qui spiritualium. Nec ergo permitte ut is cadat, qui est peccaturus : nec eum, qui nullam fecit injuriam, calumniare, et convitiis incesse. Hoc est enim invidiæ, illud vero indolentiæ : non retinere enim cum qui est casurus, est indolentiæ : invidiæ autem, eum qui stat dejicere. Vide autem quomodo non eum subindicat qui simpliciter et absolute accusat, sed eum qui cum dolo, et dedita opera id facit. « Sedens enim, inquit, adversus fratrem tuum loque» baris. » Et Caïn quidem unum fratrem sublatum præsenti vita expulit : hi autem innumerabiles, per ea quæ male dicunt, dejiciunt, et seipsos primos. Non eum enim solum qui accusatur, sed alios etiam lædunt, imo vero magis eos solum qui ea admittunt. Qui enim falso male audit, non modo nulla injuria effectus est, sed maximam etiam habet mercedem. Non enim qui patitur, sed qui male agit, est dignus supplicio : ita etiam qui dicit, non qui audit, modo ne ille præbeat justam male dicendi occasionem. Non hoc ergo contendamus, ne male audiamus ; hoc enim fieri non potest : et est Christi sententia, quæ dicit : « Væ vobis, » quando benedixerint vobis omnes homines [1] ; » sed ne nos præbeamus occasiones. Qui enim vult bene audire ab omnibus, suam animam sæpe perdit, amans humanam gloriam, inserviens in iis quæ non decet, placens in iis quæ non oportet, ut ab eis emat gratiam. Rursus qui contemnit male audire ab omnibus, etiam seipsum perdit. Quemadmodum enim fieri non potest ut vir bonus bene audiat ab omnibus : ita etiam fieri non potest, ut ab omnibus male audiat, qui multas multis de causis præbuit male audiendi occasiones. Si autem, dum tu nihil præbes offensionis, sunt qui tibi maledicant, tunc est tibi major merces, sicut usuveniebat Apostolis, et præclaris illis viris. Porro

[1] Luc. vi, 26.

illud quoque sciendum, quod etiamsi quis maledicat in re, cujus nos non damnat conscientia, non est propterea contemnendus accusator propter damnum quo te afficit, sed omnia facienda sunt cum ea qua par est cautione, ut tollas injustam occasionem. Quocirca Paulus etiam mittebat multos, datis pecuniis, qui afferrent alimenta pauperibus [1]. Causam autem affert, dicens : « Ne quis vos vituperet in » hac abundantia quæ ministratur a nobis [2]. » Neque enim, cum videret futurum ut immerito offenderentur, hoc despexit et neglexit : sed quoniam erat in ejus potestate ut tolleret offendiculum, eis quoque qui offendebantur, prospexit. Et rursus alibi dicit : « Si cibus offendit fratrem » meum, non comedam carnes in æternum, ne fratrem » meum offendam [3]. » Atqui hæc erant indifferentia, et tamen, « Si, inquit, offensionem afferunt, quamvis me non lædant, non negligo salutem eorum qui offenduntur. » Si fuerit enim damnum majus salute, contemne eum qui offenditur. Sin minus, ne contempseris. Hoc enim sit generale decretum et regula, docens quando oporteat contemnere eos qui offenduntur, et quando non : quemadmodum verbi gratia, offendebantur Judæi quod Paulus legem non servaret, et propterea multa millia resiliebant, et in fide claudicabant. Quid ergo facit ? Volens mederi offensioni; major enim erat salus tot millium ; et claudicationi afferre remedium, interim impedivit quominus ostenderetur se legem non servare, quod majus erat. Rursus offendebantur quod Crucifixum prædicaret [4]. Hic contempsit eos, qui offendebantur, majus enim erat lucrum prædicationis. Hoc etiam fecit Christus. Dum enim cum eis de cibis disseret, et offenderentur, eo dicente : « Quod intrat per os, non coin- » quinat hominem, sed quod egreditur [5], » dicit : « Sinite

[1] 1 Cor. xvi, 3. — [2] 2 Cor. viii, 20. — [3] 1 Cor. viii, 13. — [4] Id. i, 23. — [5] Matth. xv, 11.

» eos. Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus, » eradicabitur [1]. » Quando autem ab eo tributa exigebant, etsi sciebat se non debere ea solvere, tamen, quoniam tempus nondum postulabat ut revelaretur ejus auctoritas, dicit : « Ne autem eos offendamus, vade ad mare, et mitte » hamum, et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, et » in eo invenies staterem : da eum eis pro te et pro me [2]. » Quando enim legem multa sapientia plenam eis ferebat, ipsique insanabiles erant, merito eos contempsit, et legem solvit. Cum autem non possent ejus Divinitatis rationem suscipere, jure rursus se demittit, et suæ Divinitatis rationem, tributum solvendo, adumbrat et obtegit. « Sedens ad- » versus fratrem tuum loquebaris. » At id, inquit, faciebam ut eum corrigerem.

X. Non oportebat ergo clanculum calumniari, sed ita ut jussit Christus, seorsum assumere et corrigere. Quæ enim publice fiunt reprehensiones, sæpe etiam reddunt impudentiores, et complures quidem peccatores, donec viderint fieri posse ut lateant, facile in animum inducunt, ut in viam redeant; quando autem bonam apud multos existimationem perdiderint, incidunt nonnulli deinceps in desperationem, et labuntur in impudentiam. At aliquam tibi fecit injuriam. Cur ego teipsum quoque injuria afficis? Qui enim se vindicat, seipsum ense petit. Si enim vis et teipsum beneficio afficere, et illum probe ulcisci, bene dicas de eo qui tibi fecit injuriam : ita facies ut multi sint ejus pro te accusatores, et ipse magnam mercedem accipies. Sin autem maledicas, ne fides quidem tibi habebitur, ut qui inimicitiarum suspicione labores. Quare tuum studium tibi vertitur in contrarium. Tu enim vis bonam ejus famam evertere, contra autem accidit : per laudem enim, non per accusationem hoc evenit. Sed contra omnino et

[1] Matth. xv, 13, 14. — [2] Id, xvii, 26.

teipsum quidem majori ignominia afficis : illum autem tua tela non tangent. Inimicitiæ enim, quæ se offerunt animis audientium, non sinunt, ut quæ dicuntur, in auribus eorum admittantur, et idipsum accidit quod in præscriptionibus. Quando enim quispiam in judicio aliquid objecerit, universum interea dissolvitur : ita hic etiam non permittit suspicio inimicitiarum, ut admittatur judicium. Ne ergo maledicas, ne te ipsum polluas : nec lutum contexas cum luto et lateribus, sed coronas ex rosis et violis et reliquis floribus connecte : nec stercus ore feras, quemadmodum scarabæi; id enim faciunt qui maledicunt, ut qui ipsi fœtorem primi sentiant; sed flores, sicut apes, favosque ut illæ compone, sisque omnibus comis et mansuetus. Omnes enim aversantur maledicum, ut qui tetrum redoleat et qui, ut sanguisuga sanguine, et scarabæus stercore, alienis malis aluntur. Os autem, quod lubenter laudat, tanquam membrum commune suscipiunt, tanquam fratrem germanum, tanquam filium, tanquam patrem. Et quid dico de præsentibus, et de hominum existimationibus? Considera mihi diem illum terribilem, illud judicium quod corrumpi non potest : quod si falsa dicas, peccatis tuis alia insuper adjicies. « Dico enim vobis, quod omne verbum otiosum quod » locuti fuerint homines, dabunt pro ipso Deo rationem in » die judicii [1]. » Etiamsi sint, inquit, vera, ne sic quidem effugies quominus condemneris, utpote qui proximi tui calamitates et probra traducas. Fac apud te cogites Pharisæum [2]. Non erat publicanus, sed fuit publicano sceleratior, quoniam de publicano maledixit. Publicanus non erat Pharisæus, sed fuit Pharisæo justior, quoniam seipsum miserum esse duxit. « Hæc fecisti, et tacui; existimasti iniquitatem, » quod ero tibi similis. Arguam te, et statuam contra faciem » tuam peccata tua [3]. »

[1] Matth. XII, 36. — [2] Luc. XVIII, 11. — [3] Psal. XLIX, 21.

XI. Vidisti humanitatem ineffabilem? vidisti summam bonitatem? vidisti infinitas opes patientiæ? Silentium enim hic dicit patientiam. « Tot, inquit, et tanta ausus es : nec de te tamen pœnas sumpsi, sed passus sum, et toleravi, dans locum pœnitentiæ. Tu autem ex eo non modo nihil lucrifecisti, sed in majus etiam vitium impegisti. Non solum enim non mutatus es, nec solum non es pudore suffusus, nec propter ea quæ a te facta sunt, teipsum condemnasti : sed me etiam, qui longa in te patientia usus sum, qui toleravi, qui tacui, qui tot et tanta tuli, existimasti non hæc ferre propter patientiam et clementiam, sed propterea quod nollem hæc castigari, et quod ea, quæ a te fiebant, non ægre ferrem. « Intelligite, obsecro, hæc, qui oblivisci » mini Deum [1]. » Quænam? Ea quæ dicta sunt, inquit. Quid est, « Intelligite? » Considerate. Quid autem dictum est obscurum, et quod magna egeat perscrutatione? Maxime quidem, et ipse modus docendi inducit mutatam formam religionis. Cum enim sacrificiorum non magnam habeat rationem, introducit leges evangelicas; et alioqui, quoniam erant peccatorum profundo cœno obruti, tanquam a quibusdam malitiæ voraginibus volens eos extrahere, et veluti lemam oculorum, expurgare volens viam prioris malæ consuetudinis, eos excitat ut ea, quæ facta sunt, in memoriam revocent, ne his oblivioni traditis, absque lucro recedant. Longa enim vitiorum consuetudo magnam affert cæcitatem animæ, et amentes efficit, et perspicaces oculos intelligentiæ eruit. « Nequando rapiat, et non sit qui eri- » piat [2]. » O ineffabilem clementiam! Pie matris hæc verba sunt, vel illam potius pietatem bonitate longe superant. Qui enim tam gravi accusatione usus est, qui tantam præ se tulit indignationem, ipse eos præmunit. Qui dixit : « Ar- » guam te, et statuam ante faciem tuam peccata tua, » et

[1] Psal. XLIX, 22. — [2] Ibid.

condemnationis emisit sententiam : eam rursus rescindit, non tanquam qui suasione et admonitione dbeerent corrigi, metu coërcens, continens ac dicens : « Ne forte rapiat ut » leo, et non sit qui eripiat. Sacrificium laudis honorificabit » me, et illic iter, quod ostendam illi, salutare Dei [1] » Postquam ostendit clementiam suadendo, consulendo, minando, ac terrendo, purum afferendo supplicium, et introducendo consilium, ostendit etiam modum per quem possint corrigere quæ facta sunt, dicens : « Sacrificium laudis honorifi- » cabit me. » Id est autem quod dicit : « Non solum iram meam sedabit, aut rescindet condemnationem, sed me etiam honore afficiet. » Vide præclari facti magnitudinem, quando Deus per ipsum honore afficitur. « Et illic iter, » quod ostendam illi, salutare Dei. » Vidisti mercedem ineffabilem? Vidisti summam clementiam? Dei enim viam ostensurum pollicetur, et id quod est vere Dei salutare iis qui recte se gerunt. Ei ergo promittenti pareamus, et recta vita et sacrificio laudis eum honoremus. Hæc enim via ducit ad salutem per hoc sacrificium : quam detur omnibus nobis assequi gratia et clementia Domini nostri Jesu Christi. Quoniam ei gloria, et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Psal. XLIX, 23.

EXPOSITIO I

IN PSALMUM L.

In David regem et Paulum apostolum, de pœnitentia : et in varia dicta Psalmistæ, quæ ad Christi finem pertinent : et quod non debemus desperare de salute nostra.

Modo audiistis hymnorum scriptorem David clamantem : « Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam : et secundum multitudinem miserationum » tuarum, dele iniquitatem meam [1]. » Et iterum : « Cor » mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in » visceribus meis [2] : » David clamat. Quare autem Propheta dicit : « Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam? » Quia ubi misericordia, ibi salus est expers disquisitionis : ubi misecordia, judicium non sedet : ubi misericordia, rationes non reposcuntur. Semel misericordiam consequi cupio : ab infirmitate me libera. Et cur David clamat : « Cor mundum crea in me, Deus? Qui tot præclara facinora gesserat, qui tropæa erexerat, qui Goliathum interfecerat, et leonem suffocaverat, qui et tantam habebat libertatem Spiritus sancti, ille dicit : « Miserere » mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam : et » secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam. » Cum essem homo agricola, regem me fecisti : regem factum, prophetam constituisti : in bello ut

[1] Psal. L, 3. — [2] Ibid. 12.

vincerem effecisti, cum Goliathum non naturali corporis vi, sed virtute fidei prostravi : purpuram amicivisti me : alium e regno ejecisti, et me in illius locum substituisti : mihi opes dedisti. « Ut justificeris in sermonibus tuis, et » vincas cum judicaris [1]. » Quæ vetera fecerat peccatum, renovavit gratia. Et quid pro his dederis, o Propheta ? « Do- » cebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur [2]. » Omittit commemorare regnum, et prophetiam dicit. Me tanto honore affecisti, ut Filium tuum mihi revelaris ac notum feceris. Didici te habere Filium natum de muliere. Cognovi te habere qui tecum in eodem throno sedeat. Orbi terrarum nuntiavi crucem, sepulturam, descensum, resurrectionem. Dixi ejusdem Filii tui tribunal : dixi gentium salutem : dixi Apostolorum delectum : dixi Judæorum dejectionem : dixi Ecclesiæ vocationem : dixi virginum chorum : dixi sedem a dextris. « Ecce enim incerta et oc- » culta sapientiæ tuæ manifestasti mihi [3]. » Et ubi hæc manifestavit ? Audi Prophetam eumdem loquentem de Christi e cœlo descensu : « Et descendet sicut pluvia in vellus [4]. » Quia advenit Filius Dei, non ita venit, ut quateret orbem, nec ut fulgura emitteret, nec ut fulmina ejacularetur, nec cum nuda Divinitate venit. Si enim nudam exhibuisset Deitatem, non utique montes sustinuissent : sol certe fuisset extinctus. Si nudam substantiam suam monstrasset, luna ex oculis sublata fuisset, terra periisset, nostrum omnium natura emarcuisset. Propter hoc sedate ac sine strepitu descendens, nemine sciente et sensim accessit, uterumque virgineum habitavit. O novas et inopinatas res ! Lapis liquescit, et uterus non liquefit. Montes labefactantur, et uterus Deum portat. Quomodo id interpreter ? quomodo exhibeam ? O blasphemi hominis vecordiam ! Quomodo ancilla Deum gestavit in utero ? Qui supera examinas,

[1] Psal. L, 6. — [2] Ibid. 15. — [3] Ibid. 8. — [4] Id. LXXI, 6.

eloquere inferiora. Qui ubique præsens est, quomodo erat in utero et in cœlo? At ego quidem quod et in solio sederet, et in utero Virginis habitaret scio; quo autem modo, id nescio. Fide accipio, mente ac cogitatione non inquiro. Sed scio quod visus sit, quodque sit venturus, non turbas ciens neque tumultus, non perdens neque vastans. « Et des- » cendet sicut pluvia in vellus. » Dixisti, o David, regnum Christi; dixisti et proditionem : « Qui edebat panes meos, » magnificavit super me supplantationem [1]. » Dic et judicium illius. « Quare fremuerunt gentes, et populi meditati » sunt inania [2]? » Dic etiam crucem. « Foderunt manus » meas et pedes meos : dinumeraverunt omnia ossa mea [3]. » Dic quoque fel ipsius. « Dederunt in escam meam fel, et in » siti mea potaverunt me aceto [4]. » Dic ipsius et unctionem. « Impinguasti in oleo caput meum [5]. » Dic ipsius et baptisma. « Super aquam refectionis educavit me [6]. » Dic ipsius et mysteria. « Parasti in conspectu meo mensam, ad- » versus eos qui tribulant me [7]. » Dic ipsius et calicem. « Calix tuus inebrians me quam præclarus [8]. » Dic et Judæorum ejectionem. « Non accipiam de domo tua vitulos, » neque de gregibus tuis hircos [9]. » Dic etiam convitia quæ a Judæis audiit. « Speravit in Dominum, eripiat eum, sal- » vum faciat eum, quia vult eum [10]. » Dic quoque gentium salutem. « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem » tuam [11]. » Dic ipsius et sepulturam. « Quoniam non dere- » linques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum » videre corruptionem [12]. » Dic illius et in cœlos assumptionem. « Ascendit Deus in jubilo, Dominus in voce tubæ [13]. » Dic et Apostolorum delectum. « Pro patribus tuis nati sunt

[1] Psal. xl, 10. — [2] Id. ii, 1. — [3] Id. xxi, 17, 18. — [4] Id. lxviii, 22. — [5] Id. xxii, 5. — [6] Ibid. 2. — [7] Ibid. 5. — [8] Ibid. — [9] Id. xlix, 9. — [10] Id. xxi, 9. — [11] Id. ii, 8. — [12] Id. xv, 10. — [13] Id. xlvi, 6.

» tibi filii [1]. » Dic etiam chorum virginum. « Adducentur » regi virgines post eum [2]. » Dic item Ecclesiæ vocationem. « Astitit regina a dextris tuis, in vestitu deaurato circum- » amicta, varietate ornata [3]. » Dic ejus sessionem a dextris. « Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis. Donec » ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum [4]. » O David, universam prophetiam annuntiasti, et quare vocifera- ris : « Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum » innova in visceribus meis ? » Rex es, diademate redimitus es, purpura amictus. Sed ait : « Folia sunt hæc, et nox, et somnium. Pulchritudinem illam veram quæro. Da mihi Spiritum sanctum, ut iterum alloquaris me, et ego tecum loquar. Abscessit enim a me Spiritus, quemadmodum co- lumba lutum aspiciens. Cupio ipsam reverti. Tunc veniam, et comparebo ante faciem tuam ? Non valeo sustinere, quan- doquidem fiduciam amisi. » Vides David confiteri Deo. Cerne quantum malum peccatum sit. Et quale peccatum? Adulterium, et homicidium, et legis transgressio, sermonum Dei contemptus. Atque dum hæc dico, Prophetam non ac- cuso, at celerem illius pœnitentiam annuntio. Sed enim decebat Prophetam adimplere quod scriptum est : « Dic tu » primus peccata tua, ut justificeris [5]. » Id enim illum etiam justificavit, dum dicit : « Peccavi Domino [6]. » Verum venit Propheta Nathan, ac dixit : « Et Dominus abstulit pecca- » tum tuum [7]. » Breve peccatum, brevior confessio. Ex quo enim peccaverat cum uxore Uriæ, superabatur a peccato, atque scripto Psalmo dixit : « Miserere mei, Deus, secundum » magnam misericordiam tuam. » Et per omnimodam con- fessionem accepit solutionem omnis peccati. Sed et Paulus quomodo misericordiam consecutus est ? « Saule, Saule, » quid me persequeris [8] ? » O Domini clementiam ! Homini

[1] Psal. XLIV, 17. — [2] Ibid. 15. — [3] Ibid. 10. — [4] Id. CIX, 1. — [5] Isaï. XLIII, 26. — [6] 2 Reg. XII, 13. — [7] Ibid. — [8] Act. IX, 4.

dicit : « Quid me persequeris? » Patrem suum imitatur. Is etenim populo hebraïco ait : « Populus meus, quid injuriæ » tibi feci, aut in quo molestus fui tibi? Responde mihi [1]. » Pari modo Filius Dei dicebat : « Saule, Saule, quid me » persequeris? » Quid ergo Paulus ad hæc? « Quis es, Do- » mine, qui loqueris mihi [2]? » O candidum servum! statim dominatum confessus est, cum dixit : « Quis es, Domine? » Dominus autem ad illum : « Ego sum, inquit, Jesus Naza- » renus, quem tu persequeris : sed surge, ac ingredere Da- » mascum, et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere [3]. » Et qui olim lupus erat, nunc ovis est : qui aliquando persecutor, nunc prædicator ac Evangelista : qui modo lolium, nunc triticum : qui nuper pirâta erat et naves in pontum demergebat, nunc populi gubernator est : qui antea vastabat Ecclesiam, nunc illam in fidem suam accipit : qui quandoque vites excindebat, nunc vinitor est factus : qui quondam plumbum erat, in aurum mutatus est. Tu quoque clama, charissime, quia magnus est strepitus peccatorum, et illico audies ; sed multus Domini erga homines amor. Deus enim se hominem fecit, et introivit in uterum virgineum, atque in eo habitavit. Et quosnam vocavit? Magos. Post illos autem, quem? Meretricem. Post illam, quem? Latronem. Post illum, quem? Blasphemum. O novas res atque incredibiles! Primitiæ vocationis, tyrannis peccati. Quia male se habebant orbis terrarum negotia, homines somno peccati dediti, judaïsmo, ac desperatione multa detinebantur. Propter hoc itaque, cum venisset Dominus, ab ipsis exordiis ex peccatoribus primitias Ecclesiæ vocavit, ut ne quis post hæc desperet de salute sua. Impius es? Cogita latronem. Impurus es? Respice meretricem. Blasphemus es? Reputa Paulum, blasphemum illum. Infidelis es? Considera Magos. Novi et ego qualis sit desperatio ex

[1] Mich. VI, 3. — [2] Act. IX, 5. — [3] Ibid. 7.

peccato. Astat quidem diabolus gladium acuens, et te his verbis compellans : « Per totam tuam vitam habitasti cum meretricibus, præterea pejerasti, adulterasti supra cunctos hujus sæculi homines. » Hæc diaboli verba sunt. At tu aude contraria iis quæ gessisti. Cecidisti? at resurge. Scortatus es? pœnitentiam age. Mœchatus es? resipisce. Parva quidem est pœnitentia tua, sed magna Domini clementia. Dum respiras adhuc, et in ipso lecto decumbis, pœnitentiam age. Temporis angustia benignitatem Dei adducit. His medicamentis inunge te, et inflammationem represseris. Novi enim, charissime, multa esse animæ vulnera : sed unumquodque vulnus, proprium ac conveniens remedium habet paratum. Habes Ecclesiam quæ adventum Spiritus efficit. Habes Martyrum cœtum, et alia multa, quæ te possunt a peccato ad justitiam revocare. Audiistis levia peccata Justorum, videte celeritatem pœnitentiæ per verba ac lacrymas peractæ. Etenim ipse David clamat dicens : « In lacrymis meis stratum meum rigabo [1]. » Et Paulus dicebat : « Sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans persequebar Christum [2]. » Igitur et nos non desperemus de salute nostra; eorum, qui cum prius peccavissent, tamen regno cœlorum dignati sunt, memoriam habentes, gratia et humanitate Domini nostri Jesu Christi; quia ipsi gloria et imperium una cum Patre et sancto Spiritu in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Psal. VI, 7. — [2] 1 Tim. I, 13.

EXPOSITIO II

IN PSALMUM L.

In titulum Psalmi quinquagesimi, et de pœnitentia David et de ea, quæ fuit Uriæ.

I. Pictores naturam arte imitantur, ac colores miscentes, corporum, quæ in aspectum cadunt, imagines, atque homines, bruta, et arbores, bella, pugnas, cruoris torrentes, lanceas, loricas, et clypeos, reges, et privatos, regium solium, regem sedentem, et Barbarum infra positum, et peracutam cuspidem, amnes fluentes, et varios campos effingunt; demum omnia ea, quæ oculis cernuntur, artis industria repræsentant. Sic Prophetæ quoque virtutis ac vitii pictores quodammodo sunt. Nam ipsi etiam sermonis penicillo peccatorem, justum, pœnitentem, stantem, cadentem, resurgentem, vacillantem pingunt. Et quemadmodum pictores bella et cædes efficiunt : sic etiam ipsi peccatum inducunt, nunc impetum faciens, nunc victum ac prostratum, dæmonesque rursus nunc bellum inferentes, nunc bello lacessitos, itemque diabolum nunc insidias struentem, nunc victum. Quoniam igitur ejusmodi ipsis ars est, summo studio eam cognoscamus. Nam pictorum quidem tabulas dum intuemur, absque ullo fructu hinc recedimus. Quid enim utilitatis ex regiæ aut consularis imaginis aspectu percipio? Rex enim fieri, nec possum, nec volo. Quid igitur mihi prodest id contemplari, cujus cupiditas animum non incessit, et quod si concupiscam

pœna afficior? Quid juvat hominem opibus affluentem conspicere? Sive pauper sim, invideo : sive dives, invidia premor. Ac rursum eadem patiens in luctu versor. Missas igitur fac illas imagines : atque ad hanc contemplationem oculos converte. Si consulem videro, quid mea refert? At si peccatorem, qui lapsus sit, ac postea surrexerit, hujusmodi spectaculum doctrinæ argumentum mihi existit. Si justum virum stantem conspexero, hujusmodi contemplatio ad virtutem me ducit. Ex eo spectaculo pugnandi ac vincendi rationem disco. Rursum si probum virum, qui in fraudem impulsus sit, videro, ex hujusmodi conspectu cautior et sapientior fio. Hæc autem omnia non frustra temereque a me dicta sunt : verum quia Psalmi, qui hodie recitatus est, imago ad hanc doctrinæ materiam nos ducit. Quid enim ait Propheta? « Miserere mei, Deus, secundum » magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinem » miserationem tuarum, dele iniquitatem meam [1]. » Hæc est imago. Nam Psalmum hunc imaginem voco. Siquidem varias personas in eo conspicio, nimirum peccatum accedens et obtruncatum, pœnitentiam astantem, ac cum Deo militantem, misericordiam desuper lucentem philosophiam afferentem, ac multos lacrymarum fontes a confessione manantes habentem. Hæ sunt hujusce picturæ personæ. Verum priusquam Psalmum aggrediar, necesse est, ut vobis ejus inscriptionem accuratius exponam. Ut enim icones inscriptiones quasdam habent, eodem modo in Psalmis quoque se res habet. Nam icones superiore loco stantes, infra miniatas quasdam tabellas habent, quibus indicetur quisnam rex sit, quorumnam, et quod bellum confecerit. At contra in Psalmis inscriptio superne posita est, ex qua constet, quodnam Psalmi argumentum sit, quæ ipsius doctrina, quæ radix, et qua de causa Psalmus dictus sit. Ac-

[1] Psal. L, 3.

curate, quæso, huic sermoni aures præbete. Neque enim de vulgaribus rebus nobis oratio est. « Psalmus David, » cum ingressus esset ad eum Nathan propheta, posteaquam » ingressus est ad Bersabee uxorem Uriæ [1]. » Hæc est inscriptio. Discamus itaque quisnam sit hic Nathan, et quænam Bersabee. Quænam igitur est uxor Uriæ, et quandonam ingressus est ad eam Propheta, et qua de causa hunc Psalmum litteris prodidit? Neque enim omnes Psalmi de David dicti sunt. Nam omnes quidem ab eo dicti sunt, at non omnes de eo. Non enim suas tantum calamitates commemoravit, sed alienas etiam miserias tragice descripsit. Ut cum ait: « Super flumina Babylonis illic sedimus et fle- » vimus [2]: » perspicuum est hunc Psalmum de eo minime dictum fuisse. Nam nec in Babylonem abiit, nec Barbarorum regionem vidit, nec in aliena terra consedit, ac lacrymas fudit: verum Judæorum calamitates exponit. Rursum cum ait: « Foderunt manus meas et pedes meos, dinu- » meraverunt omnia ossa mea [3], » non peculiares suos dolores recensuit, sed crucem ac sacrificium illud universi orbis, quod salutis nostri generis causa factum est, prædicavit. Pictura enim est variam doctrinam complectens. Itaque nunc sua, nunc aliena narrat. Quoniam igitur Psalmus hic aliena etiam exponit, propterea inscriptus est: « Cum in- » gressus esset ad eum Nathan propheta. » Quare inscriptio non sinit nos torpere, atque alio mentem transferre: verum stat Psalmus, ejusmodi res jubens ac docens, atque alios etiam sensus subministrans, qui in inscriptione referuntur.

II. At animum diligenter attendite, tam justi, quam peccatores. Utrique enim parti utilis hic Psalmus est: justo nimirum, ut ne ignaviæ se dedat: peccatori autem, ne de sua salute desperet. Siquidem utrumque grave ac pericu-

[1] Psal. l, 1, 2. — [2] Id. cxxxvi, 1. — [3] Id. xxi, 17, 18.

losum est. Nam et justus, cum ignave se gerit, prosternitur : et peccator desperatione affectus non resurgit. Quocirca ne aut hic in lapsu hæreat, aut ille in lapsum incidat, utrique parti salutaris hic Psalmus a Psalte nostro datur. Jam autem Prophetæ peccatum dicturus sum, et quidem grave et atrox. Nec vero me hoc nomine quisquam reprehendat. Dei quippe benignitas communis hominum generis curam gerens, Sanctorum tum virtutes, tum vitia in medicamenta mutavit, ut aliorum vulnera aliis in remedium cedant, ac justi naufragium peccatoris portus efficiatur. Nam cum justus peccet, salutem meam non jam despondeo : cum eum e cœlo lapsum intueor, ipsius lapsus resurrectionis occasionem mihi porrigit. Ideo enim Spiritus sancti gratia Justorum non modo recte facta, sed etiam peccata commemorat. Non enim illorum duntaxat mentionem prius fecit, sed eorum etiam quæ postea geruntur. Libet igitur demonstrare quomodo hic egregius vir sauciatus sit, corruerit, surrexerit, quomodo decertarit, victus sit, vicerit, coronam obtinuerit. Non enim eum in lapsu tantum jacentem, sed etiam a lapsu revocatum ostendo : ut tu utrinque fructum capias, ut cum peccaveris, ne desperes, verum ad resurrectionem propere curras, nec dicas : «Heu me! perii : adulterium admisi, scortatus sum, cædem perpetravi.» Habes enim salutis portum qui peccatum propulset. Nam cum tantum virum vulneribus affectum ac dilaceratum esse conspicias, statim ad pœnitentiam curre, fiduciamque concipe lacrymarum vim profundens, ut per illius pœnitentiam salutem tuam perfectius intelligas. Exempli causa : multi persæpe, tum viri, tum mulieres, in gravem et incurabilem morbum inciderunt. Lacrymæ fusæ sunt, pharmaca adhibita, ars medica succubuit, pulchritudo exhausta est, corporis salus desperata. Obambulat deinceps uxor, aitque : «Quo me conferam? quid agam? Pe-

cunias consumpsi, medicos accivi, pharmaca exhausta sunt : manet interim morbus, nec vulnus sanatum est. » Accidit hic plerumque ut quidam ex iis, qui ad visendum ægrum perrexerunt, dicat : « Ego quoque in eumdem morbum incidi, et hic vel illa pharmacum mihi adhibuit, meque dolore levavit. » Tum illa rogat : « Indica mihi hanc mulierculam. » Vade, inquit, ad hunc vicum. » Ita nunc quoque posteaquam adulterium ac cædem admisit, vulnusque grave accepit, quanam ratione curatus sit, quodque medicamentum imposuerit, tibi demonstro. Nec vero dico : « Vade ad hunc vicum ; interroga hunc aut illam. » Non labore opus est, non ærumna ; nec pedem quidem limine efferre necesse est, verum hic stantem pharmacum accipere. Fac tantum, ut ad ea, quæ dicam, animum attendas. Operæpretium est enim sermonem inducere, ac tempus quo peccavit referre, locumque, item personam, pœnitentiam, correctionem, et remedium, ut re accurate cognita, ita demum recedatis. Hic igitur David, cum juvenis ac puer esset, obscuro patre, terræ ac pascendis gregibus operam navans, urbes et regiones ac tumultus fugiebat, atque in solitudine philosophiæ operam dabat, nihil cum hujus vitæ negotiis commune habens, verum ab ineunte ætate in quiete, quæ virtutis collactanea est, vitam ducens, atque in desertis locis velut in portu sedens, per pecudum curam cœlorum regnum meditabatur. Hic igitur admodum juvenili ætate erat, juvenili, inquam, ætate, sed cano animo. Neque ætatis immaturitas tantæ virtuti nocumentum ullum afferebat ; verum, cum juvenis admodum esset, victoriam obtinebat, non corporis viribus, sed fidei firmitate. Verum diligenter animum adverte. Oportuit aliquando Judæis regem creari : quia is, qui primus rex institutus fuerat, regno indignus erat. Mittit itaque Deus Samuëlem ad ipsius patrem Jessæ. Cum ergo venisset Samuël, adolescens ille

parvus inter ovium greges versabatur. Nec vero adolescentiæ vocabulum subinde usurpare desino : ut ne quis aut juvenem criminetur, aut senem laudet. Neque enim canities virtus est, nec juvenilis ætas vitium. Multi quippe in juventute philosophiæ specimen ediderunt, ac multi in senectute prostrati sunt. Nam tres pueri in igne erant [1], et flammam extinxerunt. Atque item Daniel, duodecimum ætatis annum agens, leones in oves convertit, non natura eorum immutata, sed feritate fidei freno compressa [2] ; et postquam amentes senes redarguerat, judex Israëlis declaratur. Ac Stephanus diaconorum præcipuus, a juventute gratia et virtute plenus, ad Hebræorum populum sermonem habuit [3]. Contra Paulus, cum jam senex et canus esset, qui prius Ecclesiarum prædonem egerat [4], postea fidei palmam arripuit, probaque ovis extitit [5].

III. Quamobrem, nec juvenem vitupera, nec senem lauda. Neque enim in ætatis discrimine, sed in animi differentia virtus et vitium sita sunt : ac si sobrius ac prudens fueris, nihil tibi ætas immatura detrimenti affert; si segnitie labores, nihil tibi utilitatis senectus comparabit. Canitiem quippe non crinium candor, sed animi virtus efficit. Hic igitur juvenis maturum fructum virtutis obtinebat. Venit Samuël ad Jessæ [6], non corporum abundantia circumseptus, verum cornu, in quo sanctum oleum erat, habens. Quid autem ait? « Misit me Deus ut unum e filiis tuis regem efficiam. » Ille autem maximum natu ad hujusmodi dignitatem aptiorem esse ratus, eum producit. At ille : « Amove eum, inquit, Deo enim ipse minime acceptus est. » Secundum, sed ne hunc quidem admittit. Tertium, quartum, quintum. Filiorum chorus consumptus est : nec tamen inveniebatur quem ille requirebat. Ait itaque ad eum :

[1] Dan. III, 24. — [2] Id. VI, 22. — [3] Act. VII, 2 et seqq. — [4] Id. VIII, 3. — [5] Id. IX, 20. — [6] 1 Reg. XVI, 4.

« Est-ne tibi alius[1] ? » Pudore suffusus est pater. « Est mihi, inquit, parvus et abjectus pastor. An tu parvum et abjectum regem creare cupis ? » Homo aspernatur, Deus autem coronat. « Non enim ut videt homo, ita etiam videt Deus. » Homo videt in facie, Deus autem in corde[2]. » Num obesitatem, ac non potius animæ nobilitatem exquirimus ? Attende, quæso, quam diligentissime. Non dixit ad eum Deus : « Vade, ac David mihi unge : » sed, « Vade, unge mihi unum ex filiis Jessæ. » Cur autem ambigue loquitur, nec nomen profert ? Ne idem David accideret, quod Joseph prius acciderat. Sicut enim illius fratres, cum eum regem suum fore intellexissent, insidias ipsi struxerunt, impugnarunt, vendiderunt : eodem modo periculum erat, ne isti quoque id ipsum agerent. Itaque ignoratio eum a periculo vindicavit. Ergo dubius stabat Propheta : « Da mihi unum filiorum tuorum, » inquiens. « Non habeo, inquit, nisi parvum puerum pascentem oves. » At non ita videt homo, ut videt Deus. Ubi sunt qui de formæ elegantia gloriantur ? Ne mihi corporis pulchritudinem narres : verum animi pulchritudinem specta. Quid enim aliud est formosa mulier ? sepulcrum dealbatum, nisi pudicitia prædita sit. Forma est vorago, venenum aliis paratum, nisi adsit castitas : morbo marcessit, et morte extinguitur : animi autem pulchritudo immortalis, omnisque maculæ expers : at tum denique ipsius decor magis elucet, cum turbulentas permotiones compressit, ac mens in tranquillitate versatur. Quocirca cum pulchrum virum, aut pulchram mulierem videris, ne mireris. Nam etiam quercus tametsi proceræ, fructum tamen non habent, qui hominibus usui sit, sed qui brutis convenit duntaxat : vinea contra, humi strata, utilem uvarum fructum affert. Utrum igitur habere mavis ? vineam, an quercum ? Vineam procul dubio : nam quercus in sublimi stans,

[1] 1 Reg. xvi, 11. — [2] Ibid. 7.

fructum habet, qui solum brutis pabulum subministret. Quid ape abjectius? et quid pavone pulchrius? Uter autem præstantior? apis, an pavo? non dubium quin apis. Pavonem de medio tolle, et nihil detrimenti attuleris. Apem de medio tolle, et ingens utilitas adempta erit. Venit itaque David, funditur oleum : ac Dei suffragio, hominis ministerio ungitur. Cornu ipsi Propheta imposuit : idque purpuræ ac diadematis instar illi fuit. Abiitque regnum consecutus, non lorica, aut clypeo, aut hasta, verum Dei suffragio, quod omnia robore excedit, communitus. Hic igitur, cum bellum urgeret, ac rerum status turbatus esset, barbaricque Judæis imminerent, profectus est ut castra videret, ac barbarum illum, qui cunctos ad singulare certamen provocabat. Nec quisquam erat, qui prosilire atque egredi auderet[1]. Venit David, atque armis fulgentem, et intoleranda audacia elatum hostem vidit, omnesque metu perterritos. Pastor in bello erat : ii contra, qui rei bellicæ assueverant, ne hostis quidem vocem ferre poterant : qui autem inter arbores et umbras ac fontes agere solebat, in ipsius oculis stabat dicebatque : « Quis est hic incircumcisus, qui in » Dei viventis exercitum probra conjecit[2]? » Dicunt ei : « Quænam hæc tua arrogantia est? » Ille autem : « Non arrogantia, sed fides est : non superbia, sed pietate præditus sum : non lorica instructus, sed fide indutus : non illius magnitudinem specto, sed mentis inopiam : non ingentem navim respicio : sed quod gubernatore careat. Non eum pertimesco; Dei enim hostis est; quantumvis millies robustus sit. Nam propter divinum auxilium quovis homine imbecillior est hic incircumcisus. « Quibusnam armis confidis, o David? Non carnalibus, sed spiritualibus. « Arma enim » nostra non sunt carnalia, sed spiritualia[3]. » Quonam autem modo, cum hac imbecillitate sis? At magnus est Do-

[1] 1 Reg. xvii, 22. — [2] Ibid. 26. — [3] 1 Cor. x, 4.

minus. Exigui momenti arma sunt : sed qui me misit, fortis est. Mare in aridam convertit, rupes perfregit, elementa immutavit : multo magis virum unum superabit.

IV. Venit igitur ad viros, aitque : « Quid dabitur viro, qui caput ipsi sustulerit ? » De præmiis verba facit, non ut præmium accipiat, sed ut eos ad fidem adducat. Quid igitur, fratres? Rursus invidia, rursum livor : « Quare, inquiunt, paucas illas oviculas reliquisti? Superbiam tuam ac cordis perversitatem exploratam habemus. » O invidia perturbationis plena! ignis, qui nulla ratione extinguitur! Quemadmodum enim vermis lanam exest, sic et invidia eum quidem, qui invidet, conficit : eum autem, cui invidetur, illustriorem reddit. Id quod etiam in Joseph et fratribus ejus accidit. Nam qui invidia in eum affecti erant, e libertate in servitutem redigebantur[1] : is autem, cui illi inviderant, rex fuit. Rursum igitur fratres : « Nos superbiam » tuam, ac tui cordis improbitatem novimus, quod videndi » belli causa huc descenderis[2]. Cur livore atque invidia stimulati sunt? Sermonem audierunt; verborum prosperitatem non tulerunt. At quid vir hic sapiens? Subducit se ab ipsis, ut vulnus succideret, atque ad aliam exercitus partem se contulit, dixitque : « Quid præmii illi erit, qui caput isti amputarit? » et cum ad regem adduxerunt. Vidit itaque regem sedentem, trepidum, metu consternatum, trementem, aitque ad eum : « Quare concidit vultus Domini mei? » In rebus suis secundis ac florentibus servitutem confitetur. » Quis est hic? nonne pergam, atque ipsi caput adimam? » Quid autem rex? « Quonam modo hoc facturus es, cum tu puer parvus sis, hic autem vir bellator ab adolescentia sua? » Ne ea spectes, quæ in oculorum sensum cadunt, sed quæ ab anima intelliguntur. Ne consideres, quod corporis specie parvus sim, sed quod animo magnus. » Quor

[1] Gen. XL, et XLII. — [2] 1 Reg. XVII, 28.

sum autem hæc? Diffidit rex. Quapropter jam David egregia sua facinora referre cogitur. « Ego puer parvus » eram, pascens gregem patris mei : et quando veniebat » leo, aut ursus, et rapiebant oves ex grege, egrediebar » post eos, et extrahebam ex ore ipsorum, interficiebamque » leonem et ursum : et erit hic ut unus harum ferarum, » quia exprobravit aciem Dei viventis. Et dixit Saül David : » Vade, Dominus sit tecum [1]. » Et dedit ei arma sua. Verum illa David gestare non poterat. Quare ? Deus id non permisit, ut nudus vinceret ; ne arma victoriæ partem sibi vindicarent, rexque victoriam armis suis ascriberet. Arma itaque abjicit, ac fide se induit. Nudus egreditur, pietate, tanquam lorica, instructus. Egreditur pastor, non autem miles. Mittit lapidem, ac non corporis naturæ fidens, sed fidei viribus victoriam tulit. Cucurrit, gladium ipsius accepit, eoque caput ipsi desecuit. Impletumque est id quod ait Scriptura : « In operibus manuum suarum comprehen- » sus est peccator [2]. » Iterum invidia, iterum livor. Assidue quippe fontem effodio, ut ipsam primam inveniam scaturiginem. Hic igitur vir tantus ac tam eximius, de quo dixit Deus : « Inveni David filium Jessæ virum secundum cor » meum [3] : o sublime encomium ! o perspicuum virtutis argumentum ! Dominus ejus ait : « Inveni David filium Jessæ, » virum secundum cor meum ; » hic, inquam, qui feras superaverat, qui Goliath morte affecerat, qui leonem strangularat, qui ursam vicerat, qui in adolescentia senilem prudentiam exhibuerat, qui corpore quidem parvus, spiritu autem magnus erat, qui in regia veste monachorum austeritatem præstiterat : lavabat enim non margaritis, sed lacrymis per singulas noctes lectum suum [4]. Nam hujus quidem temporis homines diurno etiam tempore dormiunt :

[1] 1 Reg. XVII, 34-37. — [2] Psal. IX, 17. — [3] Id, LXXXVIII, 21, et Act, XIII, 22. — [4] Psal. VI, 7.

ille autem etiam noctu in cura et sollicitudine erat. Cur tandem noctu? Quoniam cum rex esset, diurno tempore innumeris negotiis obruebatur : noctu autem, tanquam in portu degens, tum solus cum solo Deo colloquebatur, lacrymarum fontes effundebat, lectumque suum lavabat. Hic igitur vir tantus, ac tali virtute præditus, qui Spiritus gratiam attraxerat, qui in juvenili ætate senilem in modum se gesserat, qui cœlorum fornices attigerat, qui cœleste donum et gratiam consecutus fuerat, qui bella confecerat, qui infinitas adversus diabolum palmas obtinuerat, post pudicitiam et modestiam, post gravitatem et honestatem, postquam regnum obtinuit, postquam sexcenta bella feliciter gessit, posteaquam nationes ditioni suæ subjecit, posteaquam undecumque pax affulsit, negligentior factus est; ut discatis quantorum bonorum causa sit afflictio, et quantorum malorum otium. Quando autem istud? meridiano tempore[1]. Post prandium e toro surgens inambulabat. Ac statim vidit mulierem nudam, se lavantem, pulchram, ac forma perquam eleganti, sed pulchritudo non est in culpa, quia pulchritudo Dei est donum. Vidit, inquam, mulierem lavantem in solario, summa pulchritudine præditam, militis cujusdam uxorem. Vidit, atque oculo vulneratus est, ac telum excepit.

V. Audiant curiosi qui alienas formas contemplantur. Audiant qui insano spectaculorum studio tenentur. Qui dicunt : « Spectamus quidem, sed sine detrimento. » David læsus est : et tu non læderis? Ille victus est : et ego tuæ virtuti confidere queam? Qui tantam Spiritus gratiam habebat, spiculum excepit : et tu in absurdis spectaculis sauciari te negas? Atqui ille scortum non vidit, sed honestam et pudicam fœminam, idque non in theatro, sed domi : tu vero in theatro cernis, ubi etiam locus ipse animam

[1] 2 Reg. xi, 2.

supplicii ream efficit : nec tantum cernis, sed etiam audis impura verba, et vides meretricias vestes, audisque diabolicas cantiones, omnique ex parte feritur mens tua : per aspectum nempe, ob ea quæ vides : per aurem, ob ea quæ audis : per olfactum, ob ea quæ odoraris. Cum tot sint corruptelæ, tot præcipitia, ego credam te a fera non capiendum esse? Num tu saxum es? num ferrum? Homo es, communi naturæ imbecillitati obnoxius. Ignem tenes, nec ureris? An istud rationi consentaneum est? Lucernam in fœnum pone : ac tum aude negare quod fœnum exuratur. Quod porro fœnum est, hoc etiam natura nostra est. Vidit igitur eam lavantem nudam. Pulchritudine captus est, telum excepit, vulnere affectus est. Misit ad eam. Venit illa, flagitium statim perpetravit, libidinem explevit. Jubet eam domum reverti. Hæc autem eo dico, ac vulneratum in medium profero, ut vos omnes, qui circum astatis, videatis quo pacto ille curetur. Chirurgus enim permultos habet qui se circumstent, ut, quonam pacto artis viribus morbum vincat, perspiciant : multo magis, cum chirurgus Propheta manum adhibet, omnes accurrere oportet, ut, quonam pacto sanie ac vermibus liberari debeamus, intueamur. Grave peccatum. Libido expleta est : perfectum peccatum, nec medicus præsto erat. Concepit interim mulier. Hactenus id marito incognitum fore rex existimabat. Quamvis enim Propheta esset, tamen libido tenebras ei prorsus offuderat. Concepit igitur mulier gravidaque facta est [1] : summa celeritate ad regem adit, aitque : « O rex, perii. » Quid habes? « Uterum gero [2]. Peccati fructus emanavit : accusationem in vulva fero : peccati indicium crevit, in me se prodit scelus. Si vir meus venerit, ac viderit, quid habebo quod dicam? » Consideres velim quantum malum sit peccatum. Rex militem timet.

[1] 2 Reg. xi, 4. — [2] Ibid. 5.

Non enim quisquam servus est, nisi qui peccatum admittit. Diadema gerebat, et probrum metuebat. Annon rex es? annon gladii penes te potestas est? Est ita, inquit : verum grave peccatum perpetravi. O peccatum, quod formidinem procreas! o ignominia accusatrix! o silentii occasio! « Pertimesco, tremo : quia me ignominia perfudisti, intus sceleris testem habeo. Si venerit vir meus, quid dicam, aut quid loquar? Prægnantem me offendet, vitamque mihi eripiet, ut quæ intus habeam, qui flagitium meum coarguat. » Cernis-ne meditatum naufragium? Cernis-ne quantum malum peccatum? Quid igitur rex? Peccatum peccato cumulat. Dilatanda enim est hæc narratio. Rediit Urias vir ipsius e bello, et apud regem ingressus est. Aitque rex ad eum : « Quid est, Uria? ut se habet res bellica? » Pulchre, inquit ille : vicimus. » Audivit rex quod miles vicisset, cum ipse victus fuisset : quod miles feliciter pugnasset, cum rex voluptati succubuisset : quod miles in bello victoriam obtinuisset, cum ipse a peccato dejectus ac prostratus fuisset. Miles victoriam commemorabat : ipse autem præ pudore cladem acceptam referre non audebat : « Vicimus, inquit ille, ac superiores fuimus. » Consilii inopia laborabat rex, ac propter cladis acceptæ dedecus, belli victoriam non sentiebat[1]. Ait autem ad militem : « Abi domum, balneumque adhibe, ac mensæ da operam, tuaque uxore fruere. » Cur istud? Ut ulcus obduceret, ac puer ex ipso editus esse censeretur. At insomnis ille oculus, vulnerati hominis saluti consulens, id fieri minime passus est. Quid igitur ait miles? « Quî possim te relinquere ac deliciari? Israëliticus populus in bello est : dux in acie : arca fœderis Domini in castris : et ego domum ibo, ac luxui et deliciis indulgebo? » Hæc aiebat miles rei gestæ ignarus. Regi autem probro fuit, quod miles e bello rediens ne do-

[1] 2 Reg. XI.

mum quidem suam conspicere voluisset, cum contra ipse antum scelus admisisset, ut etiam militem ad uxorem suam adeundam necessitate adigeret : quo hac ratione vulnus suum obtegere posset. Abiit itaque rursum miles ad bellum, ac puer in lucem editus est. Quid igitur rex facit? Cum non posset vulnus obtegere, ad exercitus ducem scripsit : «Pone Uriam ubi fortissimum prælium est [1]. » Quorsum hoc ? « Ut ipse interficiatur. » Atque ipsi hanc epistolam tradit. O petulantem libidinem ! in quantam crudelitatem illum, alioqui lenissimum virum, scelus perduxit! Is qui injuriam acceperat, gladium adversum se gestabat, ac cruoris plenam epistolam ferens abibat. Est enim verborum compendio utendum. Quid igitur factum est ? Stetit in acie, occisus est. En duo peccata, adulterium et homicidium : cædes adulterii fructus extitit.

VI. Hæc autem ob peccatores, eosque, qui plurimorum scelerum sibi conscii sunt, commemoro : ut hæc audientes salutis suæ spem minime abjiciant. Scriptum est enim : » Non occides. Non mœchaberis [2]. » Hæc autem duo primaria præcepta violavit. Nam adulterium commisit : ac postea eum, quem injuria affecerat, interemit. Grave hoc ulcus, ingens vulnus. Posteaquam igitur Urias ad bellum profectus occubuit, ac statim peccatum, quod occultatum erat, exiluit, tum denique Nathan propheta ad David se contulit (14). Expleta erat libido, perfectum flagitium, de medio sublatus qui injuriam acceperat. Propheta Prophetam redarguit. Quamobrem ? Nam cum David Propheta esset, cur non sibi ipsi medetur ? nimirum veluti medici, cum ægri sunt, medicis aliis opus habent, propterea quod morbus artem labefactet : sic etiam hoc loco Propheta ille, et hic item Propheta. Verum ille sanus erat : hic autem æger, non quidem in lectulo jacens, verum in peccato degens.

[1] 2 Reg. xi, 15. — [2] Deut. v, 17, 18.

Aiunt itaque ad eum : « En Nathan propheta foris est. » Respondet ille : « Ingrediatur. » Ingreditur itaque Propheta. Cernit eum cum ingenti splendore ac regio fastu sedentem, aitque : « Litem habeo, o rex ! audi me. » O singularem medici sapientiam ! Sumpto ferro ingressus est, ut ulcus secet. Verum illud ægroto non ostendit, ne curatione privetur. Occultat illud, non sub veste, sed sub confictæ narrationis involucro. Statim enim ingressus, non dixit : « O flagitiose, o profane, o adulter, o carnifex ! » Non apertam reprehensionem adhibet, nec sine larva verborum libertate utitur : verum obtectum ferrum gerit, ac dicit : « Litem habeo, o rex, audi me. » Quid igitur rex ? « Litem narra. » Tum ille : « Homo quidam erat dives, qui habebat ovilia et armenta multa : et homo quidam pauper erat. » Duo homines, Urias et David. Disce larvas veritatem tegentes. « Pauper nihil habebat præter ovem unam : (nempe uxorem vitiatam) quæ de pane illius comedebat, et de calice bibebat, et in sinu illius dormiebat [1]. » Vides-ne quomodo paupertas amoris causa sit ? Nam apud divites ingens fastus est : apud tenuiores autem, uxor ministræ et ancillæ munere fungitur : filium parit, eademque et mater, et nutrix est. Apud locupletes autem secus res habet, nam posteaquam uxor filium peperit, foras eum amandat alendum, atque amorem erga liberos fastus interrumpit. Parit mater, nec nutrix efficitur. Pudet enim nutricem effici eam, quæ mater est. At non ita Christus. Nos enim genuit, ac nutritius noster fuit : propterea ciborum loco carne sua nos pavit, ac poculi vice cruore suo nos potavit. « Hæc igitur ovis in ipsius sinu dormiebat, » amplificata est tragœdia per amoris narrationem. « Venit peregrinus homo ad divitem illum [2]. » Quis peregrinus ? Libido. Ut igitur ipsius castitatem Propheta demonstraret, arte quadam peregrinum libidinem appella-

[1] 2 Reg. xii, 3. — [2] Ibid. 4.

vit. Neque enim alienum unquam matrimonium violaverat nec sceleratis oculis mulierem conspexerat : verum ab hac muliere vulneratus castitatem amisit, et ob exiguam socordiam ab honestate decidit. Venit peregrinus, hoc est, petulans et ferina libido. « Venit ad eam peregrinus, venit, inquam, ad divitem illum : et non accepit de gregibus et armentis suis, sed misit et sumpsit ovem illam, quæ in pauperis sinu dormiebat, et de mensa ejus comedebat. » Quid igitur ? Ira incensus est rex. Existimabat enim se alienam litem dirimere. Ira incensus est rex : ac justam sententiam admodum clare pronuntiavit. Neque enim animi propensio erat, quæ justitiæ labem ferret. « Gladio, inquit, morietur : atque ovem in quadruplum reddet. » Plus quam lex jusserat imperavit. Lex enim furem id quod surripuit in quadruplum reddere jubet [1] : ipse autem legis terminos excessit. Jubet enim et ipsum morte affici, et damnum illatum in quadruplum restitui. Sententiam extulit, ac judicium numeris omnibus absolvit. Tum larvam abjicit Propheta, et ait : « Tu es, rex, qui hoc admisisti [2]. » O sectionem, non gladio, sed brevi redargutione doloris sensum amputantem ! Cum enim oportebat, fabulam agebat : cum autem coarguendus ille fuit, statim feriit, atque ulcus abscidit : sic, ut haud magnum dolorem efficeret. « Tu es, rex. » Quid igitur ille ? « Peccavi Domino. » Vides-ne etiam in morbo generosi animi indolem ? Non enim dixit ad eum : « O miser et infelix, unde progressus, aut qua re fretus ita audacter ingressus es, atque arrogantia et fastu turgidus, regem usque adeo aperte coarguere atque insectari sustines ? » Verum quid ait rex ? « Peccavi Domino. » Quid igitur Propheta ? « Etiam Dominus abstulit peccatum tuum [3]. » Celer pœnitentia ; celerior venia. « Dic tu prior, inquit ille, iniquitates tuas, ut » justificeris [4]. » Per opera peccasti, per verba te pœniteat.

[1] Exod. XXII, 1.— [2] 2 Reg. XII, 7.— [3] Ibid. 13.— [4] Isaï. XLIII, 26.

VII. Hæc eo commemoro, ut audiant peccatores, et qui in peccata lapsi sunt, ac de sua salute non desperent. « Peccavi, inquit, Domino. » At ille : « Etiam Dominus » abstulit peccatum tuum. » Tu quidem dixisti: « Gladio interibit : » at ego dico : « Non morieris. » Vides quonam pacto Deus Prophetæ sententiam rescidit ? « Dic tu prior iniquitates tuas, ut justificeris. » Sed ad initium recurramus. « Psalmus David cum ingressus est ad eum Nathan propheta. » Hic demonstratur ipsius candor ac venia. En igitur rationem, qua curatus est, didicisti, quodnam pharmacum acceperit. « Cum autem Deus justificat, quis est » qui condemnet [1]. » Non enim dixit : « Ego ignosco : » verum, « Dominus abstulit peccatum tuum. » Ulcus abscidit, vulnus sanavit. « Non morieris, » inquit. Atque his verbis habitis recessit. Jam igitur hujus quoque candorem animique curationem ostendere cupio, quamque peccati veniam acceperit, et quam criminis remissionem invenerit. Nam cum Urias e bello venisset, ac victoriam regi nuntiasset, rexque cupiens ei incognitum esse, quod ipsius uxorem adulterio contaminasset, tanto studio in hoc incumbebat, ut admissum scelus occultaret, ut etiam cædem adulterio copularet : at postea per pœnitentiam philosophus extitit, qui prius flagitium suum obtegere nitebatur ; ad pœnitentiam venit, et post veniam a Deo concessam, post adventum Prophetæ, ac sermonem hunc : « Dominus » abstulit peccatum tuum, non morieris, » non modo jam scelus non occultat, verum etiam omnibus nationibus conspicuum facit, ac Psalmum conscribit, quo nimirum posteri quoque intelligant, quantam tragœdiam excitet libido. Posteaquam enim venit pœnitentia, sermonis libertatem secum advexit. « Ego, inquit, salutem consecutus sum, quin igitur alii quoque per narrationem meam salu-

[1] Rom. VIII, 33.

tem item consequantur? Deus mihi veniam dedit. Propterea hæc scribo, ut etiam alii vulnus meum ac remedium exploratum habeant. Infamiam minime vereor, quia salutis meæ cupiditate teneor. Sic etiam Paulus facit, dum peccata, quæ ipsi remissa fuerant, divulgat, aitque: «Gratias ago ei qui me confortavit Christo, quia me fidelem esse duxit, qui prius blasphemus eram, et persecutor, et contumeliosus[1]: » nunc fidelem duxit. Propterea meipsum traduco, ut si quis intoleranda quadam blasphemia laboret, tamen salutis spem sibi superesse videat. Tu quoque, o David, postcaquam adulterium ac cædem admisisti, veniamque a Deo accepisti, teipsum traducis? Certe, inquit, ut si quis adulter et homicida sit, discat qua ratione salutem consequi possit. Propterea peccatum deposuit, ac pœnitentiam suscepit. Hoc igitur solum est quod quæritur, nempe quod omnibus perspicuum fecit se curatum fuisse. Num aliud quidpiam? Etiam aliud. Quo autem modo, jam expono. Quemadmodum enim audistis pœnitentiam magnam veniam obtinere, magnamque ac multam fiduciam nobis afferre; sic illud quoque vos cognitum habere necesse est, quod is etiam, qui multis sceleribus involutus est, ingenti dedecore perfunditur, nec satis sibi esse ducit pœnitentia duci, verum etiam metuit ac tremit, ne in eadem rursum prolabatur. Illud igitur demonstrare animus est, hunc Psalmum non modo peccantem indicare, sed etiam pœnitentem. Atque hoc vobis dico, ut ne quis post pœnitentiam sibi ipsi confidat; verum accuratiore studio salutem suam in portu constituat. Volo igitur illud palam facere, quod ipse sanatus sit, melior seipso ac potentior et robustior, effectus. Cur igitur rursum post hanc concupiscentiam in aliud peccatum incidit? Rursum bellum, rursum peccatum, rursum pugna, rursum victoria. Rursum

[1] 1 Tim. 1, 12, 13.

eum invasit concupiscentia: rursum bellum instructum est, bellum grave, atque exercitus in acie steterunt. Fons in locis illis erat. Cumque acerrimum bellum gereretur, David hunc vidit, atque gravissima siti affectus est: bibere itaque optavit: rursum concupiscentia, at non prohibita: tunc enim corporis, nunc autem aquæ. Bibere enim appetebat, ac siti conflagrabat: cœpitque dicere: «Siti enecor.» Quidam igitur ei obsequi cupientes, abierunt, ipsique aquam in sanguine suo attulerunt, ac per medios hostes aquam portarunt. Tunc agnovit rex quidnam fecisset; nempe quod in bello illo sitim suam non compressisset. Ecquid fecit? Sumptam aquam non bibit, verum Deo libavit. Non enim aqua erat, sed sanguis, si non naturam, sed militum illorum voluntatem spectes. Vides-ne igitur quo pacto a priore concupiscentia eruditus, prudentior in posterum factus sit? Nam qui corporum cupiditate prius flagraverat, aquam jam non appetebat: imo appetebat quidem, sed appetitionem frangebat. Neque enim dico eum a concupiscentia alienum, sed sapientiæ ope concupiscentia superiorem se præbuit, nec aquam degustavit.

VIII. Hæc admoneo propter eos qui libidini dediti sunt. Scortum adamasti? stuprum admisisti? pœnitentiam agere cupis? Ne committas ut peccatum peccato adjungas, nec dicas: «Quomodo possum a scortatione abstinere?» Ego tibi expono qua ratione id possis. Ardes concupiscentia? At uxorem habes, et si non habes, accipe, ut voluptatem cum securitate conjunctam habeas. «At cupiditati dominari nequeo.» Hæc verba ab animi socordia manant. Nam cum alium tibi in medium protulero, qui, cum uxorem non habeat, castitatem servet, quam excusationem aut quam veniam habere queas? Ille in mari naufragium non patitur, et tu in portu lapsum subis? Uxorem habes et scortaris, imo etiam adulterium perpetrasti? «Et qua ratione, inquis, hoc

vulnus superabo?» Fruere uxore tua. «Fruar uxore mea?» maxime. Animadverte quid dicat beatus Paulus : «Propter for-» nicationem unusquisque uxorem suam habeat, et unaquæ-» que virum suum. Mulier corporis sui potestatem non habet, » sed vir : similiter vir non habet potestatem sui corporis, sed » mulier [1]. » Quamobrem, cum te acciverit meretrix, hoc verbum cogita, et dic : « Vir corporis sui potestatem non habet, » sed mulier : » ac verbum istud in corde tuo conscribe, atque iis ad scortum verbis utere : « Quid me vocas ? corpus non est meum, sed uxoris meæ : id quod alienum est, prodere non audeo. Ipsius dotem imminuere, aut ea, quæ ad eam spectant, consumere nequeo, et corpus meum, quod in ipsius potestate est, contaminare audeam? Quonam pacto? Id plane nequeo. Dic scorto : « Quid me vocas ? Non ad corpus meum accedes : neque enim illud mei juris est, sed alieni. Num meretricis corpus est? Ego meretricis corpus haud accipio : hoc ad uxorem meam pertinet. » Christum time, ac dic : « Corpus nostrum, membrum Christi est. » Audiant hoc etiam fœminæ, ac cogitent quonam illas Christus vocarit, certe in sanctificationem, ac dicant : « Mulier corpo-» ris sui potestatem non habet, sed maritus. » Cogita Pauli sapientiam, et quidnam dicat. Quia multi continentiæ studeant, et honestas et pudicas uxores habent, ac præter earum voluntatem continentiam colunt, eorumque philosophia adulterii causam affert, proinde ait : « Unusquisque » uxore sua fruatur. » Nec pudore suffunditur, verum ingreditur, ac noctu et diu in lecto sedet, ac maritum et uxorem retinet, sicque eos inter se copulat, atque alta voce clamat : « Nolite fraudare invicem, nisi ex consensu [2]. » Continentiæ studes, nec cum marito somnum capere vis, nec ille te fruitur? abscedit jam et peccat : ac deinceps illius peccatum continentiæ tuæ ascribitur. Satius est ut

[1] 1 Cor. VII, 2 et 4. — [2] Ibid. 5.

tecum ille, quam cum scorto dormiat. Quin te fruatur, minime prohibitum est : ne autem illa, ipsi interdictum est. Si tecum dormiat, nullum crimen est : si cum illa, membra tua perdidisti. Ita Paulus in viri atque uxoris lecto sedet, at clamat : « Nolite fraudare invicem, nisi ex con-» sensu. » Propterea virum accepisti, propterea uxorem tu quoque accepisti, ut pudicitiam colatis. Cupis a libidine te abstinere ? hoc viro quoque tuo persuade, ut duplex corona sit, nempe pudicitia et concordia : ut non pudicitia et pugna sit, ut non pax et bellum. Nam cum tu continentiæ studes, ille autem libidine flagrat, vetat porro Paulus, ne quis scortetur[1], statim ille perturbatur, ac velut fluctibus quibusdam agitatur. « Nolite fraudare invicem, nisi ex » consensu. » Ubi enim pax est, illic bona omnia sunt : ubi pax est, etiam pudicitia splendet : ubi concordia est, continentia coronatur : ubi autem bellum est, pudicitia succiditur. « Nolite itaque fraudare invicem, nisi forte ex » consensu. » Siquidem Paulus orbis terrarum pronubus quemlibet pronubum superat. Eaque de causa dicere non veretur : « Honorabile connubium in omnibus et torus im-» maculatus[2]. » Nam etiam ipsius Dominus nuptiis interfuit, præsentiaque sua eas cohonestavit, ac munera obtulit. Etenim aquam in vinum commutavit. Curre itaque quantum voles : cum autem defatigatus fueris, concubitus remedium accipe, ne tentet vos Satanas. « Unusquisque igi-» tur uxorem suam habeat. » Tria enim hæc sunt, virginitas, matrimonium, fornicatio : matrimonium locum medium tenet, fornicatio infimum, virginitas summum. Virginitas coronam habet, matrimonium laudem mediocrem, fornicatio pœnam et cruciatum. Vide itaque quomodo te contineas, atque an corporis imbecillitatem ferre queas : neque in animum inducas supra modum ascendere, ne supra

[1] 1 Cor. VI, 18. — [2] Hebr. XIII, 4.

modum descendas. Sicut enim is qui urinaturus est, eo usque in aquam ingreditur, in quantum egredi potest, ac quando ingreditur, illud cogitat, quantum egredi oporteat; ita et tu, quantum ferre queas, tecum reputa : ne alioqui præter modum descendas. Pro his omnibus rebus Christo gratias agamus, quoniam ipsi gloria et imperium cum Patre et Spiritu sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO III

IN PSALMUM L.

Et de Pœnitentia.

I. Hesternæ mensæ reliquias vobis hodierno die reddere volo (15). Verum cum reliquias et mensam audis, charissime, cave sensibile quidquam suspiceris. Non enim carnes in frusta scindimus, sed spiritualia sensa præbemus. Non vinum merum effundimus : sed sermonem animis vestris instillamus. Nam in mensa sensibili, si carnes uno aut altero die asserventur, corrumpuntur et intereunt : in animi autem sensis, si totum annum permaneant, florem suum atque odoris suavitatem reddunt. Manserunt carnes, ac tempore corruptæ sunt : manserunt sensa, fragrantiam suam nunquam reddere intermittunt. Si quis carnes comederit, in corruptionem abit : si quis sensa, ad incorruptionem deducitur. Si quis carnes comederit, multum fœtorem eructat : si quis sensa odorem suavitatis habentia, multam virtutem eructat, ac proximum voluptate afficit. Ideo Propheta, quia ejusmodi cibos comederat, dicebat : « Eructavit cor meum

» verbum bonum [1]. » Rursum fluctus excitantur : sed mens stabilis maneat. Concutiuntur corpora : sed auris tranquilla sit. Perspicite igitur, ac diligenter animum ad ea, quæ dicam, attendite. Vidistis heri regem et Prophetam pugnantem, cadentem, resurgentem, vincentem, coronatum, prædicatum. Vidistis peccatum accedens, ac per pœnitentiam jugulatum. Peccatum enim tanquam ursus impetum fecit, atque eum prostravit : verum ingressa est pœnitentia, eumque a lapsu revocavit. Vulnerum scilicet remedium spes salutis erat. Vidistis quomodo Propheta ingrederetur, ac Prophetam coargueret. Vidistis regem sapienter reprehensionem ferentem, sectionem excipientem, atque ita sanie liberatum. Vidistis elucentem Domini benignitatem, ac mortuum ad vitam revocantem. Vidistis eum dicentem : « Peccavi Domino : » rursumque Prophetam : « Etiam Do- » minus abstulit peccatum tuum [2]. » Compendiosa confessio : sed compendiosior medicina et morbi depulsio. Per opera peccaverat : per verba confessus est. Annuit Deus : ac vulnus de medio sublatum est, rediitque sanitas. At id non sibi satis esse duxit Propheta : verum post reprehensionem, post correctionem et sanationem, post verborum prolationem, post vulnerum curationem in hoc argumentum Psalmum scripsit, ut ipsius calamitas posteris medicina fieret, ejusque naufragium ipsis portus existeret, atque per ea, quæ ipse passus fuerat, ac sanitatem receperat, alii, qui in eumdem morbum incidissent, eodem medicinæ atque curationis genere fruerentur. Quisnam igitur est hic Psalmus, et quæ ipsius inscriptio ? Audiamus, quæso, diligenter. « In fi- » nem, Psalmus David [3]. » Inscriptio ipsa, quodnam hujus Psalmi argumentum sit, perspicue nobis tradit. Quin ipsa quoque Psalmi verba sententiæ profunditatem satis indicant. Illud tamen scire attinet Psalmum hunc etiam futura-

[1] Psal. XLIV, 2. — [2] 2 Reg. XII, 13. — [3] Psal. L, 1 titulus.

rum rerum prædictionem continere. Unde etiam, « In » finem, » inscriptus est. Quibus verbis illud indicatur, prophetiam hanc finem habituram esse. Nec vero quisquam dubitet, an magnus David eo tempore, quo in pœnitentia versabatur, prophetica gratia donatus sit. Nam istud per alios etiam Psalmos, in quibus confessionem emittit, perspici potest. Nam cum in aliis, tum in hoc quoque Psalmo perspicue nos illud docuit, quod Spiritus gratia minime orbatus esset. « Spiritum enim tuum bonum, inquit, ne au- » feras a me [1]. » Neque enim petit ut sibi præberetur, sed ne auferretur. Illo itaque illuminatus, ac fore prospiciens, ut populus, qui ipsius imperio suberat, laberetur, ac quibusnam ob ea suppliciis plecteretur, atque captivitate oppressus in Babyloniam migraret, Psalmum hunc conscripsit, tum ut vulneribus suis medicinam afferret, tum ut consentaneum pharmacum popularibus suis conficeret. « Miserere mei, » Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Et secun- » dum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquita- » tem meam [2]. » Et divinissimo David, et captivo populo, et eis, qui apud nos male affecti sunt, hæc verba conveniunt. Nam ingentia vulnera consentaneis pharmacis opus habent. Quamobrem etiam magnus David supplex orat, ut tota in se misericordia effundatur, atque universus misericordiarum fons peccati vestigia oblitteret. Merito autem iniquitatem delictum vocat : duplicem quippe legis transgressionem habet. « Dele iniquitatem meam. » Audisti Prophetam dicentem : « Etiam Dominus abstulit peccatum tuum. » Quid igitur amplius poscis? Maneo, inquit, in gratiarum actione; maneo in divinæ laudis prædicatione. Sublatum est peccatum meum, at etiam tolli cicatricem cupio : sublatum est ulcus, at etiam pulchritudinem meam recipere cupio.

II. Accedit igitur, atque ait : « Miserere mei, Deus. »

[1] Psal. L, 13. — [2] Ibid. 2, 3.

Vitæ suæ recte facta non commemorat, sed Domini benignitatem, ad misericordiam confugiens, communem omnium, qui peccarunt, portum. « Miserere mei, Deus. » Nam misericordia tua ineffabilis est, nec ullis verbis explicari potest : omnem enim sermonis vim excedit. Etenim ea, et peccatori solatium est, et Justo ingens securitas. Neque enim peccatores duntaxat misericordia salutem consequuntur : sed etiam Justi misericordia muniuntur. Atque ut intelligas Justos misericordiæ præsidio muniri, audi quid Christus dicat Petro columnæ illi et basi, ac propterea Petro appellato, quia saxea fide præditus erat : « Simon, » Simon, sæpe expetivit te Satanas ut cribraret te, velut » triticum; ego autem oravi pro te, ut non deficiat fides » tua [1]. » Vides-ne quomodo etiam Justi misericordia indigeant, ut tum ex peccatoribus justi fiant, tum justi effecti justi maneant? Nam et Apostolus per misericordiam Dei effectus est talis. « Gratias, inquit, ago ei, qui me confortavit, » Christo, quia fidelem me existimavit, ponens in ministe- » rio, qui prius eram blasphemus et persecutor et contume- » liosus [2]. » Quonam igitur modo salutem adeptus es. « Sed, » inquit, propter hoc misericordiam consecutus sum [3]. » Vides-ne hunc quoque per misericordiam salute donatum. Ecclesiam insectabatur ac pervastabat [4], vineas evellebat, lupum se præbebat. Prophetias legebat, et Prophetas violabat. Legis patriæ defensor Prophetas legebat, et eum, qui a Prophetis annuntiabatur, ignorabat. Quomodo ergo misericordiam consecutus est. « Saule, Saule, quid me perse- » queris [5] ? » O benignitatem Domini! Quousque descendit? Deus homini ait : « Quid me persequeris. » Patrem suum imitatur. Nam etiam ille Hebræorum populo ait : « Populo » meus, quid feci tibi, aut quid læsi te, aut quid molestus

[1] Luc. xxii, 31, 32. — [2] 1 Tim. 1, 12, 13. — [3] Ibid. 16. — [4] Act. viii, 3. — [5] Id. ix, 4.

» fui tibi : responde mihi [1]. » Et ipsius Filius ad Saulum ait : « Saule, Saule, quid me persequeris? » Quid igitur ille? « Quis es, Domine [2]? Statim dominationem confessus est. Vidisti animi probitatem. « Quis es, Domine? Ego sum Je- » sus Nazarenus, quem tu persequeris [3]. » O Domini sapientiam! Cur non dixit : « Ego sum Dei Filius; ego Verbum in principio; ego sum qui ad dexteram Patris sedeo; ego sum qui in forma Dei existo; ego sum qui cœlum extendi; ego sum qui terram constabilivi; ego sum qui mare expandi; ego sum qui Angelos procreavi; ego sum qui ubique adsum, atque omnia impleo; ego sum qui ex Patre ante sæcula genitus sum. » Cur, inquam, et augusta ista, et magna, et sublimia non dixit, sed, « Ego sum Jesus Nazarenus, » ex infima civitate? Nempe quia eum persecutor ignorabat. Nam si eum nosset, non persequeretur. Ignorabat quod ex Patre genitus fuisset : quod autem ex Nazareth extitisset, compertum habebat. Si ergo ad eum dixisset : « Ego Filius Dei sum; ego Verbum illud, quod in principio erat, et quod cœlum fecit, » dicere potuisset : « Alius est ille, et alius quem persequor. » Intellexistis quid dixerim? Si magna illa et excelsa locutus fuisset, respondere potuisset : « Alius ille est, ac non crucifixus iste. » Ut autem intelligeret se persequi eum, qui carnem induerat, qui servi formam sumpserat, qui nobiscum versatus fuerat, qui in crucem actus fuerat, qui mortem oppetierat, qui sepultus fuerat, qui resurrexerat, qui ex inferiori loco ortus fuerat; idcirco ait : « Ego sum Jesus Naza- » renus, quem tu persequeris, » quem vidisti, quem nosti, qui tecum versatus est. Ideoque dominationem statim confessus est. Nimirum Dominus eo usque se demisit, quousque servus ascendere poterat. Et propter hoc misericordiam consecutus est. « Miserere mei, Deus, secundum magnam misericor- » diam tuam. » Chananæa quoque ad istum portum confugit :

[1] Mich. VI, 3. — [2] Act. IX, 5. — [3] Ibid.

« Miserere mei; filia mea male a dæmonio torquetur [1]. » Ubi enim misericordia, nulla perquisitio : ubi misericordia, judices non sedent, in salutem minime inquiritur. Ubi misericordia est, excusationem afferre nihil necesse est. Misericordiam duntaxat quæro. Cur a me rationes postulas? Misericordiam duntaxat peto, ac salutem omnis perquisitionis expertem. « Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam » tuam. » Dixisti magnam : dic quantam? Nescio : quod magna sit scio : at eam metiri ac comprehendere nequeo. Magnitudinis modum ignoro. Mens eam non percipit, lingua non explicat. Video ingentem misericordiæ fructum. Nisi enim ingens ipsius magnitudo esset, pauci ad salutem pervenissent. Hanc misericordiam ipsius quoque Filius indicat. Veniens enim salutem omnibus per misericordiam dedit. « Miserere mei, Deus, » portus sine fluctibus, ac tranquillitatis plenus. Magnus peccatorum meorum tumultus est : sed ingens benignitatis Domini mei securitas. Homo factus est : hoc misericordiæ est. In virgineam vulvam venit : hoc benignitatis est. Factum est id quod ipse eras, ut quod non eras efficiaris : hoc rursum misericordiæ. Et cum venisset, quosnam statim vocavit? Magos. Quem autem post illos? Publicanum. Post hunc? Meretricem. Post illam? Latronem. Post eum, quem? Blasphemum.

III. O res novas et inauditas! Primitiæ vocationis ii fiunt qui peccati tyrannidem tenebant. Quia terrarum negotia misero in statu erant; alii enim ab impietatis tyrannide opprimebantur, alii in judaïsmo et salutis desperatione a peccato tenebantur; propterea cum venisset, primitias eorum, qui peccaverant, statim vocavit, ut ne quis postea salutem suam desponderet. Impius es? Magos mente tibi propone. Raptor es? Publicanum cogita. Impurus es? Meretricem reputa. Sicarius es? Latronem cogita. Iniquus

[1] Matth. xv, 22.

es? In mentem tibi veniat Paulus, qui prius blasphemus erat, postea Apostolus : prius persecutor, postea Evangelista : prius adulter, postea pronubus : prius zizanium, postea triticum : prius lupus, postea pastor : prius plumbum, postea aurum : prius pirata, postea gubernator : prius Ecclesiam diripiens, postea Ecclesiæ curam suscipiens : prius vineas excindens, postea eas plantans : prius templum evertens, postea extruens. Vidisti singularem improbitatem? Vidisti florentem virtutem? Vidisti servi contumaciam? Vidisti rursum Domini benignitatem? Ne mihi dicas: « Blasphemus sum. » Ne mihi dicas : « Persecutor sum ; impurus sum. » Habes omnium horum exempla. Ad quem voles portum confuge. Vis in Novo? vis in Veteri Testamento? In Novo Paulum habes; in Veteri David. Ne tergiverseris, ne cuncteris. Peccasti? pœnitentiam age. Millies peccasti? millies pœnitentiam age. Hæc pharmaca subinde adhibeo, ac tumorem reprimo. Non enim me fugit quanta sit in peccatorum conscientia dejectio, quanta desperatio. Stat in procinctu diabolus ensem acuens, atque his verbis utens : « Totam tuam juventutem dedecore affecisti, totum vitæ tuæ tempus perdidisti. Prius scortator eras, postea rapuisti ac suum alteri detraxisti; perjurio et blasphemia te obstrinxisti, quænam tibi salutis spes esse queat? Actum est de te. Nihil aliud superest, quam ut præ senti saltem vita fruaris. » Hæc diaboli verba sunt. At mea contraria. Periisti? at salutem consequi potes. Scortatus es? at pudicitiæ studere potes. Adulterium admisisti? at salutem obtinere potes. Cecidisti? at resurgere potes. Exigua pœnitentia tua est? at magna Domini benignitas. Cædem perpetrasti? at te pœniteat. Suum alteri ademisti? at meliorem mentem induc. Adulterio te devinxisti? at ab eo te remove. Sauciatus es? at medicinam admitte. Quandiu spiras, etiam in extremo die, etiam in lecto, si illic jaceas,

etiamsi animam agas, ac jamjam ex hoc theatro, atque ex hac vita excessurus sis, tamen pœnitentiam age. Temporis angustia non cohibet Dei benignitatem. Ne mihi dicas : « Qui istud, et quonam pacto? Ulceribus scateo, vulneribus plenus sum: an extremo vitæ die confiteri possum?» Tu vero potes et omnino potes. Ora : eleemosynam eroga: in testamento tuo pauperibus aliquid relinque. Tu illuc abscedis, et opus tuum manet. Nec vero hæreticorum sententiam mihi in medium afferas. Ne mihi dicas : « Quomodo salutem adipiscar? » Cum Deus operatur, rationes ne exposcas : cum ille curat, ne spem abjicias. Stat medicus secans, ac sexcenta pharmaca adhibens, nec ais : « Quo pacto me curas? » verum arti te submittis. Conservi tui arti te submittis, nec curiosum te præbes : et Dei benignitati minime te submittis? Ne dicas : « Quomodo? » sed admirare atque obstupesce, ipsiusque gloriam celebra. Alioqui enim ex te quæro, quonam modo latro ille salutem consecutus sit, qui omnem vitæ cursum in cædibus ac cruoris effusione confecerat, parietes effoderat, bona diripuerat. Non pœnitentia ductus est, non se ad meliorem mentem revocavit, cum in terra versaretur. Apud homines condemnatus est : et a Deo corona redimitus. Vitæ suæ arbitrium non habebat : et regni compos factus est. Res hujus vitæ perdiderat : et res illius vitæ accepit. Quonam modo, quæso? Unico verbo. Quid enim dixit : « Memento mei, Domine, in » regno tuo [1]. » Et hoc verbum valuit? Imo verbum non valuit solum, sed Dei misericordia cum pœnitentia conjuncta latronem paradisi civem effecit. Quonam modo? Nescio quonam modo. Ne modum a me exquiras : salutem tantum quæro; sanitatis autem modum curiosius non exquiro. Medicum oras : « Infirmitate me libera, » nec audes dicere quomodo : Deus est, qui te salvum facit, et audes di-

[1] Luc. XXIII, 42.

cere quomodo? Quot adulteri? quot molles? quot pædicones? quot affectatæ tyrannidis convicti in vinculis tenentur? Innumeræ accusationes, acerbi hostes, ingens potentia. Et tamen solo imperatoris nutu liberantur. Imperator est conservus meus : quamvis enim purpuram gerat, nihil tamen, quantum ad substantiam attinet, meliore, quam ego, conditione est. Annuit : liberantur. Breve diploma conscriptum est, et reus liberatur. Non præfectus repugnat, non carceris custos obsistit, non legum auctoritas adversatur : verum imperatoris dignitas eum, qui vinctus tenetur, in libertatem asserit : et Deus, qui Angelorum et Archangelorum Dominus est, solo nutu salutem afferre non poterit? Imperator, cum eum missum facit, supplicio eum solvit, non autem peccato : at Dominus meus peccata remittit. Dicit : « Nolo adulterum esse adulterum, et ipsius sermo in opus prodit. Dicit : « Fornicator non jam sit fornicator, et ipsius sermo mores ejus immutat, ac peccatum retundit.

IV. Atque ut hoc ita esse intelligas, dixit : « Cœlum fieri volo [1]; » et cœlum factum est. « Terram fieri volo : » et substantia illa ex nihilo producta est. « Angelos fieri volo: » et Angelorum agmen confestim extitit. Substantias intelligentia præditas, et corpora, quæ prius non erant, ipsius sermo efficit : et peccata solvere non potest? Quid enim est peccatum, si cum Domini benignitate conferatur? Araneæ tela. Ventus flat, et araneæ tela disrumpitur : Deus vult, et peccatum non dissolvetur? Hæc dico, non ut segniores vos reddam, verum ut ad spei meliorem fiduciam adducam. Nunquam desperes, o homo. De eo desperes, qui de seipso desperat. Hunc David magnum Prophetam cogita, post Spiritus gratiam, post fiduciam in Deum, post tot præclara gesta, post tot palmas et triumphos prædicantem ac dicentem : « Miserere mei, Deus, secundum magnam misericor-

[1] Gen. 1, 6.

» diam tuam. » In benignitatis Domini mei pelagus me conjeci. Et quid vis? Audisti Prophetam dicentem : « Etiam » Dominus abstulit peccatum tuum. » Quid amplius quæris? Non hoc tantum quæro, inquit : pulchritudinem meam posco, fiduciam meam requiro. « Et secundum multitudi- » nem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam. » Vides-ne quid quærat? Quid ergo? Annon deleta est? Quid aliud vis? « Amplius lava me ab iniquitate mea, et a pec- » cato meo munda me [1]. » Quid enim? Plura quæro : majorem splendoris claritatem. « Amplius lava me ab iniquitate » mea. » Quid enim fecisti? et cur id contingat? Animum quæso diligenter ad ea, quæ dicam, adverte, atque animi nervos contende. Dei quidem misericordia tanta est, ut nulla oratione explicari, nulla cogitatione comprehendi possit, mentemque excedat, ac rationem superet : verum etiamsi ea talis sit, partes tamen etiam nostras desiderat, ne homines misericordiam consecuti, fiant inutiles. Attende quid dicam : Deus misericordiam impertit : at non id simpliciter, verum ait : « Da tu quoque aliquid. » Quidnam? Verbi gratia : « Infinitis peccatorum sarcinis premeris, delicta multa habes, ea levare volo, manum tu quoque porrige : non quod ego te opus habeam, sed te etiam ad tuam salutem aliquid erogare volo. » Et quonam pacto? dicam : « Latro ille salutem est consecutus, ac tot peccata dissolvit : at non per misericordiam solam, sed etiam per suam fidem. Quid enim ait? « Memento mei, Domine, in regno » tuo. » Quidnam Deus ad ipsius salutem contulit? Peccatorum solutionem. Quid latro? Fidem. Qualem? magnam, sublimem, ac cœlum ipsum attingentem. Quonam modo? Ego exponam. Judæi mortuos ad vitam revocari, leprosos purgari, dæmones pelli, maris furorem reprimi, terram scaturire, piscem staterem afferre, stellam Magos ducere,

[1] Psal. L, 4.

cœlestes et terrenas creaturas velut satellitum officio fungi viderunt, et tamen eum, suum ac omnium dominum, in crucem sustulerunt. Latro nihil horum vidit, quin potius eum conspui, contumeliis affici, maledictis impeti : nec tamen ei offendiculo fuit, verum cœlorum regem confessus fuit. Vides-ne quomodo misericordiam non simpliciter sit consecutus, verum ipse etiam aliquid erogarit ? Opus enim est ut is, qui misericordiam consequitur, ad salutem suam ipse quoque aliquid momenti afferat. Rursum Publicanus ille qui raptor et avarus erat, quonam modo salutem accepit ? Transibat Christus, aitque ad ipsum : « Veni, sequere me : » et surgens secutus est eum [1]. » Ut igitur latro verbum contulit, sic etiam Publicanus hoc ipsi præbuit, ut eum sequeretur. Quemadmodum enim in ægrotis et incurabili morbo correptis, ingentisque pretii pharmacis opus habentibus, si ingrediatur medicus, atque ægrum admoneat, permultis ipsi medicamentorum generibus ad conficiendum pharmacum opus esse, isque præbere se posse neget, quod inopia laboret, dicatque medicus : « Hoc et illud mihi da, et ego reliqua omnia de meo subministrabo : » eodem modo Deus : « Confessionem, inquit, et lacrymas, et pœnitentiam mihi præbe, et ego alia pro mea benignitate tibi largiar. »

V. Hoc ergo etiam David rogat, ut Deus peccata sua abluat. Quid præstitit David : « Miserere mei : » et, « Amplius » lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me. » Quasi diceret : « Jam quidem per Nathan prophetam remissionem mihi dedisti, atque omnis generis calamitates, tanquam ustiones et sectiones quasdam mihi adhibuisti : verum ablutionibus adhuc opus habeo, ut qui ingentem fœtorem ex peccato contraxerim. Rursum me, Domine, ablue, ut omnes peccati sordes abstergas. » Quid igitur fecit David ? quid vicissim præbuit ? homicidium quidem

[1] Matth. IX, 9.

fecit, et adulterium : lacrymas autem præbuit et confessionem, et ait : « Quoniam iniquitatem meam ego cog-» nosco. » Contractus quidam est. Dat quidem Deus : dat item ille cui salus affertur. Deus misericordiam dedit : confessionem vicissim is dedit, qui salutem accepit. Quid tribuis, David, ut salutem accipias, ut pharmacum misceam? « Quoniam iniquitatem meam ego cognosco. » Hoccine tribuis? Est-ne quisquam qui peccatum suum non cognoscat? Est sane. Quot enim sunt, qui peccant, et fidentem animum gerunt? Quot sunt, qui rapiunt, et se rapere ignorant? Quot sunt, qui avaritia tenentur, nec id sentiunt? Quot sunt, qui viduas spoliant, atque alias curiosius intuentur? Quot sunt, qui pupillos opprimunt, nec propterea plorant lacrymasque emittunt, nec peccata confitentur? Quonam igitur pacto salutem assequi possunt, cum nesciant se peccare? Vidisti Prophetam clamantem et dicentem : « Quoniam iniquitatem meam ego cognosco? » Nec enim post acceptam a te veniam, inquit, peccatum meum oblitus sum : verum, malorum meorum, ac flagitii perpetrati simulacrum sine ulla intermissione contemplor. Atque noctu somnio, et interdiu ejus species menti meæ sese objicit. « Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, » et peccatum meum contra me est semper [1]. » O generosam animam! Adeo peccatum oblivioni minime mandavit, ut etiam ipsum, tametsi condonatum, litteris prodiderit. In conscientia, non secus atque in pictura, mulierem eam, quam adulterio fœdaverat, singulis diebus, et saniem suam cernebat. « Et peccatum meum contra me est semper. » Ego illud video; tu illud ne videas. Ego litteris mando : tu oblittera. Vide enim quid fiat. Si tu illud memoria teneas, Deus e memoria abjicit. Si te illius oblivio capiat, Deus illius meminit. « Ego enim sum, ait ipse per Prophetam,

[1] Psal. L, 5.

« qui deleo iniquitates tuas, et earum non recordabor [1]. » Tu vero eorum memineris. Cur meminerim? ut tu scilicet gratum animum præbeas, atque quid tibi condonarim, agnoscas. Nam si peccati onus semper in memoria habeas, semper etiam beneficii magnitudinem in memoria habiturus es. Condonavi tibi : sed tu gratiæ ne obliviscaris, et ego peccati non recordabor. Tales erant Sancti. Virtutum suarum obliti, peccata sola memoria retinebant : non ut hodie homines peccatorum suorum memoriam exuunt, at si quid boni egerint, in medium illud proponunt. Fecisti aliquid boni? Illud occulta, ut Dominus tuus evulget. Mali aliquid perpetrasti? illius recorderis, ut Dominus tuus illud obliviscatur. Cede Domino tuo. Num enim sic virtutes tuas referre potes, ut Dominus tuus eas refert? Tu si exponas, eas imminuis. Si autem eas Dominus tuus narret, eas auget atque amplificat. Quomodo? Ego dicam. Egentibus tribuis. Hoc si enuntias, illic interrogatus, quo pacto loqueris? « Pauperem fame affectum vidi, et eum alui. » Ipse autem quomodo loquitur? Non ita hæc refert; sed quomodo? « Esurientem me vidistis, et » aluistis [2]. » Sine illum hæc dicere, qui magnifice loqui potest. Sine eum hæc dicere, qui ea mirum in modum amplificat. Peccata autem tua ipse commemora, ut ea deleas. At pudet te peccata confiteri? Dic ea quotidie in oratione. Num dico ut ea conservo exponas, qui te probris impetat? Dic Deo, qui iis medetur. Neque enim, si non dixeris, ignorat ea Deus. Num ex te ea scire vult? cum ea perpetrares, aderat : cum ea admitteres, astabat, sciebat. Perpetrabas ea, nec te pudebat. Ob ea quæ tibi dedecus afferebant, non erubescebas : et nunc ob verba ea, quibus justitia tibi comparatur, erubescis? Hic narra, ut non illic narres. Dic, et lacrymas funde. Peccata tua in libro

[1] Isaï. XLIII, 25. — [2] Matth. XXV, 35.

scripta sunt : spongiæ autem sunt lacrymæ tuæ. Lacrymas mitte, et oblitterantur : lacrymas funde, et purus illic liber invenitur. Magna peccatorum spongia sunt lacrymæ. Magna lacrymarum vis est. Vis dicam quantum lacrymæ valeant? Quodnam tibi esse videtur præclarum opus? Animum, quæso, diligenter attende. Quodnam tibi esse videtur præclarum opus? Martyrium dices? « Majorem enim hac charitatem » nemo habet, quam ut ponat quis animam suam pro amicis » suis [1]. » Maximum opus martyrium est : quandoquidem Martyres sanguinem profundunt. Apertum enim est quod Martyres agunt : Martyres sanguinem fundunt, peccatores lacrymas fundunt. Atque ut quanta lacrymarum vis sit intelligas, meretrix illa sanguinem-ne fudit? Annon lacrymarum duntaxat fontes effudit, atque peccata delevit? Et quid meretricem impuram fœminam commemoro? Columna illa Ecclesiæ, illa fidei basis, illud apostolici chori caput, Petrus, annon semel et iterum et tertio Dominum negavit? An vero propterea cruorem effudit, ac non potius lacrymarum fontes fudit, ac ploravit, et peccatum suum abstersit? « At iniquitatem meam ego cognosco. » Annon codicem domi habes, in quo quotidianas rationes scribas? Habe item codicem in conscientia, et quotidiana peccata scribe. Verbi gratia : cum in lecto tuo jaces, nec quisquam est qui tibi negotium facessat, antequam somnus irrepat, libellum in medium produc, et peccata tua tecum reputa, dicens apud teipsum : « Numquid hodie vel sermone, vel opere peccavi? »

VI. Hoc etiam ut faciamus monet Propheta, cum ait : « Irascimini et nolite peccare : quæ dicitis in cordibus » vestris, in cubilibus vestris compungimini [2]. » Diurno tempore id faciendi otium non habes : verum et præfectorum metus, et sodalium colloquia, et negotiorum cura, et alendæ

[1] Joan. xv, 13. — [2] Psal. iv, 5.

prolis studium, et uxoris cura, et parandæ mensæ sollicitudo, ac denique infinitæ res animum tuum distrahunt. Cum autem in lectum, hoc est, ad tranquillum portum te conjecisti, nec ullus tibi molestiam exhibet, dic cordi tuo, atque animæ tuæ: «Exegimus hodiernam diem, o anima! quid boni fecimus, aut quid mali admisimus?» ac gehennæ recordare, ut metu affectus bonum augeas, malum de medio tollas. Si in lecto sis, atque in peccatorum tuorum memoriam venias, lacrymare, atque hac ratione ea in lecto delere potes. Deum tuum roga atque obsecra: sicque animam somno trade, posteaquam prius peccata tua confessus fueris. Rationes a teipso exige, et Deus tuus rationem tibi reddet. Quid molestum, quid grave est in lecto jacentem quotidiana peccata supputare? Cum autem ea supputas, animum tuum suspende, ipsum lancina, ipsum gehennæ metu aperi, ipsi sectionem, quæ dolore caret, adhibe: horrendum tribunal tibi effice, animum leviorem redde, ut postero die ad perpetranda peccata segnior accedas. «Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum » meum contra me est semper. Tibi soli peccavi, et malum » coram te feci [1].» Quid est quod ais? «Rex eram, inquit, ac te unum metuebam. Rex eram, ac propterea eum, quem injuria afficeram, non formidabam. Miles meus erat, nec de me supplicium sumere poterat. At vero tua causa in cura sum, ne a me pœnas expetas. «Tibi soli peccavi, et » malum coram te feci.» Multa, inquit, et ampla beneficia a te accepi, contrariis autem rebus vicem tibi rependi: ea, quæ lege tua interdicta sunt, patrare minime dubitavi.» Nec vero hoc dicit, quod Uriam non læserit: nam eum et ejus uxorem læserat: at maxima iniquitas erat adversus Deum, a quo electus, ac rex effectus fuerat. Recte autem adjunxit: «Malum coram te feci:» hujus enim historia me-

[1] Psal L, 6.

minit : « Apparuit enim, inquit, quod commissum fuerat, » malum coram Domino [1]. » Si autem ad captivum populum hoc referatur, ad hunc modum hæc verba intelligenda sunt, « Tibi soli peccavi : » Tuis beneficiis, inquit, ingratum me præbui, legesque a te positas violavi : ac multis bonis a te acceptis, animum horum immemorem gessi, atque a Babyloniis, quibus a me nulla injuria orta fuerat, magnis injuriis affectus sum. « Ut justificeris in sermonibus tuis, » et vincas cum judicaris [2]. » Mihi ipsi, inquit, mala accersivi : tuaque justitia sic quoque elucet. Nam si res in judicium veniat, eaque beneficia, quæ mihi abs te acciderunt, in medium proferantur, ac cum illis ea, quæ perpetravi, expendantur, tu quidem justus ac benignus esse pronuntiaberis : me autem iniquum et ingratum esse constabit. Itaque hæc particula, « Ut, » causam hoc loco non indicat. Neque enim propterea, aut ipse David, aut populus peccavit, ut Deus justificetur : verum contra, peccato ab ipsis admisso, Dei justitia demonstratur. Nam et ejus, et illorum providentiam gessit. « Ut justificeris in sermonibus » tuis, et vincas cum judicaris. » Quid est quod ait? « Peccavi in te. Si judicium instituatur, vincis; sin autem quispiam Judicis partes obeat, rursum superas. » Quomodo? Quoniam videbat Deum cum hominibus judicio contendere semper cupientem. « Audite convalles, fundamenta » terræ, quia judicium est Deo adversus populum suum [3]. » Et rursum : « Populе meus, quid feci tibi, aut quid moles- » tus fui tibi? responde mihi [4]. » Et alio loco : « Audi cœlum, » et auribus percipe terra, Dominus locutus est. Filios ge- » nui et exaltavi : ipsi autem speraverunt me [5] : » ac denique Deum passim cum hominibus disceptantem videbat : ait illi : « Victoria penes te est. « Ut justificeris in sermonibus

[1] 2 Reg. XI, 27. — [2] Psal. L, 6. — [3] Mich. VI, 2. — [4] Ibid. 3. — [5] Isaï. I, 2.

» tuis, et vincas cum judicaris. » Nam me, cum agricola essem, regem fecisti. Regem autem effectum, Prophetam constituisti : Goliath illum, non corporis robore, sed vi fidei prostravi. Purpuram gessi. Alterum ejecisti, ac me introduxisti : amplissimas mihi divitias dedisti.

VII. « Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum » judicaris. » Si tu, inquit, peccata mea exponas, non autem ego, condemnor. Propterea misericordia opus habeo. « Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis » concepit me mater mea [1]. » Antiquitus, inquit, atque ab initio naturam peccatum vicit. Siquidem divini mandati transgressio Evæ conceptionem antecessit. Nam Adamus, postquam transgressus, et ex paradiso pulsus fuerat, « Cog- » novit uxorem suam Evam : et concepit et peperit Caïn [2]. » Hoc igitur dicere vult : Peccatum, quod generis nostri auctores superavit, viam quamdam ac semitam per generis successionem sibi fecit. Per hæc autem omnia docemur, peccati operationem naturalem non esse : nam alioqui a pœna immunes essemus : verum naturam ab animi affectibus concussam ad lapsum pronam esse ; mentem tamen laborum ope atque auxilio victoriam obtinere. Quamobrem non hoc loco conjugium accusat, ut quidam stulte existimarunt, sic videlicet hæc verba intelligentes : « In » iniquitatibus conceptus sum ; » verum flagitium illud a primis parentibus perpetratum in medium profert, illudque harum fluxionum fontem extitisse ait. Nam nisi illi peccassent, inquit, mortis pœnam minime subiissent. Nisi autem mortales fuissent, a corruptione alieni fuissent. Incorruptioni porro animi perturbationem immunitas conjuncta fuisset : qua quidem vigente, peccato locus nullus extitisset. Posteaquam autem illi peccarunt, corruptioni mancipati sunt. Corruptibiles autem effecti, tales quoque

[1] Psal. L, 7. — [2] Gen. IV, 1.

filios progenuerunt. Tales autem progenitos, et cupiditates et metus et voluptates comitantur : adversus quæ ratio depugnat : si vincat, velut præconis voce celebratur : sin autem succumbat, ignominia perfunditur. Symmachus autem pro ἐκίστησεν, ἐκύησεν posuit. « Ecce enim veritatem » dilexisti [1]. » Ad hunc modum judicas, atque alios quidem plectis, alios autem corona donas, quia veritatem amas. Veritatem autem amans, ac naturæ nostræ imbecillitatem perspectam habens, iis qui remedia petunt, veniam tribue. « Incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi [2]. » Omissa regni commemoratione, prophetiæ mentionem fecit. Ita me honore auxisti, ut Filium tuum mihi detexeris, ac noscendum præbueris. Didici te Filium habere solii consortem : didici quod homo futurus sit. Evangelia universo terrarum orbi annuntiavi, crucem, sepulturam, resurrectionem, ascensionem. Ipsius descensum dixi, ipsiusque ascensum, ejus a dextris sedem, Ecclesiæ vocationem, Gentium salutem, Judæorum dejectionem, Apostolorum electionem dixi. Ecce enim « Incerta et occulta sapientiæ » tuæ manifestasti mihi. » Tantum me honorasti, inquit, tantum me amasti, ut etiam maximum mysterium, hoc est, Filium tuum mihi patefeceris. Et ubinam hæc ipsi indicavit? Audi ex ipso Propheta, quomodo illius e cœlo descensum narret. « Descendet sicut pluvia in vellus [3]. » Quid hoc est? Quoniam cum Dei Filius venit, non ita venit, ut orbem terrarum concuteret, nec fulgura et tonitrua emitteret, nec denique cum nuda Divinitate accessit : omnia enim periissent, si nuda Divinitate venisset. Ac ne montes quidem ipsi ejus adventum ferre potuissent; nam « Respicit terram, et facit eam tremere, tangit montes, » et fumigant [4]. » Si nudam essentiam suam ostendisset, sol extinctus, luna obscurata, mare exsiccatum fuisset, terra

[1] Psal. L, 8. — [2] Ibid. — [3] Id. LXXI, 6. — [4] Id. CIII, 32.

periisset, natura nostra de medio sublata fuisset. Ideo carnem induit, ac leniter, et sine strepitu, nemine, ne diabolo quidem ipso, nedum alio quoquam sciente, venit, atque in virgineo utero habitavit. O res novas et inusitatas! Lapis colliquescit, et vulva non colliquescit! Montes tabescunt, et uterus Deum gestat! Quonam pacto id explicem? Quonam pacto declarem? O hæreticorum amentiam! Quomodo ancilla Dominum gestabat? Tu qui superna inquiris, dic quæ inferiora sunt, quonam pacto is, qui ubique præsens est, in vulva erat, nec concludebatur? Nam et in vulva erat, et in solio sedebat. Quonam autem modo istud, haud novi : fide accipio, animo non curiose exquiro. Verum quod sine strepitu venturus sit, nullum perturbationem ac tumultum afferens. « Descendet sicut pluvia in vellus. » Non dixit : « In terram, » sed « In vellus. » Etenim pluvia, cum in terram delabitur, sonitum edit : in lanam autem et vellus delabens, strepitum nullum emittit. Quippe lanæ mollities labentis aquæ impetum frangit.

VIII. Atque ut intelligas quod citra strepitum sit, non turbans, non tumultum afferens, non perdens, non labefactans, « Descendet sicut pluvia in vellus. » Dixisti descensum ipsius, qui omni strepitu caruit : dic etiam ipsius proditionem : « Qui manducabat panes meos, magnificavit » super me supplantationem [1]. » Dic Judæorum invidiam : « Odio habuerunt me gratis [2]. » Dic ipsius judicium : « Quare » fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? Asti- » terunt reges terræ, et principes convenerunt in unum » adversus Dominum et adversus Christum ejus [3]. » Dic etiam ipsius crucem : « Foderunt manus meas et pedes » meos : dinumeraverunt omnia ossa mea [4]. » Dic ipsius cibum ac potionem : « Dederunt in escam meam fel, et in

[1] Psal. xl, 10. — [2] Joan. xv, 25, et Psal. xxxiv, 19. — [3] Psal. ii, 1, 2. — [4] Id. xxi, 17, 18.

» siti mea potaverunt me aceto[1]. » Dic Judæorum ejectionem. « Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gre» gibus tuis hircos[2]. » Dic Gentium vocationem: « Omnes » gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultatio» nis. Quoniam Dominus excelsus terribilis : Rex magnus » super omnem terram[3]. » Dic maledicta in ipsum a Judæis conjecta : « Speravit in Domino, eripiat eum, salvum fa» ciat eum, quoniam vult eum[4]. » Dic ipsius sepulturam : « Posuerunt me in lacu inferiori[5]. » Dic ipsius resurrectionem : « Quoniam non derelinques animam meam in infer» no ; nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem[6]. » Dic item ipsius ascensum : « Ascendit Deus in jubilo : Dominus » in voce tubæ[7]. » Dic ipsius sessionem : « Dixit Dominus » Domino meo : Sede a dextris meis, donec ponam inimicos » tuos scabellum pedum tuorum[8]. » Dic etiam Ecclesiæ ipsius gloriam : « Astitit regina a dextris tuis in vestitu deau» rato, circumdata varietate[9]. » Dic Virginum chorum : « Afferentur virgines post eam[10]. » Dic Apostolorum electionem : « Pro patribus tuis nati sunt filii tui[11]. » Dic baptismum : « Super aquam refectionis educavit me[12]. » Dic etiam mysteria : « Parasti in conspectu meo mensam adversus » eos, qui tribulant me[13]. » Dic etiam unctionem : « Impin» guasti in oleo caput meum, et calix tuus inebrians me » quam præclarus est[14] ! » Dic etiam Gentium petitionem ? « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et » possessionem tuam terminos terræ[15]. » Ecce enim, « In» certa et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. » Ego quidem, inquit, qui post tot beneficia ingrati animi vitio laboravi, nulla venia dignum me esse censeo. Neque enim me duntaxat in regio solio collocasti, verum etiam ea, quæ

[1] Psal. LXVIII, 22. — [2] Id. XLIX, 9. — [3] Id. XLVI, 2, 3. — [4] Id. XXI, 9. — [5] Id. LXXXVII, 7. — [6] Id. XV, 10. — [7] Id. XLVI, 6. — [8] Id. CIX, 1. — [9] Id. XLIV, 10. — [10] Ibid. 16. — [11] Ibid. 17. — [12] Id. XXII, 2. — [13] Ibid. 5. — [14] Ibid. — [15] Id. II, 8.

diuturno post tempore futura erant, mihi prius indicasti : et quæ aliis obscura erant, mihi conspicua fecisti ; ita ut aliis etiam unigeniti Filii tui incarnationem ac salutiferam passionem et resurrectionem tradiderim. Hæc omnia a sancto tuo Spiritu prius edoctus, supplex a te peto, ut illius gratiæ, quam aliis vaticinor particeps efficiar. Ac proinde clamo : « Asperges me hyssopo, et mundabor : la- » vabis me, et super nivem dealbabor [1]. » Solum enim baptismi donum hanc purgationem efficere potest. Idcirco ait : « Gratia ea, quæ omnibus mortalibus donabitur, opus habeo. Nam ea sola sordes meas perfecte abstergere, ac nivis candorem mihi conciliare potest. » Quod autem hyssopus nullam peccatorum remissionem afferret, ex Mosaïcis scriptis facile perspici potest. Quare alias res hoc loco hyssopus designat. Israëlitæ enim in Ægypto ædium postes hyssopo cruore tincto aspergentes, exterminatoris manus effugerunt [2]. Typum autem illa eorum, quæ salvator pertulit, gerebant. Nam hic quoque sanguis est, et lignum salutare, ac salus iis, qui cum fide accedunt, subministratur. « Auditui meo dabis gaudium et lætitiam, et exulta » bunt ossa humiliata [3]. » Hac, inquit, voluptate aures meas imple, perfectam purgationem promittens, ut hujusmodi hilaritas ad omnes corporis partes dimanet, et ossa ea, quæ nunc ærumna et afflictione depressa sunt, rursum floreant, ac vim suam recuperent. Nam vero in ea flagitia, quæ perpetravi, oculos conjice : sed in me, qui ea luctu ac lamentis prosequor : atque iniquitatem meam dele. » Quid tibi vis, o Propheta ! Soluta sunt tua peccata, extincta tua pœna est. « Non hoc satis esse duco, ait. Benignum dominum habeo, plura, quam petam, largientem. » Et quid vis ? « Propheta eram, inquit, rursum Propheta esse cupio : fiduciam illam requiro, Spiritus donum, ingentem gratiam.

[1] Psal. L, 9. — [2] Exod. XII, 22. — [3] Psal. L, 10.

Abscessit a me gratia, quemadmodum columba cœnum videns, velut apiculam eam redire cupio. « Averte faciem » tuam a peccatis meis : et omnes iniquitates meas dele [1]. » Dic clare quid vis. « Cor mundum crea in me, Deus [2]. » Quandoquidem peccati senium contraxi, benignitate tua me renova. Hæc nimirum per Ezechielem quoque prophetam, iis, qui in Babylone captivi tenebantur, promisit. « Dabo enim, inquit, cor novum, et spiritum novum [3]. » Quo loco non Spiritum sanctum intelligit, verum spiritus ratione prædiți impetum : id est, « Hoc ipso quod longa disciplina vos erudivi, ac docui quales fructus peccatum ferat, id curabo, ut virtutem amplectamini. » Hoc etiam beatus David postulavit, nempe ut et cor ipsius, quod labem ac detrimentum contraxerat, innovetur, atque vis rationabilis roboretur, quo per rectam viam currat. « Et spiritum » rectum innova in visceribus meis [4]. »

IX. O animi nobilitatem ! O amorem erga Deum ! Ut ad me rursum loquaris, inquit, atque ego vicissim loquar, hanc amicitiam et societatem quæro. Quid enim, quod supplicio liberatus sim ? Mihi supplicium est tecum non loqui. Insano tui amore flagro. Essentiam quidem tuam videre nequeo, quod ea sit invisibilis : at præ amore opera tua conspicio, atque exulto. Non te vidi, at cœlum vidi, et exultavi, ac dixi : « Cœli enarrant gloriam Dei [5]. » Terram vidi, ac dixi : « Domini est terra, et plenitudo ejus [6]. » Mare vidi, et voluptate affectus sum, ac dixi : « Hoc mare magnum et » spatiosum [7]. » Diem ac noctem vidi, atque ad te exclamavi : « Tuus est dies, et tua est nox : tu perfecisti auro» ram et solem [8]. » Montes vidi, et admiratione perculsus dixi : « Montes excelsi cervis [9]. » Et quemadmodum is qui amat,

[1] Psal. L, 11. — [2] Ibid. 12. — [3] Ezech. XI, 19. — [4] Psal. L, 12. — [5] Id. XVIII, 2. — [6] Id. XXIII, 1. — [7] Id. CIII, 25. — [8] Id. LXXIII, 16. — [9] Id. CIII, 18.

etsi eum, quem amat, non videat, si tamen ejus vestimenta conspiciat, aut calceos, exultat, ac velut quoddam solatium amoris capit : eodem modo ipse quoque circa rerum conditarum corpus alacri animo, ac velut furore percito obambulo, ac sine ulla intermissione his verbis ad te utor : « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum : ita » desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad » Deum vivum, quando veniam et apparebo ante faciem » Dei [1]. » Atqui rex es, diadema habes. Quid amplius vis? Facessant ista : pulchritudinem illam requiro, prophetiam volo. Potentiam hanc contemno, cænum hoc despicio. Folia sunt hæc, et nox, et insomnium ac fœnum. Pulchritudinem meam quæro, quando veniet? Moram ferre nequeo : quandoquidem fiduciam hanc perdidi, quam peccatum adventu suo intercepit. « Cor mundum crea in me, Deus. » Nec vero cor duntaxat quæro, sed etiam ipsius hospitem. « Et spiritum rectum innova in visceribus meis. » Pulchre dixit : « Innova : » prius enim domus extructa fuerat. Hanc peccatum antiquavit : gratia tua renovabit. « Ne projicias » me a facie tua : et Spiritum sanctum tuum ne auferas a » me [2]. » Perspicue autem per hæc verba illud intelleximus, quod Spiritus sancti gratia minime spoliatus sit. Neque enim tanquam spoliatus id supplex rogat, ut eam recipiat : verum illud obsecrat, ut ne ea orbetur, nec a divina providentia removeatur (16). Siquidem per « faciem » hoc loco providentiam intellexit. « Redde mihi lætitiam salutaris tui : » et spiritu principali confirma me [3]. » Quod non perdidit, hoc est Spiritus gratiam, id ut habeat rogat. Quod autem amisit, ut recipiat, obsecrat. Hoc autem erat, voluptas in Deo. Omni, inquit, lætitiæ genere fruebar, cum ingentem apud te, o Domine, fiduciam haberem. Nunc autem hac spoliatus, omni quoque hilaritate careo. Hac porro fiducia me

[1] Psal. XLI, 2, 3. — [2] Id. L, 13. — [3] Ibid. 14.

voluptatis servitus privavit. Quamobrem supplex abs te peto, ut mens mea pristinum principatum atque imperium in turbulentas animi perturbationes recipiat. Rursum enim hoc loco per Spiritum principalem, rationem, quæ principatum tenet, intellexit. Et quid tandem mihi dabis, o David, si Spiritum accipias? « Docebo iniquos vias tuas : » et impii ad te convertentur [1]. » Si Spiritum accepero, totum terrarum orbem his alloquar. « Omnes gentes plaudite » manibus; jubilate Deo in voce exultationis : quoniam Do- » minus excelsus, terribilis, rex magnus super omnem ter- » ram [2]. » Si Spiritum accepero, dicam : « Dominare in medio » inimicorum tuorum [3]. » Si Spiritum accepero, dicam : « Non dabit Deo placationem suam, et pretium redemp- » tionis animæ suæ [4] : » ac rursum : « Nolite obdurare corda » vestra sicut in exacerbatione [5] : » ac rursum : « Omnis » iniquitas oppilabit os suum [6]. » Si Spiritum accepero, dicam : « Declina a malo, et fac bonum. Inquire pacem, » et persequere eam [7]. » Tua in me beneficia commemorabo, ac dicam : « Venite, audite, et narrabo vobis, omnes qui » timetis Deum, quanta fecit animæ meæ [8]. Docebo iniquos » vias tuas, et impii ad te convertentur. » Et ubinam sunt Judaïca? Oves et vitulos mihi non mactas? Non ista quæris. « Sacrificium enim et oblationem noluisti : holocausta et pro » peccato non postulasti [9]. » Tu dixisti : « Non accipiam de » domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos [10]. Im- » mola Deo sacrificium laudis [11]. » Hæc non quæris, sed quæ Filii tui sunt, quæris, revocationem ab errore, ac veritatis electionem. Illud demum sacrifium quæris. « Libera me de » sanguinibus, Deus Deus salutis meæ [12]. » Uriæ cædem sub-

[1] Psal. L, 15. — [2] Id. XLVI, 2, 3. — [3] Id. CIX, 2. — [4] Id. XLVIII, 8, 9. — [5] Id. XCIV, 8, 9. — [6] Id. CVI, 42. — [7] Id. XXXIII, 15. — [8] Id. LXV, 16. — [9] Id. XXXIX, 7. — [10] Id. XLIX, 9. — [11] Ibid. 14. — [12] Id. L, 16.

inde in memoria versat. Hoc enim etiam initio planum fecit, his verbis utens : « Peccatum meum contra me est semper. » Exultabit lingua mea justitiam tuam [1]. » Symmachus ad hunc modum hoc extulit : « Loquetur lingua mea miseri- » cordiam tuam. » Neque enim veniam consecutus tacebo : verum laudes tuas sine intermissione ulla canam, ac beneficia tua commemorabo. « Domine, labia mea operies : et » os meum anuntiabit laudem tuam [2]. » Peccatum enim suapte natura linguam astringit, atque os obturat. Rogat itaque Propheta, ut per remissionem priorem fiduciam percipiat, ac linguam ad celebrandas Dei laudes moveat. « Quoniam » si voluisses sacrificium, dedissem utique : holocaustis non » delectaberis [3]. » Consona sunt hæc iis, quæ superiore Psalmo dicta sunt. Audivimus enim illic Deum dicentem : » Non » accipiam de domo tua vitulos. » Quorcirca his a divina voce auditis, merito dixit : « Si voluisses sacrificium, dedis- » sem utique : » et quæ deinceps sequuntur. Tu enim, inquit, brutorum sacrificia grata et accepta esse tibi negasti, eaque de causa gratum tibi sacrificium offeram. Quoniam igitur hæc nolo, quid mihi dabis? Habeo, inquit, aliud sacrificium, quod tibi cordi est. « Sacrificium Deo, spiritus con- » tribulatus : cor contritum et humiliatum Deus non des- » piciet [4]. » Victima, inquit, tibi Deo nostro grata et jucunda est humilitas. Quorcirca corde meo apprime humiliato, ac velut extenuato, gratum tibi sacrificium offeram. Sacrificii loco animi submissionem tibi immolabo. Tantummodo peccatum meum solve, ac mihi Spiritum sanctum largire. »

X. Nam quod hoc sacrificium, hoc est humilitas, judaïco longe præstantius sit, non dubium est : idque non nunc duntaxat, sed etiam tum temporis. Etenim tres illi pueri, qui in babylonica fornace erant, ac flammam in lutum

[1] Psal. L, 16. — [2] Ibid. 17. — [3] Ibid. 18. — [4] Ibid. 19.

commutarunt, juvenes, inquam, illi et senes, pauci illi et multis potentiores, captivi illi et rege fortiores : illi, inquam, qui patriam amiserant, et fidei jacturam non fecerant, nudi illi et vestiti, pauperes et locupletes, servi et liberis meliores, qui fornacem in rorem converterunt, et elementa immutarunt, qui ignis vim et facultatem extinxerunt, qui a tyranno constricti ab igne soluti sunt, supplicibus verbis ad hunc modum utebantur? « Peccavimus, injuste egimus, » iniquitatem fecimus, recedentes a te [1]. Non est dux, nec » Propheta, nec princeps, nec holocaustum, nec locus offe- » rendi primitias coram te, ut possimus invenire misericor- » diam : sed in animo contrito et spiritu humilitatis susci- » piamur [2]. Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor » contritum et humiliatum Deus non despiciet. Benigne fac, » Domine, in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri » Jerusalem. Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblatio- » nem et holocausta : tunc imponent super altare tuum » vitulos [3]. » Apertius his verbis didicimus hunc Psalmum prophetia plenum esse. Nam iis, qui in Babylone habitare cogebantur, servitute liberari cupiebant, hæc verba conveniunt. Supplices enim illi rogant, ut civitas misericordiam aliquam consequatur, hoc est, ut muri instaurentur, ac legalis cultus celebretur. Nunc enim, inquit, nobis alienam regionem incolentibus, ea, quæ lege sancita sunt, sacrificia offerre minime licet : cum lege tua cautum sit, ne quis alibi usquam, quam in illa urbe sacra faciat. Quod si reditum obtinuerimus, ac templum instauraverimus, tum denique legalia sacrificia tibi offeremus. Alteram quoque prophetiam extrema hujusce Psalmi pars habet. Posteaquam enim Spiritus sancti munera superius posuit, ac postea Deum legalibus sacrificiis minime delectari ostendit, rogat jam, ut nova Sion existat, ac cœlestis Jerusalem in terra

[1] Dan. III, 29. — [2] Ibid. 38, 39. — [3] Psal. L, 20, 21.

condatur, novaque vitæ ratio quam primum præbeatur, quæ non rationis expertes victimas, sed justitiæ sacrificium offerat. Hic igitur, quæso, animum attendite : quippe vos omnes doctores, omnes monachos efficere cupio : non in eo, ut uxoribus careatis, sed ut pietatis specimen exhibeatis, ac veluti igneum quemdam vultum præferatis. Quidnam est igitur quod quæritur? Hoc nimirum, confessus est, rogavit, obsecravit, supplicavit, lacrymas profudit, cor mundum postulavit, fidem dedit. Quæstio in hoc sita est, an optatum consecutus sit. Magna ex hac jactatione voluptate afficior. Non ita nauclerus delectatur, cum a tergo fluctus excitari videt ac navim ulterius propellere, dum ventus surgit a puppi, ut ego cum istud mare cerno, lætor et exulto. Non enim solum fluctus agitatos video, sed multitudinem redundantem atque commotam. Video, inquam, vos jactari ac suffocari, nec tamen resilire; video vos vim perpeti, nec tamen resilire; vos opprimi, et tamen animum suffulcire. Siquidem vestra audiendi cupiditas alacritatem mihi excitat. Quæstio igitur in hoc sita est : Oravit, rogavit, obsecravit, supplicavit, pœnam deposuit, a supplicio erectus est : quæritur jam an ad pristinam fiduciam redierit? an Spiritus sancti gratiam acceperit? an quod postularit, hoc est, cor mundum ac spiritum rectum, consecutus sit? an denique tantam pœnitentia vim habuerit, ut eum ad pristinam nobilitatem reduxerit? Attendite diligenter. Hic Psalmus quinquagesimus est. Qualis? Psalmus, inquam, de peccato, de confessione, de postulatione. Post hunc scripsit sexagesimum, septuagesimum, octuagesimum, nonagesimum, centesimum. Itaque ne quis dicat : « Quid tum, si Psalmos scripsit? Non enim Spiritus sancti instinctu hos scripsit; verum sequentes Psalmos humano duntaxat ingenio atque prudentia conscripsit : nam Spiritu sancto vacuus erat. Etenim peccatum quidem ipsi

remissum est : at Spiritus sanctus non item ei datus est. Quamvis enim cum postularit, nusquam tamen responsum ullum invenimus, quo eum ipsi datum esse constet. « Attende, quæso. Scripsit quinquagesimum, sexagesimum, septuagesimum, octuagesimum, centesimum. Scripsit etiam alium Psalmum post centesimum, ac post multos alios Psalmos ait : « Dixit Dominus Domino meo : Sede ad extris meis, » donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum [1]. » Hunc igitur Psalmum, qui post admissum scelus dictus est, in Spiritu sancto dictum esse comperimus. Unde id liquet? Christus indicavit. Postquam enim omnia operatus fuerat, mari frenum injecerat, leprosos mundaverat, dæmones in fugam verterat, vitium depulerat, paralytici artus constrinxerat, vox e cœlo descendit. « Hic est Filius meus dilec- » tus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite [2]. » Dominus ipsi testimonium dixit, res ipsæ clamarunt, Spiritus in columbæ specie ad eum venit, Joannes ipsi testificatus est. « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi [3] : » tum denique cum ad crucem ascensurus esset, omnibus ipsis accitis, ad eos inquit :» Quid vobis videtur de Christo [4]? » Non initio vos interrogavi, non vos initio testes vocavi : quoniam Divinitatis meæ argumentum nondum vobis præbueram. Postquam autem elementa omnia Divinitatem meam demonstrarunt, posteaquam Pater, postquam mea cum ipso concordia, postquam doctrina mea omnes vos velut manu duxit, postquam jam ne umbram quidem ullam contradictionis habetis, « Quid vobis videtur de Christo? Cujus » Filius est [5]? » Respondent improbi illi, et impudentes, « David [6], » Divinitatem videlicet negantes, nec quod Dei Filius esset profiteri volentes. Quid igitur ipse? « Quo- » modo igitur David in Spiritu sancto Dominum me vocat,

[1] Psal. cix, 1. — [2] Matth. xvii, 5. — [3] Joan. i, 29. — [4] Matth, xxii, 42. — [5] Ibid. — [6] Ibid.

» dicens : Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, » donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum [1] ? » Quod si David Spiritum habebat, solutum utique peccatum erat, postulatum quoque suum acceperat. Ait enim David : « Cor mundum crea in me, Deus : et spiritum rectum in- » nova in visceribus meis. » Vides-ne ut ad pristinam dignitatem suam rursum rediit, rursum Propheta factus est, rursum de Christo sermonem habet, rursum fiduciam suam recepit, nec peccatum labem ullam ipsi attulit? Vidisti-ne quanta pœnitentiæ vis sit? Quid dico? Et vivus et mortuus viribus valuit. Venerunt enim aliquando Barbari, ac civitatem obsidione cinxerunt. Ezechias, vir justus, Deum rogabat, atque obsecrabat, dicens : « Miserere mei, Domine, » ac parce huic civitati [2]. » Venit ad eum propheta Esaïas. Ne ille justitiam suam exauditam fuisse arbitraretur, quanquam alioqui mille jam anni a David morte fluxissent, quid ait? « Protegam te et urbem hanc propter me, et » propter David servum meum [3]. » Mortuus erat David, et fiducia ipsius vivit, et qui e vivis excesserat, viventi opem ferebat. O virum justum, qui etiam post mortem pro murorum defensione dimicabat! Hic satis, ut opinor, explicata quæstione, finem dicendi faciam, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Matth. XXII, 43, 44. — [2] Isaï. XXXVII. — [3] Ibid. 35.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CVIII.

Deus laudem meam ne tacueris : quia os peccatoris et os dolosi super me apertum est. Locuti sunt adversum me lingua dolosa, et sermonibus odii circumdederunt me, et expugnaverunt me gratis. Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi : ego autem orabam. Et posuerunt adversum me mala pro bonis, et odium pro dilectione mea. Constitue super eum peccatorem, et diabolus stet a dextris ejus. Cum judicatur, exeat condemnatus, et oratio ejus fiat in peccatum. Fiant dies ejus pauci, et episcopatum ejus accipiat alter. Fiant filii ejus orphani, et uxor ejus vidua. Nutantes transferantur filii ejus, et mendicent, ejiciantur de habitationibus suis. Scrutetur fœnerator omnem substantiam ejus, et diripiant alieni labores ejus [1].

I. Magna hic nobis prudentia opus est. Verba enim, si considerentur tantum ut sunt prolata, et ut auditu statim percipiuntur, perturbant multos eorum, qui non attendunt. Totus enim Psalmus plenus est execratione, hujusmodique tota percurrit oratio, ac loquentis ferventem et ardentem quamdam iram indicat, quæ non contenta eum ulcisci, qui facit injuriam, etiam in filios, patrem et matrem extendit supplicium : et non una ei sufficit calamitas, sed etiam mala malis conjungit. Vide enim quot et

[1] Psal. cviii, 2-11.

quanta imprecetur, dicens : « Constitue super eum pecca-» torem, et diabolus stet a dextris ejus. » Hoc est : « Sit ob-noxius accusatoribus, improbis hominibus et insidiatori-bus, nec eos possit superare. » Hoc enim sibi vult illud, « Cum judicatur, exeat condemnatus. » Nec satis hoc duxit esse supplicii, sed cum hac condemnatione orat, ut etiam aliquis alius post illum ejus honorem suscipiat, di-cens : « Episcopatum ejus accipiat alter. » Et ne hic qui-dem sistit, sed etiam solum, qui erat ei relictus, portum obstruit, rogans ut ne Dei quidem assequatur clementiam, dum dicit : « Et oratio ejus fiat in peccatum. » Quinetiam rogat ut mortem subeat immaturam. « Fiant, enim, » inquit, dies ejus pauci. » Atque ne hic quidem sistit, licet hæc sola dixisse sufficiebat. Ille vero etiam adjungit, quod quidem est animi valde incensi ac inflammati, non uno aut altero contentum esse supplicio, sed petere ut alia imponantur. Quæ autem deinceps sequuntur, sunt his multo graviora. Eorum enim, quos relinquit, orbitatem et viduitatem precatur. Atqui necesse est ut hæc eveniant, postquam ipse excesserit, et tamen inter cætera maledicta ea consequenter statuit, ita fervens. Et nec in orbitate quidem sistit, sed etiam post tales calamitates ulterius progreditur, mala ejus amplificans, rogans ut qui ex eo nati sunt, incertis vagentur sedibus. « Nutantes, inquit, » transferantur filii ejus, et mendicent. » Hoc est : « Errantes et vagabundi ne necessarium quidem alimentum habeant, nec cessent assidue locum loco mutare, agitati, pulsi per omnem terram, et nusquam invenientes locum, in quo consistant. » Cum his autem eis etiam imprecatur inopiam, eamque extremam et intolerabilem, ut nec auxilium qui-dem assequantur a cognatis, sed circumeant ab externis et ignotis id petentes. Audi autem quomodo hoc signifi-cans adjicit. Postquam enim dixit : « Transferantur filii

» ejus, et mendicent, » subjungit : « Ejiciantur de habita-» tionibus suis. Scrutetur fœnerator omnem substantiam » ejus, et diripiant alieni labores ejus. » Hoc est aliud genus calamitatis, ipsorum bona diripienda tradi, et fœneratorum insidias perpeti, atque omnibus modis probris et contumeliis affici, ac quod est longe gravius, in tantis malis carere defensore. Id autem imprecatur, dicens : « Non sit illi adjutor. » Mala enim vel ipsa per se sunt intolerabilia : quando autem ne defensor quidem adest, sunt longe graviora. « Nec sit qui misereatur pupillis » ejus [2]. » Papæ, quanta iræ magnitudo, quando ne orbitatis quidem immaturitas misericordiam assequitur, neque hoc solum, imo ei etiam extremum exitium affertur ! Nam ait : « Fiant nati ejus in interitum. In generatione una » deleatur nomen ejus [3]. » Vidisti orationem ira plenam, et quæ se non reprimit ? optat ut ipsi vivant in varia et multiplici, atque omnis generis miseria, et absque ulla nominis sui fama funditus intereant. Et perinde ac si non sufficiat filiorum calamitas, subjungit rursus. « In memo-» riam redeat iniquitas patrum ejus, et peccatum matris » ejus non deleatur. Fiant contra Dominum semper, et » dispereat de terra memoria eorum [4]. » Est enim maximæ iracundiæ, ita minutatim distribuere, quas generaliter dixit calamitates, et eadem assidue versare. Postquam enim dixit : « In memoriam redeat iniquitas patrum » ejus, » subjunxit : « Et non deleatur. » Atqui idem est, ira tamen ut utrumque diceret impulit. Quod autem vult dicere, hoc est : « Interfice ipsum, occide, de medio tolle. » Vidisti quot sint imprecationes ? sed si vis, ego eas rursus colligam. In malos, inquit, homines indicat, accusetur, sit in eorum potestate, condemnetur, mortem subeat immaturam, honore privetur, et ne in suos quidem, sed in alie-

[1] Psal. cviii, 12. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 13. — [4] Ibid. 14, 15.

nos cum translatum videat : uxor ejus pereat, et filii ejus paupertatem, orbitatem, et vitam mendicorum sustineant, condemnentur, expellantur undique, nullum habeant adjutorem, a Dei benevolentia excidant, nullus sit eis portus nec refugium : deleatur nomen ejus e terra, pereat inglorius, et pater et mater luant pœnas suorum peccatorum, perdantur et funditus intereant. »

II. Annon ea quæ dicta sunt auditorem percellunt et obstupefaciunt? Annon scire desideras quisnam est, qui sic est condemnatus? Si enim cum audimus hominem probris et maledictis affici, rogamus astantes, ut dicant quis sit qui hæc audiat : multo magis cum Prophetam hæc imprecantem audimus, necesse est discere, idque cum timore ac metu, quis sit quem tam vehemens invasit iracundia, quis sit qui Spiritum sanctum tanta affecit tristitia, ut tot genera malorum audiret. Psalmum ergo, si videatur, dicamus ab initio cum magna attentione. Nemo autem perturbetur. Narrabo enim quam potero accuratissime et diligentissime. Non est enim parvum quod quæritur. Sed unum quidem et primum, quanam de causa, cum is peccasset, qui probris appetitur, filii ejus cum ipso puniuntur, et uxor, et parentes. Secundum autem, quis est is qui maledicitur. Tertium autem, quomodo princeps Apostolorum ostendit hunc Psalmum dictum esse de Juda, vel potius non totum Psalmum, sed partem Psalmi. « Scriptum » est enim, inquit, in libro Psalmorum : Fiat habitatio » ejus deserta, et in tabernaculis ejus non sit qui inhabi- » tet [1]. » Sed hoc nobis aliam rursus præbet quæstionem : non enim scripta sunt utraque in hoc Psalmo : et ideo non dixit hunc Psalmum, sed totum librum Psalmorum. Illud enim : « Fiat habitatio ejus deserta [2], » est in alio Psalmo; hoc vero : « Et episcopatum ejus accipiat alter, »

[1] Act. 1, 20. — [2] Psal. LXVIII, 26.

in hoc. Petrus tamen utrumque coëgit in unum testimonium. Quod etiam ubique facit Paulus, ut quando dicit Propheta : « Veniet ex Sion qui eripiet, et avertet impie-» tates ex Jacob, et hoc eis ex me testamentum, quando » abstulero peccata eorum [1]. » Quid autem, dixerit quispiam, an id quod dictum est, prophetia, an imprecatio est? Prophetia sub specie imprecationis. Nam etiam alibi tale quid inveniemus : id Jacob quoque fecit. Quoniam enim oportebat auditores juvari ex iis quæ aliis eveniebant, prophetias multas hoc modo efferunt, ut vel ipso modo proferendi augeatur metus in republica. Neque enim perinde est si dicas : « Hic hoc vel illud patietur, ac si id ut iratus et indignatus induxeris. Et quod hæc non temere pronuntiem, ex verbis propheticis hoc vobis manifestum reddam. Jacob enim, cum esset moriturus, « Ve-» nite, inquit filiis suis, et dicam quod eventurum sit » vobis in diebus novissimis [2] : » et cum esset prophetaturus, statim a principio tanquam ira percitus, incipit prophetiam ab imprecatione, sic dicens : « Ruben primoge-» nitus meus, durus ad ferendum, durus et contumax, » fecisti contumeliam, ut aqua non crescas [3] : » futurum ejus exitium prædicens sub specie imprecationis. Ita rursus, quando bona dicit, narrat sub specie precationis, dicens : « Det tibi Deus de rore cœli, et de pinguedine » terræ [4]. » Tametsi hoc quoque est prophetia. Quod autem hoc non sit humani affectus, clarum est. Nam in Chanaan quoque pater ejus hoc facit, dicens : « Erit Cha-» naan servus ejus [5], » ut scias Deum, qui prævenit eos qui injuria afficiuntur, eos, qui injuriam inferunt, persequi. Quinetiam Christus quoque tali figura usus est, sub specie prophetiæ magis revocans, et lugentis more dicens :

[1] Rom. xi, 26, 27. — [2] Gen. xlix, 1. — [3] Ibid. 3, 4. — [4] Id. xxvii, 8. — [5] Id. ix, 25.

« Væ tibi Chorozaïn, væ tibi Bethsaïda [1]. » Et rursus, ut quando dicit : « Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Pro»phetas [2]. » De quonam ergo dictus est Psalmus? Nonnulla de Juda, Spiritu per David prophetante : reliqua autem de aliis. Hic enim rursus est prophetiæ modus. Sæpe autem inveniemus eum ita esse compositum, ut proœmia quidem in alium, reliqua autem dicantur in alium. Ut autem hoc ipsum etiam aliunde videas, quando Judæi ingressi sunt in terram promissionis, dividens duodecim tribus in duodecim partes, jubetur a Deo Nave filius has quidem benedicere, illas vero maledicere. Benedictio ergo et maledictio erant prophetiæ futurorum. Dicebat enim : « Maledictus tu in civitate, maledictus in agro [3], » et innumerabiles ejusmodi imprecationes tribus illæ componentes, longam texuerunt orationem. Hic etiam dici potest sub specie execrationis editam fuisse prophetiam, et quæ Judæ erant eventura annuntiantem, ac prædicentem, et postea etiam aliud tractantem argumentum, nempe adversus quosdam qui insurrexerunt contra sacerdotium ; ut sciamus quantum sit malum in Dei sacerdotes insurgere, doloque et iniquitate adversus eos uti. Quæ enim dicta sunt, non aliud sunt quam doctrina eorum quæ sunt eventura iis, qui proximos injuria afficiunt, qui insurgunt cum dolo et depravato animo in eos, qui nullam fecerunt injuriam. Quod si rogat ut etiam filii puniantur, id ne te conturbet, o dilecte. Hic enim dicit filios, eos, qui fuerunt socii eorum improbitatis. Solet enim Scriptura appellare filios, et eos, qui sunt cognatione filii, et eos, qui fuerunt socii aliquorum improbitatis, etiamsi non sint natura filii, ut quando dicit : « Vos filii diaboli estis [4]. » Atqui non erant Judæi natura diaboli filii. Quomodo enim essent filii

[1] Luc. x, 13. — [2] Id. xiii, 34. — [3] Deut. xxviii, 16. — [4] Joan. viii, 44.

ejus, qui est incorporeus, cum ipsi sint carne circumdati? sed societate improbitatis attraxerunt ad se cognationem. Ita etiam eos ejicit a genere Abrahæ, dicens : « Si essetis » filii Abrahæ, opera Abrahæ faceretis [1]. » Quod enim filius non puniatur pro patre, nec pater pro filio, cuivis est manifestum. Hoc etiam ostenditur in lege dictum esse ; nisi tamen ipsum male instituat ; et tunc non pro filio, sed pro sua punitur socordia, sicut Heli.

III. Si autem videtur, Psalmum prosequamur ab initio. « Deus, laudem meam ne tacueris. » Alius autem interpres dicit : « Deus, laudationis meæ ne obsurdueris. » Alius, « Ne silueris, » hoc est : « Ne prætermiseris punitionem, sed pœnas sume de iis quæ facta sunt. Tu es enim gloriosus, magnus et potes hæc corrigere. « Quoniam os peccatoris, » et os dolosi super me apertum est. Locuti sunt adver- » sum me lingua dolosa, et sermonibus odii circumdede- » runt me, et expugnaverunt me gratis. Pro eo ut me dili- » gerent, detrahebant mihi : ego autem orabam. » Vidisti insignem improbitatem ? Vidisti insidiarum conspirationem ? Vidisti studium præmeditatum ? Hoc enim Deum maxime irritat, quando consulto dedita opera ac multa techna ab improbis mala fiunt. Aliud est enim cum quis deceptus et seductus labitur, aliud cum quis vitium et improbitatem exercet : et aliud rursus, quod est crimen maximum, quando se improbe gerunt in eum, qui non est improbus. Dicendo enim : » Pro eo ut me diligerent, de- » trahebant mihi : » nihil aliud significat, quam eos benefactori, et ei qui dignus est amari, et bonam remunerationem consequi, contraria rependere. « Ego autem ora- » bam. » Vidisti philosophiam ? vidisti moderationem ? vidisti mansuetudinem ? vidisti animæ pietatem ? « Non armabar, inquit, nec contra eum aciem instruebam, sed

[1] Joan. VIII, 39.

ad te confugiebam, tuum implorabam auxilium, tuam opem, arma tua potentissima, tuum inexpugnabile præsidium. »Deinde cum de Juda dixisset, quomodo seipsum morte condemnavit, quomodo adversus seipsum sententiam tulit, quomodo se strangulavit, quomodo ejus apostolatus translatus est in alium, rursus prius argumentum persequitur. Nam hæc quoque est prophetiæ species, sermonem interrumpere, et aliquam historiam injicere, eaque recensita rursus ad priora reverti. Obscura est enim prophetia propter ingratum Judæorum animum. Subindicat ergo, ut jam dixi, aliquem qui in sacerdotium paravit insidias post tempus reversionis a Babylone. Id norunt studiosi, qui historiam legerunt. Ei ergo magna mala prædicit, nempe futurum ut sit omnibus defensoribus destitutus, et rogat ut omnis ei portus obstruatur, et nullam assequatur humanitatem, clementiam, aut veniam. Hæc autem, ut ante dixi et assidue dicere non cessabo, videntur quidem esse imprecatio, sunt autem prophetia, quæ ostendit quomodo Deus irritatur, quando insidiæ parantur sacerdotio. Deinde sigillatim persequitur calamitates, et dicit : « Pro eo quod non est recordatus facere »misericordiam. Et persecutus est hominem inopem et »mendicum, et compunctum corde mortificare [1], » Hoc est extremæ crudelitatis, hoc summæ inhumanitatis, quando non solum insidiatur quispiam, sed ei insidiatur, qui potest movere ad clementiam, et flectere ad commiserationem. Qui est enim ejusmodi, ad ferarum sævitiam deductus, imo vero illis sævior effectus est. Feris enim feritas natura insita est : hic autem ratione ornatus, suam nobilitatem improbitati prodidit. Et illæ quidem cum iis quæ sunt ejusdem generis, quamdam amicitiam servant et mansuetudinem : hi autem ne communem quidem natu-

[1] Psal. cvm, 16, 17.

ram sunt reveriti, sed cujus oportebat misereri, quem ferre et erigere, eum deturbabant et evertebant. « Et di-» lexit maledictionem, et evenict ei. Et noluit benedictio-» nem, et elongabitur ab eo [1]. » Postquam multas calamitates ei imprecatus est, ostendit deinceps non ipsum, sed illum horum fuisse principium et causam, ut qui factis suis Dei auxilium repulerit, divinamque vindictam attraxerit. « Et induit maledictionem sicut vestimentum, et in-» travit sicut aqua in interiora ejus, et sicut oleum in » ossibus ejus [2]. » Hic et plagæ vehementiam, et supplicii stabilitatem ostendit, significans mala omnibus hominibus ex se animi sui sententia proficisci, qui factis quidem et actionibus bona repellunt, in supplicia autem seipsos injiciunt. « Fiant ei sicut vestimentum quo operitur, et sicut » zona qua semper præcingitur [3]. » Hoc autem dicit, ostendens iram Dei ineffabilem, quæ tales homines persequetur. Quod autem dicit, est ejusmodi : « Mala eos ita tenebunt, ut ne ullam quidem mutationem habeant : sed in eis firma manebunt, et stabilia. » Deinde ostendens eum castigare improbitatem, et nequitiam corrigere, et non in illum solum, sed etiam in omnes qui sunt iis, quæ dicuntur, obnoxii, hanc statuendam esse sententiam, subjunxit : « Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum [4]. » Id est : « Hæc est pœna, hoc est supplicium eorum, qui mihi adversantur, qui insidiantur, qui bellum gerunt. « Et » qui loquuntur mala adversus animam meam [5]. » Ergo etiam pro verbis exiguntur pœnæ, et pœnæ acerbissimæ.

IV. Absoluta itaque de his oratione, ad Deum rursus confugit pro ejus impetrando auxilio. Neque enim sistit in pœna eorum, qui parant insidias, sed ostendens eos, qui

[1] Psal. cvm, 18. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 19. — [4] Ibid. 20. — [5] Ibid.

malis afficiuntur, habere etiam Deum ultorem pro iis, quas accipiunt, injuriis, ac firmam validamque assequi defensionem, subjungit, dicens : « Et tu, Domine, fac me» cum propter nomen tuum [1]. » Vide gratum et pium animum, vide humilitatem. Quamvis enim satis justam causam haberet petendi auxilii; quod mala pateretur (hoc enim potest videri in multis locis Scripturæ, eos, qui ab hominibus injuste malis afficiuntur, libere impetrandi a Deo auxilii justam et honestam habere occasionem;) ille tamen prætermittens hoc dicere, confugit ad solam Dei clementiam, et dicit : « Fac mecum propter nomen » tuum, » propemodum hoc dicens : « Non quoniam sum dignus, sed propter teipsum, quoniam es clemens et misericors. » Et ideo subjungit, « Quia suavis est misericor» dia tua [2]. » Et recte dixit : « Quia suavis est misericordia » tua. » Homines enim sæpe non sunt ejusmodi : nam ea sæpe utuntur ad detrimentum et exitium : sed Deus semper ad utilitatem. « Libera me, quia egenus et pauper » sum ego. Et cor meum conturbatum est intra me [3]. » Vides eum rursus orare ut servetur, non ut qui sit dignus, nec justus, sed ut qui sit omnino eversus et confectus, ut qui mala passus sit innumerabilia? « Et cor meum » conturbatum est intra me. » Talis enim est vis calamitatum, non corpus solum vexat, verumetiam conturbat animum. « Sicut umbra cum declinat ablatus sum, excus» sus sum sicut locustæ [4]. » Dicit vehementes insidias eorum, qui illum injuria affecerunt, necnon malignitatem ineffabilem, et rursus diligentiam quam ipse in eis adhibuit. « Genua mea infirmata sunt a jejunio, et caro mea » immutata est propter oleum [5]. » Vides quænam arma comparat adversus insidias, et eam, qua et ipsum vexa-

[1] Psal. cviii, 21. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 22. — [4] Ibid. 23. — [5] Ibid. 24.

bant, afflictionem? « Et ego factus sum opprobrium illis : » viderunt me, moverunt capita sua [1]. » Tales sunt improborum animi, non modo non cedunt quando viderint Justum eis opponentem pietatem ac religionem, sed eis etiam probra ingerunt, eosque irridenl et impugnant. Quid hic autem? Ad auxilium inexpugnabile, ad opem confugit insuperabilem, dicens : « Adjuva me, Domine, » Deus meus, et salvum me fac secundum misericordiam » tuam. Et sciant quia manus tua hæc, et tu, Domine, fe- » cisti eam [2]. » Quid est, « Manus tua hæc? » Tuum auxilium. Tuum, inquit, præsidium. Nolo enim solum servari : sed illos etiam scire a quo servatus sum, ut sit mihi duplex tropæum, duplex corona, ingens gloria. « Maledi- » cent illi, et tu benedices. Qui insurgunt in me, confun- » dantur, servus autem tuus lætabitur [3]. » Docet hic auditorem quamdam philosophiam. Ostendit enim quod etiamsi diris innumeris devoveant, si Deus benedicat, nihil detrimenti ex eis accipiet, sed in ipsos vertentur probra et ignominiæ. « Servus autem tuus lætabitur in te. » Recte dixit, « In te, » significans illinc proficisci lætitiam, unde bona suppeditantur. Restat ut nulla me possit perturbare molestia, cum tua mihi maneat integra lætitia. « Induantur » qui detrahunt mihi pudore, et operiantur sicut diploïde » confusione sua [4]. » Vide quomodo rursus rogat ut non solum tradantur supplicio, sed etiam pudori et ignominiæ, ut id sit eis doctrina correctionis, et occasio mutationis in meliora. « Confitebor Domino nimis in ore meo, et » in medio multorum laudabo eum. Quia astitit a dextris » pauperis, ut salvam faceret a persequentibus animam » meam [5]. » Pro his omnibus Deum remuneratur hymnis, laude, gratiarum actione; præclara ejus facta apud omnes

[1] Psal. cvm, 25. — [2] Ibid. 26, 27. — [3] Ibid. 28. — [4] Ibid. 29. — [5] Ibid. 30, 31.

annuntiando, in medio theatro prædicando ea, quæ ab illo collata sunt. Hoc enim est sacrificium, hoc oblatio, Dei beneficia habere perpetuo in memoria, eaque menti suæ imprimere, ore prædicare, et facere ut ejus beneficia a multis audiantur. Nam sic et qui beneficium acceperit, pro grato animo mercedem accipiet, et majus Dei in se auxilium attrahet : et qui audiunt, ex iis quæ aliis facta sunt, evadent meliores, et ad virtutem persequendam accipient maximum incitamentum ex beneficiis quæ ab aliis accepta sunt.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CIX.

Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis [1].

I. Exurgamus, quæso, et animum intendamus (17). Psalmus enim de sublimibus admodum rebus agit, non uni soli hæresi, sed variis et diversis obsistens. Nam adversus Judæos, adversus Paulum Samosatenum, adversus Arianos, adversus Marcionistas, adversus Manichæos, et adversus omnes, qui resurrectioni non credunt, struit aciem. Quoniam ergo contra tot adversarios instructa est acies, nobis quoque multis oculis opus est, ut quæ sit luctandi ratio, exacte considerare possimus. In externis enim certaminibus, etsi aliqua luctandi ratio non animadversa fuerit, nihil lædetur spectator. Non enim doctrinæ, sed delecta-

[1] Psal. CIX, 1. — [2] Vide D. Guillon, tom. XIV, pag. 111-120.

tionis gratia illud theatrum coactum est. Hic autem nisi exacte cognoveris undenam adversarius aciem suam instruat, et unde nos eum feriamus, non leve detrimentum accipies. Ne hoc ergo tibi eveniat, mentem tuam excita, arrectæ tibi sint aures. Judæos primum invadimus, adversus illos aciem instruimus, Propheta ex his verbis commilitone utentes. Cum nos enim dicamus hæc plane de Christo dicta esse, hæc illi non admittunt, sed quædam alia comminiscuntur. Quæ ergo dicunt primum refutemus, ac deinceps id quod dicimus confirmemus. Atque nunc eos interim rogemus, quis est hujus Justi Dominus? « Dixit enim, » inquit, Dominus Domino meo. » Non meminit enim hic unius personæ, sed unius qui cum uno altero loquitur. Quemnam ergo dicunt esse eum qui dicit? Deum. Qui autem audit? Abraham. Alii vero Zorobabel, et alii alium : ut ebrii et nihil quod conveniat loquentes, imo vero sicut qui in tenebris ambulant, et pulsant alter alterum. Quid ergo, dic mihi, quæso, est-ne Zorobabel David dominus? Et quomodo fuerit hoc consentaneum, cum ipse pro magno honore David appellatus sit? Porro ea quæ consequuntur, ostendunt nihil hic dictum esse de Zorobabel, ne de David : nullus enim eorum honore sacerdotali functus est : hic autem dictum est de aliquo, qui novum aliquod et admirabile sacerdotium obit. « Tu es enim, inquit, sacer- » dos in æternum secundum ordinem Melchisedech [1]. » Sed rem propositam explicemus. Proferunt enim adhuc alia quædam his futiliora, dicentes hæc dicta esse de populo : sed neque populus fuit sacerdos, neque alia quæ dicta sunt ei possunt convenire. Eo itaque tanquam inani prætermisso, quod non opus habeat probatione ut evertatur, aliud quod dicunt, in medium adducamus. Quid ergo rursus dicunt alii? Filius Abrahæ hæc dicit de Domino suo. Et quid

[1] Psal. cix, 4.

possit eo esse inanius? Quid enim hic vult filius Abrahæ? Ubi autem sacerdos fuit ejus dominus, qui etiam ipse sacerdote Melchisedech usus est, et petiit ab eo benedictionem? Quomodo autem fuerit consentaneum dictum esse de Abraham : « Ex utero ante luciferum genui te[1]? » Quomodo autem vel David, vel Zorobabel, vel populo hæc convenerint? Naturam enim humanam superat, quod dictum est. Illud autem, « Sede a dextris meis, » quamnam habuerit interpretationem, si personæ illæ positæ fuerint? nullam. Quomodo autem dixit Abrahæ, « Sede a dextris meis, » qui vel Angelis assistere, ducit esse dignum honore maximo? Sed quidnam est, quæso, quod pro sua dicunt sapientia? et quomodo, inquiunt, alium introducis Dominum, cum aperte dicat Scriptura : « Dominus Deus tuus, Dominus unus est, et eum solum coles, et præter ipsum non est Deus[2]? » Cui itaque, dic, quæso, hoc dictum est? Immemori et ingrato tuo animo hæc maxime dicta sunt, o Judæe. Cur enim Abrahæ nihil ejusmodi dictum est, non Isaac, non Jacob, non Mosi; sed tibi soli, postquam ex Ægypto egressus conflavisti vitulum? Quanam ergo de causa dic mihi? Quod si ipse hæsitas, a me causam edisce. Quoniam enim egressus vitulum conflaveras[3], et Beelphegor fueras initiatus, et deorum turbam admirabaris, nefariam illam deorum multitudinem inducens : morbum tuum reprimens, ad deos, qui non sunt, distinguendos posuit illud, « Unus, » non ut tolleret Unigenitum. Quanam enim de causa statim in proœmiis dictum est : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram[4]? » Et rursus : « Venite, descendamus, et confundamus linguas eorum[5]. » Et rursus David : « Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis[6]. » Si autem

[1] Psal. cix, 3. — [2] Deut. vi, 4. — [3] Exod. xxxii. — [4] Gen. i, 26. — [5] Id. xi, 7. — [6] Psal. xliv, 8.

Moses dicit : « Dominus Deus tuus, Dominus unus est : » imbecillitas vestra fuit in causa. Et quid mirum si hoc in dogmatibus factum est, quando etiam in rebus, a perfectioribus ad minus perfecta deduxit Deus orationem, se demittens ad nostram imbecillitatem? Quocirca et uxorem hanc quidem ejicere, illam vero permisit introducere, cum non hanc legem tulisset ab initio. Ciborum quoque magnum fecit discrimen, licet contrarium dixisset ab initio : « Tanquam olera agri dedi vobis omnia[3]. » De loco quoque multas leges sanxit, non permittens ubique preces ad Deum porrigere, quamvis ne hoc quidem constituisset ab initio. Quinetiam in Persarum regione Abrahæ visus est, et in Palæstina, et ubique, et Mosi post hæc in solitudine.

II. Quid ergo? inquies, repugnat-ne sibi ipsi Scriptura? Absit : sed omnia pro tempore administrat et dispensat ad utilitatem, uniuscujusque generationis imbecillitatem corrigens. Et ideo tibi quidem dictum est : « Dominus Deus » tuus, Dominus unus est. » Quod autem habeat etiam filium, Prophetæ in libris suis præmiserunt : neque valde aperte dixerunt, ne tuam offenderent imbecillitatem : nec celarunt, ut post hæc darent tibi locum resipiscendi, et ex propriis libris colligendi dogmata veritatis. Ita etiam maxime Prophetas poterimus Prophetas esse ostendere, et ut fide dignum sit Vetus Testamentum efficere, quando cum gentibus disserimus. Nam si hoc sustuleris, quomodo os gentibus obstrues? Quid enim dices? exitum ex Ægypto, et quæ de te prædicta sunt? Sed ea non ille admittet. Si autem narraveris quæ de Christo dicta sunt in Veteri, et ostenderis rerum veritatem testari eventum prophetiæ, ne poterit quidem resistere. Si autem nostra reprehendas, o Judæe, quomodo Vetus Testamentum defendes? Si quis enim tibi dixerit : «Quomodo sunt vera quæ scripsit Moses, »

[3] Gen. IX, 3.

quid dices? Quia eis credidimus? Multo magis ergo nostra vera sunt : nam nos quoque credidimus, et vos quidem estis una gens, nos autem universus orbis terrarum, vobisque non sic persuasit Moses, ut nobis Christus : ac vestra quidem cessarunt, nostra vero stant. An ex prædictionibus? Sed plures sunt apud nos. Nostra ergo si sustuleris, tuis umbram offundis. An ex signis? Sed vos quidem Mosis nullum potestis signum ostendere : fuit enim, et transiit. Nos autem Christi multa et diversa quæ adhuc nunc fiunt, ac prædictiones vel sole clariores. An ex legibus? Sed nostræ plus in se continent sapientiæ. Sed quid? prohibentibus Ægyptiis egressi estis. Sed non perinde est orbem terrarum bellantem superasse, atque solos Ægyptios vicisse. Et hæc dico, non ut Vetus cum Novo committam : absit : sed ingratorum Judæorum volens os obstruere. Nam et hæc et illa ab eodem Deo data, et facta sunt. Sed illud volo probare, Judæum, sublatis de Christo prophetiis, evertere maximam partem prophetiarum, nec posse aperte ostendere nobilitatem Veteris, nisi Novum admiserit. Quod autem hæc non de homine dicta sint, et ex eo quod dicatur : « Sede a dextris meis, » et quod nominetur Dominus æque ac Dominus ille qui dicit, et quod ex utero ante luciferum sit genitus, et ex eo quod sit « Sacerdos se» cundum ordinem Melchisedech, » et ex eo quod dicitur : « Tecum principium tuum, » iis qui sapiunt clarum est, Quod si alius nobis rursus emergat Judæus, Christiani personam suscipiens, Paulus, inquam, Samosatenus, potest quidem etiam adversus eum dici ex Novo. Sed ne videamur, relictis præsentibus, ad aliam aciei partem transire, eum hinc quoque impetamus. Quid is ergo dicit? Homo est, inquit, solummodo : et ex quo ex Maria natus est, ex illo tempore tantum existit. Quid ergo, dic, quæso, dices

[1] Psal. cix, 3.

ad illud dictum, quod habet : « Ex utero ante luciferum » genui te? » Oportet autem alia, quæ contra Judæos dicta sunt, etiam contra eos dicere, qui ab eo processerunt. Nec nos in causa sumus, sed hi ipsi qui habent cum eis magnam dogmatum cognationem. Unde etiam eisdem armis in eos utemur. Eos enim, qui similiter bellum gerunt, oportet eisdem jaculis confodere. Quid igitur sibi vult throni societas? Hic enim ostenditur honoris æqualitas, quod satis est ad obstruendum os Arianorum. Et ideo Christus contra Judæos dicentes Christum esse filium David, subjunxit : « Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, » dicens : Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis[1] ?» Paulus autem de œconomia postea tractans, et eam apertius interpretans, et Marcioni et Manichæo, et iis omnibus, qui simili morbo laborant, letale vulnus infligit. Interpretatur enim cum ea qua par est prudentia, quomodo fuit sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Nos autem rursus ad propositum revertamur. « Dixit Dominus Do- » mino meo : Sede a dextris meis. » Vidisti æqualitatem honoris? Ubi enim est thronus, illic est signum regni. Ubi autem thronus unus, est ejusdem regni honoris æqualitas. Quocirca Paulus quoque dicebat : « Qui facit Angelos suos » spiritus, et ministros suos flammam ignis. Ad filium au- » tem : Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi[2]. » Ita etiam Daniel videt universam quidem creaturam assistentem, et Angelos et Archangelos, Filium atem hominis venientem in nubibus, et pervenientem usque ad Antiquum dierum[3]. Quod si nonnulli offendantur ex eo quod sic dicamus, audiant eum sedere a dextris, et desinant offendi. Quemadmodum enim nos non dicimus eum esse Patre majorem, eo quod a dextris sedeat, quæ maxime honorifica sedes

[1] Matth. xxii, 43, 44, et Hebr. vii, 1. — [2] Hebr. i, 7, 8. — [3] Dan. vii.

est : ita nec tu eum minorem et inferiorem dixeris, sed honore parem et æqualem. Id enim significat societas sessionis. « Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum »tuorum [1]. » Et quinam sunt inimici? Audi Paulum dicentem : « Primitiæ Christus : deinde qui Christi sunt in ad»ventu ejus, deinde finis. Oportet enim eum regnare, »quousque posuerit omnes inimicos suos sub pedibus »suis [2]. »

III. Vidisti propheticorum et apostolicorum verborum concentum et concordiam? Illic enim dicit : « Donec po»nam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. » Hic vero : « Quousque posuerit omnes inimicos suos. Sed neque illic illud « Donec, » neque hic hoc « Quousque, » sunt termini temporum. Quomodo enim steterit illud propheticum quod dicit : « Potestas ejus potestas æterna, et regnum ejus »regnum quod non peribit, et regni ejus non erit finis [3] : » si ad ea usque tempora sit regnaturus? Vides non esse solummodo attendendas dictiones, sed esse ascendendum ad intelligentiam? Tu autem, cum audis Prophetam dicentem Patrem ponere sub pedibus ejus, ne ex eo conturberis. Neque enim hæc dicta sunt quod sit imbecillus Filius. Paulus enim ostendit Filium ponere inimicos sub pedibus suis, dicens : « Oportet enim eum regnare quousque ponat »inimicos sub pedibus suis. » Et rursus ei quoque universum tribuit dicens : « Quando tradiderit regnum Deo »et Patri; quando deleverit omnem potestatem et virtu»tem [4]. » Hoc est, quando regnum recte administraverit, cessare curabit omnem potestatem. Hoc enim sibi vult illud καταργήσει. Quod autem dicit universum ejus esse, Patrem ab ipso non separat, sicuti nec Filium a Patre dividit. Quæ enim sunt illius, sunt hujus : et quæ sunt hujus, sunt illius.

[1] Psal. cix, 1.— [2] 1 Cor. xv, 23 et 25.— [3] Dan. iv, 31, et vii, 14. — [4] 1 Cor. xv, 24.

Et ideo dicit : « Omnia mea tua sunt, et tua mea [1]. » Quando ergo audieris Patrem subjecisse, ne existimes sejunctum esse Filium ab eo præclaro facinore : et si intelligas Filium subjecisse, ne dicas Patrem esse ab his alienum. Quæ enim pulchre ac præclare fiunt, sunt communia, quemadmodum et omnia opera communia. « Virgam virtutis tuæ emittet » Dominus ex Sion [2]. » Virgam virtutis seu potestatis, vocat ipsam potestatem. Meminit autem Sion, quoniam quæ præclare gesta sunt, illinc sumpserunt initium. Illic enim legem dedit, illic fecit miracula, illic cœpta prædicatio per universum orbem terræ diffusa est. Quod si velis quod dictum est sumere anagogice, audi Paulum dicentem : « Sed » accessistis ad montem Sion, et civitatem Dei viventis, » Jerusalem cœlestem, et Ecclesiam primogenitorum [3]. Vir- » gam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion. » Virga aliquando quidem castigat et beneficio afficit, aliquando autem consolatur, et est signum regni. Et quod sit utrumque, audi Prophetam dicentem : « Virga tua et baculus tuus » ipsa me consolata sunt [4]. » Et rursus : « Reges eos in » virga ferrea, tanquam vasa figuli confringes eos [5]. » Et Paulus : « Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate » et spiritu lenitatis [6]? » Vidisti quomodo sit virga castigationis : vide quomodo sit etiam regni. Dicit enim Esaïas : « Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus » ascendet [7]. » Et David : « Thronus tuus, Deus, in sæculum » sæculi, virga æquitatis virga regni tui [8]. » Virgam enim hic vocavit virtutem, cum qua Discipuli orbem terræ circumierunt mores corrigentes, et a quodam alieno a ratione vitio deducentes ad hominum naturam rationis compotem. « Euntes, enim inquit, docete omnes gentes [9]. » Habuit

[1] Joan. xvii, 10. — [2] Psal. cix, 2. — [3] Hebr. xii, 22. — [4] Psal. xxii, 4. — [5] Id. ii, 9. — [6] 1 Cor. iv, 21. — [7] Isaï. xi, 1. — [8] Psal. xliv, 7. — [9] Matth. xxviii, 19.

etiam Moses virgam, sed cum ea suscepit Dei operationem, per quam operabatur in omnibus. Et illa quidem divisit fluvios, hæc autem fregit impietatem orbis terræ. Neque vero aberraveris, si crucem quoque Domini voces virgam virtutis. Hæc enim virga mare et terram convertit, et magna potestate replevit. Cum hac virga egressi Apostoli per universum orbem terræ, omnia illa fecere. Hanc gestantes omnia perficiebant, sumpto principio ab Jerusalem. « Et » Dominare in medio inimicorum tuorum. » Vide prophetiam ipso sole clariorem. Quid est autem : « Dominare in » medio inimicorum tuorum ? » Pro eo quod est, « In mediis Gentilibus, in mediis Judæis. » Ita enim plantatæ sunt Ecclesiæ in mediis urbibus, ita vicerunt, et superiores evaserunt. Hoc est præclaræ victoriæ argumentum, quod in mediis hostibus altaria erexerint, quod tanquam oves essent in medio ferarum, et agni in medio luporum. Hoc enim cum illos mitteret dicebat : « Ecce mitto vos tanquam » oves in medio luporum [1], » quod, non est minus priore miraculo. Non est enim minus, eos, qui ovium locum obtinent, lupos vincere, quam eos, qui sunt in mediis intercepti, esse superiores. Quinetiam multo est majus eos qui erant numero duodecim, ad se universum orbem terræ attraxisse. « Et dominare in medio inimicorum tuorum. » Non dixit : « Vince in medio inimicorum tuorum, » sed, « Do» minare, » ut ostenderet non erigi tropæum, fusis in acie hostibus, sed ex jussu significari dominium. Ita enim vincebant Apostoli, Christum in se habentes, omnia facientes tanquam ex imperio. Unde etiam erat eis omnis domus aperta, et qui credebant, erant quovis servo obsequentiores, facultates suas vendentes, et earum pretia ponentes ad pedes Apostolorum : ac ne ad usum quidem suum au-

[1] Matth. x, 16.

dentes aliquid accipere, eosque adeo magnifaciebant, ut ne se quidem eis auderent adjungere.

IV. Non solum autem tantum habebant virium erga fideles, sed etiam erga infideles. Quodnam enim est, dic, quæso, servi indicium? Annon id facere quod jubet herus? Quod autem signum heri? Annon ea in servis perficere quæ velit? Quinam ergo perfecerunt ea quæ voluerunt in regibus et principibus? Annon Apostoli? Manifestum id est. Reges enim et principes volebant tenere orbem terræ in impietate, jubebantque colere dæmones; contra autem Apostoli, eorumque voluntas implebatur. Quod si mihi dicas carcerem, flagella, et tormenta, dicis majora dominia. Quomodo, et quanam ratione? Quia quamvis hæc fierent, fiebat tamen nihilo secius quod illi volebant. Non enim lege complurium dominorum, sed virtute hoc sibi asciverunt dominium, quod ullo externo indiget, sed quod, dum omnium petitur insidiis, resplendet. Illos enim dominos servi paratis insidiis sæpe de medio sustulerunt, quoniam erat imperfectum et imbecillimum dominium : hoc autem non potuerunt extinguere, sed insidias molientes, id longe clarius reddidere. Quis fuerit igitur Dominus præclarior? is-ne qui innumerabilibus opus habet auxiliis, ut servos in officio contineat? an qui est liber iis omnibus, et eos, qui sunt sub suo dominio, pro sua potestate fert et agit? Manifestum est hunc esse præclariorem. Domini enim, qui hoc obtinent multorum dominium, nisi leges habeant opitulantes, et eos juvet quod in civitatibus habitant, sæpe cum dominio vitam quoque amiserunt. Paulus autem et in solitudinibus et ubique suum ostendebat dominium. Vis etiam videre ipsum clariorem regibus? Induxit leges per universum orbem terræ, et regum relictis legibus, homines illius scriptis obtemperabant. Et alioqui illi quidem in corpora, hi vero in animum dominium obtinebant.

Quis servus hero, vel quis subditus regi cum tanta benevolentia paruit, ut fideles Paulo Epistolis tantum agenti? Quis enarraverit eorum amorem et studium erga illum, cum vel ipsos oculos essent parati effodere? Quis tales unquam servos habuit? Quæ omnia Propheta mente agitans, quomodo fideles quidem subjecerunt, quomodo terribiles erant infidelibus, eos per vim expellentes, et quomodo Christus per ipsos obtinebat imperium, non dixit solummodo, « Dominare in medio inimicorum tuorum, » sed, « Dominatum obtine, » vehemens dominium significans. Et hæc cum viderent hostes, nihil facere poterat, etsi leges secum haberent, lictores et omnem potestatem, sed erant hi potentiores propter eum, qui in ipsis habitabat. Hic per ipsos dominatum obtinuit; nec solum dominatus est, sed etiam fortiter : nam vehementem in eos dominatum obtinuit. Propter eum enim, qui in eis habitabat, et ignem, et ferrum, et bestias, et omnia alia confidenter adibant. Ad omnia enim cum eis erat Christus, qui etiam tanquam in alienis corporibus decertantes, et liberi ab omni molestia rerum ad vitam pertinentium, ita gaudebant, et ita exiliebant, a Christi dominio occupati, non pecuniæ, non corpori, non vitæ præsenti parcentes. Et hæc quidem faciebant, qui aliquando fuerant hostes et adversarii : sed invicta Dei potentia non solum eos liberavit ab inimicitiis, sed etiam in tantam deduxit servitutem et necessitudinem. Quamobrem etsi dicatur Pater ponere inimicos sub pedibus ejus, non ita dicitur, sicut dixi, tanquam Filio nihil agente; universum enim ab Unigenito factum est : sed ut, sicut prius dixi, Patrem et Filium unum esse Deum intelligas, servata unicuique sua proprietate, et ne esse duos existimes ingenitos. Quod enim totum opus ab eo factum sit, considera ex iis quæ jam facta sunt; nec quæ dicta sunt, humano tantum more intellige, magna

enim sequeretur absurditas. Ut autem tu quoque intelligas, audi ea quæ sum dicturus. Ex hominibus alii quidem facti sunt amici, qui prius inimici fuerant : alii vero adhuc manent inimici. Cæterum quod inimicos quidem ipse amicos fecerit, et Paulus significat, dicens : « Quando tradiderit » regnum Deo et Patri [1]. » Significat etiam Servator, ad Patrem dicens : « Ego te glorificavi in mundo, opus per- » feci, quod dedisti mihi ut faciam [2]. » Subjicere autem inimicos fuit Patris. Atqui illud quidem est hoc majus. Neque enim sunt paria, eos qui manent inimici, punire, et eos qui sunt inimici, amicos efficere. Sed neque Filius ideo minor est Patre, nec propterea Pater est minor Filio. Ut autem scias illa quoque esse Filii, quemadmodum hæc Patris, audi. « Discedite a me maledicti in ignem æternum, » qui paratus est diabolo et angelis ejus [3] : » et qui Angelos mittit ut colligant zizania [4], est Unigenitus, et videmus eum ubique diabolum punire. Hoc etiam ipsi dæmones confitentur, dicentes : « Venisti huc ante tempus torquere » nos [5] ? » Ipse est ergo qui eos est torturus. Vides quod etiamsi quæ fiunt, dicantur a Patre fieri, sunt tamen opera Filii. Quod autem Filii quoque opera sint Patris, audi rursus eum dicentem : « Nemo venit ad me, nisi Pater qui me » misit, traxerit eum [6]. » Et rursus : « Nemo potest venire » ad Patrem, nisi per me [7]. » Non sunt ergo hæc humano more accipienda. Nam illud quoque, « Inimicos tuos, » ita est accipiendum, non tanquam ejus solius inimicos significet. « Qui enim non honorat Filium, inquit, nec Patrem » honorat [8]. »

V. Quare Judæi non sunt ejus tantum inimici, verum etiam Patris. Quocirca eis etiam attulit exitium, et civi-

[1] 1 Cor. xv, 24. — [2] Joan. xvii, 4. — [3] Matth. xxv, 41. — [4] Id. xiii, 30. — [5] Id. viii, 29. — [6] Joan. vi, 44. — [7] Id. xiv, 6. — [8] Id. v, 23.

tatem eorum diruit, evertitque funditus, etsi non statim post crucem, et longum eis tempus dedit ad pœnitentiam, si modo vellent resipiscere, et emisit Apostolos, ut cum per ipsos ejus didicissent potentiam, vel sero tandem converterentur. Cum autem esset eorum morbus immedicabilis, eis colophonem malorum induxit; ea quoque ratione eos rursus vocans ad pœnitentiam, ut cum a veteri forma reipublicæ exciderint, vel ab ipsa rerum necessitate ad veritatem deducantur, cum et eum, quem probris et injuriis affecerunt, videant ubique adorari, et sua omnia misere corruisse. Quando autem ne sic quidem meliores evaserint, tunc tandem, ut quibus nihil supersit veniæ, in immortale detrudentur supplicium. Cum autem audis « Scabellum, » ne putes eum dicere aliquid sensibile, sed ipsam subjectionem. Quod autem ei subjiciat, clarum est ex eo quod subjungitur, quia enim est unus thronus, unum quoque est scabellum. « Tecum principatus in die » virtutis tuæ [1]. » Quoniam dixit superius : « Donec ponam » inimicos tuos scabellum pedum tuorum, » ne quis existimaret esse imbecillum Filium, et opus habere operatione, sicut et quempiam ex Apostolis, audi quomodo affert remedium huic suspicioni, dicens : « Tecum principatus in » die virtutis tuæ. » Quid est? « Tecum principatus? » In te, inquit, est principatus, qui non postea accessit, sed in te est perpetuo : quod etiam Esaïas similiter significans dicebat : « Cujus principatus super humerum ejus [2]; » hoc est, in ipso, in substantia ejus, in natura ejus : quod quidem non inest in regibus. Principatus enim eorum est in multitudine exercitus : quod non erat in Apostolis. Nam ipsorum quoque principatus stabilitus fuit per operationem eis extrinsecus inductam. Ipse autem habuit principatum in natura, in substantia, ut qui non cum acceperit post-

[1] Psal. cix, 3. — [2] Isaï. ix, 6.

quam fuit genitus, nec extrinsecus importatum aut adventitium possederit, sed ita sit genitus. Et ideo de regno quoque interrogatus, dicebat : « Ego ad hoc natus sum, et » ad hoc veni [1]. Tecum principatus in die potentiæ tuæ. » Non hæc autem solum quæ dicta sunt, significat illud, « Tecum principatus : » sed etiam alia, nempe non esse ejus principatum in alio, sed esse perpetuum et immortalem. Homines enim is vel viventes sæpe deserit : et si non viventes, certe omnino mortuos : imo vero, quod majus est, ne dum vivunt quidem, est cum eis ; sed, ut jam dixi, in exercitibus, et satellitibus, ac corporis custodibus, in magna vi pecuniæ, in murorum ambitu, et aliis omnibus : in Deo autem non modo non ita est, sed in ipso est, et perpetuo, et quemadmodum fieri non potest ut non sit ejus substantia, ita etiam ut non sit regnum. « In die potentiæ tuæ. » Diem potentiæ potes dicere et diem qui jam fuit, et diem qui futurus est. In utroque enim maxima ostenditur potentia. Annon tibi videtur esse maximum potentiæ argumentum, quando per mortem mors deletur, quando portæ æneæ confringuntur, quando peccatum aboletur, quando maledictum solvitur, quando vetera omnia mala evertuntur, et alia nova bona introducuntur? Quid enim potest cum hac conferri potentia, sive consideres miracula, sive pulcherrima facinora? Mortui excitabantur, leprosi mundabantur, dæmones expellebantur, mare refrenabatur, peccata solvebantur, paralytici roborabantur, paradisus aperiebatur, petræ rumpebantur, velum discindebatur, radii solis avertebantur, et tenebræ universum orbem terræ occupabant, corpora Sanctorum, qui dormierant, excitabantur, latro in veterem patriam revertebatur, cœli fornices aperiebantur ; quæ conculcata fuerat natura, supra cœlum cœli sustollebatur, et quod est his majus, in throno

[1] Joan. XVIII, 37.

sedebat regio, assistentibus ei Angelis et aliis Potestatibus; omne vitium fugabatur, virtus reducebatur, Spiritus gratia dabatur, piscatores, publicani, et opifices tabernaculorum ora philosophis obstruebant, oratorum linguam confutabant, dæmonum evertebant tyrannidem : Gentilium altaria, templa, festa, et publici conventus abolebantur : nidor, et fumus, et impia sacrificia omnia per vim exigebantur, vates, metragyrtæ (18), augures, et universa diaboli officina fugiebant, Ecclesiæ ubique terrarum germinabant, chori Virginum consistebant, et Monachorum ordines, cum civitatibus desertum quoque implebatur pietate, justorumque et sanctorum virorum stantes chori supernis Angelorum potestatibus in modulato concentu respondebant, et turbæ Martyrum, et catervæ Confessorum ubique terrarum plantabantur, virtutis erat faustus cum facilitate successus, barbarorum gentes docebantur philosophiam, et qui erant vel feris immaniores, vel cum ipsis Angelis instituto vitæ suæ contendebant, et quantum terræ sol respicit, tantum verbum pervasit post crucem et resurrectionem. Quæ omnia apud se cogitans Propheta, dicebat : « Tecum principatus » in die potentiæ tuæ. »

VI. Quod si velis futurum quoque diem videre, et scire quomodo ille etiam dies est ejus potentiæ, cogita apud te, quantum sit videre cœlum contrahi, et universam naturam corruptam resurgere, et nutu omnes adesse, diabolum pudore suffundi, dæmones demisso capite esse, Justos coronari, unumquemque dare rationem suorum delictorum, et pro recte factis accipere præmium, esse alterius vitæ constitutionem : non enim amplius mors; morbus et senium; non amplius paupertas, damna, et insidiæ; non amplius domicilia et civitates, artes et navigationes; non amplius vestium amictus, cibi et potus, tecta et cubilia, mensæ et lucernæ; non amplius insidiæ, pugnæ, et judicia;

non amplius matrimonia, doloresque pariendi, et partus; sed hæc omnia tanquam pulvis jactatus evanescunt, et alius præstantior vitæ status redditur, cum concedatur corpori, ut sit ab interitu alienum, immortale, et magna sit potestate præditum. Quæ Paulus significans, dicebat : « Præterit figura mundi hujus [1]. » Quod si non habes fidem iis quæ dicta sunt, quoniam ea non vides præsentia, ex præsentibus sume argumentum de futuris. Pervade ratione universum orbem, terram, mare, Græciam, Barbarorum sedes, terram habitabilem, et inhabitabilem, urbes quæ sunt in terra, insulas quæ in mari, montes denique et saltus : et cum videris ubique Christi relucere potentiam, omnesque præstantissimum ejus nomen prædicare, reputa apud te eum, qui tot et tanta potuit, etiam futura pollicitum esse. Quod si ex parte quoque velis argumentum sumere, cogita quanam de causa universus orbis terræ concurrit ad videndum sepulcrum quod caret corpore? quænam potestas trahit eos qui habitant in extremis finibus terræ, ut videant ubi natus est, ubi sepultus est, ubi crucifixus. Considera quantæ sit potentiæ signum ipsa crux. Hæc enim crux antea erat mors execranda, mors opprobrii et ignominiæ plena, mors omnium turpissima. Sed ecce nunc ipsa vita evasit honorabilior, et splendidior, et omnes eam in fronte circumferimus, non solum non erubescentes, sed ea etiam gloriantes. Non enim solum privati, sed et ii, qui sunt diademate redimiti, eam potius in fronte gestant, quam diadema; et merito quidem : est enim innumeris diadematibus melior. Diadema enim ornat caput : crux autem munit mentem. Ea dæmones ulciscitur; ea diadema est, quod tollit morbos animæ; ea est armatura invicta; ea murus inexpugnabilis, ea est munimentum insuperabile : quæ non solum Barbarorum irruptiones et incursiones hos

[1] 1 Cor. VII, 31.

tium, sed ipsorum etiam immanium dæmonum phalanges perrumpit. « In splendoribus Sanctorum [1]. » Alius, « In de» core Sancti. » Alius, « In gloria Sanctorum. » Adhuc loquitur de die præsenti, et de futuro. Splendorem autem hic dicit Sanctorum pulchritudinem. Quid est enim Paulo splendidus? Quid Petro insignius? qui universum orbem terrarum pervaserunt, vel sole clariores, pietatis semina dejicientes? Perinde enim ac si fuissent Angeli qui e cœlo descendissent, ita erant omnibus inaccessi. Hoc ostendens qui librum Actuum composuit, dicebat : « Nemo audebat » se conjungere eis [2]. » Etenim ipsorum vestes erant plenæ magna gratia, et umbræ corporum magnam ostendebant potentiam. Quod si hic tales erant, cogita mihi eo die, quando ab interitu aliena corpora acceperint, quando immortalia, quando omnem, qui videtur, splendorem superantia, quinam erunt ii, et qui fuerint eis similes, Prophetæ et Apostoli, et Justi, et Martyres, et Confessores, et omnes qui per optimam vitæ institutionem in fide Christi fuerint insignes? Cogita mihi illos populos, lampades, radios, gloriam, decorem, lætitiam, festum celeberrimum. Quisnam hæc explicabit? nulla quidem oratio, sed sola experientia aperte docebit eos, qui hoc spectaculo digni fuerint, tantum splendorem. Perinde enim eventurum existimo, ac si multi soles in cœlo fulserint, vel si frequentia fulgura : vel potius quodcumque dixero, contendens ostendere illam pulchritudinem, minime potero dicere pro rei dignitate. Sunt enim hæc omnia exempla corporalia : splendor autem, et quæ tunc illic futura est gloria, omnem ejusmodi pulchritudinem longo intervallo superabit. Non solum enim erunt ab interitu aliena, et immortalia corpora, sed tunc etiam induentur gloria ineffabili. « In splendoribus Sancto» rum. » Ut ostendat eum non terribilem esse solum, os-

[1] Psal. cix, 3. — [2] Act. v, 13.

tendit ejus mansuetudinem et beneficentiam, dicens : « In » splendoribus Sanctorum. » Et hoc est illius potentiæ, eos adeo claros reddere : quod Paulus quoque significans, dicebat : « Qui transformabit corpus humilitatis nostræ, ut » fiamus conformes corpori gloriæ ejus [1]. »

VII. Deinde quoniam rem dixerat magnam et ineffabilem, subjunxit : « Secundum operationem qua potest omnia » sibi subjicere [2]. » Ne quæras, inquit, quomodo et quanam ratione. Potest enim quæcumque vult. Sed quare non dixit : « In splendore Sanctorum, » sed, « In splendoribus ? » Quia multa sunt et diversa præmia. « Alia est enim gloria » solis, et alia gloria lunæ, et alia gloria stellarum : ut » enim stella a stella differt in gloria, ita erit, inquit, etiam » resurrectio mortuorum [3]. » Et Christus : « In domo Patris » mei mansiones multæ sunt [4]. » Ideo splendor ille finem non habet; neque enim cedit nocti, nec locum dat tenebris, sed cum sit magnus, ineffabilis, et hunc qui videtur longe superans, habet etiam hoc maximum, quod finem non suscipit : quod quidem est ineffabilis regis potestatis, quod corpora, quæ erant interitui obnoxia, et caduca, in tantam potentiam et virtutem deduxerit. Deinde quoniam magna quædam dixit, et spe auditorem erexit, ostendit hæc quoque jure fieri : quoniam qui hæc facit, talis est et tantus. Quis ille porro, qui hæc facit ? qui est ejusdem cum Patre substantiæ. Illud enim significans, subjunxit : « Ex » utero ante luciferum genui te [5]. » Sed qui hæc verba ad suum sensum vertunt, contendunt hæc dicta esse de generatione carnis. Quomodo ergo, dic, quæso, ante luciferum ? Ita dixit noctem qua natus est : natus est enim ante diluculum. Sed hoc non est dicere quod quæritur, neque hoc dixit gratia historiæ : et alioqui non possunt ostendere id,

[1] Philip. III, 21. — [2] Ibid. — [3] 1 Cor. XV, 41, 42. — [4] Joan. XIV, 2. — [5] Psal. CIX, 3.

quod docuerunt Evangelistæ, dictum esse a Prophetis, qui maxima ex parte obscure loquuntur. Hic ergo illud, « Ante » luciferum, » non dicit ante ortum luciferi, sed ante naturam, antequam factus esset lucifer. Solet enim Scriptura hæc distinguere, quando dicit ante naturam, et quando ante operationem, ut cum dicit : « Oportet prævenire matutinum ad » gratias agendas tibi, et ante ortum lucis te alloqui [1]. » Hic enim dicit matutinum. Non dixit enim : « Ante solem, » sed, « Ante ortum ; » non « Ante naturam ; » ante naturam enim solis nihil factum est, sed « Ante ortum solis, » ut significaret diluculum. Alicubi autem quando dicit ante ejus naturam, non dicit, « Ante ortum, » sed, « Ante solem, » ut quando dicit : « Ante solem permanet nomen ejus [2]. Et ante lunam » generationis generationum [3]. » Quemadmodum ergo aliud est, « Ante solem, » et aliud, » Ante ortum solis ; » hoc enim operationem solis et mane significat, illud vero naturam ; ita etiam hic, si voluisset significare noctem, non dixisset : « Ante luciferum, » sed, « Ante ortum luciferi. » Et alioqui Christus quoque hunc Psalmum accepit non de humanæ carnis œconomia, sed de generatione per Spiritum. Cum enim dixisset Judæis : « Quid vobis videtur de » Christo, cujus est filius [4] ? » Postquam dixerunt : « David, » subjunxit Psalmum, dicens : « Quomodo ergo dicit David: » Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis ? Si ergo » Dominus ejus est, quomodo vos dicitis quod est ejus fi- » lius [5] ? » Quid est ergo quod dicitur ? Veram et germanam hic ostendit generationem. Quid ergo ? est solum ante luciferum ? Nequaquam. Nam dicit etiam alibi : « Ante lu- » nam thronus ejus. » Et non solum ante lunam, nam de Patre quoque dicit : « Antequam montes fierent, et forma- » retur terra, et orbis terrarum, a sæculo et in sæculum tu

[1] Sap. xvi, 28. — [2] Psal. lxxi, 17. — [3] Ibid. 5. — [4] Matth. xxii, 42. — [5] Ibid. 43, 44.

» es[1]. » Non a sæculo solum, sed etiam ante sæculum : neque enim est usque ad sæculum, sed in infinitum. Ne offendaris autem in dictionibus, sed suscipe intelligentiam quæ Deo conveniat. Vide autem Prophetæ sapientiam. Psalmum incipiens non ab his orsus est : « Ex utero ante » luciferum genui te : » sed cum prius præclara ejus facta ostendisset, et ipsum per opera prædicasset, postea proprio loco ejus dignitatem ostendit. Ita etiam dicebat ipse : « Si » non facio opera Patris mei, nolite mihi credere. Sin au- » tem facio, et si mihi non credatis, operibus credite[2] : » ut cum didiceris quod is est qui sedet ad dexteram Patris, qui Dominus appellatur ut Pater, qui secum habet principatum, qui talem efficit splendorem, qui inter gentes dominatum obtinet, ne conturberis, si audieris eum esse filium etiam ante universam creaturam. Jure autem admirandus est Propheta, quomodo illa quidem ex Dei persona, hæc vero ex sua persona loquitur. Illud enim, « Sede » a dextris meis : » et illud, « Ex utero ante luciferum ge- » nui te, » quæ illum superabant altitudine, ipsum Deum introducit dicentem : alia autem ipse refert. Vide autem quanta utatur proprietate dictionis. Satis fuisset enim dicere : « Genui te : » sed propter eos, qui humi serpunt, ut veram ostenderet generationem, hujus quoque dictionis meminit, et sicut cum dicit manum, non id dicit ut manum esse suspicemur, sed ut intelligamus creandi potestatem, ita etiam uteri meminit, ut veram esse generationem ostendat.

VIII. Deinde volens prophetiam in figuram judicis aptare, ad eum verba facit, quod quidem vehementissimi amoris et insignis gaudii erat et animæ, quæ a divino Spiritu occupabatur. « Juravit Dominus, et non pœnitebit » eum. Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem

[1] Psal. LXXXIX, 2. — [2] Joan. X, 37.

» Melchisedech [1]. » Vides quomodo ad id, quod est humilius, deduxit orationem, modo de Divinitate, modo de humanitate disserens? quod etiam faciunt Evangelistæ, ut utrinque conservetur dogmatum perfectio. Et quare dixit: « Secundum ordinem Melchisedech? » Et propter sacramenta, quod ille quoque panem et vinum Abrahæ obtulerit: et quod hoc sacerdotium sit a lege liberum, ac neque finem, sicut dicit Paulus, neque principium habeat. Quod enim ille in umbra habuit, hoc revera fuit in Jesu: et quemadmodum nomina præcesserunt, ut Jesus, ut Christus: ita hoc etiam. Neque ergo Melchisedech videtur habere dierum principium, neque finem vitæ; non quod non habeat, sed quod ejus genealogia nulla sit facta. Jesus autem neque principium dierum, nec vitæ finem habuit, non eo modo, sed quod nec in ipso sit omnino principium temporale, nec finis. Illud enim erat umbra: hoc veritas. Quemadmodum ergo, cum Jesum audis, non eum, qui vere est Jesus, suspicaris, sed nominis solam figuram accipis, et nihil utra requiris: ita cum audis Melchisedech, qui neque habet principium, nec finem, ne id quæras in rei veritate, sed tibi sufficiat sola appellatio: veritatem autem in Christo edisce. Jusjurandum vero quando audieris, ne putes esse jusjurandum. Quemadmodum enim ira in Deo, ira non est, sed est vis puniendi, et non perturbatio animi: ita etiam jusjurandum. Deus enim non jurat, sed id dicit, quod omnino futurum est. Postquam ergo dixit splendorem Sanctorum, positos esse inimicos sub pedibus ejus, diem ejus virtutis, dicit deinceps præsentia. Vide autem quonam ordine utitur in oratione, durum auditorem emolliens. Cum prius enim terruisset loquendo de judicio, ac pertinaciam ejus emolliisset, inducit sermonem de præsentibus. Propterea talem adhibet mixtionem. Considera au-

[1] Psal. cix, 4.

tem : « Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuo-» rum. » Hoc dicit de futuris : deinde de præsentibus : « Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare » in medio inimicorum tuorum. » Deinde futura prædicit. « Tecum principatus in die virtutis tuæ in splendoribus » Sanctorum : » postea rursus præsentia, quæ non habent amplius ultionem, sed beneficentiam : « Tu es sacerdos in » æternum, secundum ordinem Melchisedech. » Hoc est enim peccati absolutio, et cum Deo reconciliatio. Deinde cum in eis quantum voluit institit, attingit rursus œconomiam, ad id quod est humilius orationem convertens, et dicens : « Dominus a dextris tuis [1]. » Atqui superius dixerat eum sedere a dextris Patris. Vides quomodo non temere dictionibus inhærendum est? Quid est, « Dominus a dextris tuis ? » Quoniam humanitatis susceptæ œconomiam attigit, ad carnem convertit orationem, quæ auxilium suscipit. Videtur enim angi, afflictari, et sudare, et ita sudare, ut guttæ sanguinis defluant [2]; et rursus confirmari. Talis est enim carnis natura. « Confringet in die iræ suæ reges [3]. » Non aberraverit qui hoc dixerit dici de præsentibus, qui insurgunt adversus Ecclesiam, et de iis qui pro peccatis et impietate sua pœnas sunt daturi. « Judicabit in gentibus, implebit » ruinas [4]. » Quid est, « Judicabit in gentibus ? » Judicabit, inquit, condemnabit dæmonas. Et quod judicaverit, audi Christum dicentem : « Nunc est judicium mundi hujus : » nunc princeps mundi hujus ejicietur foras [5]. » Et alibi : « Et ego si exaltatus fuero, omnes traham ad meipsum [6]. » Quod si usus est dictione, quæ paulo magis ad sensum pertinet, non offendaris. Hoc est enim familiare Scripturæ. « Conquassabit capita in terra multorum [7]. » Si hoc quidem velis accipere anagogice, dixerit quispiam eum esse

[1] Psal. cix, 6. — [2] Luc. xxii, 44. — [3] Psal. cix, 5. — [4] Ibid. 6. — [5] Joan. xii, 31. — [6] Ibid. 32. — [7] Psal. cix, 6.

dejecturum fastum et arrogantiam; si vero sensibili modo accipias, Judæorum calamitatem, quos cum vehementia maxima funditus evertit. « De torrente in via bibet [1]. » Hic ostendit humilem ac vilem ejus vivendi rationem, quod nullum fastum præ se ferens, nullis stipatus satellitibus, nec sensibili aliquo apparatu munitus, hæc fecerit; sed tenuem victum ducens, et adeo tenuem, ut ex torrente biberet. Qualis enim erat ei mensa, talis quoque potus. Mensa panes hordeacei, potus aqua de torrente. Venit enim hanc philosophicam vivendi rationem docturus, nempe ventri imperare, pompam calcare, et fastum aversari. Deinde ostendens quod sit hujus vitæ emolumentum, subjunxit: « Propterea exaltabit caput [2]. » Humilitatis enim vitæque austeræ hic est fructus.

IX. Hæc autem non dicta sunt de Divinitate, sed de carne, quæ bibit ex torrente, quæ fuit exaltata. Non modo enim nihil ei detrimenti attulit hæc tenuitas, sed etiam ad ineffabilem evexit altitudinem. Et tu ergo, o dilecte, qui hæc exempla habes tibi proposita, vitam fastu et pompa repletam contemne, tenuem autem ac minime exquisitam persequere, si vis esse clarus et magnus. Dominus enim tuus ideo venit, ut hanc te viam doceret. Quocirca Propheta quoque, cum præclara ejus facta narrasset, hoc ipsum subjunxit, prope dicens: « Cum victoriam et tropæa audieris, ne spera te visurum arma, milites, currus, equos, equites, tumultus aut turbas: est adeo humilis qui hæc facit, adeo frugi et abstinens, ut ex torrente aquam bibat: et tamen qui est ejusmodi, hæc omnia perficiet. Audiant ergo qui mensas habent sybariticas, epulasque et condimentorum omne genus excogitant, et varia coquorum genera undique colligunt, nautasque, gubernatores, et remiges deligunt, ut externa quædam vini et unguentorum genera,

[1] Psal. cix, 7. — [2] Ibid.

aliasque ejusmodi delicias importent, ac seipsos in ipsum barathrum præcipitent, et evadant omnium abjectissimi. Neque enim excelsum quid consuevit facere, qui pluribus indiget : nec humile quidquam, cui pauca desunt. Si vultis autem, effingamus utriusque imaginem, et sit quispiam qui habeat multos ei undique suppeditantes nautas, et gubernatores, artifices et ministros, textores et phrygiones, bubulcos pastores, et equisones, equorumque armenta, atque in omnibus ei famulatus suppetant : alter autem nihil eorum habeat, præterquam solum panem et aquam, et vestem unicam. Quis est in his excelsus ? quis vero humilis ? Annon clarum est eum esse, qui unicam habet vestem ? Is enim vel ipsum regem poterit despicere. Ille autem servus est omnium qui hæc præbent, se demittens, blandiens, omnes observans, timens ne si quis eum reliquerit, in rebus maxime necessariis detrimentum accipiat. Nihil enim æque reddit servum, sicut multis egere : sicut etiam liberum, necessaria tantum requirere. Hoc ipsum videri potest in brutis. Quid enim prodest asino sarcinis onusto, etsi eis fruatur millies ? Quid autem nocet alii libero ab his omnibus, si necessarium alimentum suppetat ? Et ideo Christus altos spiritus suis indens Discipulis, utpote qui erant cum universo orbe terrarum locuturi, omnibus eos curis liberavit, alatos efficiens, et quovis adamante constantiores reddens. Animæ enim nihil tantas addit vires, ut ab eis esse liberam : nihil eam adeo enervat, ut eis constrictam teneri. Quemadmodum enim non potest dolor hic cito inveniri : ita nec illic voluptas. Ille enim habet multos sævos immanesque dominos et dominas : hic autem nulli quidem servit, omnibus autem imperat, radiis solis secure fruens, aëris aura jucunde fruens, et qui sibi molestiam exhibeat, non habens : non eum vexat et agitat ira, non invidia, non livor ; non eum curæ tabefaciunt, non

æmulationes, non vana gloria, non superbia, non aliquid aliud ejusmodi; sed sicut portus aliquis tranquillus, et liber a fluctibus, ita est affectus ejus animus, et iter in cœlum facile ingreditur, ut quem nulla res præsens remoretur. Ut ergo nos quoque hac securitate fruamur, et in præsenti vita tranquillitatem, et in peregrinatione facilitatem consequamur, hanc vitam persequamur, ut bona quoque æterna adipiscamur, quæ omnem rationem, mentem, et cogitationem superant, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CX.

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo [1].

I. Quid est, « In toto? » Cum omni animi alacritate et diligenter, liber ab omnibus curis sæcularium rerum, sublimis et erectus, anima a vinculis corporis liberata. « In » corde? » non in verbis tantum, nec in lingua et ore solummodo, sed cum mente et cogitatione. Ita etiam Moses legem ferens dicebat: « Diliges Dominum Deum tuum ex » toto corde tuo, et ex tota mente tua [2]. » Confessionem autem hic mihi videtur dicere gratiarum actionem: « Laudabo, inquit, agam gratias. » Totam enim vitam in hoc consumpsit, ab hoc exorditur, et in hoc desinit: hoc ejus opus perpetuo fuit, pro iis, quæ et ipse et alii acceperant, beneficiis gratias agere. Deus enim nihil æque atque hoc

[1] Psal. cx, 1. — [2] Deut. vi, 5.

postulat : hoc est sacrificium, hoc oblatio, hoc est pii et grati animi signum, hoc vulnus infert diabolo : hinc coronabatur beatus Job et prædicabatur, quod cum illi tentationes essent innumerabiles illatæ, et uxor quoque eum supplantare vellet, non aversus sit, sed Domino de omnibus egerit perpetuo gratias [1], non solum quando dives, sed etiam quando pauper erat : non solum quando sanus erat, sed etiam quando percussus est in carne; non modo cum ei res omnes ex animi sententia succederent, sed etiam cum gravis illa tempestas in universam ejus domum incubuit, et in ipsam quoque naturam corporis. Hoc est enim grati imprimis animi, in rebus adversis et asperis Deo magnas perpetuo habere gratias. Quod quidem ipse quoque innuens, declaravit per ea quæ consequuntur. Quia enim multi homines, dum res quidem sunt lætæ, agunt gratias; si id autem secus eveniat, ægre ferunt : sunt etiam qui quæ eveniunt, reprehendunt : ostendens id non fieri ex natura eorum, quæ accidunt, sed ex depravato animo, subjunxit dicens : « In consilio Justorum et congregatione. » Magna opera Domini [2]. » Hoc dixit ostendens opus esse judice integro, et cœtu non corrupto, et clarum erit magna esse Dei opera, esseque magno miraculo plena. Sunt enim per se magna, nec videntur esse magna, nisi rectum judicem habeant. Namque sol quoque per se clarus est et lucidus, et universum orbem terræ illustrat : sed iis, quorum oculi laborant, non est talis. Atqui sol non est in culpa, sed est vitium illorum imbecillitatis. Quando ergo videris aliquem Dei opera accusantem, ne propter illius improbitatem Dei opera calumnieris, sed illius dementiæ maximum indicium accipe ex Dei providentia. Quemadmodum enim qui solem dicit tenebricosum, astrum non vituperavit, sed suæ ipsius cæcitatis certum ar-

[1] Job. 1, 21. — [2] Psal. cx, 2.

gumentum protulit : et qui mel amarum nominat, non illius obscurat dulcedinem, sed de morbo, quo laborat, fert sententiam : ita etiam qui Dei opera reprehendit. Et quemadmodum hic nec illis, nec ei, quæ de illis habetur, existimationi detrimentum infert, sed amentiam suam maxime arguit : ita qui de Dei operibus rectum non habent judicium, nec miracula quidem sciunt quæ facta sunt : quemadmodum contra, si quis sit æquo et non depravato animo, stupebit unumquodque eorum, quæ videntur esse difficilia. Quid enim, quæso, eorum quæ fiunt, non est admirabile ? Si velis autem, aliis prætermissis, veniamus ad ea, quæ videntur esse multis molesta et gravia, mortem, morbum, paupertatem, et quæcumque sunt ejusmodi. Si quis enim fuerit recto corde, ea non difficulter suscipiet et mirabitur. Etsi enim mors ex peccato ingressa est[1], tanta tamen et tam insignis fuit Dei potentia, clementia et providentia, ut eam in nostri generis utilitatem converterit. Quid enim grave, dic, quæso, habet mors? annon liberat a laboribus? annon a curis eripit? Annon audis Job eam laudantem, et dicentem : « Mors homini requies, cujus » via est abscondita[2] ? » Annon ea vitium rescindit ? Nam et si malus quis fuerit, eo mortuo vitium resectum est : « Qui » enim mortuus est, justificatus est a peccato[3], » hoc est, peccatum non amplius adjicit : et si cum bonus sit, excesserit, in tuto erit ei collocata omnis virtus, et in tutissimo thesauro recondita. Annon, dic, quæso, vivos modestiores reddit et temperatiores? Non vides sæpe divites, qui superbia intumescunt, et supercilia attollunt, cum in funere vident corpus jacere exanime et immotum, filiosque in orbitate, uxorem in viduitate, et amicos in mœrore, famulosque atris vestibus indutos, et esse denique tristem ac lugubrem totius domus speciem; quomodo se demittunt,

[1] Rom. v, 12. — [2] Job. III, 23. — [3] Rom. VI, 7.

quam humiles fiunt, quam contrito animo. Etenim qui millies doctrinam sibi traditam audierant, nec ex ea quidquam lucrifecerant, ex illo spectaculo repente philosophantur, quam sit vilis et caduca humana natura intelligentes, et quam instabilis et imbecilla sit eorum potentia, et in alienis calamitatibus prævidentes eam, quæ ad se spectat, vicissitudinem.

II. Si enim quamvis sit mors expectanda, est tamen tantum rapinæ, tantum avaritiæ, et non secus ac pisces, qui sunt potentiores, imbecilliores devorant : si non esset mors, quo non processisset avaritia? Si enim, cum sciant fore ut iis, quæ rapuerint, non fruantur, sed velint nolint iis sint cessuri aliis, tanto sunt furore et rabie perciti : si ea tuto possiderent, quando extingueretur eorum improba cupiditas? Quid vero? Martyrii coronæ nonne per mortem texuntur? Quid autem Paulus? annon innumera erexit tropæa, dicens : « Quotidie morior per vestram gloriatio-» nem [1]? » Non enim mors mala est, sed mala est mors pessima : et ideo dicit : « Pretiosa est coram Domino mors » Sanctorum ejus [2]. » Alibi autem : « Mors peccatorum pes-» sima [3] : » hoc dicens malum, cum mala recedere conscientia, et multis peccatorum curis onustum et gravatum. At qui puram habet conscientiam, is currit ad præmia, ad coronam abit. Et ut scias non rerum naturam, sed mentem hominum ipsam sibi creare tumultum et perturbationem, audi quomodo Paulus hoc inquirit, nunc quidem dicens : « Etenim qui sumus in hoc tabernaculo, ingemis-» cimus, adoptionem expectantes, redemptionem corporis » nostri [4]; » nunc autem hoc ipsum alibi significans : « Sed » et si immolor propter sacrificium et ministerium fidei » vestræ, gaudeo et congratulor vobis omnibus. Itidem et

[1] 1 Cor. xv, 31. — [2] Psal. cxv, 15. — [3] Id, xxxiii, 22. — [4] Rom. viii, 23.

» vos gaudete, et mihi congratulamini[1]. » Quod si mors non modo non est gravis, sed etiam optanda iis, qui recte vivunt, multo magis paupertas et alia omnia. « Exquisita » in omnes voluntates ejus[2]. » Alius, « Accurata. » Hic mihi videtur dicere de creaturis, prædicans Dei sapientiam. Superius autem dixit opera; etiamsi nos propter eos, qui sunt pusilli et abjecti animi, alium quoque sensum in his attigimus; prodigia, miracula quæ sæpe perfecit, hominum genus administrans. Quid est autem : « Exquisita in » omnes voluntates ejus? Accurata, » inquit, sicut etiam alius dicit interpres, præparata, perfecta, absoluta, sufficientia ad ejus faciendam voluntatem, quæ satis sunt ad ejus testandam potentiam, quæ nec claudicant, nec manca sunt ad jussa ejus peragenda, sicut etiam dicit alibi : « Ignis, » grando, nix, glacies, spiritus procellarum quæ faciunt » verbum ejus[3], » hoc est, mandata ejus. Ita etiam dicebat Propheta : « Fecit lunam in tempora : sol cognovit occa- » sum suum : posuisti tenebras, et facta est nox[4]. » Non solum ea peragunt ad quæ constituta sunt, sed etiamsi jusserit contraria, hic quoque magna est obedientia. Jussit mari, et non solum non submersit, quod est ejus proprium officium, sed stratis suis fluctibus vel petra firmius ac stabilius, trajecit populum Judæorum[5]. Fornax non solum non urebat, sed rorem etiam præbebat sibilantem. Feræ non solum non devorabant, sed etiam Danieli erant loco satellitum[6]. Cetus non solum non devorabat, sed etiam salvum conservabat depositum[7]. Terra non solum non tulit, sed etiam mari vehementius submersit, quando aperta est, et devoravit Dathan, et obruit super congregationem Abiron[8], et multa ejusmodi alia prodigia

[1] Philip. II, 17, 18. — [2] Psal. CX, 2. — [3] Id. CXLVIII, 8. — [4] Id. CIII, 19, 20.— [5] Exod. XIV, 22.— [6] Dan. III, 25, et VI, 22.— [7] Jon. II. — [8] Num, XVI, 32.

in rebus creatis videri possunt; ut sciant qui valde desipiunt, et naturam in deos referunt, res non agi per naturæ tyrannidem, sed Dei voluntati omnia cedere et obtemperare. Ea enim est naturæ opifex, et prout ipsi videtur, omnia quæcumque sunt immutat : nunc quidem immobiles eorum fines conservans, nunc autem cum voluerit, eos facile convellens, et mutans in contrarium. « Exquisita in » omnes voluntates ejus. » Ad præcepta ejus, inquit, ad mandata ejus : non solum autem ad præcepta ejus, sed ut ipse etiam cognoscatur ab hominibus, quæ quidem est principalis ejus voluntas, et propter quam hæc maxime fecit. Quod itaque dicit Propheta, est ejusmodi : « Adeo perfecta sunt, ut iis, qui attendunt et sapiunt, perfectissimam, apertissimam, et evidentissimam Dei cognitionem hominum menti afferant. » Ad hanc enim ejus voluntatem ea ab initio ab ipso maxime constituta sunt, ut magnitudine, pulchritudine, positura, operatione, ministerio, et aliis omnibus animum spectatoris commoveret, mentemque et intelligentiam excitaret ad opificem et præstantissimum artificem Deum inquirendum, et adorandum eum, qui illa fecerit, et ut universum corpus totius creaturæ esset ei pro libris et litteris.

III. Non solum autem ad Dei cognitionem, sed etiam ad vitæ nostræ institutionem, maximam afferunt doctrinam creaturæ. Nam et avarus, postquam viderit diem nocti cedentem, et solem lunæ, reverebitur elementorum ordinem: et si sit potentior, res inferiorum minime concupiscet. Et adulter et incontinens, postquam viderit mare furere, deinde refrenari et contineri a litteribus, insolentium aquarum reveritus moderationem, poterit celeriter comprimere intumescentem suam cupiditatem, et Christi metu, tanquam freno injecto, ne ulterius progrediatur, impetum coërcere, et impudici hujus desiderii spumam omnem ab-

stergere, et ad temperantiam reducere. Jam vero ad terram quoque respiciens, poterit facile philosophari de resurrectione, et quod de ea dicitur suscipere. Quando enim viderit terram excipere solidum frumenti granum, deinde prius dissolvere, et putrefacere, et multo meliora parere : quando viderit vineam hieme foliis, et pampinis, et botris nudatam, lignumque ipsum aridum, sicut ossa arida, deinde, adventante vere, omnem suam recipere speciem : in corporibus plantarum et seminum, quæ resurgunt postquam interierint, poterit de sua quoque carne philosophari. Rursus autem diligentiam et laboris studium discet a formica, ab ape autem honesti amorem, societatemque, et inter se communionem, sicut dicit Proverbium : « Vade ad formi» cam, o piger, et imitare vias ejus, et sis illa sapientior [1]. » Cum enim illi non sit ager quem colat, nec ullus eam cogat, nec sit in potestate domini, parat æstate alimentum, et in tempore messis magnum facit acervum. « Vel vade ad apem, et disce quod sit operaria, cujus labores reges et privati ad sanitatem offerunt. Atqui licet sit imbecilla viribus, ut quæ sapientiam honorarit, provecta est. » Ipsa enim apis rursus tecum aget, ne nequidquam pulchritudinem corporum admireris, quando non adest virtus animæ : nec deformitatem vilipendas, quando fuerit pulchre ornatus animus. Quod ipsum quoque significans dicebat Parœmiastes : « Parva in volucribus apis, et principium » dulcedinum fructus ejus [2]. » Cogita mihi volucres, et omnem philosophiam ex eis suscipies. Quocirca Christus quoque dicebat : « Respicite volucres cœli, quæ nec serunt, » nec metunt, et Pater vester cœlestis eas alit [3]. » Si enim quæ sunt rationis expertia, non sunt de alimentis sollicita, quomodo te defendes, qui ne tantum quidem ostendis rerum præsentium contemptum, quantum aves? Quod si

[1] Prov. VI, 6. — [2] Eccli. XI, 3. — [3] Matth. VI, 26.

velis etiam ornatum despicere, docebunt te flores agri, ne in te ornando nimium studii et operæ ponas. Quod ipsum quoque Christus significans dicebat : « Respicite lilia agri, » neque nent, neque laborant. Amen dico vobis, nec Salo» mon quidem induebatur ut unum ex his [1]. » Cum itaque vestium ornatum curare volueris, cogita quod quantumcumque contenderis, erit penes fœnum victoria, nec poteris cum illo concertare : et hanc a ratione alienam insaniam comprime. Multa quoque alia philosophiæ documenta et ex brutis, et ex floribus, et ex seminibus capi possunt. « Confessio et magnificentia opus ejus [2]. » Hoc est unumquodque opus ejus : neque enim hæc dicit de uno opere. Alius autem interpres dixit : « Laus et dignitas operatio » ejus ; » hic vero, « Confessio, » hoc est, gratiarum actio et gloria. Unumquodque enim eorum quæ videntur sufficit, ut deducatur spectator ad hymnorum cantum, ad laudem, ad glorificationem. Non licet dicere : « Quare hoc ? ad quid hoc ? » sed tenebræ et dies, fames et abundantia, solitudo et terra inhabitabilis, terra pinguis læta segete, vita et mors, et quæcumque videntur, iis, qui ea diligenter edisCunt, sufficiunt ad excitandum eos ad gratiarum actionem. Hoc per quemdam Prophetam Deus significans dicebat, supplicia ponens pro beneficio : « Everti eos sicut evertit » Deus Sodomam et Gomorrham, percussi eos inflamma» tione et morbo regio [3]. » Et rursus per alium : « Eduxi » eos e terra Ægypti, et e domo servitutis eos redemi, assu» mens supplicia in beneficium [4]. » Ita hæc etiam : nam hæc quoque beneficio afficiunt, corrigunt, erudiunt, castigant, vitium resecant. Homines enim hæc quidem faciunt ut beneficio afficiant, illa vero quod odio habeant et aversentur : Deus autem omnia facit dilectione motus : quemad-

[1] Matth. VI, 28, 29. — [2] Psal. CX, 3. — [3] Amos IV, 11. — [4] Mich. VI, 4.

modum beneficio afficiens posuit in paradiso, et beneficio afficiens ejecit e paradiso? Beneficio afficiens immisit diluvium, et beneficio afficiens in Sodoma illum ignem jaculatus est, et quidquid dixeris ab eo gestorum, unumquodque facit ad beneficium. Beneficio quoque afficiens, gehennam minatus est: et sicut patres non solum indulgentes filiis, sed etiam verberantes, patres sunt: nec minus verberantes, quam indulgentes: ita etiam Deus. Quamobrem Paulus quoque dicebat: « Quis est enim filius quem » non castigat pater [1]? » Et Salomon: « Quem enim diligit » Dominus castigat: flagellat autem omnem filium quem » recipit [2]. Justitia ejus manet in sæculum sæculi [3]. »

IV. Hoc mihi videtur hic dicere propter eos, qui offenduntur ex rebus adversis, quæ præter spem quibusdam eveniunt, propemodum eis suadens et dicens: « Ne conturberis si videas homines per calumniam delatos, molestiis affectos, et mala indigne patientes: manet enim incorruptum judicium, manet pura et integra sententia, quæ pro meritis unicuique tribuit. » Quod si eam nunc postules, vide ne in teipsum primum sententiam proferas. Si enim in unoquoque peccato Deus inferret supplicium et in reos singulos calculum ferret, jam olim de medio sublatum esset humanum genus. Et quid dico hunc aut illum? supremum enim omnium hominum in medium adducens, hoc conabor ostendere: Paulum nempe illum orbis terræ præconem, qui in tertium cœlum raptus est, qui in paradisum fuit sublatus, qui fuit tremendorum sacramentorum particeps, vas electionis, Christi pronubus, qui ostendit angelicam vitæ institutionem, qui virtutis studium tantum adiit. Si enim noluisset esse lenis et patiens, eumque sustinere, sed quando peccabat, blasphemabat et persequebatur, protinus in eum justam tulisset sententiam, jam olim

[1] Hebr. XII, 7. — [2] Prov. III, 12. — [3] Psal. CX, 3.

præripuisset eum pœnitentiæ. Quocirca ipse quoque cum hæc sciret, dicebat : « Gratiam habeo Christo, qui me con- » fortavit, quod me fidelem existimavit, ponens in minis- » terio, qui prius eram blasphemus, et persecutor, et con- » tumeliosus : sed misericordiam consecutus sum ; ut in me » primo ostenderet omnem patientiam, ad informationem » eorum, qui crediturі sunt illi in vitam æternam [1]. » Quid autem, meretricem si puniisset, quandonam conversa fuisset [2] ? Quid vero publicanum Matthæum, si quo tempore publicani officio fungebatur [3], ante mutationem pœnas ab eo exegisset, annon pœnitentiæ illum præripuisset ? Ita etiam latronem, ita Magos, ita etiam unumquemque peccatorem. Iram itaque sustinet, et pro meritis retributionem, vocans homines ad pœnitentiam. Quod si a correctione alieni manserint, justam omnino sustinebunt sententiam. Quocirca Propheta eos, qui injuria afficiuntur, consolans, et eos, qui injuriam inferunt, officii admonens, subjunxit illud : « Justitia ejus manet in sæculum. » Quod autem vult per hoc dicere, est ejusmodi : « Nec tu, qui injuria afficeris, desperes, si vitam finieris, fore ut jus tuum obtineas. Postquam enim hinc excesseris, laborum remunerationem omnino accipies. Nec tu rursus qui omnia rapis, in omnium bona invadis, et omnia susquedeque misces, confidas, si in pace vitam finieris. Postquam enim hinc excesseris, omnium reddes rationem, nequitiæ debita solves. Deus enim semper manens, manentem semper habet justitiam, cui mors nihil rescindit de remuneratione laborum pro virtute susceptorum, nec de irrogatione suppliciorum quæ debentur sceleri. « Memoriam fecit mirabi- » lium suorum [4]. » Quid est, « Memoriam fecit mirabilium » suorum ? » Nunquam, inquit, miracula facere intermisit.

[1] 1 Tim. I, 12, 13, et 16. — [2] Luc. VII, 37. — [3] Matth. IX, 9. — [4] Psal. CX, 4.

Hoc enim est, « Memoriam fecit, » non cessavit, non destitit per omnem generationem facere miracula, et per res admirabiles excitare crassiores. Qui est enim excelso animo et philosophiæ dedito, non opus habebit signis. « Beati » enim qui non viderunt, et crediderunt [1]. » Quoniam autem ipse non eorum tantummodo curam gerit, sed etiam crassiorum, in omni fere generatione non cessat miracula edere. Satis quidem magnum est miraculum universa eorum quæ videntur creatio : sed tamen multorum socordiam excitans, in medio hoc theatro et privatim et publice multa ostendit mirabilia, sicut diluvium, linguarum confusionem, Sodomorum conflagrationem, quæ Abrahæ, quæ Isaac, quæ Jacob evenerunt, quæ in Ægypto facta sunt, quæ in exitu Judæorum, quæ in solitudine, quæ in Palæstina, quæ Babylone, quæ post reditum, quæ tempore Machabæorum, quæ post Christi adventum, quæ in ipso adventu, quæ in diem hodiernum usque fiunt, ruina Jerosolymorum, ædificatio Ecclesiæ, verbum quod quoquoversum pervadit, quod per fluctus erigitur, per bella amplificatur, Martyrum turbæ, aliaque omnia. Multa autem videri possunt et privatim, et in domo, et in civitatibus facta miracula. Sed quæ sunt generalia, et omnibus manifesta ac cognita, et quæ fiunt in unaquaque generatione videamus. Quot Juliano imperante, qui omnes impietate superavit, dum oppugnaretur Ecclesia, facta sunt? quot Maximino? quot ante istos imperatores? Sed si vultis ea etiam, quæ in nostra generatione evenerunt, nempe cruces repente in vestimentis impressæ, Apollinis templum fulmine dejectum, sancti martyris Babylæ, qui in Daphne erat, translatio, et aperta adversus dæmonem victoria, quæstoris imperatoriæ pecuniæ inopinata mors, et admirabilis ipsius imperatoris cædes, ipsius, inquam, Juliani, qui omnes impietate

[1] Joan. xx, 29.

viceral, et avunculi illius interitus, vermium fontes, aliaque innumerabilia, fames, siccitas et sterilitas, aquarum penuria, quæ una cum eo civitates invasit, et alia ubique innumera.

V. Ea quoque, quæ in Palæstina tunc evenerunt, cognovistis. Quando enim illud templum, divina sententia dirutum, rursus ædificare volebant Judæi, ignis, qui e fundamentis exiliit, omnes abegit, et id testatur opus quod mansit imperfectum. « Misericors et miserator Dominus escam dedit timentibus se [1]. » Postquam annuntiavit Dei beneficia, quæ per miracula et per opera accepta sunt, ac curam quam nostri gerit, in eo rursum amplificat orationem, ostendens eum, qui tot et tanta fecit pro salute hominum, et eos omni ratione erudivit, et erudit in Dei cognitione et summa philosophia, eorumque vitam fovet et sustinet, non hoc facere ex debito; quod est maxima gratia; sed propter suam clementiam et misericordiam, non ut qui ipsis egeat, sed propter solam suam bonitatem. « Escam dedit » timentibus se. » Qua de causa eos, qui ipsum timent, hic posuit? Neque enim eos solos nutrit. In Evangelio enim dicit: « Qui solem oriri facit super malos et bonos, et pluit » super justos et injustos [2]. » Quomodo ergo dixit: « Timentibus se? » Hic mihi videtur dicere alimentum non corporis, sed animi: et ideo loquitur solum de timentibus: id enim est eis assignatum. Nam quemadmodum nutritur corpus, ita nutritur anima. Quod autem nutriatur, audi. « Non in solo pane vivet homo, sed in omni verbo quod » egreditur per os Dei [3]. » Hoc ergo dicit nutrimentum, quod etiam dedit præcipue eis, qui ipsum timent, doctrinam per sermonem, eruditionem, omnem philosophiam. « Memor erit in sæculum testamenti sui [4]. » Rursus Judæo-

[1] Psal. cx, 4, 5. — [2] Matth. v, 45. — [3] Id. iv, 4. — [4] Psal. cx, 5.

rum arrogantiam comprimens, et eorum fastum amputans, vel potius ostendens eos quæ bona consecuti sunt, ea non consecutos esse propter sua merita, sed propter ipsius amicitiam in eorum parentes, et propter pacta quæ cum illis fecerat, dicit: « Memor erit in sæculum testamenti » sui: » quod præcepit etiam Moses eis intrantibus in terram promissionis dicere et cogitare. « Si enim ædificave- » ris, inquit, urbes præclaras, et pecuniæ divitias adipis- » caris, ne dixeris: Propter meam justitiam hæc facta sunt, » sed propter pacta inita cum patribus tuis [1]. » Nihil est enim deterius arrogantia, et ideo omni modo et ratione Deus eam assidue resecat. « Virtutem operum suorum an- » nuntiavit populo suo. Ut det illis hæreditatem gentium [2]. » A generalibus transit ad singularia: ab iis quæ facta sunt in orbem terrarum, ad ea quæ evenerunt Judæis. Quanquam si quis ea diligenter consideraverit, ea quoque obtinent locum generalium. Quæ enim in illos facta sunt, documenta aliis præbuerunt, et bella et tropæa et victoriæ fuerunt iis, qui attendunt, instar prædicationis. Non enim humano more et ordine, sed supra rationem ea eveniebant. Quanam enim rerum consequentia factum est, ut eis tuba canentibus mœnia corruerent, et mulier ducens exercitum vinceret et superior evaderet, et parvus puellus jactu unius lapidis bella barbarica conficeret? Multa quoque alia incredibilia et opinione majora eis eveniebant. Ita hostes vicerunt, ita ex Palæstina expulerunt. Quando ergo dicit: « Virtutem operum suorum annuntiavit populo suo, » nihil aliud dicit, quam eum suam ostendisse potentiam, dum non tantum gentes ejiceret, sed eo modo ejiceret, quo maxime poterant cognoscere, etsi priora sufficiebant, quando erat plaga immissa in eos divinitus: et eo ducente exercitum, de hostium rebus decernebatur. Non enim per

[1] Deut. IX, 4, 5. — [2] Psal. CX, 6, 7.

verba tantum, sed etiam per facta eos docebat, per calceos, per vestes, per alimentum, per lucem diurnam et nocturnam, per nubem, per bella, per pacem, per tropæa, per agriculturam, per pluvias : omnia denique vocem emittebant Dominum prædicantia, et excæcatam mentem stimulantia, nec ullum unquam tempus intermissum est, in quo non frequentia sua signa ostenderit. « Opera manuum » ejus veritas et judicium. » Postquam de ejus potentia disseruit, disserit etiam de justo judicio, quod non solum potentiam ostendit in iis, quæ fecit, sed etiam multam justitiam. Neque enim gentes sine causa expulit, quando voluit Judæos introducere, sed etiam jure expulit. Et ideo alibi quoque dicebat Moses : « Nondum enim completa sunt » peccata Amorrhæorum [1]. » Hæc autem non solum dici possunt de Judæis, et de iis quæ illis evenerunt, sed rursus generalis est oratio. Quæcumque enim ab eo facta sunt, veritas sunt et judicium, judicium hoc est justitia. Solet autem sæpe Scriptura veritatem vocare clementiam. Quod ergo dicit, est ejusmodi. Cum justitia et clementia omnia miscuit et temperavit. Si enim sola juris ratione usus esset, omnia periissent.

VI. Et ideo hic ipse quoque Propheta alibi dicit : « Ne » intres in judicium cum servo tuo : quoniam non justifi- » cabitur in conspectu tuo omnis vivens [2]. » Et rursus : « Si » iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustine- » bit [3] ? » Quæcumque ergo ab eo fiunt, his utrisque plena sunt. Nam sive summo tantum jure officium exigeret, omnia interirent, sive sola uteretur clementia, complures redderentur negligentiores. Quocirca salutem hominum varians, ad eorum correctionem his utrisque usus est. « Fi- » delium omnia mandata ejus [4]. » Id quod in multis locis, hic

[1] Gen. xv, 16. — [2] Psal. cxlii, 2. — [3] Id. cxxix, 3. — [4] Id. cx, 8.

quoque facit, a sapientia quæ est in multiplici ac vario creaturarum opificio, et ab ejus providentia ad ejus leges transiens, et illam partem providentiæ rursus tractans. Non solum enim quod talem et tantam creaturam condiderit, sed etiam quod legem tulerit, hominum genus correxit. Et ideo in decimo octavo Psalmo, cum utrasque has partes divisisset, incipiens quidem dixit: « Cœli enarrant gloriam » Dei [1]: » cum autem ad medium venisset, et de creatione orationem absolvisset, subjunxit: « Lex Domini immacu- » lata, convertens animas: præceptum Domini lucidum, il- » luminans oculos [2]. » Ita hic etiam postquam dixit de miraculis, et ejus admirabilibus operibus, nunc aggreditur dicere de præceptis, sic dicens: « Fidelia omnia mandata » ejus, confirmata in sæculum sæculi, facta in veritate et » æquitate [3]. » Non frustra dixit: « Omnia, » sed tractans multiplex genus præceptorum, posuit hanc dictionem. Sunt enim præcepta creationis, quæ observat omnis creatura, sol et luna, dies et nox, et sidera, terræque cursus. Sunt etiam præcepta quæ data sunt naturæ ab initio, quando finxit hominem, de quibus dicit Paulus: « Quando enim » gentes, quæ legem non habent, quæ legis sunt natura fa- » ciunt, ii legem non habentes sibi ipsis sunt lex [4]. » Et rursus: « Condelector enim legi Dei secundum interiorem ho- » minem [5]. » Sunt etiam præcepta quæ scripta sunt. Hæc omnia manserunt. Quod si sint etiam aliqua abrogata, non in pejus, sed in melius mutata sunt. Illud enim, « Non oc- » cides [6], » non est abrogatum, sed est amplificatum: et illud, « Non adulterabis [7], » non est sublatum, sed majus effectum est. Et ideo dicebat, « Non veni solvere legem » aut Prophetas, sed adimplere [8]. » Qui enim non irascitur,

[1] Psal. xviii, 2. — [2] Ibid. 8, 9. — [3] Id. cx, 8. — [4] Rom. ii, 14. — [5] Id. vii, 22. — [6] Exod. xx, 13. — [7] Ibid. 14. — [8] Matth. v, 17.

multo magis a cæde abstinebit : et qui impudicis oculis non aspicit, longius ab adulterio sedet. Lex ergo hoc habet imprimis eximium, nempe immortalitatem et perpetuitatem, lex nempe creationis, lex naturæ, lex philosophiæ, et lex Novi Testamenti. Ideo dicit : « Cœlum et terra transibunt, » verba autem mea non transibunt [1] : » ostendens eorum immobilitatem. Quæcumque enim vult Deus manere, ea manent perpetuo, et nihil est quod ea moveat. « Facta in » veritate et æquitate. » Quid est, « In veritate et æquitate ? » Nihil est, inquit, in eis obliquum, nihil contortum, nihil obscurum, nihil ad gratiam ullam, aut odium ; sed omnia ad bonum et utilitatem, non sicut leges hominum, quæ magna ex parte sunt momentaneæ, et obscuræ, et quæ multum habent ex homine. Ex humanis enim perturbationibus multæ sæpe leges latæ sunt. Inimicum enim ulciscens, vel amico gratificari volens, scripta ita concepta composuit. At non sunt leges divinæ ejusmodi, sed manent sole clariores, quærentes utilitatem eorum quibus feruntur, deducentes eos ad virtutem, et ad rerum veritatem ; non ad hæc mendacia, divitias, inquam, et potentiam ; hæc enim falsa sunt : quæ Dei autem sunt, sunt veritas : neque quomodo fiant ditiores, neque quomodo præsentia assequantur, sed quomodo futuris frui possint, docentes. De veris et rectis rebus, et quæ nihil habent perversum, omnia dixerunt illæ leges. « Fidelia omnia mandata ejus. » Quid est, « Fidelia ? » firma, manentia. Etsi enim transiliantur, sequuntur supplicia, et ea minime labefactantur : etsi homines ea transgrediantur, Deus tamen ea vindicat. Ne ergo ea dixeris dicta esse minaciter aut hyperbolice. Nemo legem ferens, dicit tantum ut minetur, sed etiam ut castiget. Si autem non valde credas de futuris, faciant tibi fidem præterita. Quod fuit itaque tempore Noë diluvium, et

[1] Matth. xxiv, 35.

Sodomorum conflagratio, et Pharaonis exitium, et Judæorum interitus, captivitates, et bella, in minis-ne constiterunt, an deducta sunt ad rerum experimentum? Quod si ea vere facta sunt, quæ erant in figura : multo magis quæ sunt in veritate, quo major fuit admissorum improbitas post tantam medicinam et correctionem. « Redemptionem » misit Dominus populo suo [1]. » Quod ad historiam quidem attinet, dicit libertatem Judæorum : sed si id accipiamus anagogice, libertatem orbis terræ, quod etiam significat id quod sequitur, « Mandavit in æternum testamentum suum [2]. » Hic novum dicit : quoniam enim meminit mandati et legis, ea autem non fuit observata, et iram peperit, dicit : « Re- » demptionem misit populo suo, » quemadmodum ipse quoque dicebat : « Non veni ut judicem mundum, sed ut ser- » vem mundum [3]. » Quoniam enim lex non observata, puniebat : « Lex enim, inquit, iram operatur : ubi enim non » est lex, nec transgressio [4] : et omnes peccaverunt, et » egent gloria Dei, justificati gratis, gratia ipsius [5] : » propterea sic dixit : « Redemptionem misit Dominus populo » suo. »

VII. Nec est tamen solummodo redemptio, sed etiam post redemptionem lex est, ut vitæ institutionem ostendamus dignam gratia. « Sanctum et terribile nomen ejus [6]. » Postquam enim cogitavit omnia prædicare ejus curam ac providentiam, quam ostendit tam in Veteri, quam in Novo, tam in factis et operibus, quam per præcepta, quam per miracula ac prodigia : divino Spiritu afflatus, et ejus admirans majestatem, finit orationem in glorificatione, ei, qui hæc fecit, laudem offerens. « Sanctum et terribile nomen » ejus, » hoc est, plenum stupore, plenum admiratione. Quod si tale est ejus nomen, quanto magis substantia?

[1] Psal. cx, 9. — [2] Ibid. — [3] Joan. xii, 47. — [4] Rom. iv, 15. — [5] Id. iii, 23, 24. — [6] Psal. cx, 9.

Quomodo autem est ejus nomen sanctum et terribile : id pertimescunt et contremiscunt dæmones, id morbi formidant. Eo nomine usi Apostoli, universum orbem terræ correxerunt. Eo David armorum loco usus, barbarum illum prostravit. Eo res innumerabiles recte et præclare gestæ sunt : eo sacris initiamur mysteriis. Considerans ergo quot et quanta faciat ejus nomen miracula, quot beneficiis afficiat, quo pacto dissipet adversarios, suos confirmet, et res apud se reputans, quæ omnem naturæ consequentiam et humanam rationem superant, dicit : « Sanctum et terribile » nomen ejus. » Quod si est sanctum, sancta quoque ora habere opus est ad eum laudandum, sancta, inquam, et pura. « Initium sapientiæ timor Domini. Intellectus bonus om- » nibus facientibus eum [1]. » Quid est, « Initium? » fons, radix, fundamentum. Quoniam enim tot et tanta dixit de Domino orbis terræ, et tanta repletus est admiratione : hoc subjungit ostendens deinceps eum, qui ipsum timet, impleri omni sapientia, et prudentem evadere. Deinde ne quis existimaret sapientiam non procedere ultra cognitionem, subjunxit : « Intellectus bonus omnibus facientibus » eum. » Non sufficit enim fides, nisi adsit etiam vitæ institutum fidei conveniens. Quomodo est autem initium sapientiæ timor Domini? Ab omni vitio liberat, omnem virtutem dirigit. Dicit autem sapientiam, non quæ in verbis, sed quæ in rebus sita est. Nam externi quoque philosophi definierunt sapientiam, divinarum et humanarum rerum cognitionem. Hanc autem artem docet Dei timor, improbitatem auferens, et virtutem inserens, ut præsentia contemnantur efficiens, et in cœlum traducens. Quid est hujusmodi anima sapientius? Non quærit autem hic solum auditorem, sed etiam factorem. « Intellectus autem bonus omnibus facien- » tibus eum. » Hoc est, iis, qui sapientiam exercent, et eam

[1] Psal. cx, 10.

factis ostendunt, bonus est intellectus. « Intellectus bonus, » inquit, quoniam est etiam malus intellectus, ut quando dicit : « Sapientes sunt ut male faciant, bonum autem fa- » cere non noverunt [1]. » Ipse autem quærit eum intellectum, qui in virtute situs est. « Laudatio ejus manet in sæculum » sæculi [2]. » Quænam, die, quæso, ea laus? Gratiarum actio, glorificatio, quæ per opera facta est immortalis : et ante hæc ea quæ ejus substantiæ attributa est. Deus enim est immortalis, et per se valde laudabilis : laudabilis autem est etiam, quando ejus majestatem apud te consideraveris, et alia omnia. Laudabilis quoque est propter opera, quando videris ejus sapientiam per ea quæ videntur. Hæc autem dicit adhortans ad gratiarum actionem, et ostendens nulla esse dignos venia, qui quæ fiunt ægre ferunt. Quando enim ejus laudatio, gratiarum actio, et glorificatio est adeo manifesta, clara immobilisque, et firma ac stabilis, ut etiam sit immortalis et fine carens, illi autem eam ignorantes, loquuntur contraria : nihil aliud quam iis quæ sunt sole longe clariora contradicunt, et sponte cæcutiunt. Non est enim ad tempus, ut eam ignorent, nec obscura et non manifesta, sed clara, perpetua et immortalis, semper manens, et finem nunquam habens.

[1] Jer. IV, 22. — [2] Psal. CX, 10.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXI.

Beatus vir qui timet Dominum [1].

I. Mihi videtur hujus Psalmi proœmium apprime sequi finem præcedentis, et esse veluti quoddam corpus continuum et conjunctum. Illic enim dicit : « Initium sapientiæ » timor Domini [2] : » hic autem, « Beatus vir qui timet Domi- » num, » aliis verbis, eadem autem sententia, docens timorem Domini. Illic enim dixit esse sapientem : hic vero beatum. Hæc autem vera est beatitudo, quemadmodum alia quidem omnia sunt vanitas, umbra, resque levissimæ ; sive dicas divitias, sive potentiam, sive corporis pulchritudinem, sive vim pecuniæ. Sunt enim similia foliis cadentibus, et umbris prætercurrentibus, et somniis evolantibus. Hæc autem vera est beatitudo. Deinde quoniam dæmones quoque cum verentur, et pertimescunt, ne putes hoc solum sufficere ad salutem ; quod superius fecit, hic quoque facit. Quemadmodum enim, cum illic dixisset : « Initium sapientiæ » timor Domini, » subjunxit : « Intellectus bonus omnibus » facientibus eum [3], » convenientia vitæ instituta dogmatibus adjungens : ita hic etiam cum dixisset timorem, non illum solum dicit qui ex cognitione oritur, quem habent etiam dæmones, sed hoc etiam adjicit dicens : « In mandatis » ejus volet nimis [4]. » Hæc autem dixit exigens accuratam vitæ institutionem, et animam amore sapientiæ præditam.

[1] Psal. cxi, 1. — [2] Id. cx, 10. — [3] Ibid. — [4] Id. cxi, 1.

Non dixit: « Mandata ejus faciet, » sed, « Volet, » aliquid amplius requirens. Quidnam autem hoc est? Ea facere cum studio et animi alacritate : esse vehementes eorum amatores : jussa eorum persequi : amare ea non propter mercedem, quæ est pro ipsis proposita, sed propter eum qui illa statuit ; virtutem cum voluptate persequi, non propter metum gehennæ, nec propter minas supplicii, nec propter promissionem regni, sed propter eum qui leges tulit. Quinetiam alibi hoc facit ostendens voluptatem, quam capit ex præceptis Dei. « Quam dulcia, inquit, faucibus meis eloquia » tua, super mel ori meo [1]. » Hoc etiam requirit Paulus, ita dicens obscure et ænigmatice : « Sicut habuistis membra » vestra serva immunditiæ et injustitiæ ad injustitiam : ita » exhibete membra vestra serva justitiæ ad sanctificatio- » nem [2]. » Hoc est, cum quanto studio, cum quanta animi alacritate nequitiam sectabamini, etsi nullum esset præmium propositum, sed contra pœna et supplicium : cum tanta virtutem sectemini. Et tamen hanc quoque mensuram dixit se exigere eis moderatam. Hæc enim dicturus, ita loquitur : « Humanum dico propter infirmitatem carnis » vestræ [3] : indicans oportere non minorem ostendere in virtute cupiditatem, quam in vitio ostendimus. Id est autem quod dicit: « Si non eamdem virtutem ostenderint, quanam excusatione utentur, aut quomodo veniam assequentur, qui ne cum eadem quidem cupiditate ad eam accedunt? » Et ideo hic quoque Propheta dixit : « In mandatis ejus vo- » let nimis. » Qui enim eum metuit ut oportet, suscipit ejus præcepta cum magna aviditate : et ideo amor in legislatorem facilem et gratam facit legem, etsi videatur aliquam habere difficultatem. Nemo autem quod dico reprehendat, si tali exemplo usus sum. Nam Paulus quoque eo usus est, sic dicens : « Sicut exhibuistis membra vestra serva immun-

[1] Psal. cxviii, 103. — [2] Rom. vi, 19. — [3] Ibid.

» ditiæ, ita exhibete justitiæ. » Qui meretricis itaque amore captus est, etiamsi afficiatur probro et contumelia, etiamsi verberetur, etiamsi se turpiter et indecore gerat, etiamsi expellatur a patria, etiamsi bonis paternis evertatur, etiamsi patris benevolentia privetur, etiamsi graviora patiatur, ea fert jucunde et lubenter propter amorem impudicum. Quod si illa cum voluptate suscipiunt, quomodo non multo magis Dei præcepta, quæ sunt salutaria, et gloriæ plena, et magnam nobis præbent philosophiam, et animam meliorem efficiunt, oportet cum magna voluptate suscipere, et nihil esse difficile in eis existimare? Difficultatem enim non natura præceptorum, sed multorum solet socordia efficere. Itaque si quis ea cum studio et alacritate animi suscipiat, videbit ea esse levia et facilia. Quocirca dicebat Christus, « Jugum meum suave est, et onus meum leve [1]. » Et ut scias ea hoc modo se habere, et multorum socordiam ea quæ sunt facilia, reddere difficilia, studium autem ac diligentiam facilia, ea quæ sunt alioqui difficilia : quando manna fruebantur Judæi, id et ægre ferebant, et mortem exoptabant : Paulus autem cum fame conflictans gaudebat et exiliebat. Et illi quidem dicebant : « Anima nostra va- » cua est in manna [2]. Eduxisti nos ut interficeres, eo quod » non essent monumenta in Ægypto [3] ? » Paulus autem dicebat : « Gaudeo in passionibus meis, et suppleo ea quæ » desunt afflictionibus Christi, in carne mea [4]. » Quibusnam passionibus? fame, siti, nuditate, et aliis omnibus. « In » mandatis ejus volet nimis. » Quomodo autem hoc fiet? Si Deum probe timeamus et amemus, si ejusdem virtutis naturam consideremus. Ante alia enim præmia, habet in seipsa remunerationem. Nam si non mœchatus fueris, si non cædem feceris, cogita quanta frueris voluptate, non

[1] Matth. xi, 30. — [2] Num. xi, 6. — [3] Exod. xiv, 11. — [4] Coloss. i, 24.

condemnatus a conscientia tua, coram tuis non erubescens, puris omnes oculis intuens. Verum adulter non est ejusmodi, sed omnes metuit ac formidat, et vel ipsas umbras habet suspectas.

II. Rursus avarus et invidus eadem patietur. Qui est autem liber ab his, contra se habebit. « Potens in terra erit » semen ejus [1]. » Solet Scriptura sæpe semen vocare, non id quod nascitur ex naturæ ordine, sed quod ex societate virtutis. Quocirca Paulus quoque interpretans illud: « Tibi » et semini tuo dabo terram hanc [2], » dicebat : « Non enim » omnes qui sunt ex Israël, ii Israël : neque quia sunt se- » men Abrahæ, omnes filii, sed in Isaac vocabitur tibi se- » men [3]. » Et rursus : « In semine tuo benedicentur omnes » gentes [4]. » Quod enim non dictum sit de Judæis, res ipsæ indicant. Qui sunt enim ipsi pleni maledictione, quomodo fuerint aliis causa benedictionis? sed dicit de Ecclesia, quæ ex societate fidei ejus semen esse dicitur. Tales sunt ergo, qui sunt virtute præditi, et filii eorum, qui Deum timent. « Potens in terra erit semen ejus. » Quare dixit: « In » terra? » Ut ostenderet id esse etiam antequam hinc excedant, et antequam bonorum, quæ illic sunt, faciant periculum. Quemadmodum enim dixi antea, virtus in ipsa operatione habet remunerationem etiam ante præmia. Quod enim qui talis est, habeat semen potens, et qui est virtutis præsidio munitus, sit omnium potentissimus, docuerunt Apostoli, ostenderunt Prophetæ. Similiter etiam Dominus de his significans, dicit : « Quicumque audit sermones meos, » et facit eos, assimilabitur viro prudenti, qui ædificavit do- » mum suam super petram, et descendit pluvia, venerunt » fluvii, flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et » non cecidit : erat enim fundata supra petram [5]. » Quot

[1] Psal. CXI, 2. — [2] Gen. XII, 7. — [3] Rom. IX, 6, 7. — [4] Galat. III, 8. — [5] Matth. VII, 24, 25.

populorum incursus, quot iræ tyrannorum, quot enses, quot lanceæ, quot tela, quot fornaces, quot belluarum dentes, quot præcipitia, quot maria, quot insidiæ, quot calumniæ, quot machinationes fuerunt concitatæ adversus Apostolos? nihil tamen eos supplantavit : sed fuerunt his omnibus excelsiores, prætervolantes eorum arundines, qui ipsis insidiabantur, et ipsos insidiatores traducentes in suas partes. Nihil est enim virtute potentius ea et petra est solidior, et adamante fortior : quemadmodum rursus nequitia nihil est vilius, nihil imbecillius, etiamsi quis sit munitus infinita vi pecuniæ, et extrinsecus maximam habeat potentiam. Quod si tantæ sunt eorum vires in terra, cogita quanta sit futura eorum in cœlis potentia. « Generatio » rectorum benedicetur [1]. » Vidisti eam resplendere, et innumerabiles habere prædicatores, laudatores et admiratores; ac non temere quoslibet, sed sapientes. Neque enim quisquam ex hominibus, qui sunt utiles et abjecti, et humi serpunt, poterit eam intelligere, sed ii maxime eam laudabunt, ii maxime admirabuntur et prædicabunt, qui non habent mentem perversam. Considera ergo quanta sit possessio, ut quæ nec Angelis, nec Apostolis, nec magnis et admirandis viris preconibus careat : si enim tales esse oportet eos, qui ipsam laudant, cogita et reputa qualem eam esse consequens est. « Gloria et divitiæ in domo ejus [2]. » Rursus a sensibilibus transit ad spiritualia. Solet enim Scriptura eas appellare divitias, quæ sunt in bonis operibus, ut quando dicit : « Bona operari, divites esse in bonis » operibus [3]. » Hæ enim sunt veræ divitiæ, aliæ sunt nomine tantum, re autem ipsa carent. Quod si has quoque dixerit quispiam divitias, ne sic quidem recedemus ab eo quod dicitur. Quid enim erat Apostolis vel in pecuniis ditius, ad quos omnia tanquam ex fontibus profluebant? « Quicum-

[1] Psal. cxi, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] 1 Tim. vi, 18.

» que enim erant agrorum vel domorum possessores, ven-» dentes afferebant et ponebant pretium ante pedes Apos-» tolorum [1]. » Vides opum magnificentiam? Omnium bona possidebant, ab eorum cura liberi, et ut qui essent eorum potius œconomi, quam domini. Qui enim habebant, habere desistentes, ea afferebant ad Apostolos : ipsi quidem venumdantes, et pecuniam comparantes, permittentes autem ejus distributionem esse in illorum potestate. Quocirca Paulus quoque dicebat : « Tanquam nihil habentes, et om-» nia possidentes [2]. » Est enim hoc admirabile, quod qui tantis pollebant divitiis, essent facultatibus illis superiores : eos enim non tenuit obnoxios pecuniæ copia. Hæ sunt vel maximæ divitiæ, non egere divitiis : « Gloria et divitiæ in » domo ejus. » Hic quod superest, non eget interpretatione. Habuerunt enim gloriam quæ a Deo proficiscitur. Ipsa autem sequebatur, ut dicit divina Scriptura : « Quærite » regnum Dei, et hæc omnia adjicientur vobis [3]. » Quid enim illis honorabilius? Quid magnificentius? Tanquam Angelos Dei suscipiebant : pecunias afferentes, ad eorum pedes ponebant ; iis denique, qui capite diadema gestabant, erant illustriores. Quis enim rex unquam ingressus est cum tanta claritate, cum quanta ubique habebatur Paulus in admiratione loquens, a morte liberans, morbos expellens, dæmones fugans, et hæc atque ejusmodi vel solis vestibus efficiens? Hic terram cœlum faciebat, et omnes ad virtutem ducebat.

III. Quod si hæc in terra fecerunt, cogita quanta erit gloria eorum in cœlis. Quid est autem, « In domo ejus? » Cum ipso, inquit. Externæ autem divitiæ non sunt cum eo qui habet illas, quandoquidem ne in tuto quidem sunt collocatæ, sed sunt in manibus calumniatorum, in manibus adulatorum, in manibus principum, in manibus famu-

[1] Act. IV, 34, 35. — [2] 2 Cor. VI, 10. — [3] Matth. VI, 33.

lorum : et ideo eas ubique spargit, non audens universas eas domi tenere : et ideo adhibentur custodiæ et excubiæ, etsi hoc nihil juvet, cum eæ possint omnia effugere. « Et » justitia ejus manet in sæculum sæculi [1]. » Alius dicit : « Et » misericordia ejus manet in sæculum sæculi. » Vel hic dicit virtutem in genere, vel eam quæ repugnat injustitiæ, vel quemadmodum dicit alius interpres, clementiam vocat misericordiam. Talis est enim vis eleemosynæ, res est immortalis, aliena ab interitu, et quæ minime potest extingui. Atque humana quidem omnia convelluntur, fructus autem eleemosynæ nunquam potest marcessere, nec ulla difficultate temporum profligari. Etsi enim corpus fuerit dissolutum, illa tamen non una cum vita dissolvitur, sed ante illum excedit, ei mansiones præparans, de quibus dicit Christus : « In domo Patris mei mansiones multæ » sunt [2]. » In hoc itaque res humanas superat, quod sit perpetua et stabilis, quod quidem nulla res habet earum quæ ad hanc vitam pertinent. Nam si dixeris pulchritudinem, ea morbo flaccescit, et senio consumitur : si potentiam, ea sæpe mutatur : si divitias, si aliquid aliud eorum, quæ in vita præsenti habentur clara et illustria, ea vel vivos relinquunt, vel mortuos omnino nudos et destitutos sinunt. Sed justitiæ non est ejusmodi fructus : non tempore consumitur, non morte amputatur, sed tunc tutior redditur, quando ad portum illum, qui nullis agitatur fluctibus, adnavigaverit. « Exortum est in tenebris lumen » rectis [3]. » Describens beatitudinem ejus qui timet Deum, dicit res quæ in præsenti eveniunt, ut quod sint immortales ejus possessiones, quod gloria fruiturus sit, quod sit futurus omnibus superior, quod eos, qui fuerint ei virtute similes, et ejus filii evaserint, visurus sit inexpugnabiles, in maxima rerum difficultate securissimus. Hoc enim sibi

[1] Psal. cxi, 3. — [2] Joan. xiv, 2. — [3] Psal. cxi, 4.

vult illud, « Exortum est in tenebris lumen rectis. » Iis enim, qui sic sunt affecti, iis qui recte gradiuntur, efficiet ut in mediis tenebris lux oriatur. Quid est, « In tenebris? » Etsi sint in afflictione, in angustiis, tentatione et periculis; ea enim vocat tenebras; efficiet ut plurimum eis adsit voluptatis. Quod etiam Paulus significans, dicebat : « Nolo » autem vos ignorare de afflictione quæ fuit nobis in Asia, » quod supra modum gravati sumus, ut etiam de vita dubi» taremus [1]. » Vidisti tenebras? « Sed ipsi in nobis res» ponsum mortis habuimus, ne confideremus in nobis » ipsis, sed in Deo qui suscitat mortuos, qui ex tantis » mortibus liberavit nos [2]. » Vidisti quomodo sit exorta lux? Considera hoc ipsum etiam in tribus pueris. Cum enim expectarent fore ut exurerentur, purissimum rorem assecuti sunt. Idipsum etiam evenit in Daniele et aliis Prophetis. Quod si hæc velis ita sumere, ut ad aliam referantur anagogen, videbis hoc orbi terrarum accidisse. Cum enim tenebræ terram et mare occuparent, et error ubique esset diffusus, Sol justitiæ ex imo exortus est. Quoniam enim tunc homines, cœlo relicto, Deum in terris quærebant, ex eo loco eis apparuit, se ad eorum imbecillitatem demittens, ut ad altitudinem infinitam eveheret. « Misericors et miserator, et justus Dominus Deus [3]. » Quoniam dixit ejus justitiam manere, et illo modo consolatus est : multi autem misericordes, et qui recte hic vitam agunt, contraria hic experiuntur, affert aliam consolationem dicens : « Misericors, et miserator, et justus » est Dominus : » Duplicem inde eliciens demonstrationem. Si enim est misericors, et iis, qui peccant, sæpe veniam concedit, multo magis eos, qui se recte gerunt, non relinquet incoronatos, postquam hinc excesserint. Sed etsi hic non reddat, omnino illi reddet. Deinde subjungit

[1] 2 Cor. 1, 8. — [2] Ibid. 9, 10. — [3] Psal. cxi, 4.

etiam : « Justus, » quod si justus sit, ut est, reddet unicuique secundum merita, etiamsi hic non reddat : quod est vel maximum argumentum futuræ resurrectionis. Quando enim multi ex iis, qui sunt virtute præditi, cernuntur mala multa perpessi, et improbi impune et secure vivere : ubinam recipiet unusquisque pro meritis, si non sit futura resurrectio, et alia vita, judicium et remuneratio? Deinde quoniam justitiæ mentionem faciens, terruit auditorem, ut qui sit redditurus rationem peccatorum, cito affert medicamentum, dicens : « Jucundus homo » qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in » judicio [1]. »

IV. Vide quot præmia proponit homini clementi; quod fructus ejus maneat perpetuo, quod liberandus sit a tentationibus, quod Deum imitaturus sit; est enim Deus misericors, quod peccata ei sint condonanda. Hoc enim sibi vult illud : « Dispensabit sermones suos in judicio; » id est, patrocinium consequetur, non deerit ei defensio, non erit ei tunc condemnatio, cum eleemosyna defensionem ei pulchre comparet. Alius autem interpres dixit : « Dis- » pensans res suas cum judicio. » Hoc est, « Fruetur magna prosperitate, nihil ab eo suscipietur quod sit absurdum et alienum, ut qui fuerit optimus dispensator. » Qui enim est crudelis et inhumanus, et misericordia non movetur, est a vera dispensandi ratione alienus. Quid enim possit esse hoc gravius, quam cum is qui est aditurus periculum animæ, pecuniis parcit, et illam negligit? Quocirca Christus quoque illum laudavit œconomum, qui, quando erat vocandus in periculum, schedulas dissolvit, et de eo quod debebatur, rescidit. Quomodo enim non est absurdum, ut qui in præsenti quidem vita sunt in periculo, omnia sua profundant ut periculum redimant : cum autem veniant

[1] Psal. cxi, 5.

in periculum ne tradantur supplicio, non utantur eadem œconomia? Et ideo prudentem dispensatorem dicit misericordem, ut qui multa paucis emat, pecuniis cœlum, veste regnum, pane et poculo frigidæ bona futura. Quid enim conferri potest cum hac dispensatione, quando quis ea dans quæ pereunt, fluunt, et intereunt, ea quæ sunt futura, et quæ sunt immobilia accipit, et per ea in præsenti vita securitate fruitur? Ideo dicit : « Dispensabit ser» mones suos in judicio. » Vel, ut alius dicit interpres : « Dispensans res suas cum judicio. » In quonam dicit judicio, nisi in die futuro? Vel dicit cum etiam omnia sua optime administraturum, nec futurum in eis quidquam confusum, sed omnia fore ordine collocata, omniaque recta via et consequentia processura, nullam fore in eis perturbationem, nullum strepitum aut tumultum, cum eleemosyna reddat eis omnia facilia et expedita. Quod etiam reddens manifestius interpres alius dixit : « Dispen» sans res suas cum judicio. » Is enim est misericors, qui res suas cum judicio dispensat : ut alius quivis est fructu vacuus, qui est a vera dispensandi ratione alienus. « Quia » in æternum non commovebitur. » Qui potest conferri cum hac dispensatione, quando quis talem viam invenerit, quæ eum liberet ab inopinatis casibus, et extra vitæ fluctus in portu constituat, ac cum sit homo, nihil humanum sustineat, vel sustineat quidem, sed nequaquam evertatur? Hoc est enim admirabile, quando non cedit tentationibus, nec ab eis prosternitur. Quid vero, annon commoti sunt multi misericordes? Nequaquam. Nam etsi pauperes facti sint, et ad extremam deducti mendicitatem, atque in ærumnas et calamitates inciderint, minime tamen eversi sunt : cogitantes ea quæ a se facta sunt, Dei benevolentiam et præsidium ad se attrahentes, et validam aliquam fortemque ancoram, nempe bonam conscientiam,

habentes. Non dixit itaque : « Insidiis non appetentur, » sed, « Non commovebuntur. » Quod etiam dixit Christus de illo, qui ædificavit supra petram [1]. Non quod non sit tempestatem passurus, sed quod etiam tempestatem sustinens, minime sit evertendus. Hoc est enim admirabile, non quando cessantibus tentationibus omnibus in tuto fuerit : sed quando frequentissimis machinis impetitus, perpetuo manebit immobilis. Neque enim fieri potest, ut anima dives misericordia, obruatur unquam a gravibus animi perturbationibus. « In memoria æterna erit Justus [2]. » Vide ipsum non solum in tempore vitæ, sed etiam post mortem complures docere et instituere. Quomodo ergo, dum vivit, patietur aliquid mali, quando etiam moriens est aliis magister tranquillitatis? Ut enim sciant vel qui sunt maxime increduli, fructum ejus manere immortalem in cœlis, hinc dat ejus rei experientiam : defosso enim et terra obruto corpore, memoria ejus ubique circumfertur. Talis est virtutis potentia, non cedit tempori, non marcescit diuturnitate. Hoc autem fit propter salutem malorum. Illi enim non habent opus laude hominum : qui autem vivunt in nequitia, illis egent encomiis, ut ex laude eorum, quæ præclare ab aliis gesta sunt, fiant virtutis studiosiores, et aliquando liberentur a vitio. Ubi sunt ergo qui sepulcra sumptuosa ædificant, ædesque magnificas excitant? Audiant quid monumentum perpetuum efficiat. Non lapidum extructio, nec murorum ambitus et turres, sed bonorum operum exhibitio. Hæc autem ponit propter eos qui sunt valde increduli, et futura non attendunt : ut cum a præsentibus et iis quæ apparent eos abduxerit, deducat ad futura : et alioqui ostendit virtutem, ut sæpe dixi, etiam ante illa præmia, habere in seipsa remunerationem. « Ab » auditione mala non timebit [3]. » Alius, « Nuntium malum

[1] Matth. VII, 25. — [2] Psal. CXI, 7. — [3] Ibid.

»non timebit.» Quemadmodum non dixit superius eum non esse petendum insidiis, sed insidiis appetitum non esse commovendum : ita hic etiam non dicit eum non esse auditurum malum nuntium, sed audientem minime formidaturum.

V. At qui fiet ut non formidet? Sive bellum viderit adventare, sive terræ motum oppida diruere, sive latrones et murorum effossores omnia eripere, sive barbaros incursiones facere, sive morbum mortem minitari, sive iram judicis, sive quodcumque aliud, minime extimescet ; suas enim opes antea deposuit in loco tutissimo, et ex quo non possunt eripi : et imminente morte non modo non metuit, sed etiam festinat quamprimum in ea loca concedere, ubi sunt ejus merces. « Ubi est enim thesaurus hominis, »illic cor ejus [1]. » Nam si mercatores, qui domum multa onera præmiserunt, properant quotidie ut suas videant divitias : multo magis hic, qui in cœlis omnes suas facultates antea deposuit, volet a rebus præsentibus avulsus ad futuras festinare. Nihil ergo ei poterit timorem incutere. « Pa»ratum cor ejus sperare in Domino [2]. » Alius, « Firmum »cor ejus : » idem significans, et interpretans illud, « Pa»ratum. » Quod autem dicit est ejusmodi : « Nihil est quod eum labefactet, et rebus præsentibus addicat : sed totus quantus est, ad Deum extenditur, et spem illam expectat, et in illa expectatione perpetuo defigitur, nec ab ulla re præsenti mollescit, abducitur, aut distrahitur. Tales enim sunt negotiorum sollicitudines : mentem dividunt, et cogitationem distrahunt. Necesse est igitur rursus dicere illud evangelicum : « Ubi est thesaurus hominis, illic est etiam »cor ejus. Confirmatum est cor ejus, non commovebi»tur [3]. » Vidisti eum qui ædificat supra petram? Quid enim potest timere qui est et nudus et accinctus, nullamque

[1] Matth. VI, 21. — [2] Psal. CXI, 7. — [3] Ibid. 8.

ulli præbet ansam ? Quid potest timere, qui habet Deum clementem et propitium ? ita ut utrinque sit tutus, et ex superno auxilio, et ex ea, in qua hic inferius degit, facilitate, nec quidquam eum labefactare poterit, non damnum pecuniæ, non probra, non calumniæ. Neque enim habet in quo lædatur, qui hinc in cœlum commigraverit, in regionem, ad quam sceleri et insidiis nullus patet aditus. Nam ut probe nostis, omnes insidiæ parantur vel pecuniis vel pro pecuniis : et omne hominum studium in his ponitur. « Donec despiciat inimicos suos [1]. » Quis est ejus inimicus, nisi mali dæmones, et ipse diabolus ? « Dispersit, dedit » pauperibus : justitia ejus manet in sæculum [2]. » Postquam eleemosynæ, et commodandi et miserendi meminit ; sunt autem multæ mensuræ eleemosynæ ; hic enim dat minus, ille vero amplius : videamus quemnam dicit misericordem ; eum-ne qui præbet ex abundantia, an eum qui suas facultates exhaurit. Certum est quod eum qui exhaurit : eum qui re sua largiter utitur. Quod etiam Paulus quærit dicens : « Qui seminat in benedictionibus, metet etiam in » benedictionibus [3]. » Vide autem quomodo Propheta optime usus est dictionibus. Non enim dixit : « Dedit, vel distribuit, » sed, « Dispersit, » simul et ejus qui præbet largitatem ostendens, et rem sementem nominans. Tales enim sunt qui seminant : dispergunt quæ sunt reposita, et quæ sunt manifesta dimittunt, ut futura accipiant. Hoc est collectione melius : ita enim dispergere multo melius est, quam colligere. Disperguntur pecuniæ, et colligitur justitia : disperguntur quæ non manent, ut acquirantur manentia. Hoc ipsum faciunt etiam agricolæ. Sed illi quidem pro incertis ; est enim terra quæ suscipit ; tu autem in manu Dei, unde fieri non potest ut perdas. Quando ergo videris aurum esse pulchrum, et veritus fueris id eji-

[1] Psal. cxi, 8. — [2] Ibid. 9. — [3] 2 Cor. ix, 6.

cere, veniant tibi in mentem ii qui seminant, ii qui fenerantur, ii qui mercaturas exercent, qui a sumptu et impensis incipiunt, cum tamen incertis ea rebus committant : nam et fluctus et terræ sinus, debitorumque syngraphæ, omnia sunt incerta. Sæpe enim in sorte damnum acceperunt fœneratores : cœlum autem qui colit agricola, nihil horum metuit, sed et de sorte, et de fœnore potest esse securus, si hoc dicendum sit fœnus, et non sorte longe amplius. Sors enim est pecunia, fœnus autem regnum cœlorum. Vidisti naturam mutui, quod habet usuram sorte longe majorem? Et hæc quidem in futuro : in præsenti autem magnam libertatem consequeris; eris remotus ab omnibus insidiis, calumniatorum et insidiatorum cupiditatem extingues; vives secure toto vitæ tempore, ut qui nec angaris sollicitudine de tuis bonis, et spe futurorum bonorum erigaris. « Cornu ejus exaltabitur in gloria [1]. » Quod est maxime expetendum hominibus : hoc ponit assidue, splendorem et gloriam, quæ et illic eos excipiet, et hic eis aderit abunde et largiter. Nemo est enim adeo clarus et insignis, ut misericors.

VI. Et si vis, accipe eos, qui in circo et in theatris temere sua consumunt : duc in medium misericordem, et tunc videbis quantus sit utriusque fructus; quomodo cum quidem omnes perpetuo laudant et admirantur, communem patrem et portum existimantes : illi autem cum illa solum die importuno quodam et temerario impetu applauserint, postea criminantur ut crudelem et inhumanum, ut inanis gloriæ cupidum, ut intemperantiæ ministrum, et servum improbitatis. Sed et si in conventibus quandoque de rebus ejusmodi agitur, illorum quidem notantur sumptus, et reprehenduntur impensæ ; hos autem nemo est adeo impudens et sceleratus, qui etiamsi sit millies crudelis et in-

[1] Psal. CXI, 9.

humanus, non laudet et admiretur. Ejusmodi enim res est virtus, ut etiam ab iis, qui illam non sequuntur, laudetur : quemadmodum vitium iis etiam, qui ei sunt dediti, sit exosum et reprehensione plenum. Itaque illos quidem nec ii qui accipiunt laudant, meretrices, inquam, aurigæ, et saltatores, sed eos etiam insectantur : hunc autem non solum pauperes qui acceperunt, sed ii etiam, ad quos nihil rediit ex liberalitate, omnes mirabuntur et amabunt. « Peccator » videbit et irascetur : dentibus suis fremet et tabescet [1]. » Talis res est virtus, vitio gravis et molesta. Quemadmodum enim ignis accendit spinas, ita etiam benignitas feroces homines irritat. Ea enim illorum improbitatem reprehendit et accusat. Sed vide eum, ne cum invidia quidem extabescit, audere accusare, et clarum virtutis aspectum intueri, sed mente quidem liquescere, et dentibus dolorem ostendere, non audere autem verbum proferre, sed tantum angi et excruciari. Tale est enim vitium, etiamsi ad ipsa sceptra ascenderit, et juxta eos steterit, quorum sunt capita cincta diademate, est omnium abjectissimum, et maxime formidolosum, et simile est alicui strepitui ac tumultui, et mari insanienti, etiamsi sit maxima stipatum potentia : quemadmodum virtus e contrario. Nam licet ad extremam redacta sit inopiam, et sit in ipso carcere, est regibus splendidior, magnaque fruitur securitate, ac sedet in portu nullis agitato fluctibus, non modo nihil patiens ab improbis, sed vel ipso silentio ulcisci potens improbos, et de improbitate extremas pœnas exigens. Quid enim miserius homine esse potest, qui vivit in scelere, quando præter quam quod serviat pecuniis, cæterorumque laudem suam pœnam existimat, et ipse a seipso supplicium exigit, suam conscientiam lanians, mentem excrucians, et seipsum sibi carnificem exhibens? Vidisti virtutis excellentiam et potentiam?

[1] Psal. CXI, 10.

Vidisti imbecillitatem et miseriam nequitiæ? Sed non in hoc solo ejus consistit calamitas, sed etiam in aliis pluribus : quod ipsum quoque significans subjunxit, dicens : « Desi» derium peccatorum peribit [1]. » Quid est, « Desiderium pec» catorum peribit? » Numquam, inquit, sistitur. Quia enim ea quæ desiderat, sunt fluxa et prætercurrentia, desiderium quoque res imitatur, ut quod extinguatur et pereat, et nullam radicem habeat. Quod si talis est hic peccatoris status, cogita quonam modo se habebit in futuro sæculo. Ne hæc ergo patiamur, hanc viam fugiamus, illam eligamus, in illa perpetuo gradiamur, tuta, inexpugnabili, plena voluptatis, quæ referta est gloria, quæ cœlum nobis acquirit, quæ in omnibus Dei nobis benevolentiam conciliat, quæ facit ut philosophemur, quæ tot et tanta in se bona continet, quanta ne oratio quidem explicare poterit : quæ detur omnibus nobis consequi gratia et misericordia, etc.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXII.

Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini [2].

I. Multæ in Scripturis hujusmodi laudes commemorantur : non est enim quid leve, sed sacrificium quoddam, et oblatio Deo accepta : « Sacrificium enim, inquit, laudis » glorificabit me [3]. » Et rursus : « Laudabo nomen Dei mei » cum cantico, magnificabo ipsum in laude : et placebit Deo

[1] Psal. CXI, 10. — [2] Id. CXII, 1. — [3] Id. XLIX, 23.

» super vitulum novellum cornua producentem et ungu-» las [1]. » Sacri quoque libri id sæpe præcipiunt, et qui servantur, pro magnis gratiarum actionibus id offerunt. Et quamnam habet, inquies, hoc difficultatem? Cui autem vel humilis et abjectæ conditionis id præstare, et Deum laudare non est facile? Si rem diligenter et exacte didiceris, videbis et laborem, qui in re inest, et lucrum, quod ex ea percipitur. Primum quidem hæc laus a Justis requiritur, et oportet vitam prius recte instituentem, hymnos ita Deo canere. « Non est enim pulchra laus in ore peccatoris [2]. » Secundo non verbis solum, sed etiam factis laudare oportet, et hanc laudem Deus maxime requirit, hanc gloriam. « Luceat enim, inquit, lux vestra coram hominibus, ut » videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum » qui est in cœlis [3]. » Ita laudant Cherubim. Quocirca Propheta quoque, cum illam mysticam audisset melodiam, seipsum miserum prædicat, dicens : « Hei mihi quod homo sum » impura habens labia, et habito in medio populi impura » labia habentis [4] ! » Et ideo cum præcipit laudes offerre, incipit a superioribus Potestatibus, sic dicens : « Laudate » Dominum de cœlis, laudate eum omnes Angeli ejus [5]. » Oportet itaque Angelum fieri, et ita laudare. Ne ergo hanc laudem rem esse levem existimemus : sed ante os nostrum vita nostra ipsam sonet, atque ante linguam vitæ institutum clamet. Ita quidem vel tacentes Deum laudare possumus : ita etiam loquentes edemus modulationem vitæ convenientem. Non hoc autem solum ex Psalmo discere possumus, sed etiam quod omnes ducat ad symphoniam, et chorum integrum statuat. Non enim unum tantum aut duos alloquitur, sed universum populum. Et quemadmodum Christus nos deducens ad charitatem et concordiam,

[1] Psal. LXVIII, 31, 32. — [2] Eccli. XV, 9. — [3] Matth. V, 16. — [4] Isaï. VI, 5. — [5] Psal. CXLVIII, 1.

jubet communes preces offerri, et ab universa Ecclesia tanquam ab una persona dici : « Pater noster : » et, « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie : » et, « Dimitte nobis » debita nostra, sicut et nos dimittimus : » et « Ne nos inducas » in tentationem, sed libera nos a malo [1] : » ubique utens plurali nomine, et præcipiens unicuique, sive solus oret, sive cum aliis, pro fratribus offerre orationem : ita etiam Propheta vocat omnes simul ad concentum orationis, et dicit : « Laudate nomen Domini. » Quid igitur sibi vult hæc adjectio nominis? Maxime quidem explicat affectionem dicentis : significat etiam aliquid aliud. Quidnam? ut nomen ejus per nos glorificetur, ut ex nostra quoque vita videatur laudabile : est enim quidem natura tale : vult autem hanc quoque laudem per rectam nostræ vitæ institutionem illustrari. Et ut scias ita esse, vide quæ consequuntur; subjunxit enim : « Sit nomen Domini benedictum, » ex hoc nunc et usque in sæculum [2]. » Quid dicis? Non erit benedictum, nisi tu precatus sis? Vides cum non dicere de ea, quæ illi adest, benedictione, et est ejus naturæ attributa, sed de ea quæ fit per homines? Paulus quoque de ea scribens dicit : « Glorificate vero Deum in corpore » vestro, et in spiritu vestro [3]. » Ipse ergo est altus, et magnus, et laudabilis per seipsum, apud homines autem talis quoque efficitur, quando qui ei serviunt, talem vitam ostenderint, ut quicumque eos vident, laudibus et benedictionibus Dominum prosequantur. Hoc ipsum nos quoque in precationibus jussit Dominus semper dicere, precantes : « Sanctificetur nomen tuum. » Hoc est, « Per nostram quoque vitam glorificetur. » Quemadmodum enim, dum male vivimus, contumeliis et probris afficitur : ita dum virtutis curam gerimus, gloria afficitur, benedicitur, et sanctificatur. Quod ergo dicit, est ejusmodi : « Fac ut nos perpetuo

[1] Matth, VI, 9-13. — [2] Psal, CXII, 2. — [3] I Cor, VI, 20.

recte et ex virtute vivamus, ut sit nomen tuum per nos etiam benedictum. « A solis ortu usque ad occasum, lauda-» bile nomen Domini [1]. » Vides eum novam exordiri rempublicam, et aperire nobilitatem Ecclesiæ? Non amplius enim in Palæstina solum, nec in Judæa, sed ubique terrarum. Quando autem hæc evenerunt, nisi quando nostra floruere? Olim enim non solum non benedicebatur in Palæstina, sed etiam blasphemabatur, et maledictis incessabatur propter Judæos qui in ea habitabant. « Propter vos enim, inquit, » nomen meum blasphematur inter gentes [2]. » Nunc autem ubique terrarum laudibus celebratur. Quod quidem alius quoque Propheta significans, dicebat : « Apparebit Domi-» nus, et perdet omnes deos gentium, et adorabunt eum » unusquisque in loco suo [3]. » Et rursus : « Quia et in nobis » claudentur portæ, et non succendetur altare meum gratis : » quoniam ab ortu solis usque ad occasum nomen meum » glorificatum est in gentibus, et omni loco offertur thy-» miama nomini meo, et purum sacrificium [4]. »

II. Vides quomodo res judaïcas contraxit, et repressit, et ubique terrarum ecclesiasticam vitæ formam dilatavit, et cultum prænuntiavit? Qui enim hæc dicit Propheta, fuit post reditum ex Babylone : et ideo hæc tunc prædixit, ne dicerent Judæi eum loqui de conclusis ipsis ac desertis in Babylone. Postquam enim illa cessassent, et ipsi ad priorem reversi essent rempublicam, ea dicit Angelus, significans eorum devastationem quæ fuit tempore Vespasiani et Titi, post quam non erit deinceps mutatio illius devastationis. Illam enim consecutæ sunt res Ecclesiæ. Et ideo dicit : « Magnum nomen meum in gentibus, » hoc est, benedictum, per bonam ipsorum vitam laudatum ; quemadmodum hic quoque dicit : « Benedictum nomen Domini.

[1] Psal. CXII, 3. — [2] Isaï. LII, 5. — [3] Sophon. II, 11. — [4] Malach. I, 10, 11.

» Excelsus super omnes gentes Dominus [1]. » Vides rursus gentes ejus cultum suscipere, et non unam tantum aut duas, aut tres, sed quæcumque sunt in orbe terrarum? Quid est hac prophetia clarius? Quomodo autem est excelsus super omnes gentes? Quoniam cum magnificamus, non ei aliquam addentes altitudinem? absit : sed dogmatibus, cultu, adoratione, et cæteris omnibus; non aliquid humile et abjectum de eo cogitantes, ut Judæi, sed multo majora et altiora. Talis est enim hæc nostra reipublicæ forma : quanto cœlum est terra altius, tanto hæc altior veteri. Et ideo dicit : « Excelsus super omnes gentes Dominus. » Etenim cum eum per cultum attollimus, illud quoque scimus hæc esse humiliore modo dicta, et ad captum nostrum accommodata. Quare etsi sint in Novo, quam in Veteri altiora, sunt tamen ejus dignitate longe inferiora. Et ideo Paulus utriusque cognitionis, et quæ nunc est, et quæ tunc in futuro sæculo futura est, differentiam ostendens, dicebat : « Quando eram parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam » ut parvulus : quando autem factus sum vir, evacuavi quæ » erant parvuli [2]. » Et rursus, « Ex parte cognoscimus, et » ex parte prophetamus, et videmus nunc quidem per » speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem [3]. » Per hæc enim ostendit hanc cognitionem ab illa tantum abesse, quantum puer a viro qui pervenit ad perfectam ætatem. « Super cœlos gloria ejus. » Quoniam dixit de laude et exaltatione quæ fit per rectam vitæ humanæ institutionem, et Deum ita extollere, ita laudare, ita magnificare exhortatus est, ad majorem virtutem incitans, ostendit ubinam hoc maxime fiat. Ubinam ergo hoc sit? In cœlis. Illic enim est ejus gloria. Angeli namque eum maxime glorificant, non ex sua natura solum, sed etiam ex obedientia hominum quibus ministrant, voluntatem et præcepta ejus exacte

[1] Psal. cxii, 4. — [2] 1 Cor. xiii, 11. — [3] Ibid. 12.

perficientes. Ideo dicit : « Potentes virtute, facientes verbum » ejus [1]. » Propterea in Evangiliis quoque jussit Christus orare, et dicere : « Fiat voluntas tua, sicut in cœlo et in » terra [2]. » Hoc est, quemadmodum eum sanctificant Angeli, ab omni quidem vitio liberati, virtutem autem exacte persequentes : ita etiam nos digni habeamur, qui ipsum sanctificemus. Hoc ipsum hic quoque significans, subjunxit : « Super cœlos gloria ejus. » Non solum enim in terra videbis has creaturas quæ cernuntur, nec pulcherrimum ordinem, qui est in cœlo, sed ascende a sensibilibus ad spiritualia, ad pulchritudinem illarum substantiarum, ad splendorem illius reipublicæ : et tunc scies quomodo est in cœlis gloria ejus. « Quis sicut Dominus Deus noster, qui in » altis habitat, et humilia respicit [3]. » Annon videtur magnum esse quod dictum est ? Sed quando consideraveris de quonam id dictum sit, hoc longe erit eo inferius. Ita, sicuti dixi, non oportet in verbis solis sistere, sed mente conscendere. Quomodo enim in cœlis habitat, qui cœlum et terram implet ? qui ubique præsens est ? qui dicit : « Deus » appropinquans ego sum, et non Deus procul [4] ? Qui men» sus est cœlum palmo, et terram pugillo, qui continet » ambitum terræ [5] ? » Sed quoniam loquebatur tunc cum Judæis, propterea eo sermone usus est, paulatim erigens eorum cogitationem, et mentem sensim extollens et evehens. Idcirco non dixit solummodo : « Qui in altis habitat, » et humilia respicit : » sed cum prius dixisset : « Quis sicut » Dominus Deus noster, » tum subjunxit : « Qui in altis ha» bitat, et humilia respicit, » ostendens quanam de causa illud secundum dixerit, nempe propter judaïcam imbecillitatem simulacra stupentem, et deos in locis et templis conclusos adorantem : ideo inducit paulatim comparatio-

[1] Psal. CII, 20. — [2] Matth. VI, 10. — [3] Psal. CXII, 5, 6. — [4] Jer. XXIII, 23. — [5] Isai. XL, 12.

nem, licet citra comparationem Deus omnes superemineat : sed ad imbecillitatem auditorum, sicut dixi, neque enim cessabo hoc assidue dicere, orationem concinnat. Neque enim quærebat ut tunc diceret aliquid dignum Dei gloria, sed ut quod diceret, ab eis capi posset. Et ideo paulatim eos sustollit, et tamen ne sic quidem permanet in humilitate, sed rursus aperit quosdam altiores sensus. Postquam enim dixit : « Qui in altis habitat, et humilia respicit : » rursus ad altiora orationem extollens dicit : « In cœlo et in » terra : » ostendens eum esse ubique, et hic, et illic. Non enim tanquam in cœlo inclusus, respicit eminus quæ fiunt in terra, sed ubique præsens, et omnibus assistens.

III. Vidisti quomodo paulatim mentem auditorum sustollit? Deinde cum auditorem a terra extulisset, et in cœlo collocasset, rursus procurans ut aliquid majus animo apprehenderet, venit ad aliud ejus potentiæ indicium, dicens : « Suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem [1]. » Magnæ est enim, atque adeo ineffabilis potentiæ, parva extollere. Alibi autem contrarium quoque ponit alius, quod magna quoque deprimat, sic dicens : « Dividens contritionem super fortitudinem, et miseriam supra » munimentum adjungens [2]. » Hic quidem certe dictum est, quod possit pusillos erigere. Est itaque generalis oratio. Quod si quis hæc etiam velit accipere anagogice, videbit hoc factum esse in gentibus, videbit hoc evenisse in nobis hominibus tempore adventus Christi. Quid enim erat nostra natura pauperius; eam tamen erexit et sustulit in cœlum cum nostris primitiis, et constituit sedentem in cœlis in throno Patris. « Et de stercore erigens pauperem. Ut » collocet eum cum principibus, cum principibus populi » sui [3]. » Stercus hic dicit vilitatem, et, quæ ex ea fit, repentinam mutationem, ostendens ei esse omnia facilia et

[1] Psal. cxii, 7. — [2] Amos v, 9. — [3] Psal. cxii, 8.

expedita. Deinde transit ad aliud majus. Quodnam hoc? Quod non solum potest res transferre, et humilibus dare auctoritatem, sed ipsius etiam naturæ transmovere limites, et eam, quæ erat sterilis, matrem efficere. Et ideo subjunxit: « Qui habitare facit sterilem in domo, matrem » super filiis lætantem [1]. » Quod quidem factum est in Anna [2], quod factum in aliis innumerabilibus. Vidisti hymnum perfectum? Vidisti hymnum completum? Dixit ea quæ universum orbem terræ correctura erant, quomodo erat cessaturus judaïsmus, quomodo nova Ecclesiæ respublica erat in splendorem exitura, quomodo erat ubique offerendum sacrificium. Deinde efficiens ut vel crassioribus fide digna esset oratio, ex iis quæ jam fiunt, quæ sunt futura confirmat. Quod autem dicit, est ejusmodi : « Ne diffidas futuram tantam mutationem, et disjectas gentes esse venturas maximam in gloriam. Non vides hæc fieri quotidie? extolli humiles, et sedere cum principibus? Non vides naturam, quæ erat manca et mutila, corrigi, steriles matres fieri? Tale quid etiam evenit in Ecclesia. Erat sterilis, sed multorum filiorum mater facta est. Quo circa dicit Esaïas : « Lætare sterilis quæ non paris, erumpe » et clama quæ non parturis, quoniam multi sunt filii de- » sertæ magis quam ejus quæ habet virum [3], » hoc in Ecclesia futurum prænuntians. Quocirca hic quoque orationem hoc loco clausit, prophetiam fide dignam hinc efficiens, ex iis, quæ jam facta sunt, ab ejus magnificentia. Quæcumque enim Deo visum fuerit, sunt factu facilia. Potest enim transmutare naturam, et humilitatem transferre in altitudinem, et mores corrigere. Cum hæc ergo sciamus omnia, quæ nostra sunt afferamus, et omni fruemur gloria, et ad ineffabilem ascendemus altitudinem, Dei auxilio freti : cui gloria et potentia, Patri et Filio et

[1] Psal. CXII, 9. — [2] 1 Reg. 1. — [3] Isaï. LIV, 1.

Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXIII.

In exitu Israël de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro. Facta est Judæa sanctificatio ejus, Israël potestas ejus [1].

I. Magnam hic testatur Dei benignitatem et mansuetudinem. Quamnam hanc? Quod cum primum ostendit potentiam, tunc ut ipse adoretur exigit. Hoc enim significans dicebat: « In exitu Israël de Ægypto. Facta est Judæa sanc- » tificatio ejus. » Tunc enim suam ostendit potentiam per signa, quæ in Ægypto facta sunt, et per ea quæ in deserto : tunc etiam populum sibi effecit familiarem. Hoc ipsum etiam fecit in Adam. Cum enim prius mundum fecisset, et suæ sapientiæ et potentiæ vim ostendisset; ita finxit hominem, et ab eo exegit adorationem. Ita etiam unigenitus Dei Filius, cum primum signa præbuisset multa et omnis generis, tunc fidem exegit. Quocirca iis quidem, qui ab initio ad eum accedebant, ut qui ejus pignora non haberent, nec argumentum Divinitatis, non dicebat: « Creditis me posse hoc facere? » sed signa solummodo ostendebat. Sed postquam ubique per Palæstinam deposuit suæ monimenta potentiæ, mutilis corporibus remedium afferens,

[1] Psal. cxiii, 1, 2.

vitium expellens, de regno disserens, leges salutares sanciens, tunc etiam fidem exegit ab iis, qui accedebant. Homines enim volunt prius imperium obtinere, et tunc aggrediuntur benefacere : Deus autem incipit a beneficiis. Et quid dico alia beneficia, cum etiam crucem ipsam sustinuerit, et tunc orbem terræ vicerit, quam gerebat curam factis ostendens? Hoc ergo Psalmus quoque hic significans, dicebat : « In exitu Israël de Ægypto, domus Jacob » de populo barbaro : facta est Judæa sanctificatio ejus. » Hoc est, in exitu, in recessu, in liberatione ab Ægypto. Non dixit autem solum : « De Ægypto, » sed adjecit : « De po- » pulo barbaro, » nomine hostium, Dei curam ostendens. Ab illis enim crudelibus et immanibus Ægyptiis non potuissent liberari, nisi habuissent manum fortem, et dexteram inexpugnabilem. Erant enim feris sæviores, et petris duriores, qui cum tot acciperent plagas, minime cederent. Postquam ergo dixit populum barbarum, ostendit quam magna esset Dei potentia, quæ adeo barbarum, adeo efferatum hominem nunc quidem persuasit, nunc vero vel invitum coëgit servos dimittere, et contendentes postea mari obruit, et ita suum populum liberavit. Quid est autem, « Facta est Judæa sanctificatio ejus? » Id est, « Populus ei serviens, et cum colens, populus ei addictus, populus ei factus peculiaris. » Sanctificatio autem proprie dicebatur, templum, adyta, sancta sanctorum, quemadmodum Zacharias quoque introducit aliquos rogantes, et dicentes : « Ingressa est huc sanctificatio, an jejunabimus? » de reditu arcæ et aliorum omnium significans, « Facta est Judæa » sanctificatio ejus : erat enim antea regio impura et execranda, sed postquam reversus est populus, facta est civitas sanctificatio ejus : hoc est, introducta est sanctificatio per observationem, per sacrificia, per cultum, aliosque ritus et ceremonias. « Israël potestas ejus. » Quid est,

« Israël potestas ejus? » Sub ejus imperio, inquit. Atqui universus orbis terræ ejus imperio suberat, sed hi etiam amplius, quod eos haberet proprios et familiares : quandoquidem et prophetias suscipiebant, et cum eis disserebat, et res eorum amplius administrabat. Quinetiam alio modo appellatur ejus populus. Illius enim nutu sæpe et ad bellum procedebant, et multa alia administrabant. Cum eos enim a barbaricis manibus, tyrannide, et servitute, et extremo periculo, et mente impia liberasset, rex eorum factus est. Hoc ipsum etiam alibi suam causam agens, et ostendens se quæ sua erant primum præstitisse, quæ illorum autem erant, requirere, dicebat : « Numquid solitudo »fui domui Israël, vel terra inculta [1]? » Quod autem dicit, est ejusmodi : « Num fui vobis inutilis? annon innumera bona in vos contuli? Annon ipsam naturam mutavi? Annon elementa ut vobis servirent composui? Annon dedi vobis vitam ab humanis laboribus liberam? » Propterea dixit : « Num solitudo fui domui Israël? » hoc est, « Annon fructus tuli innumerabiles? libertatem ab Ægypto, liberationem barbarorum, ostensionem miraculorum, vitam in deserto, hæreditatem Palæstinæ, subjectionem gentium, continua tropæa, frequentes victorias, miracula incredibilia, continua prodigia, terræ fertilitatem, generis vestri incrementum, eam, quæ universum terrarum orbem pervadit, gloriam, alia innumera? » Vidisti fructus Dei? et ideo subjunxit : « Numquid fui terra inculta? » Hoc est, « Annon innumerabiles fructus a me decerpsistis? annon benedixi introitum et exitum vestrum, greges vestros et armenta vestra, panem vestrum, et aquam vestram? annon in tuto collocavi? Annon feci ut esselis omnibus inexpugnabiles, invicti et terribiles? annon tanquam ex fontibus omnia vobis e cœlo et e terra manabant? » Hoc enim maxime ostendit principem,

[1] Jer. II, 31.

quod scilicet suorum curam gerat, eisque provideat ac prospiciat.

II. Et ideo dicebat Christus : « Pastor bonus, » non dixit, « Honoratur et colitur, » sed, « Animam suam ponit » pro ovibus suis [1]. » Hoc est principatus, hoc est pascendi scientia, sua negligere, et eorum, quos regit, curam gerere. Quod est enim medicus, hoc est princeps, vel potius plus quam medicus. Medicus enim arte salutem comparat, princeps autem etiam propriis periculis. Quod etiam fecit Christus, alapis percussus, crucifixus, et alia innumerabilia perpessus. Quocirca dicebat Paulus : « Etenim Christus » non sibi placuit, sed quemadmodum scriptum est: Oppro» bria exprobrantium tibi ceciderunt super me [2]. » Duo ergo, imo vero tria, atque adeo innumerabilia hic ponit beneficia, quod eripuerit a barbaris, quod liberaverit ab aliena terra, quod exemerit a servitute, quod laboribus et afflictionibus finem imposuerit, quod innumera fecerit miracula. Deinde quod eis etiam esse voluerit ejus sanctificationem, et ejus esse dicto obedientes. Nam hoc quoque non est parvum genus beneficii, referre eos in numerum eorum, qui sunt sub ejus ditione. « Mare vidit, et fugit, » Jordanis conversus est retrorsum [3]. » Vide orationem exaggeratam, et amplificatum beneficium. Quid enim, inquit, dicendum est de barbaris et gentibus, quando cessit etiam creatura, et locum dedit, et conversa est ad contraria, respiciens ad imperatorem, et cedens duci populi? Hæc enim omnia tunc eveniebant populo Hebræorum, ut scirent non fuisse humanæ consequentiæ ea quæ eveniebant, sed omnia fuisse mirabilia opera divinæ et ineffabilis potentiæ. Vide autem emphasim dictionis, et quam sit optime posita. Non dixit enim: « Cessit, aut substitit : » sed quid? « Mare vidit, et fugit, » recessus celeritatem fuga volens

[1] Joan. x, 11. — [2] Rom. xv, 3. — [3] Psal. cxiii, 3.

ostendere, magnitudinem admirationis, et facilitatem Dei operationis. Et ne quis existimet hoc certo temporis ambitu aut fortuito accidisse, ab illo tempore non amplius factum est, sed semel quando Deus jussit, idque varie in diversis personis. Insolens enim undarum impetus, veluti animatus, et ratione præditus, Deo jubente, hos quidem servavit, illos vero perdidit : aliis sepulcrum, aliis fuit vehiculum. Hoc ipsum etiam videtis in fornace babylonica [1]. » Ignis enim qui temere et casu ferebatur, moderationem et certum ordinem ostendit, quando Deus præcepit, eos quidem, qui erant intus, conservans : eos vero, qui foris sedebant, invadens et consumens. « Jordanis conversus est » retrorsum. » Vidisti et in diversis temporibus, et in diversis locis fieri miracula? Ut enim scirent Dei potentiam ubique esse extensam, et loco non concludi, et in barbara regione, et in solitudine, et ubique affuit faciens miracula, et nunc quidem in mari, nunc autem in fluviis, et tunc quidem sub Mose; postea autem sub Jesu : ac per miracula ubique transmittebantur, ut nullo sensu præditam mentem, duramque suam intelligentiam miraculis emollitam, mitiorem redderent et magis idoneam ad suscipiendam Dei cognitionem. « Montes exultaverunt ut aries » tes, et colles sicut agni ovium [2]. » Hic nobis oritur non parva quæstio. Nonnulli enim dubitantes dicunt : « Priora quidem facta esse scimus : historia enim tradidit, et divisum fuisse in exitu mare Rubrum, et Jordanem fuisse retro conversum, quando arca transivit : exultasse autem montes et colles, hoc nusquam scriptum esse videmus. » Quid hoc ergo sibi vult? Volens Propheta lætitiam et miraculorum magnitudinem hyperbolice ostendere, vel ipsa inanimata inducit choros propemodam ducentia et exilientia, quæ quidem solent fieri ab iis qui lætitia afficiuntur. Eo ergo

[1] Dan. III, 12. — [2] Psal. CXIII, 4.

spectat adjectio illius similitudinis, « Ut arietes, » et « Ut » agni ovium. » Illa enim animalia, quando lætantur, solent saltibus ostendere lætitiam. Quemadmodum ergo alius dicit in calamitatibus vineam et vinum luxisse [1], non quod vitis lugeat : quomodo enim lugeat vitis? sed volens insignem mœrorem oculis veluti subjicere, etiam ipsa inanimata eum sensisse dicit hyperbolice, ita hic etiam inducit creaturam esse lætitiæ participem, ut ostenderet gaudii magnitudinem. Ita etiam solemus dicere, quæ hic sunt læta evasisse, quando virum honoratum viderimus accessisse : « Implevisti domum lætitia : » non de parietibus loquentes, sed insigne gaudium ostendentes. « Quid est tibi, mare, » quod fugisti, et tu Jordanis, quia conversus es retror- » sum? Montes exultastis sicut arietes, et colles sicut agni » ovium [2]? » Per interrogationem profert orationem, et cum elementis loquitur, eodem sensu, quo ea dixit exilire. Quemadmodum enim ea dicebat, non eis sensum tribuens, sed, ut jam dixi, insignem lætitiam ostendens, et rerum gestarum magnitudinem : ita etiam eis affert interrogationem : non ut quæ respondere possint, et sensum habeant; sed ut quod dicitur efficiat apertius, et ostendat rem esse admirabilem, et superare hominum opinionem.

III. Tanquam autem res nova facta esset, et non ex consueta naturæ consequentia evenisset, subjungit interrogationem, et adjicit responsionem. Quamnam? « A facie » Domini mota est terra, a facie Dei Jacob [3]. » Hic rursus dicit motum, perculsionem, admirationem, ut ostendat rerum gestarum magnitudinem. Deinde monstrans quanta res sit unius viri virtus, ex servi nomine appellavit Dominum. Quod quidem Paulus quoque dicit fuisse pro maximo honore concessum illis Sanctis, quoniam liberi erant ab omnibus quæ ad hanc vitam pertinebant. Non solum enim

[1] Isaï, XXIV, 7. — [2] Psal. CXIII, 5, 6. — [3] Ibid. 7.

posuit illum honorem, sed etiam adjicit causam honoris, ut auditorem doceret viam, per quam posset primum hunc locum obtinere. Quemnam? Ut ex servorum nomine Dominus vocetur. Quocirca dicebat: « Propter quam causam » non erubescit Deus Deus eorum vocari, quomodo ap- » pellabatur Deus ipsorum? dicens: Ego sum Deus Abra- » ham, Deus Isaac, et Deus Jacob [1]. » Deinde ponens etiam superius causam talis vocationis, dixit: « Et hi omnes mor- » tui sunt, non acceptis promissionibus, sed a longe eas as- » picientes, et salutantes, et confidentes, quia peregrini sunt » et hospites [2]. » Hæc est causa, et ideo subjunxit: « Propter » hanc causam non erubescit Deus vocari Deus eorum. » Prop- ter quam? Quoniam confessi sunt esse se hospites et pe- regrinos, et nihil habere commune cum præsentibus: sed sejuncti ab iis quæ ad hanc vitam pertinent, ita degebant in aliena terra. « Qui convertit petram in stagna aquarum, » et rupem in fontes aquarum [3]. » Quamnam, quæso, veniam consequentur, qui sunt duri, et non facile cedunt, cum et petra, et rupes, quæ est dura et resistens, cedat jussui Domini; homo, autem qui est ratione ornatus, et omnibus mansuetior, illis evadat durior? Rupem enim hic dicit, quæ facile ferro non cedit, sed vix in vertice confringitur. Illa tamen in contrariam naturam redacta est, et fontes aquarum emisit. Naturæ enim opifex potest ipsos quoque transferre terminos, et quæ sunt contraria ostendere; quod sæpenumero fecit in multis locis, ostendens se eum esse, qui ex iis, quæ non sunt, fecit omnia. Postquam ergo dixit antiqua beneficia, miracula, prodigia, quomodo liberavit a barbarica servitute, quomodo reduxit in libertatem, quo- modo mutavit elementa, et omnia replevit lætitia, rogat etiam pro præsentibus et ad eum portum confugit. Deinde quoniam illud quoque factum est, non propter merita eo-

[1] Hebr. xi, 16, et Exod. iii, 6. — [2] Hebr. xi, 13. — [3] Psal. cxiii, 8.

rum, qui afficiebantur beneficio, sed propter Dei benignitatem et clementiam, et nomen ejus : quod quidem dixit : « Ut non profanetur nomen meum [1], » sed sciant omnes per ea quæ facta sunt, ejus virtutem et potentiam, et hoc sit occasio et argumentum doctrinæ, hanc etiam nunc affert rationem, dicens : « Etiamsi nos vita deficiat, nec habeamus ex nostris recte factis fiduciam, fac propter nomen tuum, sicut dicebat Moses. Cui hic quoque dicens consentanea, ait : « NON NOBIS, DOMINE, NON NOBIS, sed nomini » tuo da gloriam [2]. » Non propter nos, inquit, neque ut nos reddas clariores et magis insignes, sed ut ipse ubique tuam reddas manifestam potentiam. Verum quemadmodum ejus nomen gloria et honore afficitur, dum ipse fert auxilium : ita rursus gloria quoque afficitur, dum nos recte et ex virtute vivimus, et præclaris institutis clari sumus. « Luceat » enim, inquit, lux vestra coram hominibus, ut videant » opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui est » in cœlis [3]. » Quemadmodum ergo gloria ob virtutem nostram afficitur, ita contumeliis et maledictis incessitur, dum vitam in vitio transigimus. Hoc ipsum per Prophetam quoque significans, dicebat : « Nomen meum propter vos » blasphematur in gentibus [4]. » Cum ergo nulla alia ratione possit eorum causam defendere, eo confugit, sicut etiam Moses. Sed non idem semper facit Deus, hominum salutis curam gerens. Si enim hoc semper faceret, multi socordes fierent deteriores, quod nihil mali paterentur, maximum pignus habentes se propter ejus gloriam a malis perpetuo servandos esse. Sed res non ita se habet. Neque enim Deo sua gloria tantæ est curæ, quantæ salus hominum. Si enim homines eam contemnunt, multo magis Deus, qui nullo nostrorum indiget : sed, sicut dixi, quoniam Propheta

[1] Levit. XXII, 32. — [2] Psal. CXIII, 1. — [3] Matth. V, 16. — [4] Isaï. LII, 5.

partes defensoris suscipit, eos ab iis, ex quibus licet, defendit, et repetitione utitur, dicens : « NON NOBIS, »DOMINE, NON NOBIS, » ostendens magnam indignitatem eorum qui servantur. « Sed nomini tuo da gloriam. » Nos enim sumus digni malis innumerabilibus : sed ne profanetur nomen tuum. « Super misericordia tua et veritate »tua[1]. » Alius interpres ait : « Propter misericordiam tuam. » Vides eum hoc quoque plane scivisse, Deum id despicientem, unum solum sibi proponere, nempe ut corrigantur peccatores. Ideo subjunxit : « Super misericordia tua et »veritate tua. » Hoc est, « Propter misericordiam tuam fer nobis auxilium, etsi non sit tibi curæ gloria hominum, sed propter misericordiam et veritatem tuam. Potes enim, potes etiam puniens gloriam accipere, et non solum miserens. Sed non sic, inquit, sed propter tuam misericordiam. Oportebat enim a nobis nomini suo dari gloriam per bonam vitæ institutionem, sed quoniam hac in re officio nostro functi non sumus, fac id per tuum patrocinium, per clementiam et misericordiam. « Nequando dicant gen»tes : Ubi est Deus eorum[2] ? »

IV. Audio multos nunc quoque precando hæc dicentes, sed timeo ne nequicquam dicant : « Ubi est Deus eorum ? » quando multi rapiunt, et injuriam faciunt, et admittunt scelera innumerabilia. « Deus autem noster in cœlo et in »terra, omnia quæcumque voluit fecit[3]. » Stultorum hic errorem corrigit. Quoniam enim multi Deum esse ignorant, talem eorum sententiam corrigens, dicit : « Deus au»tem noster in cœlo, omnia quæcumque voluit fecit. » Si autem in cœlo, multo magis in terra. Quid est autem, « In »cœlo omnia quæcumque voluit fecit ? » Vel supernas inquit Virtutes, et infinitas illas turmas, vel præcepta quæ cum facilitate peragun[illegible]. Si autem in terra magna est

[1] Psal. cxiii, 2. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 3.

confusio ordinisque perturbatio, ne mireris. A nequitia enim hominum, et eorum, qui id curant, improbitate, non autem a Dei imbecillitate oritur. Quod enim sit fortis et potens, quæ in cœlo fiunt id significant. Si autem non ita fiat in terra, qui seipsos reddunt indignos in causa sunt. Porro aliter quoque sumi potest quod dicitur, nempe propter Dei patientiam multa esse, quæ nondum accipiunt justam remunerationem. Quo fit ut Justi vincantur ab improbis, dum non vult benignus Deus de uniuscujusque peccatis pœnas e vestigio sumere. Nam si hoc faceret, sublatum esset jam pridem nostrum genus. Hoc ergo hic dicit : « Potens quidem est et validus, et qui possit pœnas sumere, idque manifestum est ex iis, quæ in cœlis fiunt : sed hoc non facit, utens ubique lenitate et patientia, et attrahens ad pœnitentiam eos, qui vitam transigunt in scelere. « Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum » hominum. Os habent, et non loquentur : oculos habent, » et non videbunt. Aures habent, et non audient : nares » habent, et non adorabunt. Manus habent, et non palpa- » bunt : pedes habent, et non ambulabunt : non clamabunt » in gutture suo. Simules eis fiant qui faciunt ea [1]. » In Psalmo centesimo quinto eorum insaniam narrans, dixit : « Filios et filias suas sacrificarunt dæmoniis [2] : » in præsenti autem stupiditatem, quod inanimis materiis affixi sunt. Omnia autem eorum membra persequitur, ea fusius ludificans. Deinde subjungens quoque dicit ; « Similes eis » fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis [3]. » Atqui virtus est, Deo esse similem : hic autem est imprecatio. Cogita autem quales sint, cum ut quis eis evadat similis, sit summa imprecatio. Atque orationem quidem sic pulchre figuravit, eos extremæ amentiæ insimulans, et esse ridiculos ostendens. Quomodo autem non est, dic, quæso,

[1] Psal. cxiii, 4-8. — [2] Id. cv, 37. — [3] Id. cxiii, 8.

ridiculum, vinctum teneri a statua, quæ habet in se figuram summæ turpitudinis? Quis enim velit nudam videre mulierem? Dæmon autem nudæ quoque figuræ assidet. Et nunc quidem statuæ sunt imagines fornicationis, nunc insani in masculos amoris. Quid enim sibi vult aquila? Quid vero Ganymedes? Quid Apollo, qui virginem persequitur? Quid aliæ execrandæ figuræ? Ubique libido, ubique lascivia, nefariorum concubituum, et insanorum amorum sunt ubique figuræ. Statuæ enim, festa, publici conventus, et initia ac mysteria, turpissimarum rerum indicia sunt, monimenta et documenta. Nec solum docentur res turpes, sed etiam hominum cædes ex eis ediscuntur. Unde etiam aversantur dæmones. Nihil est enim aliud apud illos, quam libido, intemperantes ebrietates, crudelitas, inhumanitas, et cædes: atque hinc videri possunt conflata esse festa. Cum itaque simulacra nullo sensu prædita, et eorum qui illis confidunt amentiam esset ludificatus, ad Dei laudem convertit orationem, dicens: « Do» mus Israël speravit in Domino, adjutor eorum et protector » eorum est. Domus Aaron speravit in Domino, adjutor » eorum et protector eorum est. Qui timent Dominum, » speraverunt in Domino: adjutor eorum et protector eo» rum est [1]. » Per hæc enim et Dei potentiam prædicat, et ejus incomparabilem et super omnes excellentiam. Quæ enim judaïco populo facta sunt, in medium adducens, ostendit ejus duplex, imo vero triplex beneficium. Primum quidem quod eos liberaverit a dæmonibus: deinde quod seipsum manifestaverit: tertio autem quod eis suum præbuerit auxilium. Dividit autem orationem in Israëlem et genus sacerdotale, et eos qui ad eum accedunt ex gentibus. Non est enim conferendus privatus cum sacerdote, sed hic

[1] Psal. CXIII, 9-11.

eum longe superat : et ideo merito eam facit divisionem. Major enim est eis honor habitus.

V. Deinde ostendens providentiam non esse rebus tantum judaïcis circumscriptam, Proselytorum quoque meminit, qui accedunt ex gentibus, auxilium et benedictionem factam in omnes esse dicens. « Dominus memor nostri, » benedixit nobis. Benedixit domui Israël, benedixit domui » Aaron. Benedixit iis qui timent Dominum [1]. » Quid est, « Benedixit? » Implevit, inquit, bonis innumerabilibus. Etenim homo quoque Deum benedicit, ut quando dicit : « Benedic anima mea Dominum [2]. » Sed qui Deum benedicit, ipse lucratur : seipsum enim reddit clariorem, illi autem nihil largitur. Deus autem benedicens nos reddit clariores : ipse autem nihil accipit. Deus enim nulla re indiget : itaque lucrum utrinque nostrum est. Quomodo autem eos benedixit? Dedit eis panem e cœlo, aquam pluit e petra, introitum eorum et exitum custodivit, armenta et greges eorum auxit, peculiarem populum nominavit, et regale sacerdotium, legem dedit, Prophetas misit. Hæc etiam alibi prædicans dicit : « Non fecit taliter omni na- » tioni, et judicia sua non manifestavit eis [3]. » Et alius : « Quænam gens est adeo sapiens, cui appropinquat Domi- » nus Deus [4]? Pusillis cum majoribus [5]. » Nullum, inquit, fuit genus cui defuerit benedictio, sed hæc ad omnes extensa sunt. « Adjiciat Dominus super vos, super vos et » super filios vestros [6]. » Vidisti aliud genus benedictionis, nempe ut crescat genus? Et ideo alius contrarium pro supplicio afferens, dicit : « Et diminuti sumus, et sumus » pauci plus quam omnes qui habitant terram [7]. » Hac benedictione fruebantur etiam cum essent in Ægypto, licet

[1] Psal. cxiii, 12, 13. — [2] Id. ciii, 1. — [3] Id. cxlvii, 20. — [4] Deut. iv, 7. — [5] Psal. cxiii, 13. — [6] Ibid. 14. — [7] Dan. iii, 37.

essent innumera, quæ prohibebant, opera, afflictio et calamitas, eorum, qui urgebant, crudelitas[1] : sed nihil eorum verbum Dei interrupit, sed eo processit benedictio, ut in ducentis annis fierent sexcenta millia. Sed tunc quidem in his consistebat benedictio, nunc autem in Novo, in multo melioribus. Et ideo dicit Paulus : « Benedictus Deus, qui » benedixit nos in omni benedictione spiritali in cœlestibus » in Christo[2]. » Et rursus : « Ei autem, qui potest omnia » facere longe abundantius quam petimus vel cogitamus, ei » gloria in Ecclesia[3]. » Et ideo Prophetæ quoque antiquitus quærentes beneficia, præbebant hanc benedictionem. Eliseus enim eam, quæ illum suscepit, filii dono remuneratus est[4]. In Novo autem non hæc, sed multo majora. Itaque purpuraria non hæc petebat ab Apostolis, sed quid? « Si » non judicastis me indignam Domino, ingressi, manete » apud me[5]. » Vides quantum intersit, et quænam quidem petebant qui erant in Veteri, et quænam qui in Novo? Et rursus Christus : « Gaudete, quia nomina vestra scripta » sunt in cœlis[6]. » Et Paulus : « Deus autem impleat vos » omni gratia et spe in credendo, ut abundetis in spe, in » virtute Spiritus sancti[7]. » Vidisti vim benedictionis, quæ bona largitur ineffabilia, et nihil habet terrenum? Et rursus Paulus : « Deus autem conteret Satanam sub pedibus » vestris celeriter[8]. » Sed in Veteri, quando homines erant crassiores, ex sensilibus contexebatur benedictio, et multorum liberorum susceptio existimabatur esse res maxima. Quoniam enim mors ingressa erat ex peccato, Deus genus consolans, et ostendens eam non modo non consumpturam, nec interitum allaturam, sed longe etiam plures quam ante futuros, inquit : « Crescite, et multiplicamini[9]. » Postquam

[1] Exod. xii. — [2] Ephes. i, 3. — [3] Id. iii, 20, 21. — [4] 4 Reg. iv, 16. — [5] Act. xvi, 15. — [6] Luc. x, 20. — [7] Rom. xv, 13. — [8] Id. xvi, 20. — [9] Gen. ix, 1.

autem cognitum fuit mortem esse somnum, introductum est bonum virginitatis. Et ideo dicebat Paulus : « Volo » autem omnes homines esse in continentia, sicut et meip- » sum [1]. » Et rursus : « Bonum est homini mulierem non » tangere [2]. » Et Christus : « Sunt eunuchi, qui se castra- » runt propter regnum cœlorum [3]. » Quanquam alioqui etiam in principio obscure significavit opus esse virtute, non filiorum multitudine. Audi autem quomodo. Dicit enim quidam Sapiens : « Ne desidera multitudinem filiorum » inutilium, nisi sit timor Dei cum ipsis : neque attende » eorum multitudinem. Melior est enim unus quam mille ; » et mori sine filiis, quam habere filios impios : et melior est » unus faciens voluntatem Domini, quam innumerabiles » impii [4]. » Judæi autem nullo plane sensu præditi, ad carnem semper aspirantes, et virtutem negligentes, dicebant : « Quid quærit Deus, nisi semen [5] ? » Eis ostendens se hoc non quærere, eos millies perdidit, cum virtute carerent. « Benedicti vos Domino [6]. » Recte adjecit, « Domino. » Nam hoc potissimum est benedictio. Sunt enim etiam qui benedicuntur apud homines, sed sunt res illorum humanæ. Hæc est autem maxima benedictio. Homines quidem benedicunt, hoc est, laudant, celebrant eos, quorum magnæ sunt opes, gloria et potentia. Sed hæc benedictio est temporanea, imo quando adest, nihil omnino affert lucri. Dei autem benevolentia est perpetua, et in rebus maximis præbet utilitatem. « Qui fecit cœlum et terram [7].

VI. Vidisti quanta sit vis benedictionis, verba enim ejus fiunt opera. Cœlum quidem certe verbum ejus effecit. « Verbo, inquit, Domini cœli firmati sunt [8]. » Illo verbo te benedicit, quod tanta potest. « Cœlum cœli Domino, ter-

[1] 1 Cor. VII, 7. — [2] Ibid. 1. — [3] Matth. XIX, 12. — [4] Eccli. XVI, 1-4. — [5] Malach. II, 15. — [6] Psal. CXIII, 15. — [7] Ibid. — [8] Psal. XXXII, 6.

» ram autem dedit filiis hominum [1]. » Quid dicis? Cœlum elegit sibi habitaculum, et superioribus acceptis partibus, nobis quæ hic sunt assignavit? Absit. Non ita habet, sed est oratio quæ se demittit ad captum auditorum. Si enim ita haberet, quomodo staret aliud, quod a Deo dicitur? « Nonne » cœlum et terram impleo, dicit Dominus [2]? » Illud enim est huic contrarium, si id acceperimus prout verborum, quæ se ad manum offert, sonat pronuntiatio, et non consideraverimus mentem quæ est in eis recondita. Quid est ergo quod dicit : « Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum? » Usus est oratione, quæ se demittit ad captum auditorum, non Deum cœlo includens. Neque enim illud : « Cœlum est » thronus ejus, et terra scabellum pedum ejus [3] : » quemadmodum nec illud : « Cœlum et terram impleo, » pro ejus dignitate dictum est, sed ipsum quoque est demissio ad captum auditoris. Ipse enim omnia continet, omnia fert, non egens loco, sed ipse omnia simul regens et moderans : sed dicitur cœlum ejus domus, quod sit locus purus a vitio. Quemadmodum ergo hic non est cœlum locus ab eo delectus : ita nec quando dicit : « Statuit » terminos gentium secundum numerum Angelorum Dei [4], » vel, « Elegit domum Jacob. » Neque enim hic hoc dicit, Judæos quidem esse ejus, cæteros autem homines non itidem : sed esse ejus providentia et opificio nudatos et privatos. Est enim communis universorum Deus. Hac autem oratione usus est ostendens suum in eos amorem, quandoquidem videbantur quomodocumque aliis esse meliores. Quod enim non eos solos elegerit, sed omnium curam gerat, ostendunt et quæ ante Mosem facta sunt : non minus autem ostendunt et quæ ejus tempore fiebant, et quæ post eum fiunt in singulis. Solem enim, terram, mare, alia omnia

[1] Psal. cxiii, 16. — [2] Jer. xxiii, 24. — [3] Matth. v, 34, 35. — [4] Deut. xxxii, 8.

dedit omnibus communiter, legemque naturæ omnibus inseruit. Abrahamum, cum esset Persa, et amavit, et a sua regione traduxit[1]. Nam et Ægyptios, et eos qui habitabant in Chanaan, et Persas per ipsum correxit. Et rursus per ejus filium et nepotem multos ex vicinis meliores reddidit, quod quidem ad eum attinuit. Ubi autem Moses quoque natus est, post hæc per ea, quæ Judæis fiebant, deducebat Ægyptios ad Dei cognitionem, et eos, qui erant in Palæstina, et post hæc rursus eos, qui erant in Babylone. Ita etiam quando dicit : « Cœlum cœli Domino, » significat se propterea in illis requiescere, quia sunt ab omni vitio liberi. Quinetiam tu quoque, si non terræ affixus fueris, sed Angelus efficiaris, celeriter in cœlum et domum paternam conscendes, ac vel ante resurrectionem ex hoc jam loco migrasti, esque auctoritate et dignitate præditus. Quemadmodum enim multi eorum, qui sunt in numerum magni senatus relati, etsi ruri habitent, habent tamen dignitatem : ita si tu quoque volueris esse civis cœlestis, etiamsi hic habites, illa dignitate fruere. « Non mortui » laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in » infernum. Sed nos, qui vivimus, benedicemus Domino ex » hoc nunc et usque in sæculum[2]. » Mortuos dicit non eos, qui vita functi sunt, sed eos, qui mortui sunt in impietatibus, vel eos, qui in peccatis suis marcuerunt. Erant enim mortui Abraham, Isaac et Jacob : ita tamen vivebant, ut illorum memoriam illi, qui vivi erant, peragerent. Moses itaque orans pro populo, quem regebat [3], per eos Deum placat, cum eos adhibuisset in precibus. Tres quoque pueri rogant ut propter eos serventur, et ideo dicunt : « Ne au- » feras misericordiam tuam a nobis, propter Abraham di- » lectum tuum, et propter Isaac servum tuum, et Israël

[1] Gen. XII, 1. — [2] Psal. CXIII, 17, 18. — [3] Exod. XXXII, 12.

» sanctum tuum [1]. » Si autem tanta erat eorum potentia, quomodo erant mortui? Et rursus Christus : « Sine mor- » tuos sepelire mortuos suos [2]. » Et ideo Paulus eos, qui sunt mortui, non vocat mortuos, sed eos qui dormierunt, scribens : « Nolo autem vos ignorare, fratres, de iis qui » dormierunt [3]. » Justus enim, etsi obierit, non mortuus est, sed dormit. Dormit enim, qui ad meliorem vitam est transmittendus. Qui autem ad immortalem mortem est abducendus, etiam vivus vitam finivit, et est mortuus. Illi descendunt ad inferos : hi in cœlum ascendent, et erunt cum Christo. Et ideo Propheta non dixit absolute : « Qui vi- » vunt, » sed adjecit : « Nos, » hoc de se dicens. Et quare non dixit : « Qui vivunt, » sed adjecit : « Nos? » Quoniam Paulus quoque sic dixit : « Nos qui vivimus, qui reliqui su- » mus, non præveniemus in adventum Domini [4]. » Quemadmodum illic illud : « Nos, » quod adjectum est, non sinit id, quod dictum est, dici de omnibus, sed de fidelibus, et iis qui sunt vitæ institutis similes, ita etiam hic illud : « Nos qui vivimus, » dicit eos, qui perinde atque David in virtute vitam agunt. « Ex hoc nunc et usque in sæculum : » Vides etiam hoc, quod subjungit, id significare? Quidnam? Id dici de iis, qui vitam in virtute transigunt. Nemo enim hic vivit in sæculum, sed ii soli, qui perpetuo vitam agunt cum gloria. Nam peccatores quoque vivunt, sed in pœna, supplicio, et stridore dentium : hi autem in claritate et splendore, utpote quorum sit munus una cum incorporeis Potestatibus offerre Deo hymnos mysticos. Ut ergo nos quoque fruamur hoc gaudio, hanc vitam persequamur, ut ad illam quoque vitæ conditionem veniamus, quam nec sermo explicare, neque mens cogitare, nec quidquam aliud potest indicare; sed ipsa sola experientia ostendit ejus

[1] Dan. III, 35. — [2] Matth. VIII, 22. — [3] 1 Thess. IV, 12. — [4] Ibid. 16.

beatitudinem. Quam detur nobis omnibus assequi gratia et clementia Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et potentia, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXIV.

Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ [1].

I. Et quisnam est, inquies, qui dum exauditur, non diligit? Multi sæculares homines. Nolunt enim audire ea quæ illis conferunt, sed rogant quidem ut ea eveniant, quæ non sunt sibi conducibilia : deinde ubi evenerint, anguntur et tristitia afficiuntur. Ea enim sunt conducibilia, quæ Deus scit nobis conducere, sive dixeris paupertatem, sive famem, sive morbum, sive quodcumque aliud ejusmodi. Quæ autem Deus ut conducibilia probaverit, et dederit, ea sunt utilia. Audi enim quid dicat Paulo : « Sufficit tibi » gratia mea : virtus enim mea in infirmitate perficitur [2]. » Hæc enim ei conferebant, persecutiones, afflictiones, et angustiæ. Qui etiam, cum audivisset ea conferre, dicebat : « Quapropter placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, » in persecutionibus [3]. » Non est ergo quorumlibet gaudere, quando Deus eos exaudierit, præbens quæ sunt conducibilia. Multi quidem certe volunt ea quæ sunt inutilia, et eis delectantur : Propheta autem non sic, sed quid? Dilexit, quoniam exaudivit eum Deus, dans quæ sunt utilia.

[1] Psal. CXIV, 1. — [2] 2 Cor. XII, 9. — [3] Ibid. 10.

« Quia inclinavit aurem suam mihi[1]. » Humanis rursus verbis Dei nutum ostendit. Et aliud quoque per hoc etiam verbum obscure significat, dicens : « Non sum dignus qui exaudiar, ipse tamen descendit ad me. « Et in diebus meis » invocabo[2]. » Quid est : « In diebus meis ? » Non quoniam, inquit, exauditus sum, resiliam, et evadam negligentior : sed omnibus diebus vitæ meæ hoc munus obibo. « Circum- » dederunt me dolores mortis, pericula inferni invenerunt » me. Tribulationem et dolorem inveni. Et nomen Domini » invocavi[3]. » Vidisti arma valida ? vidisti consolationem quæ solvit quæcumque sunt gravia ? Vidisti animum inflammatum desiderio Domini ? Quod autem dicit, est ejusmodi : « Sufficit mihi ad hoc ut liberer a malis, quæ me circumstant, Deum invocare. Quidnam est ergo in causa, quod cum Deum sæpe invocemus, minime tamen a malis liberemur ? Quoniam non invocamus ut oportet invocare. Nam ut scias eum paratum esse semper præbere, audi quid dicat in Evangeliis : « Quis est ex vobis, a quo si petierit filius » ejus panem, num lapidem dabit ei ? vel si petierit piscem, » num serpentem dabit ei ? Si autem vos, cum sitis mali, » scitis bona dona dare filiis vestris : multo magis Pater » vester qui est in cœlis, dabit bona petentibus se[4]. » Vides quanta sit ejus bonitas, cum nostra cum illa collata videatur improbitas ? Quoniam ergo talis est noster Dominus, ad eum semper confugiamus, eum adjutorem solum invocemus, et eum paratum inveniemus ad nos servandos. Si enim qui naufragium fecerunt, et in tabula vehuntur, eos qui procul sunt statim vocantes, persuadent ut humanitate utantur : etsi nihil inter eos commune intercedat, sed sola calamitate noti sint illi : quanto magis qui est benignus et clemens, et naturali bonitate utitur, eos eripiet qui gravi-

[1] Psal. cxiv, 2. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 3, 4. — [4] Matth. vii, 9-11.

bus opprimuntur calamitatibus, si modo ad eum confugere voluerint, et eum vere ac sincere invocare humana spe relicta? Quando ergo in inopinatum aliquod malum incideris, ne animum abjicias, sed tuum statim spiritum erigas, et confugias ad tranquillum portum, qui nullus agitatur fluctibus, et ad turrim nunquam expugnabilem, nempe Dei auxilium. Ideo enim permisit ut caderes, ut tu eum invocares. Sed plerique tunc maxime dejiciuntur, et eam, qua præditi erant, pietatem abjiciunt, cum contra sit faciendum. Quoniam enim nos valde amat, ideo permittit ut affligamur, ut ei perfectius conjungamur. Nam matres quoque solent insolentes pueros diversis larvis perterrentes, cogere eos, ut ad suum gremium confugiant, non eos quidem volentes molestia afficere, sed hoc excogitantes, ut ipsi eis assideant : ita etiam Deus volens semper nos sibi conjungere, velut amator vehemens, vel potius amatore quovis vehementior, permittit ut ad talem redigaris necessitatem; ut perpetuo vaces orationi, et eum assidue invoces, et aliis relictis, sis de eo sollicitus. « O Domine, libera » animam meam [1]. » Alius interpres : « Rogo, Domine, eripe » animam meam : » Alius : « O Domine, salva animam » meam. » Vidisti sapientem animam, quomodo, relictis omnibus quæ ad hanc vitam pertinent, unum tantum petit, ut anima maneat illæsa et nihil patiatur eorum quæ illi nocere possunt? si enim bene habeat, reliqua omnia sequentur, ut si non bene habeat, nihil nos juvat reliqua prosperitas : et ideo nihil non dicere et facere oportet, ut eam conservemus. Hoc enim innuit cum dicit : « Estote pruden- » tes, sicut serpentes [2]. » Quemadmodum enim ille reliquum corpus projicit, ut caput conservet : ita oportet te quoque alia omnia dare pro salute animæ. Neque enim paupertas, nec morbus, nec quod videtur esse caput om-

[1] Psal. cxiv, 4. — [2] Matth. x, 16.

nium malorum, mors poterit eum, qui ceciderit, offendere, si illa conservetur : quemadmodum nec ex vita aliquid commodi percipies, si ea perierit, corruptave fuerit. Ideo, cæteris relictis, de ea verba facit, rogatque ut non nimis acris ab ea exigatur ratio, et ab intolerabilibus liberetur suppliciis. « Misericors Dominus et justus, et Deus noster » miseretur [1]. » Vides quomodo docet auditorem, ut neque desperet, neque sit ignavior et negligentior? Hoc enim prope dicit : « Ne desperes, est enim Deus misericors : nec sis segnis, est enim justus. » Itaque istius excindit socordiam : illius autem tollit desperationem, salutem nobis utrinque procurans.

II. Deinde ostendens Deum esse propensum ad clementiam, subjungit dicens : « Et Deus noster miseretur. » Recte autem dixit : « Deus noster : » ut eum distinguat ab iis diis, quorum paulo ante meminit. Sunt enim illorum partes occidere, de medio tollere, et bella implacabilia gerere : hujus autem, uti clementia, condonare, et assidue a periculis eripere ; quæ quidem cum aliis maxime ostendunt illos esse dæmones et exitiosos : hunc autem curam gerere et providere, et verum esse Deum. « Custodiens parvulos » Dominus : humiliatus sum, et liberavit me [2]. » Hic movet maximum genus ejus providentiæ. Quoniam enim dixit : « Misericors et justus, et miseretur, » ejus maximæ clementiæ opus deinceps ostendit. Quodnam? Id videlicet quo utitur in infantes ac pueros : nos enim habemus rationem, quæ nos docet hæc vitare, illa eligere, et mala quæ nos invadunt propulsare, et quæ adsunt excutere : et viribus valemus, et artes scimus. Infantes autem ac pueri, quibus hæc omnia deficiunt, sunt perinde ac si non haberent qui eos regeret. Sed in omnibus habent Dei providentiam, qua nisi assidue fruerentur, omnes periissent.

[1] Psal. CXIV, 5. — [2] Ibid. 6.

Nam et serpens perimeret infantem involutum fasciis, et avis quæ degit in ædibus, et multa alia quæ repunt ac serpunt in domibus. Neque enim nutrix, nec mater, nec ullus alius sufficit ad eorum perfectam gerendam providentiam, nisi superno juventur auxilio. Nonnulli autem dicunt hoc dictum esse de fœtibus nondum in lucem editis. « Humiliatus sum, et liberavit me. » Non dixit : « Non permisit ut inciderem in pericula : sed postquam incidi, servavit. » Quoniam enim dixit generalem ejus providentiam, ad suam quoque personam extendit orationem, sicut ex generalibus et ex singularibus solet ea confirmare. Ne ergo quæras vitam omni ex parte securam, non est enim id tibi conducibile. Si enim non erat conducibile Prophetis, multo magis nec tibi. Quod autem non esset conducibile, audi quid dicat : « Bonum mihi quia humiliasti » me, ut discam justificationes tuas [1]. » Duplex hic est gratiarum actio, quod et in pericula incidere permiserit, et quod cum cecidisset, minime dereliquerit. Est autem utrumque aliquo morbo genus beneficii, nec est prius minus secundo, imo vero, si mirabile aliquid dicendum est, etiam majus. Hoc enim liberavit a periculis, illud vero animam fecit magis sapientem. « Convertere anima » mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. Quia » eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, » pedes meos a lapsu. Placebo coram Domino in regione » vivorum [2]. » Historiæ quidem ratio dicit præclaram quamdam liberationem, requiem et libertatem. Si quis autem eam acceperit anagogice, poterit excessum ex hac vita vocare liberationem, eamque appellare requiem. Est enim ab omnibus malis liberatio, nec est amplius incertitudini obnoxius, ut qui sit securitatem consecutus, qui cum bona spe hinc excessit. Etsi enim mors invecta est ex peccato,

[1] Psal. cxviii, 71. — [2] Id. cxiv, 7-9.

ea tamen Deus usus est ad nostrum beneficium. Et ideo non fuit ea sola contentus, sed etiam vitam reddidit laboriosam, ut scias eum nec prius quidem permissurum fuisse, nisi ejus sapientia id valde utile factum esset. Et ideo cum dixisset : « Quo die comederis, morte morieris [1] : » non fuit pœna contentus; pœna enim erat : « Terra es, et in » terram reverteris [2]; » nunc autem aliud quoque adjicit, dicens : « In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Spinas et » tribulos germinabit tibi : in laboribus comedes ex ea [3]. » Et mulieri dixit : « Multiplicans multiplicabo ærumnas tuas, » et genitum tuum. In doloribus paries filios [4]. » Neque enim illud satis erat ad eos castigandos. Multos itaque videmus ea ratione evadere meliores. Mors enim, ubi advenerit, alienat a sensu : hæc autem vivos meliores efficiunt. Quod si videtur res esse terribilis, id fit ex imbecillitate eorum qui affecti sunt. Quod enim hic metus sit imbecillitatis, audi Paulum eam optantem, et de ea lætantem, ut quando dicit : « Resolvi et esse cum Christo est multo me- » lius [5]. » Et rursus, « Lætor et collætor cum vobis omnibus, » itidem vos quoque lætemini et collætemini mecum [6]. » De contrariis autem dolentem? « Non solum enim, inquit, sed » ipsi etiam in nobis ipsis ingemiscimus, filiorum adoptio- » nem expectantes, liberationem corporis nostri [7]. » Et rursus, « Qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus gra- » vati [8]. »

III. Vidisti quantum sit bonum philosophia? Quæ aliis videntur esse digna lacrymis, ea huic videntur esse optanda : et propter quæ alii se jure putant lætari et voluptate affici, is propter ea existimat esse merito ingemiscendum. Annon est merito ingemiscendum, quod simus in

[1] Gen. II, 17. — [2] Id. III, 19. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 16. — [5] Philipp. I, 23. — [6] Id. II, 17. — [7] Rom. VIII, 22. — [8] 2 Cor. V, 4.

regione aliena, et in terram procul a patria positam amandati? Annon est maxime lætandum, quod in tranquillum portum cum maxima celeritate cursum teneamus, et supernam civitatem recipiamus, a qua aufugit dolor, molestia, et gemitus? Et quid mea, inquies, refert, qui sum peccator? Vides non esse mortem quæ dolorem afferat, sed malam conscientiam? Desine ergo peccare, et erit tibi expetenda mors. « Oculos meos a lacrymis. » Merito ita dixit : « Non est enim illic dolor, tristitia, nec luctus. « Et » pedes meos a lapsu. » Hoc est majus priore. Quomodo? Quod non simus solum liberati a dolore, sed etiam a supplantatione et ab insidiis. Stat enim super petram, qui cum recte factis recessit, portum apprehendit. Impedimenta omni in posterum sublata sunt; nusquam turba, nec tumultus. In tranquillo statu manet perpetuo is qui sic excesserit. « Placebo coram Domino in regione vivo- » rum. » Alius, « Ante Dominum. » Alius, « Inambulabo. » Hoc etiam Paulus ostendit dicens : « Et nos rapiemur in » nubibus in occursum Domini in aërem, et ita semper » cum Domino erimus [1]. » Recte autem dixit : « In regione » viventium. » Illa enim est vera vita, a morte libera, quæ habet bona pura et non mixta. « Quando enim, inquit, » deleverit omnem principatum, et omnem potestatem ac » virtutem, ultimus inimicus delebitur mors [2]. » His autem deletis, nihil remanet triste, nec injucundum, non cura, non sollicitudo, non labor. Erunt itaque omnia lætitia, omnia pax, omnia charitas, omnia tranquillitas, omnia delectatio, omnia vera et sincera, solida et stabilia. Nullus est enim illic ejusmodi lapsus, non ira, non tristitia, non amor pecuniæ, non corporum desiderium, non paupertas, non divitiæ, non infamia, non aliquid aliud ejusmodi. Hanc itaque nos vitam desideremus, et omnes actiones

[1] 1 Thess. IV, 16. — [2] 1 Cor. XV, 24.

nostras eo dirigamus. Propterea enim jubemur etiam dicere in precatione : « Adveniat regnum tuum [1], » ut ad illum diem semper respiciamus. Qui enim illo amore tenetur, et illorum bonorum spe alitur, nullis malis præsentibus obruitur, nullis hujus sæculi ærumnis deprimitur : sed quemadmodum qui ad regiam urbem contendunt, nullo quod in itinere se offerat retinentur, non pratis, non hortis, non vallibus, non desertis; sed utrorumque nullam rationem ducentes, ad unum solum respiciunt, nempe ad patriam quæ est eos susceptura : ita etiam qui quotidie illam sibi effingit et exprimit civitatem, et ejus fovet alitque desiderium, nihil eorum quæ sunt gravia, grave existimabit, nec eorum quæ sunt jucunda et illustria, jucundum et illustre. Quid autem dico : « Non existimabit ?» imo ea ne videbit quidem, ut qui alios habeat oculos, et tales quales præcipit Paulus dicens : «Non considerantibus nobis » quæ videntur, sed quæ non videntur, quæ enim videntur, » temporalia sunt : quæ autem non videntur, æterna [2]. » Vidisti quomodo viam alia dictione ostenderit ? Illa ergo amplectamur, ut etiam assequamur, et vita ab omni interitu aliena fruamur. Quam detur omnibus nobis consequi gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et potentia, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Matth. VI, 10. — [2] 2 Cor. IV, 18.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXV.

Credidi propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis [1].

I. Hujus [2] dicti beatus Paulus mentionem faciens, dicit: « Habentes autem eumdem spiritum fidei sicut scriptum » est: Credidi propter quod locutus sum; et nos credimus, » propter quod et loquimur [3]. » Necesse est ergo primum dicere, quomodo eo usus est Apostolus, et de quonam sermo esset ab eo institutus. Ita enim eo cognoscemus quid sibi velit Propheta. Alioqui vero hæc est optima docendi ratio, non orationis seriem excindere, nec parte accepta in ea immorari, sed ab alto ducere exordium narrationis. De quonam ergo disserens Paulus meminit hujus vocis propheticæ? De resurrectione, et futurorum bonorum perceptione, quæ omnem rationem, mentemque et cogitationem superant. Quoniam ergo hæc omnem superabant orationem, nec ea explicare poterat: fide autem ad ea suscipienda opus est: ne conturbaretur Judæus, et ceu vana spe inflatus se fuisse deceptum existimaret, prophetico dicto corrigit ejus imprudentiam, propemodum dicens: « Non rem aliquam novam requiro, fidem, sed vetus bonum. » Etenim sic quidem Paulus: Propheta autem, cum ipse quoque esset prædicturus bona quædam eventura Ju-

[1] Psal. cxv, 10. — [2] Vide D. Guillon, tom. xv, pag. 230-235. — [3] 2 Cor. iv, 13.

dæis, quæ superabant humanum rerum ordinem, ne quis posset eis fidem derogare, ita Psalmum incœpit, dicens : « Credidi propter quod et locutus sum. » Quoniam enim perierant Jerosolyma, templumque fuerat eversum et dirutum, et omnes captivi et vincti abducti fuerant in alienam regionem, barbari autem pro illis terram eorum possidebant, et vineas plantare, domos ædificare, et matrimonia contrahere jussi fuerant : hæc afferebant Judæis desperationem, et deinceps apud se cogitabant. Si cum haberemus civitatem, arma, arces, pecuniæ copiam tantam, templum altare, cultum et ceremonias, et atque aliam omnem religionis institutionem, traditi, et in servitutem atque captivitatem abducti sumus : nunc cum in aliena regione degamus, et omnibus spoliati, nudi et servi simus, quomodo poterimus nostram recipere patriam ? Quoniam ergo multi ex imbecillioribus hæc reputantes conturbabantur, et non attendebant Prophetis, qui prædicebant reditum, propterea sic dixit, ex eo omnibus ostendens opus esse fide ad ea, quæ dicuntur ad Deo. Eos autem alii quoque aliter alloquuntur, quemadmodum Esaïas sic dicens : « Respicite » ad solidam petram ex qua excisi estis, et ad fossam lacus, » ex quo effossi estis [1]. » Et rursus : « Respicite ad Abraham » patrem vestrum, et ad Sarram quæ vos peperit, quod » unus erat, et vocavi ipsum, et sanctificavi ipsum, et mul» tiplicavi ipsum [2]. » Quod autem dicit, est ejusmodi : « Nonne erat Abraham barbarus? Nonne carebat liberis, et jam ætate processerat ? nonne habebat uxorem, quæ et propter ætatem, et propter naturam erat filiis procreandis inutilis? Annon erant res ejus omnino desperatæ ? Quid ergo? annon ex uno sine liberis et provectæ ætatis implevi orbem terræ : Quid ergo conturbamini ? Si enim ex uno potui implere orbem terræ : multo magis ex vobis paucis

[1] Isaï. li, 1. — [2] Ibid. 2.

implebo Jerosolyma. » Et ideo dicit : « Respicite ad solidam » petram, ex qua excisi estis, » Abraham ita vocans : « Et » fossam lacus, ex quo effossi estis, » Sarram ita nominans. Quemadmodum enim lacus aquam per se non habet, sed eam suscipit ex supernis pluviis : ita etiam illa, cum esset privata facultate gignendi, a supernis accepit illam : et quemadmodum petra nunquam fructum tulit, ita nec ferre poterat Abraham : ego tamen vos illinc exculpsi, et ex uno tot et tantas regiones implevi. Et ideo Ezechielem quoque in campum educit, et ostendit ei cumulum ossium, et prophetans ossa excitat, ostendens eis, et dicens : « Si pos- » sum excitare mortuos, multo magis vos, qui vivitis, re- » ducere [1]. » Illi quidem sic : hic autem Propheta quomodo? « Credidi propter quod locutus sum. » Hoc est; fide opus est ad ea quæ promittuntur. Ego enim ea cogitans, et animo revolvens, fide introducta omnem expuli perturbationem. Hoc ergo dicit Paulus, in his sensilibus, et quæ videntur, bonis, fide opus esse. Quod si in sensilibus, multo magis in spiritualibus. Si enim, ut suam civitatem se recuperaturos admitterent, eis fuit opus fide : multo magis nobis, qui cœlum expectamus. Quando ergo est aliquid magnum, et quod cogitationem et rationem superat, oportet eam assumere, et non humano ordine res examinare. Admirabilia enim Dei opera sunt iis omnibus superiora. Oportet itaque ora rationibus obstruentes ad fidem accurrere, et Deum gloria afficere. Qui enim ratione contendit res ad illum spectantes invenire, nequaquam eum gloria afficit, ut qui ratiocinii sui humilitati velit ineffabilia ejus œconomiæ consilia subjicere.

II. Ideo de Abraham quoque loquens Paulus, quoniam non hoc fecit, sed suas rationes reprehendens, respexit ad potentiam ejus qui est pollicitus, et ostendens eum hac ra-

[1] Ezech. XXXVII, 13.

tione Deum maxime gloria affecisse : « In promissione enim » Dei non hæsitavit incredulitate, sed validus factus est fide, » dans gloriam Deo [1], » et certo persuasus ipsum, quod pollicitus est, posse etiam facere. Quid porro est, « Haben- » tes autem eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est : » Credidi propter quod locutus sum ; et nos credimus prop- » ter quod et loquimur ? » Hic nobis magnum revelat mysterium. Quodnam hoc ? Ejusdem esse spiritus Novum et Vetus Testamentum : et eumdem spiritum, qui est in eo locutus, hic quoque locutum esse, ac fidem esse omnium magistram, nec absque ea nos quidquam posse. « Et nos » enim, inquit, credimus, et ideo loquimur. » Si eam enim sustuleris, ne os quidem aperire possumus. Quare autem non dixit : « Habentes autem eamdem fidem, » sed, « Haben- » tes autem eumdem spiritum fidei ? » Et ea quæ dicta sunt significans, et ostendens opus esse suppeditatione spiritus ad conscendendum ad altitudinem fidei, et vilipendendam rationum imbecillitatem. Et ideo ipse quoque alibi dicit : « Unicuique autem manifestatio spiritus datur ad utilita- » tem. Alii enim per spiritum datur sermo sapientiæ, alii » autem sermo scientiæ, alii vero fides, alii autem dona » sanationum [3]. » Sed fortasse dixerit quispiam, quod etiam verum est, ipsum aliam dicere fidem, per quam fiebant miracula. Scio ego quoque aliam esse fidem, de qua Apostoli dicebant : « Adjice nobis fidem [4] : » et aliam hanc, per quam sumus omnes fideles, signa quidem non facientes, sed habentes cognitionem pietatis. Atqui hic quoque est nobis opus auxilio Spiritus. Etenim de quadam scribit Lucas : « Aperuit cor ejus, ut attenderet ea, quæ dicebau- » tur a Paulo [5]. » Et Christus : « Nemo venit ad me, nisi » Pater traxerit eum [6]. » Si hoc ergo Dei est, quomodo pec-

[1] Rom. IV, 20. — [2] 2 Cor. IV, 13. — [3] 1 Cor. XII, 7-9. — [4] Luc. XVII, 5. — [5] Act. XVI, 14. — [6] Joan. VI, 44.

cant qui non credunt, cum nec Spiritus opem ferat, nec Pater trahat, nec in viam deducat Filius? De seipso enim dicit : « Ego sum via [1]. » Hoc autem dicit ostendens se opus esse ad hoc ut adducantur ad Patrem. Si ergo Pater trahit, Filius deducit, Spiritus illuminat, quid peccant qui neque tracti sunt, neque deducti, nec illuminati? Quoniam non præbent seipsos dignos, ut eam suscipiant illuminationem. Vide ergo hoc evenisse Cornelio : neque enim hoc ille apud se invenit, sed eum Deus vocavit, quoniam ipse præoccupans, seipsum dignum reddidit [2]. » Et ideo Paulus quoque de fide disserens, dixit : « Et hoc non ex » vobis, Dei est donum [3] : » nec tamen te relinquit vacuum bonis actionibus. Etsi enim ejus est trahere et inducere : animam tamen requirit quæ morem gerat, et facile pareat : et tunc suum adhibet auxilium. Quocirca alibi quoque dicit Paulus : « Secundum propositum vocatis [4]. » Neque enim virtus, nec salus nostra necessitati subjacet. Nam etsi maxima pars, atque adeo fere totum ejus sit, exiguum quid tamen nobis reliquit, ut dandæ coronæ speciosa sit occasio. Et ideo cum dixisset Paulus : « Habentes autem » eumdem spiritum fidei [5], » hoc est, qui etiam locutus est in Veteri, subjunxit : « Et nos credimus propter quod et » loquimur [6]. » Multo enim magis hic fide opus habemus quam illic, et propter naturam promissorum, quæ sub visum non cadunt, sed sola mente percipiuntur : et propter ordinem temporum : non enim in vita præsenti, sed in futuro erunt præmia. Imo vero erat etiam opus fide pro præsentibus : etenim ea ipsa, quæ dabantur, fide opus habebant, etiam dum dabantur, nempe et mysteriorum communio, et baptismi donum. Ita omnem rationem superabat vis bonorum. Si itaque in crassissimis illis et sensibilibus

[1] Joan. XIV, 6. — [2] Act. X, 1, et seqq. — [3] Ephes. II, 8. — [4] Rom. VIII, 28. — [5] 2 Cor. IV, 13. — [6] Ibid.

fide erat opus, multo magis hic. Sed apostolica quidem sententia convenientem accepit interpretationem : tempus est autem, ut redeamus ad prophetiam, et dicamus quid dicit hic Beatus. Quid ergo dicit? « Credidi propter quod » locutus sum. » Atqui nihil erat adhuc locutus, sed dicit id quod mente jam a se dictum erat. Quid est autem quod jam dictum fuerat? Cum, inquit, illam calamitatem et judaïcam illam tragœdiam animo agitassem, illumque interitum et excidium extremamque vastitatem, non desperavi fore ut res mutaretur in melius : imo vero et speravi, et annuntiavi, et locutus sum. Nam et in prioribus Psalmis multa de his disserui, locutus sum autem et annuntiavi a fide eruditus.

III. Alius autem, qui non est ab ea valde eruditus, vide quomodo claudicet et perturbetur. Nam etsi dicit illum Psalmum David, non tamen ex persona propria : sed narrans eorum, qui claudicant, animi perturbationes, sic dixit : « Quam bonus Deus Israël iis qui sunt recto corde. » Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus » mei [1]. » Non loquens de pedibus et gressibus, sed de ratiocinationibus claudicantibus. Causam autem subjungit, dicens : « Quoniam zelavi propter iniquos [2], » hoc est, videns florentes barbaros, dejectos autem et fractos Judæos. Et quodnam genus dicit claudicationis? « Et dixi : Frustra » ergo justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus » meas [3]. » Et quidnam ipsum impulerit, ut hæc diceret, dicit : « Quoniam ecce hi peccatores et florentes in sæculum » obtinuerunt divitias [4]. » Deinde vide quomodo seipsum rursus colligit. « Si dicebam : Narrabo sic : hoc labor est, » inquit, ante me, donec ingressus fuerim in sanctuarium » Dei, et intelligam in extrema ipsorum [5]. » Quod autem

[1] Psal. LXII, 1, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Ibid. 13. — [4] Ibid. 12. — [5] Ibid. 15-17.

dicit, est ejusmodi : Vexabar, affligebar in ratiocinationibus. Tale quid enim est ratiocinatio. Deinde cogitavi me facere rem laboriosam. De iis enim inquirens, nihil potero certi scire, donec me in patriam recepero. Vides quantum sit periculum res fidei permittere humanis rationibus, et non fidei? Si ille enim fuisset firmus et constans in fide, non hæc fuisset locutus, non fuisset perturbatus, non commoti essent ejus pedes, non essent propemodum effusi gressus ejus. Sed non ita hic Propheta, sed stans supra petram, non conturbabatur, sed res Judæorum videns ita esse affectas, res autem barbarorum secus, de reditu clara voce constantique et certe mente frequenter prædicabat in multis Psalmis : et valde confidebat, nec vires barbarorum, nec vilitatem Judæorum attendens, sed Dei potentiam, qui ea est pollicitus. Et ideo dicit : « Credidi » propter quod locutus sum : ego autem humiliatus sum » valde. » Alius dicit : « Ego utique afflictus sum valde. Ego » vero dixi in excessu meo : Omnis homo mendax [1]. » Alius, « Et dixi animi anxius : Omnis homo mentitur. » Hic fidei splendor rursus ostenditur, quod ne magnitudo quidem calamitatis cum præcipitem dederit in desperationem. Ejusmodi enim res est fides : est quædam sacra ancora, quæ undique sustentat mentem quæ ei adhæret : et tunc maxime ostenditur, quando in maxima rerum difficultate ei persuadet, qui illa est præditus, ut bonam spem habeat, expulsa turba ratiocinationum. Quod ipse quoque significans, dicit : « Ego autem afflictus sum nimis. » Hoc est, « Valde quidem afflictus sum, sed non desperavi, nec animum abjeci. » Deinde ostendens se non fuisse solummodo afflictum, sed gravissime afflictum, subjunxit dicens : « Ego autem » dixi in excessu meo : Omnis homo mendax. » Quid est, « In excessu meo ? » In summa, inquit, calamitate, et in-

[1] Psal. cx, 10, 11.

genti malorum magnitudine. Tanta enim, inquit, me adorta est tentatio, ut excessum et gravem soporem in me injiceret. Dicit enim hic excessum, alienationem a sensu, quæ ex malis oritur. Nam de Adam quoque quando dicitur Deus immisisse in eum excessum [1], innuit quamdam a sensu alienationem. Extasis enim, seu excessus dicitur, extra se esse positum. Immissus autem erat tum excessus, ne sentiret cum auferretur costa, nec ex ea re dolorem caperet : ea ratione Deus suffurans sensum molestiæ, ne accepto dolore factum id ægre ferret, immisit in eum excessum. Et rursus alibi : « Cecidit, inquit, super ipsos excessus [2]. » Significat illic gravem quemdam soporem, et a sensu remotionem. Excessus porro id ubique significat. Fit autem vel Deo id faciente, vel malorum magnitudine gravem soporem ac torporem afferente. Solet enim calamitas esse causa excessus et soporis. Hic ergo dicit excessum, magnitudinem malorum quæ eum occuparunt. Quid est autem quod dicit : « Omnis homo mendax? » Nemo-ne verax? Quomodo ergo Job descriptus est « Vir verax, justus, religiosus [3]? » Quid vero dicemus de Prophetis? Si illi enim mendaces, et in iis, quæ dixerunt, falsi sunt, omnia pereunt. Quid vero Abraham? Quid Justi omnes? Vides quantum sit malum, si dictio solum accipiatur, et non sensus consideretur? Quid est ergo quod dixit : « Omnis homo mendax? » Id quod ipse dicit alibi : « Homo vanitati similis factus est [4]. » Quod etiam alius Propheta dixit : « Omnis caro fœnum, et omnis gloria hominis quasi flos fœni [5]. » Hoc est, res vilissima, prætersluens, similis umbræ, somnio, et alicui imagini.

IV. Et ut scias me non levi conjectura adductum hæc dicere, alius interpres dixit, « Falsum, » alius autem, « Men

[1] Gen. II, 21. — [2] Act. X, 10. — [3] Job. I, 1. — [4] Psal. CXLIII, 4. — [5] Isaï XL, 6.

» titur, » alius, « Fallitur, » alius, « Deficit. » Hoc autem multum ab illo differt. Mentiri enim est vitii quod in animo situm est : deficere autem, et prætersluere, et esse somnium, umbram et florem, significat naturæ vilitatem. Idem est enim id quod dixit alius : « Ego sum terra et ci» nis [1] : » et alius, « Quid superbit terra et cinis [2] ? » et rursus ut quando dicit hic Propheta : « Quid est homo, quod me» mor es ejus [3] ? » ubique naturæ vilitatem, et eam nihil esse significans. De segetibus enim dicimus: « Ementitæ sunt segetes, hoc est, spem nostram fefellerunt, nec ut sperabamus, tulerunt : » et, « Annus est ementitus, » hoc rursus significantes. Quoniam ergo homo res est vilis, atque adeo nihili; hac autem philosophia solemus uti maxime in calamitate, et quam sit infirma natura considerare ; ideo ipse quoque, cum esset animi anxius, et videret argui naturam, et quam vilis esset et nihili omni ex parte ostendi, « Om» nis, inquit, homo mendax. » Hoc est, homo nihili est. Quocirca ipse quoque alibi dicebat : « Verumtamen in » imagine pertransit homo [4]. Quid retribuam Domino pro » omnibus quæ retribuit mihi [5] ? » Vide quomodo ostendit magnum beneficium non ex iis solum quæ facta sunt, sed etiam ex eo quod facta sint in eum qui esset ejusmodi, aliis quidem verbis, sed eodem sensu ea narrans, quæ sunt in Psalmo. Quemadmodum enim illic dicebat : « Quid est » homo quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam » visitas eum [6] ? » ita hic etiam. Tunc autem ostenduntur duplicia esse beneficia, quando et natura magna sunt, et quando conferuntur in eum qui est nihili : quod quidem beneficium et gratiam amplificat. Hoc ipsum volens ostendere, dicit : « Quid retribuam Domino? » significans ipsum hominem, qui est mendacium, qui est vilis atque

[1] Gen. xviii, 27. — [2] Eccli. x, 9. — [3] Psal. viii, 5. — [4] Id. xxxviii, 7. — [5] Id. cxv, 12. — [6] Id. viii, 5.

adeo nihili, dignum tanta censuisse gratia. « Pro omnibus » quæ retribuit mihi. » Hoc est grati animi, circuire, et pro iis quæ accepit beneficiis, quærere benefactori aliquam referre gratiam : et cum omnia exolverit, putare se nihil dare. Quod cum ex retributionis principio subindicasset, procedens significat se id exoluturum. Ostendit enim duplicem gratiarum actionem, et quod ea det quæ potest, et quod cum ea det, se nihil dignum dare existimet. Quid est ergo quod est daturus ? Audi eum dicentem, subjungit enim : « Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini in- » vocabo [1]. » Qui quod dictum est sumunt anagogice, dicunt esse communionem mysteriorum. Nos autem historiam sequentes, dicimus eum hic dicere libamina et sacrificia, et hymnos gratiarum actionis. Erant quippe antiquitus diversa sacrificia : erat enim sacrificium laudis, pro peccatis, holocausta, pro salute, et pacifica, et plura alia. Hoc est ergo quod dicit : « Non possum quidem quod dignum est persolvere, solvo autem quod possum. Offeram enim Deo sacrificium gratiarum actionis, et salutis eum commonefaciam. « Vota mea Domino reddam coram omni » populo ejus [2]. » Vota hic dicit promissa et pollicitationes. In his enim ærumnis ad Deum confugiebat, et se debitorem ei constituebat, pollicens si ea mala effugeret, se hæc exoluturum esse sacrificia. Quoniam ergo, inquit, cessavit calamitas, « Vota mea reddam Domino coram omni populo » ejus. Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum » ejus [3]. » Alius, « Honorata coram Domino. » Quænam est autem hæc consequentia, et quid habet quod cum prioribus conveniat ? Si quis id accurate examinaverit, maximam inveniet cognationem. Quia enim dixerat: « Quid retribuam » Domino pro omnibus quæ retribuit mihi ? » ostendens ejus beneficia, dicit non solum vitam, sed etiam mortem

[1] Psal. cxv, 13. — [2] Ibid. 14. — [3] Ibid. xv.

Sanctorum Deo esse curæ, non eam solum quæ lege naturæ advenit, sed etiam quæ ejus voluntate suscipitur. Annon audis Paulum dicentem : « In carne autem manere, » magis necessarium propter vos, et eo fretus, scio quod » manebo, et permanebo una vobiscum [1] ? » Et quid miraris si mors, cum nec generatio nonnullorum naturæ lege peracta sit, quemadmodum generatio Isaaci [2], et generatio Samuëlis [3] ? Quocirca nec carnis quidem eos vocat filios, sed filios promissionis. Ita etiam Moses non est simpliciter et absolute mortuus, sed cum Deus jussisset. Neque Joannes, sed cum ipse permisisset. Atqui fuit merces meretricis, fuit tamen nihilo secius honorata. Hoc ipsum autem est admirabile, quod vel sic mortuus honoratus fuit, siquidem pro veritate vitam finivit : tantoque habitus est in honore, ut ipse etiam, qui eum interfecerat, ipsum timeret. Quod autem timeret, audi quid Evangelista dicat de Herode : « Di- » cebat enim, quod ipse resurrexit a mortuis, et propterea » virtutes operantur in ipso [4]. » Vide quomodo etiam in Abel erat mors pretiosa et honorata. « Ubi est Abel frater » tuus ? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me [5]. »

V. Vide etiam in Lazaro, quomodo post ejus mortem Angeli eum deducebant [6]. Contemplare etiam civitates ad martyrum sepulcra concurrentes, et populos eorum amore inflammatos. Hoc est ergo quod dicit : « Deus magnam sollicitudinem et curam gerit vel ipsius mortis Sanctorum. Neque enim quomodocumque nec fortuito moriuntur, sed quando ipse id ex suæ dispensationis consilio permiserit. Et ideo dicebat : « In conspectu Domini, » hoc volens ostendere. « O Domine, ego servus tuus, ego servus tuus, et » filius ancillæ tuæ [7]. » Non dicit communem servitutem, sed eam quæ oritur ex magno amore et affectione, magno

[1] Philip. I, 24, 25. — [2] Gen. XVII, et XVIII. — [3] 1 Reg. I, 5. — [4] Marc. VI, 14. — [5] Gen. IV, 10. — [6] Luc. XVI, 22. — [7] Psal. CXV, 16.

incensus desiderio, quod est corona maxima, et quovis diademate præclarius. Quocirca Deus quoque id posuit pro maxima laude, dicens : « Moses servus meus mortuus est [1]. Et filius ancillæ tuæ. » Hoc est, « A multis retro sæculis, a tempore majorum meorum addicti sumus tuæ servituti. » Quod etiam Paulus posuit in Timotheo pro maximo ornamento, dicens : « Recordationem habens fidei, quæ est in te » non ficta, quæ habitavit primum in avia tua Loïde, et matre tua Eunice. Persuasum autem habeo quod et in te, » et quod ab infantia didicisti sacras Litteras [2]. » Et rursus de seipso : « Hebræus ex Hebræis [3]. » Et rursus, « Hebræi » sunt, et ego. Israëlitæ sunt, et ego [4]. » Amplius enim quiddam habebant, quam proselyti, qui a suis majoribus tales erant. Et ideo hic quoque dicit : « Et filius ancillæ tuæ. » Dirupisti vincula mea [5]. Non dixit : « Concussisti : » sed, « Dirupsti, » significans ea ita etiam fracta, ut essent inutilia. Vincula autem hic dicit, afflictiones, tentationes, pericula. Est enim bonum vinculum, quo optabile est astringi, ut quando dicit : « In vinculo dilectionis [6] : « et, » « Quod est vinculum perfectionis [7]. » Est etiam vinculum huic contrarium, ut quando dicit, « Catenis peccatum suo- » rum unusquisque astringitur [8]. » Id Christus quoque innuens, « Abrahæ autem, inquiebat, filiam hanc a » Satana ligatam non oportebat solvi [9] ? » Et Esaïas de Christo : « Dedi te in testamentum gentium, dicentem iis » qui sunt in vinculis : Egredimini [10]. » Hæc ergo vincula dirupit, non solvit : hoc enim est illo amplius. Quod si quis etiam velit hæc sumere anagogice, dicens hæc esse vincula peccatorum, et totum veterem hominem, minime aberraverit. Est aliud quoque vinculum pulcherrimum,

[1] Josue I, 2. — [2] 2 Tim. I, 5. — [3] Philip. III, 5. — [4] 2 Cor. XI, 12. — [5] Psal. CXV, 16. — [6] Ephes. IV, 3. — [7] Colos. III, 14. — [8] Prov. V, 22. — [9] Luc. XIII, 16. — [10] Isaï. XLIX, 8, 9.

quod Paulus semper circumferens dicebat : « Paulus vinc-» tus Jesu Christi [1]. » Et rursus, « Pro quo etiam vinctus » sum in catena [2]. Tibi sacrificabo hostiam laudis [3] : » Vide quomodo superius, et inferius, et ubique exolvit eamdem Deo retributionem, superius dicens : « Calicem salutaris » accipiam, et nomen Domini invocabo ; » hic, « Tibi sacri-» ficabo hostiam laudis, » hoc est, « Gratias agam, laudabo. » « Et nomen Domini invocabo [4]. » Vides quomodo est sacrificium laudis ? « Vota mea Domino reddam in conspectu » omnis populi ejus, in atriis domus Domini, in medio tui » Jerusalem [5]. » Hoc autem faciebat, non ut se ostentaret, nec ut gloriam captaret, sed omnes ad suam invitans imitationem, et volens eos habere socios gratiarum actionis. Quod quidem faciunt omnes Sancti, non homines solum, sed etiam omnem creaturam, quando beneficii aliquid acceperint, vocantes ad laudis communionem. Nihil est enim, quod Deus majore studio complectatur, quam esse gratum, non solum in rebus secundis, sed etiam in adversis. Hoc est præcipue hostia, hoc maxima oblatio. Ita Job prædicabatur : ita Paulus : ita Jacob : ita unusquisque Justorum, pium suum et gratum in Deum animum maxime in temporum difficultate ostendens. Idipsum nos quoque faciamus, et gratias perpetuo agere perseveremus, ut bona etiam æterna consequamur. Quæ detur nobis omnibus consequi gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Ephes. III, 1, et VI, 20. — [2] Act. XXVIII, 20. — [3] Psal. CXV, 17. — [4] Ibid. — [5] Ibid. 18, 19.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXVI.

Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini manet in æternum [1].

Cuivis clarum est hæc quæ dicta sunt, esse prophetiam Ecclesiæ credentium, et prædictionem prædicationis quæ universum orbem terræ occupavit. Neque enim unam, duas aut tres solummodo gentes, sed terram, et universum mare vocat Psalmus. Quod etiam evenit, quando Christi adventus resplenduit. Deinde dicit etiam causam salutis, eos nempe non ex propriis factis, nec ex vita, nec ex fiducia, sed ex sola Dei clementia servatos esse. « Confirmata » est enim, inquit, super nos misericordia ejus. » Hoc est, coacta est et coaluit, firmaque ac solida facta est, et petra stabilior. Incrementum enim quotidie suscipit. « Et veritas ejus manet in æternum. » Tunc enim veritas maxime resplenduit. Ideo autem sic dixit, quoniam vetera illa erant typus et figura. Hoc ipsum significans quoque Evangelista, dicebat : « Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.

[1] Psal. CXVI, 1, 2. — [2] Joan. I, 17.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXVII.

Confitemini Domino, quoniam bonus : quoniam in sæculum misericordia ejus [1].

I. Dictum quidem Psalmi [2] quod consuevit populus succinere, hoc est : « Hæc est dies quam fecit Dominus, exul- » temus et lætemur in ea [3] : » quod et multos excitat, et hoc maxime solet populus illo spirituali et cœlesti festo succinere. Nos autem, si vos vultis, a capite et ab initio totum Psalmum persequamur, a versu qui succinitur, sed ab ipso exordio expositionem inchoantes. Versum enim Patres nostri, ut qui esset sonorus, et sublime aliquod dogma contineret, populum succinere sanxerunt, quandoquidem to tum Psalmum ignorabat, ut vel hinc perfectam doctrinam acciperent. Nobis autem necesse est eum totum persequi, etsi quæ sunt in medio ejus, maximam habeant prophetiam. Hic enim dictum est : « Lapidem quem reprobaverunt ædi- » ficantes, hic factus est in caput anguli [3]. » Quod quidem Christus quoque dixit Judæis, paulo quidem obscurius : adhuc enim ira fervebant, ipse autem eam nolebat accendere. « Calamum enim contritum non confringet, et linum » fumigans non extinguet [4], » dixit tamen. Aggrediamur ergo Psalmum ab ipso proœmio, sicuti jam diximus. Quod est ergo proœmium? « Confitemini Domino, quoniam bo-

[1] Psal. CXVII, 1. — [2] Vide D. Guillon, tom. XV, pag. 237-246. — [3] Psal. CXVII, 24. — [4] Ibid. 22. — [5] Isaï. XLII, 3.

» nus, quoniam in sæculum misericordia ejus. » Nam cum mente agitasset Propheta orbis terræ beneficium, et perennem benignitatem ac clementiam, quam in omnibus ostendit Dominus, vocat simul omnes ad agendas gratias, maximo capite bonorum ejus in medio posito. « Dicat nunc » domus Israël quoniam bonus : quoniam in sæculum mise» cordia ejus [1]. » Quid dicis? « Domus Israël, » quæ captivitates perpessa est innumerabiles, quæ in Ægypto servivit, quæ in orbis terrarum extrema abducta est, quæ in Palæstina mille toleravit afflictiones? Certe, inquit. Ii enim sunt ejus bonorum optimi testes, majoraque et ampliora acceperunt quam alii. Quinetiam hoc ipsum quod passi sunt, est argumentum magni beneficii. Si quis autem diligenter examinaverit, etiam pro Christi adventu consentaneum est eos maximas agere gratias. Etsi enim adversa passi sunt, id tamen non ab eo qui venit, sed ab eorum improbitate profectum est. Ipse enim ad eos veniebat, et frequenter dicebat : « Non missus sum, nisi ad oves quæ perierunt do» mus Israël [2]. » et Discipulis : « In viam gentium ne abie» ritis : ite potius ad oves quæ perierunt domus Israël [3]. » Et Chananeæ : « Non est bonum accipere panem filiorum, » et dare canibus [4]. » Omnia enim agebat et procurabat pro illorum salute. Quod si visi sunt indigni beneficio, suis sceleribus imputent, et summo suo ingrati animi crimini. « Dicat domus Aaron quoniam bonus : quoniam in sæcu» lum misericordia ejus [5]. » Hic vocat sacerdotes separatim ad laudes canendas, ostendens quam sit excellens sacerdotium. Nam quo erant hi aliis majores, eo majorem a Deo gloriam consecuti sunt, non solum quod ad sacerdotium attinet, sed etiam quod ad alia omnia. Etenim quando ignis demissus est, propter eos demissus est, et terra

[1] Psal. cxvii, 2. — [2] Matth. xv, 24. — [3] Id. x, 5, 6. — [4] Id. xv, 26. — [5] Psal. cxvii, 3.

aperta est, et virga germinavit, et alia innumera propter ipsos, imo vero pro ipsis miracula facta sunt. « Dicant om-» nes qui timent Dominum, quoniam bonus : quoniam in » sæculum misericordia ejus [1]. » Ii enim sunt qui maxime possunt videre ejus benignitatem, et per omnia discere bonitatem. Quid est autem, « Quoniam in sæculum mise-» ricordia ejus? » Perpetua, inquit, non interrupta, sed in omnibus et per omnia resplendens, et se ostendens. Quod si multi eam non cernunt, propter ratiocinii sui imbecillitatem non cernunt. Nam ii etiam quorum ægri sunt oculi, ea maxime de causa solem non vident. Quemadmodum nec qui sani sunt, semper possunt eum oculis intueri, propter summum splendorem : ita nec universa Dei providentia perfecte sciri potest, quod omnem humanam rationem longe superet illius prudentiæ et sapientiæ magnitudo. Sunt etiam multæ affectiones, quæ stultis sæpe tenebras offundunt, et efficiunt ut eam omnino videre nequeant. Primum quidem amor voluptatis : quocirca etiam quæ sunt omnibus manifesta prætereunt : deinde cum iis est ignorantia, et mentis perversitas. Annon igitur absurdum est, si videas quidem patrem filium verberantem, id probare et laudare, et vel eo maxime nomine patrem existimare : si Deus autem velit de iis quæ facta sunt, pœnas sumere, indignari et ægre ferre? Quid autem possit esse hac perversitate deterius, cum ea quæ sunt inter se contraria, ægre ferant, nunc quidem dolentes, quod supplicia non exigat, nunc autem, quod exigat? Quando enim viderint aliquos rapientes, et in bona aliorum invadentes, volunt eos dare pœnas; quando vero seipsos peccantes, minime : quod quidem est depravati et corrupti animi. Accedit his tertium, quod nesciant quid sit bonum, quid sit malum, sed in rerum judicio labantur, quod malo delectentur, et sint

[1] Psal. cxvii, 4.

propensi ad vitium. Quartum, quod suorum peccatorum rationem non ineunt. Quintum, quod vastum sit et immensum id, quod inter Deum et homines intercedit. Sextum, quod non velit Deus omnia ubique ostendere, quia nempe sufficiunt quæ fiunt sigillatim.

II. Non oportet ergo nimium contendere, ut in omnibus discas Dei administrationem : de rebus enim immensis contendimus, et quæ creatam omnem naturam longe superant. Eos autem qui eam vel aliqua ex parte sunt cognituri, oportet esse liberos ab iis, quas jam diximus, affectionibus, et eam videbunt sole clarius, licet non omnem : et cum eam ex parte didicerint, pro universa agent gratias. « De tribulatione invocavi Dominum, et exaudi-» vit me in latitudine [1]. » Vidisti bonitatem et clementiam? Non dixit : « Eram dignus; » non dixit : « Mea recte facta ostendi, » sed, « Invocavi » solum, et satis fuit oratio mea ad tollendam calamitatem. Quod etiam dicit in Ægyptiis ; « Videns vidi afflictionem populi mei, et descendi ut eri-» perem eos [2]. » Non dixit : « Vidi virtutem populi mei, vel ejus mutationem ad id quod est melius : » sed : « Afflictionem, et eorum clamorem exaudivi. » Vides patrem benignum et misericordem, qui solum fert opem propter calamitates. Atqui nec apud homines quidem, quicumque affligitur, dignus est qui servetur. Cum multos itaque videmus famulos flagris cædi et excruciari, eos non dimittimus, considerantes quam graviter peccarint : Deus autem ex sola afflictione dimisit : neque ex afflictione tantummodo eripuit, sed magnam etiam securitatem impertiit. « Exaudivit, » inquit, me in latitudine. » Quinetiam afflictio ideo fuit concessa, ut eos, qui affliguntur, meliores redderet et sapientiores. « Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat » mihi homo [3]. » Vidisti mentis altitudinem? vidisti mag-

[1] Psal. cxvii, 5. — [2] Exod. iii, 7. — [3] Psal. cxvii, 6.

num spiritum, qui ita supra humanam ascendit imbecillitatem, ut omnem naturam despiciat? Hæc non solum succinamus, sed factis etiam ostendamus. Non dixit: «Nil patiar,» sed, « Non timebo quid faciat mihi homo. » Hoc est, « Etiamsi patiar, non timebo : « id ipsum dicens quod Paulus : « Si » Deus pro nobis, quis contra nos [1] ? » Atqui contra ipsos erant innumerabiles, sed eos nihil offendebat. Quomodo enim non fuerit animi valde pusilli et abjecti, ut qui habet Dominum propitium ac benevolum, conservos pertimescat? Sed hic non est ejusmodi, sed est omnibus ejusmodi timoribus omni ex parte superior. Hoc ipsum nos quoque faciamus, ne nos Domini auxilio privemus, quod humana formidemus. Hoc est enim eorum qui Dei auxilium contumelia afficiunt. Quocirca dicitur Ezechias passus esse quæ passus est, quod cum sol resiliisset et retrocessisset gradibus quos descenderat, et factum esset signum quod posset omnes obstupefacere eos qui venerant, ut hæc intelligerent, non ex eis quæ divinitus evenerant, sed ex rebus humanis voluit perterrere, et adducere in admirationem, timens ne ab eis invaderetur, et ideo eis thesauros ostendit, habens spem in thesauris. Quare Deus irritatus, « Acci» pient, inquit, hæc omnia. » Hoc est, « Ea in quibus tuam spem reponis, quibus confidis. » Israël quoque accusatur, quod pecuniis et equis confiderent. Quocirca eos admonet Propheta, ut ex iis, quæ sunt contraria, Deum placent, et dicant : « Super equos non ascendemus. » Deus te honorat, et tu eum contemnis. Deus te honorat, suum tibi auxilium promittens, et tu ad humanas spes confugis, et inanimæ materiæ, nempe pecuniis, salutis spem committis? Non quærit enim solum servare, sed id etiam honeste facere. Valde te amat, et ideo te ab omnibus abducens, sibi ipsi adjungit : et omnia amputans, ad seipsum adducit, per ea

[1] Rom. VIII, 31

quæ facit propemodum dicens : « In me spem habe, et me perpetuo observa et attende. « Dominus mihi adjutor, et » ego despiciam inimicos meos [1]. » Vides eum non ulciscentem, neque pœnas sumentem, sed Deo de suis inimicis vindictam remittentem. « Bonum est confidere in Domino, » quam confidere in homine. Bonum est sperare in Domino, » quam sperare in principibus [2]. » Non hæc dicit per comparationem, sed consuevit Scriptura hac uti figura in iis etiam quæ non admittunt comparationem, propter imbecillitatem eorum qui tunc audiunt. Non hoc ergo dicit comparans, sed se ad illorum captum demittens. Et ideo alius quoque Propheta dixit : « Maledictus omnis qui sperat in homine [3] : » nihil est enim ea spe debilius, est quippe vel tela araneæ imbecillior : imo vero non est solum imbecilla, verumetiam periculosa. Sciunt autem qui sæpe in hominibus confiderunt, cum quibus simul sunt depressi. Spes autem in Deum non est solum valida, verumetiam tuta, ut quæ nullam habeat mutationem. Et ideo Paulus quoque dicebat : « Spes autem » non confundit [4]. » Alius vero Sapiens : « Respicite, inquit, » ad antiquas generationes, et videte quis speraverit in Domi» num, et pudore affectus est [5]. » At ego, inquit, speravi, et sum pudore affectus. » Bona verba quæso, homo, ne divinæ Scripturæ obloquaris, etiamsi pudore affectus sis, id evenit, quod non ut oportuit speraveris, quod cesseris, quod finem non expectaveris, quod pusillo animo fueris. Sed non ita facias : verum quando videris quæ sunt mala et difficilia imminere, ne animum demittas. Hoc enim vel maxime est sperare, quando in media mala et gravia pericula fueris conjectus, tunc erigi.

III. Quid barbaris illis, Ninivitis, inquam, erat miserius? et tamen cum jam essent ipso laqueo irretiti, et ruituram

[1] Psal. cxvii, 7. — [2] Ibid. 8, 9. — [3] Jer. xvii, 5. — [4] Rom. v, 5. — [5] Eccli. ii, 11.

civitatem expectaret, ne sic quidem desperarunt, sed summam ostenderunt pœnitentiam, et effecerunt ut Deus rursus suam revocaret sententiam. Vidisti quantæ sint spei vires? Quid vero ipse Propheta? Annon cum esset in ventre ceti, templi, et suæ Jerosolymam reversionis meminerat? Et tu ergo quamvis vel ad ipsam mortem deveneris, et undique maxima immineant pericula, ne desperaveris. Potest enim Deus in rebus vel difficillimis exitum invenire : et ideo dicit quidam Sapiens : « A mane usque ad vesperam » mutationes multæ, et in conspectu ejus sunt omnia faci» lia [1]. » Non vidisti tribunum in summa rerum copia famelicum (19)? Non vidisti viduam in fame abundantem? Quando res in maximam inciderint inopiam, tunc tu spera maxime. Tunc enim Deus maxime suam ostendit potentiam, non a primordio, sed quando res fuerint plane desperatæ ab hominibus. Hoc est enim tempus divini auxilii. Et ideo nec pueros eripuit a principio, sed postquam fuerunt in fornacem conjecti : nec Danielem, antequam esset immissus : sed septem post diebus. Nec attende rerum naturam, quæ præcipites agit in desperationem, sed Dei potentiam, quæ ea, quæ sunt desperata, adducit in bonam spem. Hoc etiam ostendens Psalmographus, et quanta sit Dei potentiæ facilitas volens monstrare, quod scilicet eos etiam, qui in gravia mala inciderunt, prostratique et conculcati sunt, possit educere, et non tantum a principio, audi quid subjungat. « Omnes gentes circumdederunt me [2]. » Vidisti periculum inevitabile? Neque enim erat acie confligendum, neque stabant inimici e regione, sed erat interceptus, et tanquam sagena aliqua circumdatus, ac veluti quibusdam retibus comprehensus, non ab uno, duobus, aut tribus, sed ab omnibus gentibus : sunt tamen hæc omnia vincula confracta a spe in Deum. «Et nomine Domini ultus sum eos. Circum-

[1] Eccli. XVIII, 26. — [2] Psal. CXVII, 10.

» dantes circumdederunt me, et nomine Domini ultus sum » in eos. Circumdederunt me sicut apes favum, et exarse- » runt sicut ignis in spinis, et in nomine Domini ultus sum » eos [1]. » Vidisti quomodo describit ærumnarum magnitudinem? Non dixit solummodo : « Circumdederunt : » sed, « Sicut apes, et sicut ignis in spinis. » Per apes quidem magnam animi alacritatem, per spinas vero iram intolerabilem, et qui extingui non poterat bilis ardorem significans. Quis enim cohibuerit ignem, qui in spinas incidit? Eos tamen, inquit, tam vehementer et tam celeriter accensos, cum me medium intercepissent, non solum effugi, sed etiam ultus sum. Vide hoc ipsum fieri etiam in materia. Ignis enim rubum urebat, et neque rubus comburebatur, nec ille extinguebatur, sed utraque tunc manebant simul conversantia, nec se consumentia. Atqui quid est rubo magis flaccidum et imbecillum? Quid autem igne est ardentius? Admirabilis tamen Dei potentia, quæ res facit opinionem superantes, permisit ut utraque manerent. Hujusmodi quoque tunc accidit miraculum. Sicut ignis enim accurrebant, sicut apes cum magna animi alacritate invadebant, intus interceptum tenebant, nec aliquid potuerunt facere. Arma enim invicta, auxilium inexpugnabile, Dei nomen ipsos omnes expulit. « Impulsus, eversus sum ut ca- » derem, et Dominus suscepit me [2]. » Dixit malorum magnitudinem, a multitudine, a figura, ab animi alacritate, ab ira eorum qui invadunt : dicit etiam ab iis quæ ipse passus est. Ita, inquit, me mala adorta sunt, ut parum abfuerit quin caderem et deturbarer. Impulsus enim, ita fui eversus, ut essem etiam casurus : sed cum jam essem in genua lapsurus, et inclinarer, et rerum humanarum nulla esset spes relicta, tunc suum ostendit auxilium. Hoc autem facit Deus, ne ullus ejus sibi gloriam vindicet. Hoc etiam in historia

[1] Psal. cxvii, 11, 12. — [2] Ibid. 13.

Judicum fecit in Gedeone [1]. Propterea, regnante quoque Ezechia, erexit noctu tropæum [2]. Si enim ille, cum nihil ad victoriam, nihil ad bellum contulisset, superbus tamen et arrogans factus est : si prælio tantum interfuisset, si cadentes vidisset eos, qui interficiebantur, annon hoc ei multo magis accidisset? Quando ergo ab humana spe res sunt deploratæ, suum tunc affert auxilium. Hoc fecit in Goliath [3] : hoc etiam fecit in Apostolis. Et ideo dicebat Paulus : « Sed ipsi in nobis ipsis responsum mortis habui» mus, ut non confideremus in nobis ipsis, sed in Deo qui » excitat mortuos [4]. Fortitudo mea, et laus mea Dominus, » et factus est mihi in salutem [5]. » Quasi diceret, « Fuit mihi ipse virtus et auxilium. » Quid est autem quod dicit, « Laus » mea? » Gloria mea, commendatio mea, decus meum, meus splendor. Non solum enim liberat a periculis, sed claros etiam facit et illustres, et hoc ubique videri potest, dari cum gloria salutem. Porro aliud quoque per hoc obscure significatur. Quodnam hoc? Hoc est, inquit, mihi perpetuum canticum, hoc est mihi vox perpetua, hymnus qui de eo canitur, hoc est mihi perpetuum munus, eum laudare.

IV. Audiant qui satanicis canticis corrumpuntur, quantum damni faciant, quantum sint indigni venia, cum isto Servatorem perpetuo laudante, illi in dæmonum canticis perpetuo volutentur? « Vox exultationis et salutis in tabernaculis Jus» torum [6]. » Quando enim res universa a Deo præclare gesta fuerit : qui victoria fruuntur, gaudent, exultant, duplici lætitia affecti, et quod servati sunt, et quod per Deum servati. Lætitiæ eis causa est is, qui tropæum erexit. Deinde ostendens quidnam eum impulerit ad hoc ferendum auxilium, subjunxit, « In tabernaculis Justorum. » non dixit: « In domibus, sed

[1] Judic. VII, 2. — [2] 4 Reg. XIX, 35. — [3] 1 Reg. XVII, 24. — [4] 2 Cor. 1, 9. — [5] Psal. CXVII, 14. — [6] Ibid. 15.

« In tabernaculis, » volens ostendere extemporalem paratam habitationem. Tale erat tabernaculum Abrahæ, quando redibat, superatis regibus, magnam ex rebus gestis gloriam consecutus. Tale erat Pauli tabernaculum, quando revertebatur, superatis dæmonibus, errorem de medio tollens, et præclara referens facinora. « Dextera Domini fecit virtutem, dextera » Domini exaltavit me [1]. » Vide occasionem exultationis. Idem enim nunc dicit, quod antea dicebat, ostendens hæc a Deo fuisse gesta. Vides non solum in liberatione a malis, sed etiam in acquisitione gloriæ et splendoris consistere ejus beneficium? Cum enim dixisset : « Dextera Domini fecit » virtutem, » subjunxit, « Dextera Domini exaltavit me, » ut ostenderet gloriam quæ ad se pervenerat. « Exaltavit enim » me, » significat, « Me gloria affecit. » Non solum fecit potentes, sed etiam claros et illustres. « Non moriar, sed vivam, et » narrabo opera Domini [2]. » Pericula quidem, inquit, mortem minabantur : ego autem « Non moriar, sed vivam. » Hoc est, « Tam magna et admirabilia fecit Dominus, ut vel ab ipsa morte eripuerit; etiam ante Novum Testamentum in periculis opinionem omnem superantibus, resurrectionis imaginem præfigurans. Dedit enim nobis vel a principio ænigmata, quando Enoch transtulit. Si enim non credis fieri posse ut corpora resurgant, ex eo crede. Quomodo enim tanto tempore permansit illud corpus? Non sunt enim æqualia, domum, quæ interiit et est diruta, excitare : et veterem ac collabentem tanto tempore conservare. Annon consideras eum illum fecisse, qui non erat? multo magis ergo illum suscitare et restituere poterit. Habes etiam aliam imaginem resurrectionis, nempe Eliæ raptum, qui nec in hodiernum usque diem est mortuus. Omnia sunt expedita Deo et facilia. « Non erit, inquit, impossibile apud Deum » omne verbum [3]. » Et Propheta, « Quæcumque voluit,

[1] Psal. cxvii, 16. — [2] Ibid. 17. — [3] Luc. i, 37.

» fecit[1]. » Non vides fabri opera esse tibi difficilia? sed tamen arti cedis. Ita-ne conservi quidem tui arti non concedis : a Domini autem sapientia rationem exigis, et id quod fit fide non admittis? Quantæ sunt hæc dementiæ? « Non » moriar, sed vivam. » Si quis id, quod dictum est, voluerit etiam sumere anagogice, non errabit. Etsi hoc enim de resurrectione dictum est : illud enim, « Non moriar, » est significantis mortem non esse mortem; alio tamen etiam modo intelligitur. « Non moriar enim, inquit, altera morte. » Quam Christus quoque significans, dicebat : « Qui credit in me, » inquit, etiamsi mortuus fuerit, vivet : et omnis qui vivit et » credit in me, non morietur[2]. Et narrabo opera Domini. » Hoc est maxime vita, cum laudare, et ejus miracula omnibus annuntiare. Quænam opera, dic, quæso? Ea quæ est narraturus subjungens. « Castigans castigavit me Dominus, » et morti non tradidit me[3].» Vidisti quam admirabilia fecerit? vidisti quæ ex eis capitur utilitas? Non solum enim agit gratias quod fuerit liberatus, sed etiam quod ceciderit, maximum agnoscit beneficium, et memorat lucrum tentationis. Quodnam hoc? « Castigans castigavit me, inquit, Do- » minus. » Hæc est utilitas periculorum, quod eum meliorem fecerint. Vidisti utrinque ejus potentiam et curationem? Et permisit ut apprehenderetur a malis, et eum rursus liberavit. « Morti enim, inquit, non tradidit me. » Et recte dixit alius interpres: « Morti autem non dedit me, » ut ostenderet omnia esse sita in ejus potestate. Quamobrem duplicem lucratus est salutem, nempe liberationem a malis, et liberationem a vitio, quocirca dicebat Paulus scribens Hebræis : « Si autem extra disciplinam estis, adulterini » ergo estis, et non filii[4]. Aperite mihi portas justitiæ, in-

[1] Psal. cxiii, 10. — [2] Joan. xi, 25, 26. — [3] Psal. cxvii, 18. — [4] Hebr. xii, 8.

» grossus in eas confitebor Domino [1]. » Iis qui castigantur, portæ aperiuntur, iis qui peccata deponunt.

V. Qui disciplinam suscepit, potest confidenter dicere : « Aperite mihi portas justitiæ. » Hoc dictum enim sumendum est anagogice, et cœlorum portæ sunt intelligendæ, quæ sunt clausæ improbis, quæ sunt pulsandæ per virtutem, per eleemosynam, per justitiam. « Hæc porta Domini, » Justi intrabunt in eam [3]. » Sunt portæ mortis, sunt portæ interitus, sunt portæ vitæ, sunt portæ arctæ et angustæ. Quoniam ergo sunt multæ, dicit insigne civitatis Domini, subjungens : Hæc porta Domini. » Illæ enim non sunt Domini. Quodnam est autem ejus insigne? Quod qui castigantur, qui affliguntur, per eam ingrediuntur. Est enim arcta et angusta. Si autem est arcta, qui sunt afflicti et oppressi, per eam ingredientur : quemadmodum quæ ducit ad interitum, lata est et spatiosa. « Confitebor tibi » quoniam exaudisti me, et factus es mihi in salutem [3]. » Non dicit solummodo « Exaudisti, » sed cum prius castigasset et meliorem fecisset. Et ideo agit gratias, non solum quod sit exauditus, sed etiam quod fuerit castigatus. Ideo namque fuit exauditus, et ubique magnum est apud ipsum hoc genus gratiarum actionis. Quemadmodum enim dixi, nec cessabo dicere, hoc est maximum sacrificium et oblatio. « Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est » in caput anguli [4]. » Quod hoc de Christo dictum sit, est cuivis manifestum. Ipse enim in Evangeliis adducit hanc prophetiam, dicens : « Nunquam legistis: « Lapidem quem » reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput an» guli [5]? » Si autem quod dictum est, non videtur pendere ex historia, sed media interrupta rerum serie, ingressa esse prophetia, non est mirum, nec novum, siquidem pleræ-

[1] Psal. cxvii, 19. — [2] Ibid. 20. — [3] Ibid. 21. — [4] Ibid. 22. — [5] Matth. xxi, 42.

que sic enuntiatæ sunt in Veteri Testamento prophetiæ, quod oporteret tunc temporis ita obtegi, ut non etiam ipsi libri abolerentur. De ejus enim ortu prophetia videtur quidem pendere ab historia, nihil autem habet commune cum illa, ut illud: « Ecce virgo in utero concipiet, et pa-» riet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuël [1], quod » est interpretatum : Nobiscum Deus [2]. » Lapidem quem re-» probaverunt ædificantes. » Ædificantes hic dicit Judæos, legis doctores, scribas, Pharisæos, quandoquidem reprobarunt ipsum, dicentes : « Samaritanus es tu, et dæmonium » habes [3]. » Et rursus : « Hic non est ex Deo, sed seducit » turbam [4]. Hic tamen reprobatus, adeo probus apparuit, ut fieret caput anguli. Non enim omnis lapis aptus est ad angulum, sed qui est probatissimus, et potest muros revincire ex utroque latere. Quod ergo dicit Propheta tale est: « Qui est a Judæis reprobatus, et pro nihilo habitus, apparuit adeo mirabilis, ut non solum contexeret ædificium, sed duos etiam parietes conjungeret ac revinciret. » Quos tandem parietes? Judæos scilicet, et eos qui credebant ex gentibus: quemadmodum Paulus quoque dicit : « Ipse enim » est pax nostra, qui fecit utraque unum, et sepis solvit » maceriam, inimicitias in carne sua, legem mandatorum, » quæ est in decretis, abolens : ut qui duo erant, construe-» ret in unum novum hominem [5]. » Et rursus : « Superædi-» ficati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, » ipso summo angulari lapide Christo Jesu [6]. » Per hoc autem quod dictum est, maxime accusantur Judæi, quod cum ædificarent, aptum lapidem non dijudicarunt, sed eum etiam ut reprobum rejecerunt, qui poterat tale ædificium continere. Si vis autem scire quinam sint ii duo parietes, audi ipsum quoque Christum dicentem : « Alias etiam oves

[1] Isaï. VII, 14. — [2] Matth. I, 23. — [3] Joan. VIII, 48. — [4] Id. VII, 12. — [5] Ephes. II, 14, 15. — [6] Ibid. 20.

» habeo, quæ non sunt de hoc ovili, et me illas quoque du-» cere oportet : et fiet unum ovile, et unus pastor [1]. » Hoc etiam multis retro sæculis tanquam in figura factum est. Abraham enim fuit utrorumque Patriarcha, et eorum qui in præputio, et eorum qui erant in circumcisione : sed illud quasi in figura, hoc autem in veritate. « Hic factus est » in caput anguli : » hoc est, utrasque gentes conjunxit. « A Domino facta est ista [2]. » Quid est, « A Domino facta » est ista? » Non erat, inquit, humanum quod factum est, non erat unius ex multis, non erat Angelorum, non erat Archangelorum talem angulum componere. Nemo ergo hoc potuit, non Justus, non Propheta, non Angelus, non Archangelus, sed solius Dei erat hoc præclarum facinus; est enim ejus proprium. Alius interpres dicit: « Hoc factum » est a Domino, » id est, « hoc opus admirabile, et quod omnem superat opinionem, hoc scilicet opus anguli. « Et est » admirabilis in oculis nostris [3]. » Quis est « Admirabilis? » Angulus scilicet, coïtio duorum populorum ad pietatem. Ex Judæis enim multæ crediderunt myriades. Quinetiam ipsi erant Apostoli ex Judæis. Recte autem dixit : « In ocu-» lis nostris : » neque enim hoc miraculum omnibus est manifestum. Quis enim non obstupescat, quis non admiretur quod ubi crucifixus est Christus, illic Christus adoratur : et qui eum quidem crucifixerunt, ignominia, qui vero adorant, gloria afficiuntur? Universum enim orbem terræ pervasit verbum, omnes veritati conjungens. Est ergo admirabilis, vel iis, qui quomodocumque id considerant, multo autem magis et longe evidentius eis qui credunt. Et ideo dixit : « In oculis nostris. Hæc est dies, quam fecit Domi-» nus, exultemus, et lætemur in ea [4]. » Vocat hic diem, non solis cursum, sed præclara facinora quæ in eo gesta sunt. Sicut enim qui diem malum dicit, non cursum solis, sed

[1] Joan. x, 16. — [2] Psal. cxvii, 23. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 24.

mala quæ in ipso sunt, ita etiam bonum diem vocat præclara facta quæ in eo fuerunt. Quod autem dicit, est ejusmodi. Res præclaras, quæ in eo gestæ sunt, Deus fecit; erat enim illius solius manus efficere quæ facta sunt.

VI. Quid igitur potest cum hoc die conferri, in quo die cum hominibus facta est reconciliatio, et diuturnum bellum fuit diremptum, et terra cœlum evasit, et homines terra indigni, visi sunt regno digni, et nostræ naturæ primitiæ super cœlos sublatæ sunt, et apertus est paradisus, et veterem patriam recepimus, et expunctum est maledictum, et sublatum peccatum, et qui per legem puniti fuerant, sine lege salutem consecuti sunt, et tota terra et mare suum agnovit Dominum, et alia facta sunt innumerabilia, quæ non possumus oratione persequi. Quocirca cum hæc omnia mente agitasset Propheta, omnia Deo ascribit, ostendens quæ gesta sunt, a Deo facta esse. « Exul»temus et lætemur in ea. » Lætitiam hic dicit spiritualem, lætitiam mentis, lætitiam animi. « Exultemus et »lætemur in ea, » quod tanta nobis bona obtigerint. Etenim ne hoc quidem est parva virtus, gaudere bonis, exilire, gaudio affici, Dei beneficia cum voluptate suscipere. « O Domine, salvum fac, obsecro. O Domine, bene pros»perare, obsecro [1]. » Quoniam videbat orbis terræ res secundas, rerumque mutationem, et in melius conversionem : iis, qui eis fruuntur, gratulans, dixit : « O Domine, »serva, obsecro. O Domine, bene prosperare, obsecro. » Hoc est, « Conserva eos qui fruuntur, et ut impleantur et gratia dignos fructus ostendant, redde eis viam facilem, ut postquam assecuti fuerint, a talibus bonis non amplius excidant. « Benedictus qui venit in nomine Domini [2]. » Nostra enim non consistunt in iis tantum, quæ facta sunt, sed procedunt ad alia majora, resurrectionem, regnum,

[1] Psal. CXVII, 25. — [2] Ibid. 26.

hæreditatem cum Christo : quæ omnia volens ostendere, subjunxit : « Benedictus qui venit in nomine Domini. » Hoc etiam dixit Christus Judæis : « Amen, amen dico vo- » bis : non me videbitis donec dicatis : Benedictus qui venit » in nomine Domini [1]. » Quoniam enim sæpe objiciebant, et id susquedeque miscebant, quod non esset ex Deo, quod esset Dei hostis, dicit eis : « Vos mihi feretis testi- monium quod non sum Dei hostis, quando videritis venien- tem in nubibus, et hanc emiseritis vocem dicentes : « Be- » nedictus qui venit in nomine Domini, » bonis verbis et laude plenis ab omni defensione seipsos excludentes : eo- rum enim quæ tunc fient evidentia efficiet, ut eam vocem emittant, simul et laudantes, et gravem in seipsos accusa- tionem instituentes. « Benedximus vobis de domo Do- » mini : Deus Dominus, et illuxit nobis [2]. » Dicit omnem populum fidelem, qui in domo Domini adeptus est bene- dictionem. Cernuntur enim ubique Prophetæ, beatos di- centes eos, qui sunt crediturі. Qua de causa benedixistis, et undenam beatitudo? Quoniam Deus apparuit nobis. « Apparuit, enim, inquit, gratia Dei salutaris erudiens » nos, ut abnegata impietate et mundanis desideriis, mo- » deste, juste, et pie vivamus; expectantes beatam spem » et apparitionem magni Dei et Servatoris nostri Jesu » Christi [3]. » Incarnationem ergo hic admiratur Propheta, quod cum Deus esset, et Dominus, et illius substantiæ, apparuerit. Dixit autem apparitionem, carnis humanæ susceptionem, virginalem scilicet uterum subiisse, homi- nem factum esse, et versatum esse cum hominibus. Et ideo dixit : « Benedximus vobis, » quod tale donum sitis con- secuti. Hoc etiam Christus significans dicebat : « Multi » Prophetæ et Justi desideraverunt videre quæ videtis, et » non viderunt; et audire quæ auditis, et non audie-

[1] Matth. xxiii, 39. — [2] Psal. cxvii, 26, 27. — [3] Tit. ii, 11-13.

» runt [1]. Constituite diem solemnem in condensis usque ad » cornu altaris [2]. » Alius interpres ait : « Colligate in celebri » conventu condensa. » Alius, « Alligate festum in pinguibus. » A prophetia rursus rediit ad historiam. Hoc est autem quid dicit : « Festum agite, frequentes convenite. » Quid est autem, « Constituite diem solemnem in condensis? » Ut vult quidem unus interpres, « Sacrificate splendidas hos- » tias. » Ut alius autem, « Coronis et ramis templum cin- » gite. » Hebraïcum autem ita dicit : « Esrou ag baad » oththim. » Sive hoc ergo sit, sive illud, significat festum, et diem lætum, et celebrem conventum. A spiritualibus enim orationem rursus traduxit ad sensilia, et meminit illorum reditus. « Deus meus es tu, et confitebor tibi : » Deus meus es tu, et exaltabo te. Confitebor tibi, quoniam » exaudisti me, et factus es mihi in salutem [3]. » Hic osten- dit etiam absque beneficiis Deo esse agendas gratias, et propter hoc ipsum esse gloria et honore afficiendum, propter majestatem, propter substantiam, propter gloriam ineffabilem. Hoc enim significat, postquam dixit beneficia quibus est affectus, sic subjungens. Dicit enim : « Etiam abs- que his agam gratias, et confitebor, quod talem habeam Dominum, adeo altum, adeo magnum, et qui nec videri, nec comprehendi potest. » Illud enim, « Exaltabo, » signi- ficat, « Glorificabo. Confitemini Domino, quoniam bonus : » quoniam in sæculum misericordia ejus [4]. » Non satis ha- bet quod ipse hoc offert sacrificium, sed multos etiam vo- cat, ut sint socii et participes laudis et gratiarum actionis : et Dei benignitatem prædicat, ejus perpetuitatem et mag- nitudinem ubique celebrans. Cum hæc ergo nos quoque sciamus, permaneamus gratias perpetuo agentes benigno Deo, et hoc ei offeramus sacrificium, ut bona etiam futura

[1] Matth. XIII, 17. — [2] Psal. CXVII, 27. — [3] Ibid. 28. — [4] Ibid. 29.

consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi : cum quo Patri sit gloria simul cum sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXIX.

Canticum graduum. *Alius interpres dicit :* Canticum ascensionum.

Ad Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me [1].

1. Aliorum quidem Psalmorum unusquisque propriam habet inscriptionem, hic autem multis simul conjunctis una imposita est appellatio, « Canticum graduum, » vel, ut alius dixit interpres, « Ascensionum. » Nonnulli autem eos etiam gradus appellant. Et quanam de causa, inquies, ita sunt appellati ? Si historiam quidem spectes, quoniam loquuntur de reditu ex Babylone, et captivitatis quæ illic fuit, mentionem faciunt : sed si eos sumas anagogice, quod ad viam virtutis deducant : quidam enim eos ita acceperunt. Nam via, quæ eo deducit, est similis gradibus, virum virtute et sapientia præditum paulatim evehens et sustollens, et cum in ipso cœlo statuens. Alii autem dicunt per hæc subindicari scalam Jacob, quæ ipsi ostensa est ad cœlum usque pertingens. Ita etiam gradibus et scalis subjectis, loca ad quæ non patet aditus, et quæ sunt excelsiora,

[1] Psal. CXIX, 1.

adiri possunt. Quoniam autem eos, qui ascendunt, postquam in altum evecti fuerint, caligare necesse est, propterea non eos solum, qui ascendunt, sed eos etiam, qui ad ipsum cacumen pervenerunt, accepta cautione, confirmari oportet. Una est autem securitas, quando non quantum ascendimus respexerimus, ita ut superbæ et elatæ mentis evadamus : sed quantum restat ascendendum, conspicati fuerimus, et ad illud tetenderimus. Quod etiam Paulus significans, dicebat : « Eorum quæ retro sunt obliviscentes, » ad anteriora autem nos extendentes [1]. » Et est hæc quidem ratio anagoges : nos autem deinceps, si videatur, veniamus ad historiam, et videamus eos, qui fuerunt liberati a captivitate. Quomodo igitur a captivitate liberati fuerunt? Desiderio Jerosolymorum: cum contra ii qui non pari studio erant affecti, ex Dei gratia nihil lucrifecerint, sed in perpetua servitute dies suos obierint, quos nos etiam si imitemur, idipsum passuri sumus. Si enim amore cœlestium, et desiderio cœlestis Jerusalem non teneamur, sed si præsenti vitæ perpetuo hæreamus, in cœno sæcularium curarum volutati, non poterimus patriam recipere. « Ad » Dominum cum tribularer clamavi, et exaudivit me. » Vidisti lucrum afflictionis? vidisti celeritatem clementiæ? Lucrum afflictionis, quod eos ad puras preces fundendas adduxerit : clementiæ celeritatem, quod vocantibus eis statim annuerit. Quod etiam prius fecit iis, qui erant in Ægypto. Et ideo dicit : « Videns vidi afflictionem populi » mei, et gemitum eorum audivi, et descendi ut eos eripe» rem [2]. » Et tu ergo, o dilecte, quando es in afflictione, ne desperes, nec labores indiligentia, sed tunc temporis maxime excitare : sunt enim tunc preces puriores, et major est Dei in te benevolentia : et perpetuo ita vivas, ut sit tibi vita laboriosa, sciens omnes qui pie volunt vivere in

[1] Philip. III, 13.— [2] Exod. III, 7.

Christo Jesu, persecutionem passuros [1], et « Per multas » afflictiones oportere nos intrare in regnum Dei [2]. » Ne mollem ergo vitam et dissolutam dilexeris, nec via lata velis ingredi : ea enim non ducit in cœlum : sed arcta et angusta. Si autem pervenire ad supernas mansiones velis, fuge voluptates, externam sæculi pompam ac speciem conculca, opes, gloriam et potentiam neglige : paupertatem autem, mentis contritionem, confessionemque et lacrymarum fontem tene, et omnia quæ possunt conciliare salutem persequere. Ea enim et tutiorem reddunt eum, qui possidet, et preces reddunt sublimiores. Si teipsum ita comparaveris, et Deum cum hac mente vocaveris, te omnino exaudiet. Et ideo dixit Propheta : « Cum tribularer clamavi, » et exaudivit me : » ut discas paulatim conscendere, et, ut ita dicam, alatas precationes facere, ne angaris, nec ægre feras in afflictionibus, sed utilitatem ex eis percipias. Si enim Eliseus propheta, cum esset homo, non permisit ut discipulus venientem ad se mulierem extruderet, dicens : « Dimitte eam, quia mœrore est affecta anima ejus [3] : » nihil aliud volens ex eo ostendere, nisi quod excusationem et defensionem maximam haberet, nempe afflictionem : multo minus Deus te repellet, si cum tristi et anxia anima ad eum accedas. Et ideo Christus quoque eos beatos pronuntiat, qui lugent, et miseros qui rident. Quocirca beatitudines hinc exorsus est (20) dicens : « Beati qui lugent [4]. » Si vis ergo hos gradus ascendere, quod est in vita molle enervatumque et dissolutum reseca : et laboriosa vivendi ratione teipsum astringe et contine : a terrenis negotiis abstine. Hic est primus ascensus. Non potest enim fieri, non potest, ut simul et scalam conscendas, et in terra hæreas.

[1] 2 Tim. III, 12. — [2] Act. XIV, 21. — [3] 4 Reg. IV, 27. — [4] Matth. V, 5.

II. Vides quanta sit cœli altitudo : nosti brevitatem temporis : scis quam sit mors incerta. Ne cunctéris ergo, nec differas, sed hanc peregrinationem magna vi aggredere, ut uno die duos, tres, decem et viginti gradus conscendas. « Domine, libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua » dolosa [1]. » Vide hic quoque lucere præceptum illud evangelicum, « Orate ne intretis in tentationem [2]. » Nulla enim est, o dilecte, gravior tentatio, quam in dolosum hominem incidere : is quippe est vel quavis fera truculentior. Ea enim id quod est, esse cernitur : hic autem, obtento velo mansuetudinis et probitatis, sæpe virus occultat, ut nec facile possint deprehendi insidiæ, et in baratrum, nulla adhibita cautione, incidatur. Quapropter ubique a Deo hoc assidue postulat, ut liberetur a talibus insidiatoribus. Si autem fugiendi sunt frudulenti et malitiosi, multo magis deceptores, et qui mala dogmata proferunt. Maxime autem iniqua ea labia esse dixeris, quæ in virtute lædunt, et ad vitium abducunt. Et ideo hic Propheta rogat ut liberetur ipsius anima : eo enim tela dirigit. « Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam » dolosam [3] ? » Alius interpres ait : « Quid præbebit tibi, » aut quid adjiciet lingua dolosa ? » Alius autem, « Quid » dederit tibi, et quid tibi adjecerit lingua secundum do- » lum ? » Nihil ergo aliud ostendit quod dictum est, nisi hoc, magnam esse improbitatem, et tetrum genus vitii. Quocirca vides etiam Prophetam irascentem, commotumque, et dicentem : « Quid detur tibi, aut quid appo- » natur tibi ad linguam dolosam ? » Quod autem dicit est ejusmodi ? Quodnam hoc vitio dignum inveniatur supplicium ? Quod etiam Judæis dicebat Esaïas : « Quid adhuc » percutiamini adjicientes iniquitatem [4] ? » Hoc etiam ipse

[1] Psal. CXIX, 2. — [2] Luc. XXII, 46. — [3] Psal. CXIX, 3. — [4] Isaï 1, 5.

dicit : « Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad lin-»guam dolosam? » Vel hoc ergo dicit, vel etiam hoc ipsum esse supplicium, et ante vindictam tibi vindictam exquiris, ex teipso vitium parieus. Maximum enim supplicium animæ est vitium, etiam antequam puniatur. Quodnam ergo supplicium fuerit tali vitio dignum? Hic quidem nullum, sed plaga quæ a Deo infertur. Homo enim non poterit dignas pœnas sumere. Nam omnem cruciatum superat improbitas. Deus autem illi plagam infliget. Et ideo hoc ipsum ostendens, mox subjunxit : « Sagittæ po-»tentis acutæ cum carbonibus desolatoriis [1]. » Sagittas hic rursus appellat supplicia. Alius autem interpres dixit : « Sagittæ potentis acutæ sunt cum carbonibus aggestis. » Et alius, « Cum carbonibus juniperinis, » nominum translatione augens metum supplicii. Nam et illud, « Aggestis, » et hoc, « Juniperinis, » eumdem habet sensum. Illic enim ostendit multitudinem, hic autem qualitatem et vehementiam supplicii. Quod quidem Septuaginta quoque significantes, « Cum carbonibus desolatoriis, ediderunt, hoc est, qui vastant, perdunt, et consumunt. Ex materiis enim quæ sunt apud nos terribiles, Dei ultionem effingunt Scripturæ, sagittas et ignem ea vocantes. Hic autem mihi videtur subindicare barbaros. Et ideo alius quoque interpres hoc significans, dicebat : « Libera animam meam a »labio mendaci. » Talia enim sunt eorum verba, tales doli et tales insidiæ, plena omnia fraude et maximo scelere, « Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est. Ha-»bitavi cum tabernaculis Cedar [2]. » Alius interpres ait : « Hei mihi quia incolatum protraxi. » Alius, « Hei mihi, »advena fui longo tempore. » Hi quidem hoc modo lamentantur de captivitate babylonica : Paulus autem de ea, quæ hic longius trahitur, mora dicens : « Etenim dum

[1] Psal. cxix, 4. — [2] Ibid. 5.

» sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati [1]. » Et, « Non autem id solum, sed etiam habentes ipsi primitias » spiritus, et ipsi in nobis ipsis ingemiscimus [2]. » Est enim præsens vita incolatus. Et quid dico incolatum, cum res sit vel incolatu inferior? Unde Christus etiam ipsam vocavit viam, dicens? « Angusta est porta, et arcta via quæ » ducit ad vitam [3]. » Hoc enim est doctrina optima atque adeo prima, scire nos esse inquilinos in vita præsenti. Quocirca veteres quoque id confitebantur : et ideo habiti sunt in maxima admiratione. Hoc etiam Paulus significans scribendo dicebat : « Propter hanc causam non erubescit » eos Deus, Deus eorum vocari [4]. » Quamnam causam dic mihi? Quia confessi sunt se esse hospites et peregrinos. Hoc est radix et fundamentum omnis virtutis. Qui enim rerum, quæ hic sunt, est hospes, erit rerum supernarum civis. Qui eorum, quæ hic sunt, est hospes, non lubenter versabitur in præsentibus : non domus, non pecuniæ, non alimenti, nec alius ejusmodi curam geret : sed quemadmodum qui in aliena regione versantur, nihil non agunt et moliuntur ut patriæ suæ restituantur, et quotidie urgent et festinant, ut eam, quæ eos tulit, videant : ita etiam qui amore futurorum tenetur, nec rebus præsentibus adversis animum demittet, nec secundis se efferet, sed utraque prætercurret, tanquam qui iter agit. Quocirca jubemur etiam dicere in oratione : « Adveniat regnum tuum [5], » ut illius diei desiderium et cupiditatem animo nostro versantes, et ipsum præ oculis habentes, ne videamus quidem præsentia. Si enim Judæi Jerosolyma desiderantes, etiam postquam liberati sunt, deflent præterita, quænam dabitur nobis venia? quænam relinquetur defensio, si non supernæ Jerusalem teneamur vehementi desiderio?

[1] 2 Cor. v, 4. — [2] Rom. VIII, 23. — [3] Matth. VII, 14. — [4] Hebr. XI, 16. — [5] Matth. VI, 10, et Luc. XI, 2.

III. Vide ergo quomodo hi quoque lamentantur, quod cum illis versentur, « Habitavi, dicentes, cum taberna» culis Cedar : multum incola fuit anima mea [1]. » Hic enim non solum deflent, quod in aliena habitent, sed etiam quod cum barbaris versentur. Quod quidem alii quoque faciebant Prophetæ de præsenti vita lamentantes, et dicentes : « Hei mihi quia periit pius a terra, et qui » recte agat non est in hominibus [2]; » et etiam hic ipse dicens : « Serva me, Domine, quoniam defecit Sanctus [3]. » Neque enim hæc vita est eo tantum laboriosa, quod plurimam habeat vanitatem, et curas importunas, sed quod etiam multus sit malorum proventus. Nihil est autem gravius et molestius, quam cum hujusmodi hominibus congressio. Neque enim fumus et vapor ita solet gravare oculos, ut improborum consuetudo animum tristitia afficit. Non vides Dominum quoque nostrum Jesum Christum ostendere quam sit molesta ejusmodi consuetudo? Quando enim dicit : « Quousque ero vobiscum? Quousque feram » vos [4]? » id dicit, hoc obscure significans, « Habitavi cum » tabernaculis Cedar. » Barbarum genus est illud efferatius, cum subditis instar ferarum agere, ut qui tentoriis et tuguriis utantur, et ad immanitatem ferarum sint redacti. Sed his multo sunt efferatiores raptores, avari, et qui impudice ac libidinose et in deliciis vitam transigunt. « Mul» tum incola fuit anima mea. » Atqui non multum. Fuerunt enim solum septuaginta anni. Sed non appellat multum propter multitudinem, sed propter rerum difficultatem. Etsi enim sit exiguum, videtur esse multum iis, qui affliguntur. Ita etiam nos oportet affici, et quamvis hic paucis annis vixerimus, eos tamen multos esse putare propter futurorum desiderium. Hæc dico non vitam præ-

[1] Psal. CXIX, 6. — [2] Mich. VII, 2. — [3] Psal. XI, 1. — [4] Matth. XVII, 16.

sentem accusans; absit : ea est enim opus Dei : sed ad futurorum amorem vos excitans et incitans, et ne in rebus præsentibus lubenter versemini, nec corpori affixi sitis : nec ita afficiamini, ut nonnulli e vulgo abjecti animi, qui etsi per multos annos vixerint, eos paucos esse dicunt. Quibus quid esse potest a ratione alienius? Quid vero crassius iis qui, cœlo proposito, et iis bonis quæ sunt in cœlis, « Quæ nec oculus vidit, nec auris audivit [1], » ore hiante umbras stupent, et volunt vitæ præsentis Euripum trajicere, in perpetuis fluctibus, tempestatibus et naufragiis volutati? At non sic Paulus : sed festinabat et urgebat, et unum solum eum retinebat [2], nempe salus hominum. « Cum his qui oderunt pacem eram pacificus : cum » loquebar illis, impugnabant me gratis [3]. » Vidisti quomodo ostendit quam grave sit illic versari? Non enim dixit : « Cum iis qui non habent pacem, » sed, « Cum iis qui » odio habent pacem, eram pacificus. » Vidisti commodum afflictionis? vidisti fructum captivitatis? Sed nunc quis nostrum hoc poterit dicere? Satis enim fuerit, si cum pacificis simus pacifici. Hic autem etiam cum iis qui pacem oderant erat pacificus. Quomodo ergo nos quoque in hac re recte geremus? Si tanquam inquilini hic versemur, rursus enim deduco orationem ad ipsum argumentum; si ut hospites, si nullo eorum quæ sunt præsentia retardati. Nihil enim æque pugnæ et belli causa est, ut amor præsentium, ut vel gloriæ, vel pecuniæ, vel deliciarum cupiditas. Quando vero hos omnes funes præcideris, et animam nullo horum retineri permiseris, tunc videbis undenam bellum ducat principium, et undenam sit virtutis jaciendum fundamentum. Propterea jubet etiam nos Christus oves esse inter lupos [4] : ne dicas : « Hæc et illa passus

[1] 1 Cor. II, 9. — [2] Philip. I, 27. — [3] Psal. CXIX, 7. — [4] Matth. X, 16.

sum, ideo evasi sævus et efferatus. » Etiamsi, inquit, passus fueris innumerabilia, mane ovis, et ita lupos superabis. Hic est improbus et profligatus, sed habes tantas vires, ut vel malis superior evadas. Quid est ove mansuetius? quid vero lupo agrestius? ille tamen ab hac superabitur : idque ostensum est in Apostolis. Nihil est enim mansuetudine potentius, nihil lenitate validius ac firmius. Quocirca Christus quoque jubet oves esse inter lupos. Deinde postquam sic dixit, tanquam non sufficeret hæc mansuetudo, ovis, inquam, ei quem vult se ostendere discipulum, aliquid aliud adjicit : « Estote, inquit, simplices sicut co» lumbæ [1], » duorum mansuetorum et simplicium animalium miscens mansuetudinem : tantam a nobis exigit lenitatem, quando inter sævos et agrestes versamur. Ne enim dixeris : « Est improbus, nec ferre possum. » Tunc enim maxime ostendenda est mansuetudo, quando res nobis fuerit cum sævis et agrestibus hominibus, quando cum iis qui sunt ab humanitate alieni : tunc ejus virtus ostenditur, tunc ejus munus et officium fructusque refulget. « Cum » loquebar illis, impugnabant me gratis. » Alius autem interpres dicit : « Et quando loquebar ipsis, bellabant, » vel hoc significans, « Cum iis qui oderant pacem, eram » pacificus : » vel, quando ipsis loquebar, ipsi me oppugnabant. » Quod autem dicit, tale est : « In ipso tempore colloquii, quando maxime, inquit, charitatem ostendebam, quando verba imprimis amica emittebam, tunc efferabantur, tunc dolos struebant et nihil eos coërcebat : ego tamen propriam ostendebam virtutem, licet ii ita affecti essent. Ita etiam nos oportet affici, nempe licet nos illorum amantes ab illis feriamur, licet nobis illi insidientur, nos nostra exhibere oportet, illius parabolæ memores, quæ jubet nos esse tanquam oves et columbas in medio lupo-

[1] Matth. x, 16.

rum, ut et illos meliores reddamus, et ipsi bona cœlestia consequamur. Quæ detur nobis omnibus consequi gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXX.

Canticum graduum. *Alius*, Cantus in ascensiones.

Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium meum [1]. *Alius*, Levo oculos meos in montes, unde veniet auxilium meum.

I. Vide animam, quæ malis implicata nequit se expedire, et invenire exitum, et vult assequi solatium ad Deum respiciens. Hæc rursus tentationum sunt bona, quæ illam erigunt et excitant, et ad supernum auxilium invocandum movent, atque ab omnibus, quæ ad hanc vitam pertinent, abducunt. Si enim Judæi, qui crassi erant, et terræ affixi, ab afflictione captivitatis adeo boni evadebant, et ad cœlum ita respiciebant : multo justius est ut nos hoc faciamus in nostris calamitatibus, et ad Deum confugiamus, a quibus longe major quam ab illis perfectio requiritur. Quia enim illi tunc erant in mediis hostibus, et neque civitatem habebant, nec arcem, nec humanum auxilium, nec pecuniam, neque aliquid aliud ejusmodi, sed captivi et servi versabantur simul inter dominos et hostes. Calamitatum

[1] Psal. cxx, 1.

autem magnitudine oppressi, ad invictam manum confugiebant, et ab humanis deserti præsidiis, ex ea ipsa desertione conferebant se ad philosophiam. Et ideo dicebant : « Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxi» lium meum. » Quæ ab hominibus conferri possunt, omnia defecerunt, omnia perierunt, omnia procul recesserunt : una, inquit, salus deinceps relicta est, quæ scilicet affertur a Deo. « Auxilium meum a Domino, qui fecit cœ» lum et terram [1]. » Vidisti eos Deum ubique quærere : ex terra, ex cœlo, ex montibus, ex solitudinibus eum ubique sibi ob oculos ponere? Vidisti eorum mentem fieri excelsiorem, et summam Dei providentiam ab eis ubique prædicari? Neque enim nequicquam hoc adjecit : « Qui fecit » cœlum et terram, » sed hoc obscure ratiocinans, et dicens : « Si fecit cœlum et terram, potest etiam in aliena regione opem ferre, et ubique, etiam in barbara terra manum adjutricem præbere, et eos, qui e patria expulsi sunt, conservare. » Si enim hæc elementa verbo solum produxit, multo magis nos poterit liberare a barbaris. Vides quomodo philosophantur qui minori sensu erant præditi quam lapides, dum in aliena regione versantur : non amplius enim templi, sed cœli et terræ meminerunt. Vide quomodo mundi creationem, Deique sapientiam et providentiam prædicant? « Qui enim antea ligno dicebant : « Deus meus es tu, » et lapidi : « Tu me genuisti [2]; » nunc universi orbis terræ Opificem agnoscunt. « Auxilium meum » a Domino, » non ab hominibus, nec ab equis, non a pecuniis, nec a sociis, nec a propugnaculis. Auxilium nostrum a Domino; hoc auxilium est invictum et inexpugnabile : non solum autem inexpugnabile, sed etiam expeditum et facile. Neque enim longe est proficiscendum, non est blandiendum janitoribus, non sunt consumendæ pecu-

[1] Psal. cxx, 2. — [2] Jer. II, 27.

niæ, non legationes mittendæ, sed potest quis domi manens hoc ad se auxilium attrahere, si tantum seipsum sejungens a rebus humanis, illi spei adhæreat, acresque et perspicaces oculos habeat, et alta respiciat. Propterea enim hoc solum animal Deus rectum creavit, et oculos corporis illi in alto locavit, docens etiam a rebus sensilibus oportere in altum respicere. Solum enim hoc animal est ita formatum : reliqua autem animalia prona sunt, et terram deorsum despiciunt. Hic autem in cœlum est erectus, ut quæ illic sunt consideret, in illis philosophetur, illa apprehendat et oculos animæ acres habeat. Quocirca dicebat quoque quidam Sapiens : « Sapientis oculi in capite ejus [1], » hoc est, liberatus est ab omnibus infimis rebus, per cœlum vagatur, et contemplatur sublimia. « Non des in commo- » tionem pedem tuum, neque dormitabit, qui custodit » te [2]. » Vides quantam a nobis exigit diligentiam id quod dicitur? Quia enim auxilii meminerunt, et supernam opem invocant, adhortatur et consulit, hoc propemodum dicens : « Si velis eam assequi, quæ tua quoque sunt conferas. » Quid est autem quod consulit? Audi : « Non des in commotio- » nem pedum tuum : » hoc est, « Ne dejiciaris, ne prolabaris, et tunc habebis Deum manum præbentem, nec te derelinquentem, nec demittentem. A nobis itaque sunt principia, et id situm est in nostra potestate. Cum ergo id in nostra potestate sit, quando volumus aliquid assequi, oportet nos quoque nostra conferre; ita enim vult Deus : quæ sunt parva quidem et vilia, ea tamen nos oportet conferre, non otiosos, nec dormitantes, non stertentes, nec supinos, sed operantes, et studium adhibentes ad salutem nostram. Et ideo undecima quoque hora conduxit [3]. Tametsi quidnam tanti momenti erant hora undecima facturi? Id scilicet, ut operatio esset eis occasio et causa coronarum. Et ideo di-

[1] Eccl. II, 14. — [2] Psal. CXX, 3. — [3] Matth. XX, 6.

cit : « Non des in commotionem pedem tuum, neque » dormitabit qui custodit te. » Si tua præbueris, quæ sunt illius quoque sequentur. Ex hoc id quoque ostenditur, quod etiamsi nostra afferamus, sic tamen ejus quoque egemus auxilio, ut in tuto simus, ut maneamus firmi et immobiles.

II. Quis est autem qui pedem dat in commotionem? Qui res fluxas et caducas aggreditur, et quarum basis minime firma est, cujusmodi est amor pecuniæ, cujusmodi est desiderium earum rerum, quæ ad hanc vitam pertinent: et ideo frequenter subvertuntur et decidunt, et de rebus maximis periculum sæpe creant sibi, qui illa possident. Illa enim nunquam sunt firma ac stabilia, nunquam sunt immobilia, sed semper mutantur, transferuntur, et magis quam fluctus perturbantur, quam fluviales undæ citius transeunt, ac quavis arena imbecilliora sunt, et magis perfluunt. « Ecce non dormitabit, neque dormiet qui custodit » Israël [1]. » Si te, inquit, ita comparaveris, « Non dormita- » bit, neque dormiet, » hoc est, « Non derelinquet, non sinet, non dimittet nudum et desertum : » hoc autem volens subindicare, non abs re posuit illud, « Qui custodit Israël. » Hoc est autem quod dicit : « Si hoc est ejus perpetuum munus, ut tot retro ante actis sæculis, et a tuis majoribus te in tuto collocet, a suo non discedet officio, et id quod consuevit facere non deseret, nisi tu dederis in commotionem pedem tuum. Neque vero solum non deseret, sed te etiam cum magna securitate defendet. » Et ideo subjungit dicens : « Dominus custodiet te, Dominus protectio tua su- » per manum dexteram tuam [2]. » Alius autem ait : « Ad ma- » num dexteram tuam. » Erit, inquit, defensor tuus, adjutor, auxiliator. Vides quomodo hic quoque te vult in opere exerceri? A metaphora autem eorum, qui stant in acie,

[1] Psal. cxx, 4. — [2] Ibid. 5.

stabit ad manum tuam dexteram, ut sis inexpugnabilis, ut gravis ac strenuus, ut valens et potens, ut tropæum erigas, ut referas victoriam, quoniam illa est maxime, per quam omnia agimus. Non solum tibi assistet, et tibi opem feret, sed etiam proteget. Iterum dico, per ea quæ sunt apud nos, Dei auxilium exprimit: et omnibus numeris absolutam custodiam, et maxime propinquum auxilium, per dexteram et protectionem ostendit. « Per diem sol non uret te, ne- » que luna per noctem [1]. » Et hoc factum est quando egressi sunt ex Ægypto, et degebant in solitudine. Hic autem dicit magnam securitatem. Est autem verisimile eos etiam, cum tunc redirent, ejusmodi aliquod miraculum fuisse consecutos aliquo alio modo. » Volens ergo large et copiose ostendere ejus providentiam, quod non solum liberet a malis, imo ne ea quidem sinat perpeti, quæ solent accidere hominibus, hoc subjunxit. Est enim ejus auxilii et effusa suppeditatio, et quæ verbis exprimi non potest benignitas, quæ non pro modo nostræ necessitatis suum præbet auxilium, sed remunerationibus nostra quoque postulata superat. « Dominus custodiet te ab omni malo : custodiet ani- » mam tuam Dominus [2]. » Qui enim ne hæc quidem parva sinit tibi afferre molestiam, sed eo usque extendit suam curam, et providentiam, multo magis efficiet ut ab aliis expugnari nequeas. Quidquid enim invadit molesti et asperi, cedit Dei nutui : quæ quidem non insunt in hominibus. Nam etsi sæpe ab hoc malo liberaverit, ab alio non potuit : vel si potuit, certe noluit. Verum Dei manus valida et omnipotens, quodcumque invaserit, profligare poterit, et te liberare ab omnibus. « Dominus custodiet in- » troitum tuum, et exitum tuum [3]. » Alius interpres dicit : « Accessum tuum. » Vidisti ejus perpetuum auxilium ubique adesse, introeunti et exeunti? Quid potest cum hac

[1] Psal. cxx, 6. — [2] Ibid. 7. — [3] Ibid. 8.

charitate conferri? Quid cum hac clementia? Hic quidem certe omnem vitam significat. In his enim vita universa consistit, nempe in ingressu et exitu. Et ut id apertius significet, subjunxit: « Ex hoc nunc et usque in sæculum [1]. » Non uno, inquit, aut duobus, aut tribus, aut decem, aut viginti, aut centum diebus, sed perpetuo : quod quidem non inest hominibus; sed multæ sunt mutationes, frequentes casus, et continuæ vicissitudines: qui hodie amicus, cras inimicus est : qui hodie fert opem, cras te deserit. Sæpe autem non solum deserit, sed etiam oppugnat, et insidiatur quovis hoste gravius: sed quæ Dei sunt, manent immobilia, perpetua, immortalia, stabilia, fine carentia. Ut ea ergo assequamur, nostra quoque afferamus, ut magna securitate fruamur, et bona futura adipiscamur in Christo Jesu Domino nostro : cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXXI.

Lætatus sum in iis, qui dixerunt mihi :
In domum Domini ibimus [2].

I. At nunc multi verbum ægre ferunt : et si quis ad circum, vel ad theatra iniquitatis ascendens vocaverit, multi concurrunt : sed si ad domum orationis, pauci sunt, qui non cunctentur. At non sic Judæi : quo quid possit esse gravius, quando illis negligentiores cernuntur Christiani ?

[1] Psal. cxx, 8. — [2] Id. cxxi, 1.

Undenam autem factum est, ut ii essent tales? Rursus dico, « A captivitate facti sunt meliores. » Hinc ii, qui antea nauseabant, et templum quidem, divinorumque eloquiorum auditionem dimittebant, seipsos autem montibus, saltibus, collibus, et plurimæ impietati dedebant, ab illius cultus desiderio cessarunt, et ad hanc promissionem incenduntur, eriguntur, consistunt, et animo lætantur. Quoniam enim fame et siti laboraverant, « Non fame panis, et » siti aquæ, sed audiendi verbi Domini [1] : » hoc supplicio castigati, cum majori desiderio ea requirunt a quibus exciderant. Ita etiam vel ipsum solum amplectabantur, dicentes : « Placuerunt servis tuis lapides ejus, et terræ ejus » miserebuntur [2]. » Et rursus, « Quando veniam et apparebo » ante faciem Dei [3] ? » Et rursus, « Recordabor tui de terra » Jordanis et Hermoniim, a monte modico [4]. » Et rursus, « Hæc memini, et effudi super me animam meam [5]. » Quidnam autem, dic mihi, meministi ? « Quoniam transibo in » locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei [6]. » Hoc est, « Quia transibo ad choreas ac magnos conventus, et illum Dei cultum ac ceremonias. « Stantes erant pedes » nostri in atriis tuis Jerusalem [7]. » Alius, « Lætatus sum cum » dicerent mihi : In domum Domini venimus. Steterunt » pedes nostri in atriis tuis Jerusalem. » Vidisti insignem voluptatem ? perinde ac si rebus ipsis fruerentur, vel ad ipsa verba gaudebant, magno desiderio amplectentes orationis domum et civitatem. Ita Deus semper facere consuevit. Quando enim bona habentes non sentimus, ejicit ea e nostris manibus, ut id quod afficere non potuit usus fructus, efficiat privatio : quod ipsis etiam evenit amplectentibus civitatem, atque templum, quod patriam recepissent magnas gratias agentibus. « Jerusalem, quæ ædificatur

[1] Amos VII, 11. — [2] Psal. CI, 15. — [3] Id. XLI, 2. — [4] Ibid. 7. — [5] Ibid. 5. — [6] Ibid. — [7] Id. CXXI, 2.

» ut civitas [1]. » Alius, « Edificatam ut civitatem. » Vel ergo ex Septuaginta sententia hoc sibi vult ; « Edificabitur Jeru- » salem ut civitas : » quo significatur tempus quod præcessit ædificationem : vel, ut vult alius interpres. « Recepimus » Jerusalem ædificatam ut civitatem, » quæ significant ea, quæ post captivitatem acciderunt. Quia enim tunc erat maxima solitudo civitatis, eratque tunc eversa ; dirutis turribus, et disjectis mœnibus, et veteris patriæ solum manebant reliquiæ, cum reversi essent et vidissent solitudinem, antiquam prosperitatem revocant in memoriam, et ejus narrant encomia, referentes, quomodo ea prius clara et illustris, quæ habebat ecclesiam, principes, reges, et pontifices, eratque pulcherrima et longe ornatissima, ad tam turpem et deformem speciem redacta sit. Quod autem ita sit, audi quæ sequuntur : « Jerusalem, quæ ædifica- » tur ut civitas. » Tunc enim nondum erat civitas. Clarum est autem etiam ex eo quod subjungit : « Cujus participatio » ejus in idipsum [2]. » Dicit enim ejus frequentia et tuta ædificia, nihilque in ea fuisse desertum, sed omni ex parte densam, perfectam, et populosam fuisse ante captivitatem. Et ideo quidam interpres dicit hoc significans : « Conjunc- » tionem habens. » Deinde post illud, aliud quoque dicit ejus encomium. « Illuc enim ascenderunt tribus, tribus » Domini, testimonium Israël ad confitendum nomini Do- » mini [3]. » Hoc enim maxime ornabatur civitas, non tam propter magnitudinem et ædificia, quam quod omnes illic congregabantur, seu senatus haberetur, seu concio, seu de re aliqua deliberaretur. Quoniam enim illic erat templum, et omnes illic peragebantur ritus ac ceremoniæ ; illic erant sacerdotes, et Levitæ, regia, adyta, vestibula, sacrificia, et altare, festa, celebresque conventus, preces et conciones, et ut semel dicam, illic consistebat tota forma

[1] Psal. cxxi, 3. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 4.

reipublicæ, oportebat illic tribus maxime ter in anno colligi, in festis publicis et solemnibus, in Paschate, Pentecoste, et Scenopegia, seu festo tabernaculorum. Neque enim licebat alibi. Ad ejus ergo encomium dicit : « Illuc » enim ascenderunt tribus. » Et alius, « Illuc ascenderunt » sceptra. » Non dixit autem solummodo tribus, sed « Tribus » Domini. » Omnes tribus erant Domini, nec tamen eis ideo licebat hæc in sua patria peragere, sed eo honore affecta erat metropolis, quæ omnes cogebat et attrahebat ad seipsam.

II. Hoc autem fiebat, ut id eis esset causa Dei cognitionis, ne si quoquoversus vagarentur, occasio sumeretur viaque muniretur ad cultum simulacrorum. Et ideo illic sacrificare, illic orare, illic convenire, diesque festos jussit peragere, loci angustiis aberrantem eorum mentem, et ad impietatem tendentem, coërcens, refrenans et reprimens. Quod quidem ipse quoque significans, dicebat : « Tribus » Domini, testimonium Israël : » Quid est, « Testimonium » Israël? » Testimonium maximum, argumentum, probatio Dei providentiæ, ut nulla ipsis relinquatur excusatio si desciscant, si resiliant, et ad simulacra confugiant. Ejus enim providentiæ, potentiæ, sapientiæ hoc erat argumentum maximum. Illic enim legebatur lex quæ rerum olim præclare gestarum et historiæ continebat narrationem. Illic etiam ad charitatem constringebantur, dum inter se haberent consuetudinem. Quæ enim celebrabantur festa, ut inter se congrederentur causa erant, ac major metus, vivida pietas, et alia bona innumera ex eo proficiscebantur, quod simul in civitate convenirent. « Ad confitendum no- » mini Domini. » Hoc est, ad gratias agendas, ad colendum, orandum, offerendum, sacrificandum, quæ ipsos ducebant ad pietatem, et eorum religionis disciplinam tutiorem efficiebant. « Quia illic sederunt sedes in judicium, sedes super

» domum David[1]. » Ecce dicit etiam aliam civitatis excellentiam. Quænam ea est? quod illic sit regia. Hoc enim sibi vult illud, « Quoniam illic sederunt sedes in judicium, » sedes super domum David. » Alius, « Domus David. » Illic enim duplex erat principatus, sacerdotum et regum quasi vinculo conjunctus, cum veluti quadam duplici corona et diademate ornaretur civitas per hæc omnia. Illic judices, ad quos quæ multorum captum superabant referebantur. Si qua enim lata esset sententia in aliis civitatibus, de qua dubitaretur, ut evenit in appellationibus, ad judicum, qui erant Jerosolymis, cognitionem sententiam referebant: illic autem accipiebatur solutio. Sed erant quidem antiqua hujusmodi: hodierna vero, sunt his multo graviora: est enim summa solitudo, ruina, eversio, conflagratio, paucæ domorum reliquiæ, tristis et miserabilis species, et quæ solum habet monimentum, et obscura quædam vestigia prioris felicitatis. Quocirca non concludit orationem rebus miseris et tristibus, sed ad lætiorem spem eos reducit, dicens: « Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem[2]. » Quid est, « Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem? » Pro eo quod est, « Petite et postulate. » Alius autem dicit: « Amplectimini, » aut, « Salutate Jerusalem. » Hoc est, « Rogate ut ea redeat in pristinam prosperitatem, ut liberetur a bellis frequentibus, ut deinceps securitate fruatur. » Vel hoc ergo dicit, vel prædicit: « Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem. » Hoc est, « Pax ei succedet. « Et abundantia diligentibus te[3]. » Alius, « Quiescent. » Alius, « Prospere agant qui te diligunt. » Illic est magna copia prosperitatis, quando non in ea solum bona consistunt, sed etiam qui eam diligunt, iis fruuntur. Quod quidem in prioribus temporibus secus fiebat. Qui eam enim odio habebant, et oppugnabant, ii plurimum poterant, et erant aliis clariores, et cum facilitate

[1] Psal. cxxi, 5. — [2] Ibid. 6. — [3] Ibid.

tropæa erigebant. « At nunc ii, qui te diligunt, in magna erunt securitate. Qui tecum, inquit, iisdem tenentur munimentis. » Eos autem dicit, qui vel erant eorum fauturi partibus, vel etiam ipsos cives. « Fiat pax in virtute tua[1]. » Alius dicit : « In propugnaculo tuo. » Alius, « In ambitu tuo. » Quid est, « In virtute tua ? » In substantia tua, in iis, qui in te habitant, in prosperitate tua. Quoniam enim bellum res est exitiosa, idque eam perdidit, ei pacem precatur. « Et » abundantia in turribus tuis[2]. » Alius dicit : « In regiis tuis. » Alius : « Jucunditas. » Alius, « Quies. » Non solum enim prædicit futuram a malis liberationem, sed etiam innumerabilium bonorum accessionem, pacem, abundantiam, fertilitatem. Quid enim juvat pax, quando in paupertate, fame et mendicitate vivunt ? Quid autem juvat abundantia, quando bellum ingruit ? Et ideo eis utraque hæc bona fore prædicit, ut eis adsit abundantia, et per pacem ea secure fruantur. « Propter fratres meos et proximos meos[3]. » Vel vicinos dicit, qui eorum casu lætati fuerunt, et optat ut fiat pax, ut illi quoque deprimantur, et cognoscant Dei potentiam : vel fratres eos dicit, qui civitatem inhabitant. Propter fratres ergo meos et proximos meos rogo ut fiat pax, ut vel tandem respirent, postquam calamitatibus facti sunt meliores. « Loquebar pacem de te. Propter domum » Domini Dei nostri, quæsivi bona tibi[4]. » Alius dicit : « Lo- » quar pacem in te. » Quoniam dixit : « Propter fratres meos » et proximos meos, » ostendens se hoc non precari propter illorum meritum, sed ut illos majori beneficio afficeret, subjunxit : « Propter domum Dei nostri. » Hoc est, propter gloriam ejus opto pacem, ut ejus cultus rursus redeat, et doctrina augeatur. Alii enim tempore captivitatis nati sunt, alii vero fuerunt testes et descensus et reditus. Dei autem cultu peracto, hæc omnia discebant a senioribus, illam

[1] Psal. cxxi, 7. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 8. — [4] Ibid. 9.

olim eorum felicitatem, quod cum tot rebus secundis uterentur, iis exciderint. Vides quomodo eorum reprimit arrogantiam, ne existiment se bona recepisse, ut qui satis pœnarum dederint, sed sciant se propter Dei gloriam in suam patriam reversos esse; et cum id didicerint, maneant in summa securitate, ne peccantes eadem rursus experiantur? Hæc ergo nos quoque cum sciamus, maxime quidem operam adhibeamus ne labamur: sed si in peccata quandoque inciderimus, studeamus celeriter resurgere, et non in priora recidere, ne ea audiamus quæ fuerunt dicta paralytico: « Ecce sanus factus es, noli amplius peccare, ne » quid deterius tibi contingat [1]. » Propterea enim sic dixit, et bonos docens ut virtutem secure conservent, et qui liberantur a peccatis, in optima mutatione maneant, ut omnes communiter bona cœlestia consequantur. Quibus detur nobis omnibus frui gratia, et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et potentia in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXXII.

Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlo [2].

I. Vides ubique effulgens captivitatis lucrum. Nam qui sæcularibus erant rebus affixi, et Assyriis Ægyptiisque fidebant, nec non murorum ambitui et pecuniarum copiæ,

[1] Joan. v, 14. — [2] Psal. CXXII, 1.

ab illis omnibus sese avellentes, ad invictam manum confugiunt, ab illa spe pendent; atque excelsa instructi mente, a terrenis avulsi, nec templum pro more adire valentes, quod destructum fuerat, a cœlo Deum tandem invocant. In cœlo autem habitare dicitur, non quasi loco circumscriptus sit, absit: ipse quippe omnia implet; sed quasi in cœlestibus illis Potestatibus quiescat et maneat; nam dicitur etiam in hominibus habitare: « Inhabitabo enim in » illis et inambulabo [1]. » Cum igitur in Barbarorum regione degerent, non mediocri doctrina imbuti sunt; eo quod scilicet a vitæ commodis omnibus sequestrati essent, discerentque ubique Deum, si invocetur, facile precibus annuere. Quia enim futurum erat, ut novi vitæ instituti radius demum oriretur; incipit Propheta quæ futura erant attingere; locorum observationem sensim et quasi per ænigma solvens tollensque. « Ecce sicut oculi servorum in ma- » nibus dominorum suorum; sicut oculi ancillæ in manibus » dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nos- » trum, donec misereatur nostri [2]. » Hic etiam vide pietatem vigentem et firmam: non enim ad breve solum tempus sperant, sed diutius affixi et anhelantes. Ideoque exemplum in medium attulerunt; hoc ipsum subindicantes, non aliunde sibi spem adesse auxilii et suppetiarum, seque nihil aliud spectare: quandoquidem ancilla et servus hoc unum habent subsidium, quo victum et vestitum cæteraque necessaria comparent, ut ad heros suos respiciant. Neque recedunt, sed expectant donec acceperint: et cum receperint gratias habent: illudque ipsum assidue faciunt. Ut hoc igitur ostendat, ipsos scilicet ad eum respicere, idque assidue præstare, nullam aliam spem habere, sed hujus præsidii expectationi defixos esse, utpote quorum omnia bona illius sint, ancillam et servos commemoravit.

[1] 2 Cor. VI, 16. — [2] Psal. CXXII, 2.

Vide quo pacto illi, qui prius invitabantur ut ad Deum currerent, et cum nausea et fastidio hæc audiebant, jam calamitate meliores evaserint; ita ut ab illo absistere nolint, sed maneant, serviant, postulentque donec misereatur ipsorum. Non dixit: « Donec mercedem reddat, donec præmium retribuat, » sed « Donec misereatur. » Tu igitur, o homo, assidue permane, sive recipias, sive non recipias: etiamsi non recipias, ne recedas, et prorsus accipies. Nam si principem illum crudelem viduæ assiduitas inflexit, quam veniam assequaris tu, qui tam cito resilis, torpes, et deficis. Non vides quomodo ancillæ a matronis pendent, dum nec mentem, nec oculum alio vagari sinunt? Sic tu facito. Sequere Deum solum, aliisque omnibus dimissis, ex numero servorum ejus esto, et quæcumque tibi utilia petieris, impetrabis. « Miserere nostri, Domine, miserere nostri, quia » multum repleti sumus despectione. Multum repleta est » anima nostra [1]. » Vidisti contritum animum? Ex misericordia salutem consequi rogant; imo nec ex misericordia, quasi eam mereantur: sed quia magnas dedere pœnas, ut ait Daniel: « Pauci facti sumus præ omnibus gentibus quæ » sunt super terram [2]. » Idipsum illi dicunt in precatione sua. « Extremam passi sumus miseriam, patria et libertate excidimus: barbarorum servi, in opprobriis diu versamur, fame, inedia et siti consumpti; consputi, conculcati omne tempus transegimus. Ideo parce et miserere nobis. » Quid autem sibi vult, « Multum repleta est anima nostra? » Ipsa, inquit, anima nostra soluta est, tabefacta magnitudine malorum. Multos videre est qui dire vexati fortiter ferunt. « At nos, inquiunt, hoc perdidimus: ægre ferimus afflicti, frangimur. » Quia enim honoribus non ut par erat usi fuerant, contrariis eos rebus castigat Deus, quod ubique facientem illum videre possumus. Sic et Adamum quia para-

[1] Psal. cxxii, 3, 4. — [2] Dan. iii, 37.

disi habitatione non recte usus erat, ejectione correxit, et uxorem, quæ ex honoris æqualitate pejor evaserat, servitute et subjectione meliorem fecit. Ipsos quoque Judæos, libertate et diuturna domi securitate in pejus mutatos, effrenes, et dissolutos, per contraria corrigit. Hi porro misericordiam consequi rogantes, Deum sic alloquuntur. « Multum » repleta est anima nostra, opprobrium abundantibus, et » despectio superbis [1]. » Alius, « Multis satiata est anima nos- » tra, obloquentibus abundantibus, et despicientibus su- » perbis. » Alius, « Subsannatione arrogantium. » Alius, « Despectione eorum qui bonis affluunt. » Hi igitur eidem hærent sententiæ. Calamitatem enim deplorant cum dicunt : « Satiata est anima nostra spernentibus. » Septuaginta vero aliud dicunt. Transeant hæc ad illos, et iisdem ipsi fruantur, quæ aliis fecerunt, eorumque fastus et tumor deprimatur. Quod sæpe evenisse videmus : nam id frequenter solet facere Deus, nempe altos spiritus assumentes deprimit, et inflatos humiliat, ut eos avertat a via ad perniciem ferente. Nihil enim superbia pejus. Ideo tentationes et ærumnæ, corpus mortale, et multæ supervenientes calamitates : ideo ægritudines et morbi ; ut innumera frena adhibeantur animæ superbienti et timore inflatæ. Ne itaque turberis, dilecte, cum in tentatione versaris ; sed Prophetæ recordatus dicentis : « Bonum mihi quia humiliasti » me, ut discam justificationes tuas [2] ; » calamitatem pro remedio accipe, et tentatione ut par est utere : poterisque majorem assequi tranquillitatem, qua utinam omnes digni habeamur, gratia et humanitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Psal. cxxii, 4. — [2] Id. cxviii, 71.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXXIII.

Nisi quia Dominus erat in nobis [1].

I. Quod sæpe dixi [2], hoc quoque nunc dico, nec cessabo dicere, magnum esse fructum captivitatis, et ad philosophiam deducere posse eos qui attendunt. Ecce enim qui ad simulacra currebant, Deum contemnebant, et in impietatem impegerant, quid dicunt nunc post captivitatem? et quomodo salutem suam Deo ascribunt? Quinetiam Propheta, tanquam choragus optimus, eadem illos jubet frequenter dicere. Postquam ergo primus dixit, illis quoque præcipit, tanquam magister discipulis, ut dicant : « Dicat » nunc Israël, nisi quia Dominus erat in nobis, cum exur- » gerent homines in nos, forte vivos deglutissent nos [3]. » Erant enim inermes, nudi, captivi, et servi, et nuper a malis liberati, urbemque habebant non muris cinctam, imo vero ne urbem quidem, et post reditum erant præda omnibus parata, sed fuit eis Deus pro muro et arce. Hoc ipsum nos quoque nunc dicamus : « Nisi quia Dominus erat » in nobis, forte vivos deglutissent nos. » Quid enim non fecisset noster inimicus diabolus, nisi Dominus fuisset in nobis? Audi quid Christus dicat Simoni : « Simon, Simon, » quoties petiit te Satanas cribrare sicut triticum : et ego oravi pro te, ne deficiat fides tua [4]? » Est enim improba

[1] Psal. cxxiii, 1. — [2] Vide D. Guillon, tom. xv, pag. 443-448. — Psal. cxxiii, 1-3. — [4] Luc. xxii, 31, 32.

bellua et insatiabilis, et nisi assidue refrenaretur, subvertisset et confudisset omnia. Si enim cum in beatum Job pusillum quid ei fuit permissum, ejus domum evertit funditus, ejus corpus labefactavit, tantam tragœdiam excitavit, facultates corrupit, filios obruit, ut e carne vermes scaturirent effecit, uxorem in eum incitavit, amicos, inimicos, famulos, ut probris eum insectarentur, induxit : si non innumerabilibus frenis retardaretur, quomodo non omnes perderet? Quocirca hic quoque dicit : « Nisi quia » Dominus erat in nobis. » Erant enim admodum pauci et contempti, et eos reversos multi adoriebantur. Porro in hoc quoque ostendebatur Dei sapientia, quod non repente et uno simul tempore daret eis securitatem, sed sensim ac paulatim. Hoc autem faciebat eos conservans in Dei cognitione, et eam, quæ ex captivitate orta erat, correctionem non sinens præterfluere. Quia enim liberatio a malis solet homines efficere socordiores, in ipsa etiam donatione bonorum permittit, ut ipsi assidue tententur, ut sint eis tentationes perpetuum philosophiæ exercitium. Et ideo nec homines semper dimittit in calamitatibus, ne deficiant : nec in quiete et rerum prosperitate, ne fiant socordiores : sed vicissitudinibus eorum salutem variat. « Forte vivos » deglutissent nos. » Vides quomodo ostendit quam sint immanes, qui se invadunt? Sunt enim homines qui vel ferarum immanitatem ostendunt, imo magis quam illæ sæviunt in congeneres. Fera enim cum semel invaserit, ab ira desistit, et recedit, aut repulsa non amplius invadit : homines autem, cum res cesserit aliter quam putabant, sæpe invadunt vel ipsas carnes gustare cupientes. Ejusmodi res est ira, rationis expers ; adeo fervet et ebullit hæc animi perturbatio. Quomodo ergo hæc extinguetur ægritudo? Si res nostras animo reputemus, si mortem consideremus, et eos qui quotidie recedunt, si naturam nostram contem-

plemur, quod scilicet simus terra et cinis. Si autem facici pulchritudo animo tuo adhuc imponit, vade ad monumenta et thecas parentum tuorum, ac vide quomodo sunt positi, et in pulverem ac terram resoluti, magnamque ex eo capies occasionem, ut teipsum reprimas. Ne dicti gravitatem improbes. Quemadmodum enim qui febre laborant, postquam a morbo liberati fuerint, puro aëre indigent: ita etiam quos animi perturbationes ad insaniam adigunt, si ad monumenta accesserint, tanquam qui in prædium saluberrimum pervenerint, multas expellent ægritudines. Sufficit enim vel solus urnæ aspectus ad eum deprimendum, qui valde arrogans est. Ab his deinceps transmitte tuam cogitationem ad futurum illum diem terribilem, ad futuras de te quæstiones, et reddendas rationes, ad supplicia, quæ nullum habent omnino solatium, ubi nemo te defendet : et his omnibus veluti quibusdam cantibus seda tuas animi perturbationes. Considera autem etiam ex hominibus eos, qui in vita præsenti ex divitiis redacti sunt in paupertatem, ex gloria in ignominiam : et si velis irasci, non ei qui est tibi genere conjunctus, sed malo dæmoni irascere : habes in quem iram effundas : illi nunquam reconcilieris, in illum iram effunde et consume, in illum tende laqueum, nunquam cesses adversus eum bellum gerere. « Cum irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua » absorbuisset nos. Torrentem pertransivit anima nostra, » forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabi- » lem [1]. » Torrentem et aquam hic dicit ingentem iram inimicorum. Est enim aqua, quæ incomposite magna vi et impetu fertur, ac quodcumque ei occurrit, secum trahit. Non solum autem hic dicit irruptionem malorum, sed etiam transitum.

II. Ne animum ergo abjiciamus, quando nos mala inva-

[1] Psal. CXXIII, 3-5.

serint. Torrens est quisquis tandem sit, est nubes quæ prætercurrit. Quidquid molesti dixeris, id habet finem : quidquid asperum dixeris, id quoque habet exitum. Si enim finem non haberet, natura non sufficeret. At complures, inquies, secum trahit. Sed id non fit ex ejus volentia, sed propter eos qui sunt ignavi et facile prosternuntur. Ne ergo seducamur, sed ad ea quæ intima sunt ejus perveniamus, loca ejus consideremus, sacram ancoram apprehendamus, ut nullum patiamur naufragium. Torrens enim est ad tempus terribilis, et rursum supra modum deprimitur. « Aqua » absorbuisset nos. » Alius, « Tunc forte aquæ inundavis- » sent nos, quasi torrens pertranseuntes contra animam » nostram. Forsitan pertransisset anima nostra aquam in- » tolerabilem. « Alius, » Tunc transissent super animam » nostram, tanquam aquæ, superbi. » Vidisti quantum sit Dei auxilium : quomodo in tot malis non siverit eos submergi ? Ideo enim sinit mala crescere, non ut nos obruant, sed ut magis probatos efficiant, et suæ potentiæ majorem præbeat demonstrationem. Superbos autem hic dicit hostes, qui quovis torrente, et quavis aqua intolerabili vehementius irruentes, nihil ipsos læserunt. In causa est autem Dei præsidium, cœleste subsidium, auxilium quod superari non potest. Et ideo cum ipse dixisset liberationem a malis, dicit eum etiam qui liberavit, idque cum summa ejus laude. « Benedictus Dominus, qui non dedit nos in » captionem dentibus eorum. Anima nostra sicut passer » erepta est de laqueo venantium [1]. » Vidisti quomodo suam ostendit imbecillitatem, et illorum potentiam ? Illi enim tanquam feræ et leones eos invadebant, parati vel eorum vesci carnibus, armati et viribus et iracundia ; hi vero erant quovis passere imbecilliores. Tunc enim Dei miracula maxime ostenduntur, quando qui sunt imbecilli, su-

[1] Psal. cxxiii, 6, 7.

perant potentiores. Nec eo solum erant insidiæ intolerabiles, quod illi quidem essent potentes et terribiles, ira pleni, et vel eorum carnibus vesci parati : hi autem imbecilli, et pauci, qui facile invadi possent : sed etiam quod essent in mediis malis intercepti, et undique cincti difficultatibus, haberent undique bella eos circumstantia : sed qui est maxima potestate præditus, et potest undique conservare, etiam postquam pericula et mala circumsederant ; nos, inquit, liberavit cum magna facilitate. Quod quidem volens ostendere sic dixit : « Anima nostra sicut passer erepta est » de laqueo venantium. Laqueus contritus est, et nos libe» rati sumus [1]. » Deinde ostendens etiam quomodo, subjunxit : « Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit » cœlum et terram [2]. » Vidisti auxiliatoris virtutem ? vidisti potentiam ? ipsa etiam insidiarum adminicula sustulit. Hoc etiam anagogice acceperit quispiam de diabolo, et de genere hominum. Ostendit quippe quomodo eripuerit, et ejus sustulerit insidias. Hoc enim factum est ex quo dixit Discipulis : « Ambulate super serpentes et scorpiones, et » super omnem potestatem inimici [3]. » Non enim est amplius apertum bellum, nec ex æquo instructa acies : sed ille quidem jacet pronus et procumbens : tu autem stas erectus, ex alto eum feriens : ille quidem enervatus, tu vero robustus et validus. Qui fit ergo ut sæpe vincat ? Hoc fit ex nostra ignavia, ex socordia eorum qui dormiunt. Si velis itaque resistere, non audet tecum instructa acie confligere. Quod si vincit dormientem, id non illius potentiæ, sed tuæ tribuendum est negligentiæ. Quis enim dormientem non vicerit, etsi sit omnium imbecillimus ? Alligatus est Fortis [4], impedimenta ejus omnia direpta sunt, fracta est potentia [5], ruptum est ac dirutum ejus habitaculum, framcæ

[1] Psal. cxxiii, 6, 7. — [2] Ibid. 8. — [3] Luc. x, 19. — [4] Matth. xii, 29. — [5] Psal. ix, 7.

ejus defecerunt. Quid vis his amplius? Qua de causa eum times? Cur vereris? Jussus es conculcare eum, qui est enervatus: quamobrem, dic, quæso, contremiscis? Cur cunctaris ac dubitas? Annon cogitas qualis sit qui tibi fert auxilium? Non solum enim hostis tuus factus est imbecillior, sed etiam tuum majus est auxilium. Compressa est carnis exultatio, peccati ablata est sarcina, gratiam Spiritus accepisti, quæ habet vim unctionis. « Nam quod impossibile erat legi, in quo erat imbecillum per carnem, » Deus, misso suo Filio in similitudine carnis peccati, et de » peccato condemnavit peccatum in carne, ut justificatio » legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus [1]. » Carnem fecit tibi morigeram, arma tibi donavit, thoracem justitiæ, cingulum veritatis, galeam salutis, clypeum fidei, gladium spiritus, arrham dedit, corpore suo te nutrit, sanguinem suum tibi bibendum porrigit, crucem tibi tanquam lanceam in manus tradidit, lanceam quæ nunquam flectitur: illum alligavit, humi projecit. Non habes itaque quo te deinceps defendas, si vincaris: et si profligeris, non est tibi danda venia. Habes enim innumeras victoriæ ansas. « Laqueus contritus est, inquit, et nos liberati sumus. Adjutorium nostrum in nomine Domini, » qui fecit cœlum et terram. » Vides qualem habes Imperatorem, qualem Regem, eum qui est universi opifex, eum qui solo verbo tot corpora produxit, tantam molem, tantam magnitudinem? Ne animum demittas, forti animo resistas. Nihil vetat quominus tropæum tuum stet erectum. Hæc ergo cum sciamus, o dilecti, sobrii simus, concertemus, nec dormiamus, sed cum arma absterserimus, animique alacritatem confirmaverimus, hostem assidue feriamus, ut cum præclaram victoriam retulerimus, cum magna gloria regnum cœlorum consequamur. Quod nobis detur

[1] Rom. VIII, 3, 4.

assequi gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXXIV.

Qui confidunt in Domino sicut mons Sion [1].

I. Quid sibi vult additio « Sion? » Cur enim non dixit absolute, « Sicut mons, » sed illius montis meminit? Ut doceat non debere nos animum dejicere in calamitatibus, nec ab eis pessumdari, sed a spe in Deum pendentes, omnia ferre fortiter, bella, pugnas et tumultus. Quemadmodum enim hic mons qui fuerat quandoque desertus, et nudatus habitatoribus, ad priorem redierat prosperitatem, veteri statu recepto, cum incolæ rediissent, et miracula rursus ostenderentur: ita etiam vir fortis, licet ab innumeris invadatur calamitatibus, non evertetur. Ne ergo quæras vitam ab omnibus negotiis, et ærumnis remotam, sed quam minime detrahant pericula. Ars enim non eodem modo ostenditur, si quis in portu sedeat, et si quis undosum mare transmittat. Ille enim ignavus, mollis et enervatus redditur: hic autem, qui multas rupes in mari latentes, multos scopulos, multos ventorum impetus, et alia maris pericula sustinuit, in hisque omnibus excelluit, animum suum firmiorem reddidit. In hanc enim vitam deductus es, non ut sis otiosus, nec ut sis abjectus; nec ut tibi nihil adversi eveniat, sed ut

[1] Psal. CXXIV, 1.

gravia passus evadas clarior. Ne otiosam ac remissam, voluptatibusque et deliciis plenam, vitam quæramus. Non est enim viri fortis, sed potius vermis hoc desiderium : ejus, inquam, potius qui est rationis expers, quam ejus qui est ratione præditus. Sed ora quidem maxime ut non intres in tentationem : quod si in eam quandoque incideris, ne ægre feras, nec conturberis, sed fac omnia, ut evadas clarior. Non vides fortes milites, quomodo vocante tuba tropæa respiciunt, victorias, coronas et majores suos, qui se præclare gesserunt? Et tu ergo cum tuba spiritualis sonat, sta leone animosior : sive sit ignis, sive ferrum, ingredere. Sciunt vel ipsa elementa eos, qui sunt virilis animi, revereri. Solent etiam feræ strenuos viros pertimescere. Quamvis eas fames, quamvis ipsa natura irritet et efferet, omnium obliviscuntur, quando Justum viderint, iramque suam cohibent. His ergo armis muniaris, et iguem non timebis, licet videris flammam in cœlos ascendentem. Habes fortem et generosum ducem, qui solo nutu potest quæcumque mala sunt et gravia tollere. Illius sunt omnia, cœlum, terra, mare, feræ et ignis ; est ei facillimum omnia transferre, ac loco movere. Undenam ergo, dic mihi, metus tuus oritur? Non aliunde certe, quam ex tua ignavia et socordia. Nonne mors est omnium malorum colophon? Atqui ea ipsa quoque est naturæ debitum. Cur non satagis, ut tibi ex ejus solutione quæstus oriatur? si enim hac via velis nolis incedendum est, cur non cum lucro? At enim post gravia tormenta, non temporaria, sed quæ voluptatem præbeant dolore majorem. Quod si hæc tibi videntur esse gravia, considera eos, qui absque ulla mercede longa tabe laborant, qui fame perpetua, qui immedicabilibus et longis morbis vexantur, propter quos sæpe mortem optarunt : multi etiam in enses irruerunt, multi vitam laqueo finierunt. Cœlum autem tibi est propositum, et bona quæ sunt in cœlis, et non vereris nec perhorrescis

esse mollis et ignavus, idque cum talem habeas adjutorem? Annon audis Prophetam dicentem : « Qui confidunt » in Domino sicut mons Sion? » Spem nimirum significat in Deum immutabilem, firmam et constantem, invincibilem et inexpugnabilem. Quemadmodum enim etiamsi quis innumerabiles adhibeat machinas, montem nec convellere, nec labefactare poterit ; ita etiam qui eum aggreditur, qui spem in Deum collocavit, revertetur domum vacuis manibus. Monte enim longe est tutior spes in Deum. « Non » commovebitur in æternum qui habitat in Jerusalem [1]. » Alius interpres dicit : « Immutabilem in æternum, qui ha» bitat circa Jerusalem. » Quid ergo? Non commoti, inquit, sunt tres pueri et Daniel? Absit. Nam a patria quidem exciderunt, captivitatem sustinuerunt : nullo tamen tempore commoti sunt : sed cum essent in tanta rerum perturbatione, et tanta fluctuum multitudine, cum perinde ac petræ insisterent, et in tranquillo portu starent, nihil grave aut asperum senserunt. Commotionem autem ne voces rerum casus. Non est enim hoc commotio, sed animæ interitus, et virtutem amisisse : quod quidem non evenit in periculis, iis qui sunt sobrii et sapientes, imo vero tutius et firmius suam possident philosophiam, clarioresque et illustriores evadunt. Quod si vis etiam anagogice sumere illud, « Non commovebitur in æternum qui habitat in Je» rusalem? » describe tibi sortem supernæ metropolis. Qui enim illam receperunt, sunt ab omnibus omnino casibus liberi : nihil illic quod illos supplantet, non cupiditates, nec voluptates, nec peccati occasio, non dolor, non molestia, non pericula : hæc omnia longe aberunt. « Jerusalem, » Montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi » sui ex hoc nunc et usque in sæculum [1]. » Per hæc quidem dicit adesse auxilium civitati ex ejus situ : sed non

[1] Psal. CXXIV, 1, 2. — [2] Ibid.

permittit ut ei confidat, sed eam ad inexpugnabile erigit auxilium, nempe Deum.

II. Etsi, inquit, eam montes muniant, illa tamen protectione indiget. Id enim eam reddit inexpugnabilem. Quocirca alius quoque dicit interpres : « Dominus autem circa » populum suum. » Hoc est, « Ne confidite altitudini montium. » Quod enim eam facit inexpugnabilem, hoc est, « Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super » sortem Justorum [1]. » Dicit justam quamdam causam Dei auxilii, ut illi possint confidere. Quænam autem ea est? Non permiserit, inquit, bona Justorum esse in manibus peccatorum. Hoc autem dixit, suadens ut confiderent de Dei auxilio, et ut in virtute persisterent, si vellent frui perpetuo illius auxilio, et bona sua habere in sua potestate. Per hæc enim ostendit et possessionem, et securitatem in libero arbitrio esse sitam. Virgam autem peccatorum hic vocat regnum hostium. Quod vero dicit, est ejusmodi : « Non sinet ut teneant hæreditatem Justorum. » Etsi enim hoc fecit ad tempus, id fecit pro correctione, castigatione et admonitione. « Ut non extendant Justi ad ini- » quitates manus suas [2]. » Alius, « Propterea non exten- » dunt Justi ad iniquitatem manus suas. » Propter quidnam? Propter id quod dictum est, defendet, ulciscetur, hostes propulsabit, eosque repellet ab eorum possessionibus. Quasi diceret, « Castigati tentatione, et bonorum suppeditatione effecti meliores, perseverabunt in virtute, et utrinque eruditi vitium non attingent. Universum ergo propterea factum est, ut anima eorum reddatur melior, et rebus quidem adversis corrigatur, concessis autem bonis fiat promptior et alacrior. « Benefac Domine bonis, » Alius, « Beneficia confer : et rectis corde. Declinantes au- » tem in obligationes adducet Dominus cum operantibus

[1] Psal. CXXIV, 3. — [2] Ibid.

» iniquitatem [1]. » Vides ubique duci a nobis initium et bonorum consequendorum, et sustinendæ pœnæ? Quamvis autem a nobis sumatur principium, sic tamen Dei quoque benignitatis plurima lux affulget; profusa enim quadam et redundanti copia nos vincit remunerationibus, et in peccatis quidem moderatum imponit supplicium; in recte autem factis longe majori mercede donat. Rectos porro hic vocat simplices, non fictos, qui nihil habent adumbratum nec simulatum. Tale enim est quod rectum est, quod Deus ubique maxime requirit. Talis est etiam virtus, nempe plana et expedita, quemadmodum improbitas est quid perversum, varium, et quod non habet exitum : et id potest videri ex rebus ipsis. Nam qui vult mentiri, et dolos struere, cogita apud te quot et quanta aggreditur, quanta opus habet varietate, et quibusnam fictis orationibus, quanto artificio, et quanta dicendi facultate. Qui autem dicit veritatem, non labore, non difficultate, non simulatione, non arte, aut machinatione, aut ullo alio ejusmodi indiget, cum ea ipsa per se luceat. Quemadmodum enim deformia corpora multis artificiis et integumentis indigent, quæ naturæ deformitatem contegant; quæ autem natura pulchra sunt, ipsa per se, etsi nihil extrinsecus advenerit, resplendent: ita etiam in veritate et mendacio, in virtute et vitio invenire possumus. Unde clarum est, etiam ante supplicium, vitium ipsum supplicium infligere, et ante remunerationem virtutem remunerari. Quemadmodum enim illa habet in seipsa præmia etiam ante coronas : ita etiam hoc pœnam in se continet, antequam puniatur. Quid enim possit esse peccato gravius, quod ad pœnam attinet? Quocirca Paulus quoque eorum mentionem faciens, qui meretriciam artem exercent, florem ætatis prostituunt, et naturæ leges evertunt, dixit hoc esse maximum supplicium, etiam antequam puniantur. « Masculi enim, inquit, in mas-

[1] Psal. CXXIV, 4, 5.

» culis turpitudinem operantes, et mercedem, quam opor-» tuit, erroris sui in se recipientes [1] : » mercedem peccati sui, intemperantiam et ipsum actum vocans. « Pax super » Israël [2]. » Precatione conclusit orationem. Tales enim sunt Sanctorum animæ. Cum adhortatione et consilio adjiciunt orationem, auditoribus maximum introducentes auxilium. Pacem autem hic dicit, non hanc solam sensilem, sed eam etiam, quæ est hac excelsior, et dicit undenam enascitur, oratque ut anima cum seipsa non moveat seditionem, perturbationum animi bellum inferens. Hanc nos quoque pacem quæramus, ut promissa bona possimus assequi, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXXV.

In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati [3]. *Alius interpres dicit :* Quando converterit Dominus captivitatem, erimus consolati.

I. Nomen captivitatis est quidem in prolatione simplex, habet autem multos sensus. Est enim et bona captivitas, ut quando dicit Paulus : « Captivantes omnem intellectum » in Christum [4]. » Est mala, ut quando dicit : « Captivas » abducentes mulierculas oneratas peccatis [5]. » Est quæ in mente versatur, ut de qua dicit : « Prædicare captivis re-

[1] Rom. I, 27. — [2] Psal. CXXIV, 5. — [3] Id. CXXV, 1. — [4] 2 Cor. X, 5. — [5] 2 Tim. III, 6.

» missionem [1]. » Est quæ sub sensum cadit, ut quæ fit ab hostibus. Prior autem est gravior. Qui enim ceperunt aliquos jure belli, captis sæpe parcunt, et si aut aquari, aut liguari, aut equos pascere jusserint, animam minime læserint. Qui peccati autem captivus factus est, habet sævum et barbarum dominum, qui cogit eum facere res turpissimas, et maxime probrosas. Non enim parcere, nec misereri novit hæc vitii tyrannis. Audi itaque quomodo, cum miserum et infelicem Judam accepisset captivum, minime ei pepercerit, sed sacrilegum et proditorem fecerit : deinde postquam scelus perpetrasset, eum in theatrum Judæorum produxerit, et maleficium revelaverit, et nec sic quidem permiserit, ut perciperet fructum pœnitentiæ, sed ante pœnitentiam deduxerit ad laqueum. Est enim sævus tyrannus, qui jubet quæ sunt improba, et eos, qui obediunt, gnominia afficit. Quocirca vos rogo, summo studio fugiamus ejus dominium, et cum eo bellemus, nec ei unquam reconciliemur, et liberati in libertate permaneamus. Si enim hi a barbaris liberati, consolationem acceperunt, multo magis oportet nos a peccato liberatos gaudere et exultare, et hanc lætitiam conservare immortalem, non autem eam perturbare ac confundere, eadem mala rursus aggredientes. « Facti sumus sicut consolati. » Hoc alii quidem interpretes dicunt : « Tanquam somniantes. » Hebræus autem, « Chaolemim. » Quid est autem, « Consolati? » impleti, inquit, sumus quiete, lætitia, voluptate. « Tunc repletum » est gaudio os nostrum, et lingua nostra exultatione. Tunc » dicent inter gentes : Magnificavit Dominus facere cum eis. » Magnificavit Dominus facere nobiscum [2]. » Ad meliorem mutationem non parum confert lætari propter liberationem a captivitate. Et quis, inquies, non propterea lætatur? Patres eorum, quando liberati sunt ab Ægypto, et ab illa

[1] Isaï. LXI, 1. — [2] Psal. CXXV, 2, 3.

servitute traducti in libertatem, per summum ingrati animi vitium in bonis ipsis murmurabant, indignabantur, ægre ferebant, tristes manebant. At non nos, inquit, sed gaudemus, exultamus. Jam vero causam quoque gaudii afferunt. Non solum, inquit, gaudemus propter liberationem a malis, sed etiam quia ex eo omnes cognoscent, quam nostri Deus curam gerat. « Tunc enim, inquit, dicent inter » gentes : Magnificavit Dominus facere cum eis. Magnifica- » vit Dominus facere nobiscum. » Non temere adjicitur hæc conduplicatio, sed ut ostenderent magnam, quam ceperant, lætitiam. Alterum enim verbum est gentium, alterum vero ipsorum. Vide autem, non dixerunt : « Servavit nos, » nec « Liberavit nos, » sed, « Magnificavit, » rem opinione majorem et miraculo plenam per hæc volentes ostendere. Vides quomodo, ut sæpe dicebam, per hanc gentem docebatur universus orbis terræ, dum et abducerentur, et rursus reducerentur. Ipse enim reditus fuit loco præconis. Eorum quippe fama ubique pervolabat, Dei in eos benignitatem manifestam omnibus efficiens, magna scilicet et revera omni opinione majora esse, quæ in eos facta erant, miracula. Ipse enim Cyrus, qui eos tenebat, ipsos dimisit, cum nullus eum rogasset, sed Deus mentem illius mollliisset : nec solum eos dimisit, sed etiam affecit donis et muneribus. « Facti sumus lætantes. Converte, Domine, captivi- » tatem nostram, sicut torrens in austro [1]. » Quomodo dixit in principio Psalmi : « Cum converteret Dominus captivi- » tatem : » hic autem « Converte? » tanquam de re futura loquens. Maxime enim nos ad hunc sensum inducit alius interpres, qui dixit : non « Cum converteret : » sed, « Quando » converterit, » quoniam res tunc incipiebat, et non tota gesta fuit in principio, multæ quippe fuerunt transmigrationes : fuit enim prima, secunda et tertia.

[1] Psal. CXXV, 4.

II. Hoc ergo possumus dicere, vel eum orare ut sit integra et absoluta liberatio. Multi enim Judæi volebant remanere in regione barbarorum, et ideo vehementer desiderans hoc fieri, « Converte, inquit, captivitatem nostram » sicut torrens in austro, » hoc est, cum magno impetu, cum magna vehementia nos urgens atque incitans. Quocirca alius quoque interpres hoc ipsum significans, dicebat : « Ut » canales. » Alius, « Ut defluxus. » Alius, « Ut emissiones. » Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent [1]. » Hoc de Judæis quidem dictum est, potest autem in multis sæpe aliis locum habere. Virtus enim res est ejusmodi, ut quæ magnas habeat laborum remunerationes, et oportet nos prius laborare et affligi, et tunc animi remissionem quærere. Hoc enim ubique potest observari in iis quæ ad hanc vitam pertinent. Quocirca ipse quoque ad hæc deduxit orationem, ad sementem, inquam, et messem. Quemadmodum enim qui seminat, labore, afflictione, sudoribus, et hyeme indiget, ita etiam qui virtutem persequitur. Nihil enim æque est ad otium ineptum ut homo. Et ideo Deus arctam et angustam viam effecit, quæ ducit ad virtutem. Imo vero non solum virtutem, sed ea etiam, quæ ad hanc vitam pertinent, reddidit laboriosa, atque adeo longe amplius. Nam qui seminat, qui ædificat, viator, lignator, opifex, et denique quilibet homo, si est aliquid commodi percepturus, labore et afflictione opus habet, et quemadmodum semina opus habent imbribus, ita nos etiam lacrymis : et sicut terra opus habet ut aretur et proscindatur, ita anima fidelis pro ligone indiget tentationibus et afflictionibus, ne producat malas herbas, ut ejus molliatur durities, ne nimium efferatur et exiliat. Nam terra quoque nisi diligenter colatur, nihil boni producit. Hoc ergo dicit Propheta, non esse solum lætandum propter reditum, sed

[1] Psal. cxxv, 6.

etiam propter captivitatem, et pro utrisque Deo esse agendas gratias. Illud enim est sementis : hoc vero messis. Ut ergo, inquit, qui seminant laborantes, fructum postea percipiunt : ita etiam vos, quando recessistis quidem, imitati estis eos qui seminant, afflicti, pulsati, vexati, hyemem, tempestatem, bellum, nimbos, gelu et glaciem ferentes, lacrymas effundentes. Quod enim sunt imbres seminibus, hoc lacrymæ iis qui affliguntur. Sed ecce, inquit, accepistis eorum laborum remunerationem. Quando ergo dicit : « Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. Venientes » autem venient cum exultatione, portantes manipulos » suos [1] : » Non dicit de frumento, sed de rebus, docens auditorem, non angi et mœrere in afflictionibus. Quemadmodum enim qui seminat, mœrore non afficitur, licet sint multa gravia, respiciens ad lætas et luxuriantes segetes : ita etiam cum qui affligitur, non oportet angi et excruciari, etiamsi sint permulta molesta, ut qui messem expectet, et copiosum proventum, qui ex afflictione oritur, consideret. Hoc igitur nos quoque considerantes, et pro afflictione et pro otio ac quiete agamus Domino gratias. Etsi enim sunt diversa quæ fiunt, unum tamen habent singula finem propositum, sicut sementis et messis : afflictionesque forti et generoso animo feramus, et cum gratiarum actione : otium autem et res secundas cum Dei gloriæ celebratione, ut futura etiam bona consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria, et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Psal. CXXV, 6.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXXVI.

Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Vanum est vobis ante lucem surgere, surgite postquam sederitis [1].

I. Hic Psalmus dictus est de statu rerum, qui fuit post reditum. Quoniam enim a captivitate liberati, et a barbara regione reversi, dirutam a se inventam civitatem, et mœnia cum turribus humi disjecta, conabantur excitare : multi autem eos undique adorientes prohibebant, Judæorum felicitati invidentes, et prosperos eorum successus metuentes : deinde in his faciendis tempus conterebatur, et tantum contritum est temporis, ut in ædificando templo plus quam quadraginta anni consumpti sint : quod Judæi quoque declarantes dicebant : « Quadraginta et sex annis ædifica-» tum est templum hoc, » non dicentes de priore ædificatione, quæ a Salomone facta est, sed de ea, quæ facta est postquam liberati sunt a Persis. Quoniam ergo multum tempus conterebatur in civitate, templo et mœnibus extruendis; nam civitatis constructio multo etiam plures annos consumpsit; docens eos rursus Propheta ad Deum confugere, hæc persequitur, ostendens omnia frustra et nequidquam fieri, nisi ad se divinum auxilium attraxerint. Non solum enim ut liberentur a captivitate, sed etiam ut

[1] Psal. cxxvi, 1, 2. — [2] Joan. II, 20.

liberati mœnia excitent, fieri non potest absque divino auxilio. Et quid dico de muris excitandis, et urbe ædificanda? ne eam quidem perfectam et absolutam poterit quis custodire, si illud ei non adsit auxilium. Hæc autem dicebat, eis omni ratione suadens ut rursus ad Dei auxilium confugerent, ne otio et rebus secundis fierent negligentiores. Propterea enim nec simul et acervatim dedit eis bona omnia, sed sensim et paulatim, ne celeri liberatione a malis, ad improbitatem pristinam recurrerent. Quinetiam dum bona daret, eos sæpe admonebat, per irruptionem hostium eorum socordiam frequenter excitans. Quod ergo hic dicitur, generaliter dictum est: ex hoc autem argumento cepit principium. Oportet enim id aptare omnibus, non ut ipsi socordes simus, et supini jaceamus, sed ut nostra afferentes, Dei arbitrio omnia permittamus, a spe illius in omnibus perpetuo pendentes. Quemadmodum enim fieri non potest, ut nisi Deus opem ferat, res ad finem perducantur: ita si Deus opem ferat, simus autem negligentes et otiosi, finem non poterimus assequi. « Vanum est vobis » ante lucem surgere : surgite postquam sederitis. » Alius interpres ait: « Tardantibus ad sedendum. » Alius, « Diffe- » rentibus sedere. » Quod autem dicit est ejusmodi: « Etiamsi vigiletis, etiamsi mane excitemini, etiamsi sero eatis cubitum, omne tempus in labore et afflictione consumentes, nisi auxilium ejus assequamini, peribunt humana omnia, et ex eo studio ac diligentia nulla redibit utilitas. « Qui » manducatis panem doloris[1]. » Hoc dicit ostendens eos vitam degere laboriosam dum armati ædificant. Altera enim manu, inquit, canistrum aut lapidem ferebant, et alia gladium, ad ædificandum et bellandum seipsos dividentes, et una cum clypeis ferentes silices. Quia enim non erat munita urbs, sed nudata, subitos autem et inopinatos hos-

[1] Psal. CXXVI, 2.

tium impetus fore singulis horis suspicabantur, armati muros ædificabant, et enses, gladiique aderant, et procul erant quidam speculatores, qui incertam eorum irruptionem significarent, et tuba canerent, si quos procul adventantes viderent. Sed et si hæc, inquit, faciatis, et panem doloris comedatis, omnia, inquit, frustra et nequidquam facietis, nisi attraxeritis supernum auxilium. Quod si illi ut urbem et muros excitarent, tanto opus habebant superno auxilio : multo magis nos, qui viam, quæ ducit in cœlum, ingredimur. « Cum dederit dilectis suis somnum. » Ecce hæreditas Domini, filii [1]. » Cujusmodi est hæc consequentia? Pulchra profecto, valde cohærens prioribus. Hoc est enim quod dicit : « Si Deus opem non ferat, omnia pereunt : quando autem fert, tunc jucundus est somnus, tunc est otium, et vita a periculis libera, et securitate plena. »

II. Quando ergo somnum eis dederit, quando eos refecerit, quando eos qui invadunt propulsarit, non solum tunc ædificabunt civitatem, nec eam solummodo custodient, sed multo etiam majora accipient : erunt enim patres multorum filiorum, et pulchra eis augebitur soboles. « Merces fructus ventris [2]. » Alius dicit : « Merces ipse » fructus ventris. » Quid hoc est? Mercedem, inquit, accipient, numerosam sobolem. Etsi enim hoc sit opus naturæ, quando tamen Deus fert opem, ea felicius procedit. Nam ipsa quoque indiget superno auxilio : eruntque Jerosolyma populo frequentia. Non in his autem solum consistet eorum felicitas, nempe in ædificatione, in custodia, in sobole, sed his etiam alia accedent. Et ostendens quænam hæc sunt, subjungit dicens : « Sicut sagittæ in manu » potentis, ita filii excussorum [3]. » Alius, « Alligatorum. » Quod autem dicit, est ejusmodi : « Non erunt solum tuti in-

[1] Psal. cxxvi, 3. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 4.

tra mœnia et in urbe munita, nec erit eis tantum numerosa soboles, sed erunt etiam terribiles hostibus, et terribiles ut sagittæ. Non dixit autem absolute, « Sagittæ : » sed, « Sa» gittæ in manu potentium. » Non sunt enim sagittæ ipsæ per se terribiles, sed tunc quando tenentur a potenti, mortem minitantes iis quos adoriuntur. Ita ergo erunt hi terribiles. Quinam hi ? « Filii excussorum. » Hoc est, eorum qui erant olim imbecilli, qui vincti et alligati. Priores enim res adversas eis frequenter in memoriam redigit in tempore felicitatis, ut mentem eorum omni ex parte corrigat, et per ea, quæ passi sunt, et a quibus sunt liberati, et per ea quæ consequentur. « Beatus vir qui implebit desiderium » suum ex ipsis, non confundentur cum loquentur inimicis » suis in porta [1]. » Alius dicit : « Beatus qui implebit pha» retram suam ex ipsis. » Id est, hoc quoque eis aderit, robur corporis, terror qui non poterit sustineri, pulchra et numerosa proles, securitas, urbis pulchritudo, victoria et tropœa in bellis. Quocirca eos quoque beatos prædicat, qui sunt consecuturi hanc felicitatem. Erunt enim, inquit, armati. Sed non in his tantum consistet eorum beatitudo, verum etiam in eo quod non afficientur pudore. « Non » confundentur enim, inquit, quando loquentur inimicis » suis in porta. » Quidnam est hoc? Maximum tropæum, maximus splendor, jucunditas summa et felicitas. Neque enim eis exprobrabitur quod Deus curam eorum non gesserit, vel quod Deum habuerint imbecillum, vel quod potentem quidem, verum suis peccatis depulerint ejus providentiam; sed in omnibus clari et gloria pleni, propter civitatem, propter muros, propter custodiam, propter liberos, propter arma, propter potentiam, non se tegent præ pudore videntes inimicos, sed eis acerrime occurrent, gloriantes, sibi placentes, magnos sumentes spiritus, et ornati,

[1] Psal. cxxvi, 5.

cum Deus per hæc omnia ostendat se eorum suscepisse patrocinium. Summa enim bonorum, et felicitatis culmen est deinceps, ornatum et instructum esse Dei auxilio. Et ea de causa hic finit orationem, docens omnes ante omnia hunc ornatum quærere, et eo gloriari. Eum ergo nos quoque persequamur, ut æterna consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et Spiritu sancto gloria in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXXVII.

Beati omnes qui timent Dominum [1].

I. Vide quomodo [2] ab eo incipit, in quo desiit. Ut enim illic eos beatos propterea censuit, quod pudore non afficerentur, quod Deum haberent adjutorem, et stantem a suis partibus : ita hic etiam ab eo orditur, dicens : « Beati » omnes qui timent Dominum. » Et rursus, sumpto ab illis principio, loquitur generaliter. Recte autem dixit : « Omnes, » significans quod sive sit servus, sive dominus, sive pauper, sive mutilus corpore, ac denique quicumque sit, nihil eorum vetat quominus habeat hanc, quam ipse dicit, beatitudinem. Alium enim fictum et simulatum, quem multi beatum prædicant, multa concurrentia vix talem faciunt : et nisi omnia concurrerint, non fuerit quis beatus apud homines; ut verbi gratia, si quis sit dives, hoc ei non sufficit ad beatitudinem, nisi adsit sanitas. Si enim sit dives, et

[1] Psal. CXXVII, 1. — [2] Vide D. Guillon, tom. XVII, pag. 97-100.

corpore mutilus, claudicat ejus beatitudo, et est miserior pauperibus. Multi certe divites cum morbis conflictantes, pauperes, qui compita mendicantes obeunt, felices esse dicunt, et se miseros esse ducunt cum decies mille talentis. Rursus si sit quidem sano corpore et dives, gloria autem et honore careat, est aliud rursus impedimentum. Sunt enim nonnulli qui plurimum quidem possident pecuniæ, suntque corpore integro: sed ab iis, qui principes et duces sunt, gravissima patiuntur. Eo enim quod nullius sint honoris participes, existimant se esse omnium miserrimos, ut qui iis pareant, quibus sæpe habent servos locupletiores. Rursus si adsint quidem gloria, divitiæ et sanitas, non adsit autem securitas, quod innumeri ei insidientur, invideant, male velint, ipsum oderint, accusent, calumnientur, is erit omnium miserrimus, vitam agens leporis, umbras habens suspectas, omnesque horrens et pertimescens. Quod si ab iis etiam liber sit, ametur autem ab omnibus, et ei omnia succedant ex animi sententia, nempe gloria, divitiæ, securitas, honor, quæ omnia simul concurrere non possunt; tamen ita esse fingamus : licet hæc omnia affluant, et nihil sit impedimenti, sed et populi benevolentia, et corporis sanitas, et omnis securitas, et a nullo posse vinci, in eo concurrant : improba sæpe et perversa muliere sibi conjuncta, evadit iis miserior, qui carent his omnibus. Quod si ei uxor bona et ex animi sententia evenerit, si malos habeat filios, cum esse omnibus miseriorem necesse est : quod si nullos habeat, lugere et lamentari. Denique si quævis humana aspexerit quispiam, multa videbit præcipitia. Et quid alia persequi opus est? Improbus sæpe famulus omnia evertit et confundit, et nihil est adeo incertum et lubricum, ut in hominibus gloriari, et de iis se jactare. At non est ejusmodi is qui Deum timet, sed ab his fluctibus liberatus, sedet in portu et in tranquillitate, vera et certa

fruens beatitudine. Ideo illis omnibus præteritis, Propheta hunc solum beatum judicat. Illa enim beatitudo nunquam plane constiterit, nisi omnia concurrerint : imo vero etiamsi concurrerint, tunc labefactatur ab iis ipsis, quæ illam pariunt. Nam et divitiæ perniciem attulerunt, et uxor sæpe formosa obiit, famuli prodiderunt, filii fuere parricidæ, et, ut jam dixi, multa habet undique incerta et valde lubrica. Hic autem, etiamsi omnia contraria confluant, non modo nihil lædunt hanc beatitudinem, sed eam firmiorem reddunt et constantiorem. Etsi sit paupertas, si ignominia, mutilatio corporis, uxor improba, scelerati filii, et quodcumque aliud dixeris, hoc nihil deprimit, nec labefactat hanc beatitudinem. Neque enim suum ex illis habet ortum, ut eis convulsis labefactetur, sed habet radicem a superis : quocirca manet inexpugnabilis. Atque adeo, si velitis, eum in ipsis rebus ostendamus et pertractemus. Annon erat Joseph servus [1]? annon externus? annon extorris a patria? annon servus Barbarorum, prius Saracenorum, postea ipsis immaniorum Ægyptiorum? Annon existimabatur adulter? annon accusabatur? annon calumniis impetebatur? annon habitabat in carcere? annon vinctus tenebatur? Et quid horum eum læsit? Imo vero per hæc erat imprimis beatus. Hoc est enim, sicut jam dixi, admirabile, quod non solum hinc nihil lædatur beatitudo, sed etiam præclarior reddatur et illustrior. Si nihil enim illi eorum accidisset, non fuisset adeo beatus.

II. Vis etiam eos dicam, qui in vitio acrius perstiterunt, deinde repente mutati sunt, et omne illud vitium exuerunt? Quid fuit latrone miserius? sed repente evasit omnium beatissimus. Atqui mille cædes fecerat, nam erat crucis supplicio damnatus, et ad mortem adductus, omnes eum accusabant, totum tempus erat consumptum, et vita

[1] Gen. XXXVII, 38.

transacta fuerat in scelere : sed quoniam exiguo tempore Deum ita ut oportet timuit, beatus factus est. Ita etiam meretrix, licet formæ quæstum faceret et exposita esset omnium contumeliæ, et ideo esset omnium miserrima, beata extitit, quando Deum ut oportet timuit. Nullum est enim malum quod non extinguat Dei metus; nam quemadmodum ignis, quodcumque ferrum ceperit contortum, vel rubigine confectum, id clarum reddit ac pulchrum, ferruginem abstergens, et quod in eo erat perversum et inflexum, perfectissime corrigit : ita etiam Dei metus vel exiguo tempore facit omnia, et eos qui ab ipso tincti sunt, nulla re humana frangi sinit. Annon erat infirmus Timotheus? annon morbis et afflictionibus perpetuo vexabatur? Quid ergo fuit illo beatius? Quid vero, dic, quæso, Job? Annon redactus erat ad paupertatem? annon ad orbitatem? ad corporis gravissima ulcera? annon probris, contumeliis, et injuriis appetebatur? annon fame et malis omnibus humanis cruciabatur? Is tamen fuit omnium beatissimus. Non solum enim nihil horum illum fregit, sed etiam firmiorem fecit. Quinetiam cum illis omnibus uxor eum premebat, probris insectans, et tamen per hæc omnia clarus evasit. Hæc ergo omnia considerans Propheta, dicebat : « Beati, inquit, omnes » qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus. » Ne enim existimares sufficere timorem, adjecit illud : « Qui » ambulant in viis ejus, » utrumque designans; hoc est, qui timent, et ambulant. Multi enim fidem perfectam habentes, vitam autem flagitiosam, omnium fuere miserrimi. Ne ergo id quod dicit videretur ex eo refelli, subjunxit : « Qui ambulant in viis ejus. » Quænam autem sunt viæ ejus, nisi vita quæ ex virtute instituitur? Per eam enim potest in cœlum ascendi, et illa primaria civitas apprehendi, ipseque Deus videri, quatenus potest ab

homine aspici. Ejus autem viæ dicuntur, quoniam per eas potest in cœlum ad Deum perveniri. Non dixit: « Via : » sed, « Viæ, » ostendens eas esse multas et diversas. Propterea enim multas vias muniit, ut earum multitudine facilem nobis faceret ingressum. Ex hominibus enim alii sunt virginitate illustres, alii vero se honeste gerunt in matrimonio, alii ornantur viduitate : hi se omnibus exuerunt, illi dimidio; hi per viam rectam ingrediuntur, illi per pœnitentiam, et ideo multas tibi vias munivit, ut facile ingrediaris. Non potuisti post lavacrum servare corpus mundum? at per pœnitentiam id potes emundare, potes per pecunias, per eleemosynam. At non habes pecunias? sed potes visitare ægrotum, potes accedere ac cum qui est in vinculis, dare poculum frigidæ, et sub eodem tecto hospitem excipere, præbere duos obolos, sicut vidua, ingemiscere propter eos qui affliguntur. Nam hoc quoque est eleemosyna. At es undique destitutus, et omnino pauper, et corpore adeo infirmo, ut ne possis quidem incedere : hæc omnia fer magno animo, Deo agens gratias, et magnam mercedem accipies. Nam in hoc quoque se pulchre gessit Lazarus. Neque enim ulli suis ille subvenit pecuniis. Quî enim id fecisset, cui vel necessarium deerat alimentum? Non ingressus est carcerem. Quomodo enim qui nec erigi, nec se sustinere poterat? Non invisit ægrotum. Quî potuisset qui linguis canum erat expositus? Et tamen etiam absque his præmium virtutis arripuit, eo quod omnia tulerit generoso animo, eo quod vivens crudelem et inhumanum hominem in honore haberi, vitamque agere in deliciis, seipsum autem versari in tantis malis, ne verbum quidem indecorum protulerit. Et ideo in sinu Abrahæ receptus est, qui mortuo nihilo erat melius affectus, sed plane erat inutilis, in divitis vestibulo projectus : et cum Patriar-

cha, qui tot et tantas res præclare gesserat, coronabatur, victor renuntiabatur, et sinu illius fruebatur, qui nec eleemosynam fecerat, nec ei cui injuria fiebat manum præbuerat, non hospites exceperat, nec aliquid aliud ejusmodi ostendere potuerat, sed tantum in omnibus Deo gratias egerat, et præclaram patientiæ coronam retulerat. Magna enim res gratiarum actio, philosophia, ac patientia quæ tot et tantis malis exercetur : idque factum est longe omnium maximum. Unde etiam Job coronatus est; quapropter dicebat diabolus : « Pellem pro pelle, »et omnia quæ homo habet dabit pro anima sua; sed »immitte manum tuam, et tange carnem ejus[1]. » Non est enim parum, dolore affectam refrenare animam ad hoc ut nihil peccet. Hoc est cum martyrio conferendum : hoc est bonorum colophon.

III. Et tu ergo, o dilecte, cum te sæpe vel morbus, vel febres, vel dolores invadunt, cogente te cruciatu dicere aliquid blasphemum, si te retinueris, ac gratias egeris, Deumque gloria et honore afficeris, eamdem mercedem accipies. Qua enim de causa, dic mihi, quæso, blasphemas, et aspera verba profers? Ideo ne evadit tibi dolor levior? tamen etsi dolor fieret hac ratione levior, ne sic quidem oporteret animæ salutem prodere, habita ratione consolandi corporis. Nunc autem non modo non levatur dolor, sed etiam gravior redditur. Nam cum videt diabolus se potuisse te ad blasphemiam adducere, fornaci ignem magis subjicit, et dolorem succendit, ut ejus desiderium impleas. Ergo, sicut dixi, etiam si levaretur, non oporteret hoc facere. Quando autem nihil lucri facis, quid attinet teipsum occidere? At non potes tacere? Deo ergo age gratias : Deum gloria et honore affice, qui te probat in fornace. Pro blasphemia ex ore tuo prodeat Dei gloria. Ita et magna est merces, et vul-

[1] Job. II, 4, 5.

nus efficitur levius. Ad eumdem quoque modum Beatus ille loquens dicebat : « Dominus dedit, Dominus abstulit [1]. » Et rursus : « Si bona ex manu Domini accepimus, mala » non sustinebimus [2] ? » Sed mihi, inquies, non dedit opes. Minus est ergo vulnus. Non enim æquale est nudari opibus, cum eas possederis, et cum earum nunquam periculum feceris, vivere in inopia. Si enim aliorum mala videntes, et cum suis ærumnis conferentes, multi pauperes eorum comparatione sua esse graviora existimant : quando se non cum aliis, sed cum seipsis comparant, cogita tanto esse graviorem dolorem, quanto efficit experientia, ut sit major sensus privationis. Ita etiam est levius, ab initio non habuisse liberos, quam eis orbari, cum ipsos habueris. Non est enim simile, non accepisse, et postquam acceperis, eis esse privatum. Fer ergo generoso animo cuncta quæ accidunt : hoc est quippe tibi martyrium, Non enim cum, qui sacrificare jubetur, non sacrificare, sed potius dilaniari et excarnificari quam hoc facere, solum facit martyrium : sed etiam, cum dolor impellit ad blasphemandum, toleranter potius ferre laborem statuere, et nihil inhonestum dicere, martyrem efficit. Job enim non ideo fuit coronatus, quod sacrificare jussus non sacrificaverit, sed quod dolores et calamitates forti animo perpessus sit. Quinetiam Paulus propterea victor renuntiatus est, propter flagella, propter afflictiones, propter alia quæ sustinuit cum gratiarum actione. « Labores manuum tuarum manducabis, beatus es, » et bene tibi erit [3]. » Qua de causa iterat beatitudinem? Quoniam novit ejus magnitudinem, in rei visione contemplanda jucunde immoratur. Et quidnam illud, « Bene? » Uxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. » Alius. « In penetralibus. » Alius, « In femoribus. Filii tui » sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic

[1] Job. I, 21. — [2] Id. II, 10. — [3] Psal. CXXVII, 2.

» benedicetur homo qui timet Dominum [1]. » Quid dicis, quæso? Hæc est beatitudo, hoc lucrum? domesticæ copiæ, et suis frui laboribus, multitudo liberorum, et uxor? Non hoc quidem, sed hoc ex redundanti quadam copia accedit. « Quærite enim, inquit, regnum Dei, et cætera adjicientur » vobis [2]. » Quoniam ergo loquebatur cum iis, qui erant adhuc imbecilliores, tanquam parvulos inducit ex rebus sensilibus. Neque vero mireris. Si enim Paulus hoc facit tempore tantæ philosophiæ, cum eis qui adhuc humi repebant, ex his disserens : multo magis Propheta. Ubi vero id facit Paulus? Multis in locis. Quando enim de virginitate disserit [3], nihil dicit de eis, quæ illis sunt eventura, sed ponit tantum liberationem a molestiis matrimonii : tum etiam quando loquitur de honore in parentes, eodem modo usus est, ita dicens : « Quod est primum mandatum in promis- » sionibus. Quod est autem mandatum? Honora patrem » tuum et matrem, et eris longævus super terram [4]. » Quinetiam quando scribit de ostendenda in inimicos philosophia, sensile rursus præmium proponit dicens : « Hoc enim fa- » ciens, carbones ignis congeres super caput ejus [5]. » Christus autem non sic, neque enim cum imbecillis loquitur; sed in virginitate quidem proponit regnum [6], in amandis autem inimicis, promittit fore Dei similes, quantum possunt homines esse Dei similes. Quemadmodum etiam in Veteri, ubi inducebantur per sensilia, videbimus eos, qui sciunt philosophari, induci a majoribus. Id autem Paulus significans dicebat : « Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, » non acceptis promissionibus, sed eis procul visis et salu- » tatis [7]. » Non est ergo hæc sola merces eorum qui Deum timent, frui rebus suis, ut sunt uxor et liberi, reique domesticæ prosperitas; sed hæc quidem sunt ex supera-

[1] Psal. CXXVII. 3, 4. — [2] Luc. XII, 31. — [3] 1 Cor. VII, 28. — [4] Ephes. VI, 2, 3. — [5] Rom. XII, 20. — [6] Matth. XIX, 12. — [7] Hebr. XI, 13.

bundantia, et instar cujusdam additamenti : præcipua autem sunt, primum quidem hoc ipsum, Deum timere ; quod in seipso continet remunerationem : deinde arcana illa « Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor homi- » nis ascenderunt [1]. Benedicat tibi Dominus ex Sion, et vi- » deas bona Jerusalem [2]. » Alius, « Et vide in bonis Jerusa- » lem. » Bona dicit, civitatem, divitias, decorem, victorias, honores, prosperitatem, fertilitatem, securitatem, pacem.

IV. « Omnibus diebus vitæ tuæ [3]. » Pulchre etiam usus est adjectione dierum. Erat enim hoc signum maximum, quod hæc a Deo darentur, et ejus providentiæ argumentum, quod nihil humanum paterentur, nec corruerent, nec ullam ferrent mutationem, nisi quando indignatus ea intercidisset. « Et videas filios filiorum [4]. » Atqui multi, inquies, Deum timentes, sine liberis semper fuere. Et quid hoc sibi vult ? Neque enim nos propter præsentia exuimus, sed præcipue quidem ut Deo placeamus, deinde etiam propter spes futuras. Atque tunc quidem hæc erant præmia, nunc autem cœlum, et bona quæ sunt in cœlis. Quod si cum Deum timeres, non habuisti filios, qui scis numquid dederit alia hac felicitate majora? Neque enim omnes uno modo beneficio afficit, sed varie, cum sit dives. Quot fuerunt qui cum filios haberent, judicarunt eos felices, qui non haberent? quot qui divitias possidebant, pauperibus miserius ex hac vita excessere? quot qui gloriam consecuti fuerant, ea tanquam ense aliquo confossi sunt, et gravissima quæque sustinuerunt? Ne quæras tibi exhiberi negotia, nec a Deo eorum quæ facit rationem exposcas : sed feras omnia forti ac generoso animo, et cum gratiarum actione, imo vero nulli rerum præsentium animum tuum affigas. Propterea enim talem jussus es emittere orationem, in qua unum solum petis postulatum sensile, et nihil amplius. Quan-

[1] 1 Cor. II, 9 — [2] Psal. CXXVII, [illegible] — [3] Ibid. — [4] Ibid. 6.

quam hoc quoque rursus mensura fit spiritale. Alia enim omnia, de cœlis et de regno quod illic est, de perfecta vitæ institutione, et de liberatione a peccatis nobis dicuntur : de sensilibus autem unum jubemur dicere. Quidnam illud : « Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie [1], » et nihil aliud. Quoniam enim ad aliam deinceps vocamur patriam, et ad majorem vitam ascripti sumus, oportet etiam nostra postulata esse ei convenientia : hæc autem licet affluant, multa cum fiducia rejicere. « Pax super Israël. » Alius, « Et vide filios filiorum tuorum, pacem super Israël [2]. » Hæc est oratio de communi. Hoc enim maxime desiderant, ut qui sint longo bello afflicti et exhausti. Quid enim eos alia juvant, si pax non adsit? Quod ergo est bonorum, quæ tunc erant, præcipuum, eorumque securitatem, nempe pacem, pollicetur, eamque perpetuam, quod est maxime opus Dei providentiæ, dare scilicet, et non sinere ut intercidat. Quia enim rerum humanarum natura fluxa est, et non permanens : ostendens hæc non temere ad eos devenire, sed a superno auxilio et a nutu divino procedere, dixit : « Omnibus diebus, » et pacem permanentem est pollicitus. Atque hoc quidem factum est, quod ad Deum attinet. Quod si fuit interrupta, hoc quoque accidit ex illorum improbitate. Quemadmodum enim, quando aliquibus supplicia minatur, iis qui per pœnitentiam iram discutiunt, cohibetur supplicium : ita etiam si bona promittat, visi autem fuerint indigni qui promissa erant consecuturi, revocatur promissum. Quod ad eum ergo spectat, omnibus diebus est eam pollicitus : sua autem improbitate donum interruperunt. Hæc autem dico, ut neque eo minante desperemus, sed pœnitentia iram repellamus : nec rursus bona promittente torpescamus : sed studio, et in vita instituenda diligentia, promissa ad opus provocemus. Nisi enim

[1] Matth. VI, 11. — [2] Psal. CXXVII, 6.

ita faciamus, non sufficit ad conservandos nos sola promissio. Nam Judæ quoque pollicitus est eum esse sessurum super thronum cum undecim Discipulis : nec tamen sedit. In causa autem non fuit ille qui promisit, sed is qui promisso indignus visus est. Et nos ergo, cum habeamus regni promissum, ne simus ignavi ac desides, sed nostra quoque afferamus, ut possimus bona æterna consequi, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXXVIII.

Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, dicat nunc Israël. Sæpe expugnaverunt me a juventute mea : etenim non potuerunt mihi[1]. *Alius interpres dicit :* Sed non potuerunt mihi.

I. Hic quoque Psalmus cohæret præcedenti. Quoniam enim interrumpebatur ædificatio, nec opus deducebatur ad finem, eos in bonam spem adducens, ne desperarent, ex præteritis jubet eos de futuris esse bono animo, et docet eos hæc verba dicere. Quænam illa? cum sæpe eos invasissent, nequaquam potuerunt superare, nec integram victoriam reportarunt. Et tamen captivos, inquit, ceperunt, et in terram alienam traduxerunt, et multa bella vicerunt. Et tunc quidem maxime non ex propria virtute, sed ex Judæorum peccato superarunt. Quanquam alioqui

[1] Psal. CXXVIII, 1, 2.

nec ad finem usque permansere victores. Neque enim potuerunt genus omnino delere, vel civitatem omnino evertere, aut gentem funditus perdere, sed cum paulisper Deo concedente vicissent, rursus vincebantur. Quomodo autem vincebantur? Ad priorem felicitatem Judæis revertentibus. Quod quidem significans alius interpres dixit: « Sed non » prævaluerunt super me. Supra dorsum meum fabricave» runt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam [1]. » Quid hoc est? Non temere, inquit, et fortuito insidiabantur, sed multa moliebantur et machinabantur, dolos struentes et clanculum invadentes. Illud enim, « Supra dorsum » meum, » vel fraudem et exulceratam malitiam significat, vel vim et violentiam. Hoc est, « Aggressi sunt meam potentiam confringere. » Alius autem pro eo, « Fabricaverunt, » dixit, « Araverunt, » ut ostenderet ipsos in parandis Justo insidiis operam ponere. « Prolongaverunt iniquitatem suam. » Quid est quod dicit? Ostendit eos non solum cum magno impetu invasisse, sed etiam cum magna perseverantia, ut qui multum temporis ea in re consumerent, et insidiari suum opus esse ducerent, in eoque assidue persisterent. Sed id nihil eis profuit, non nostris viribus, sed Dei potentia coërcitis. Quocirca ostendens eum, qui erigit tropæum et parit victoriam, subjunxit. « Dominus justus con» cidit cervices peccatorum [2]. » Alius autem pro, « Cervices, » dixit, « Funes, » significans insidias, insultus, machinationes. Recte autem dixit, non, « Dissolvit, » sed, « Concidit: » ut magis ostenderet eum id fecisse, reddentem eorum consilia penitus inutilia. Cum enim inciperet rursus construi civitas, multi undique invadebant invidia extabescentes: nec id semel tantum, aut bis, sed sæpenumero fecerunt. Hoc ipsum etiam evenit in Ecclesia. Cum enim inciperet enasci, omnes eam assidue invadebant: in principio

[1] Psal. cxxviii, 3. — [2] Ibid. 4.

quidem reges, populi, et tyranni; postea autem insidiæ hæreticorum : et maximum, varium multiplexque bellum undique suscitabatur: sed tamen non prævaluit, sed profligati sunt hostes : floret autem Ecclesia. « Confundantur et » convertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion : » Alius, « Subvertantur retrorsum. Fiant sicut fœnum tectorum, » quod priusquam evellatur, exaruit. De quo non implevit » manum suam qui metit. » Alius, « Pugnum suum. Et sinum » suum qui manipulos colligit. Et non dixerunt qui præte- » ribant : Benedictio Domini super vos. Benediximus vobis » in nomine Domini [1]. » Adhortationem precatione concludit, ex narratione præteritorum, et ex oratione auditorem ad confidendum adducens, et injustam belli causam ostendens. Ex invidia enim et odio bellum suscepere : et ideo dicit : « Erubescant et convertantur retrorsum omnes qui ode- » runt Sion. » Non solum, inquit, vincantur, sed turpiter et ridicule. Deinde cum dixisset : « Fiant sicut fœnum tec- » torum, » persistit in similitudine, non eos tantum fœno comparans, sed fœno quod est supra domos. Quanquam enim id quoque quod est in agro pingui, celeriter diffluit : volens tamen ostendere quam essent viles adversarii, eos comparat fœno quod est super domos : ut utrinque ostendat quam sint fragiles et caduci, nempe et ex fœni natura, et ex natura loci. Tales, inquit, sunt insultus adversariorum, qui non habent radicem, nec fundamentum : qui aliquantisper quidem videntur florere, postea autem deficiunt, et ex seipsis excidunt. Talis est prosperitas eorum, qui vivunt in scelere. Talis jucunditas rerum hujus vitæ. Simul enim et cernitur et interit, ut quæ nec habeat fundamentum aliquod, nec potentiam. Et ideo non est eis adhibendus animus, sed considerando quam sint fluxæ et caducæ, desiderandæ sunt res æternæ, immortales, im-

[1] Psal. CXXVIII, 5-8.

mobiles, et in quas nulla cadit mutatio. Quas detur nobis omnibus consequi, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria simul cum sancto Spiritu, in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXXIX.

De profundis clamavi ad te, Domine,
Domine, exaudi vocem meam[1].

I. Quid est, « De profundis ? » Non dixit solummodo, « Ex ore, » neque solummodo, « Ex lingua ; » nam errante etiam mente verba funduntur ; sed ex corde profundissimo, cum magno studio, et magna animi alacritate, ex ipsis mentis penetralibus. Tales sunt enim animi eorum qui affliguntur : universum cor secum commovent, Deum invocantes cum magna compunctione : et ideo etiam audiuntur. Tales enim preces magnam habent potentiam, ut quæ neque subvertantur, neque concutiantur, etsi eas diabolus magno impetu invadat. Quemadmodum enim arbor valida, et quæ in multam profunditatem terræ agit radices, ejusque sinus devincit, cuivis ventorum impetui resistit ; quæ in terræ autem summa superficie sita est, si quælibet parva aura incubuerit, labefactatur, et radicitus evulsa jacet humi : ita etiam preces, quæ ab imo ascendunt et egerunt radices in profundo, etiamsi innumerabiles venerint cogitationes, etiamsi instructa tota diaboli acies, firmæ

[1] Psal. CXXIX, 1, 2.

manent et stabiles, et minime evertuntur : quæ autem ex ore et labiis procedunt, et non ab imo ascendunt, ne possunt quidem ad Deum ascendere, propter ejus, qui accedit, socordiam. Eum enim qui talis est, sive fuerit aliquis strepitus, is ipsum everterit ; sive tumultus, ab oratione abduxerit : et os quidem resonat, cor vero est inane, et sola ac deserta cogitatio. At Sancti non sic orabant, sed cum tanto studio ac vehementia, ut etiam totum corpus inflecterent. Beatus itaque Elias orans primum quidem quæsivit solitudinem : deinde cum posuisset caput inter genua, et seipsum cum magno ardore incenderet, ita fundebat preces. Si vis autem eum etiam videre rectum stantem in oratione, vide eum rursus extensum usque ad cœlum, et ita extensum ut etiam ignem e cœlo dejiceret. Ita etiam quando voluit suscitare filium viduæ, cum totum seipsum expandisset, eam edidit resurrectionem, non fractus, neque oscitans sicut nos, sed animi in orando alacritate incensus. Quid autem dico Eliam et Sanctos illos? Vidi sæpe mulieres propter virum peregrinantem et infantem ægrotantem, ita de profundis orantes, et tantos fontes lacrymarum emittentes, ut tandem voti sui essent compotes. Si autem mulieres ita inflammantur in orationibus pro viro et infante, quænam viro venia dabitur, qui anima morte affecta mollis est et languidus? Hinc itaque fit ut, cum sæpe oremus, rursus inanes revertamur. Audi quomodo Anna orabat de profundis, cujusmodi fontes lacrymarum emittebat, quomodo per orationem evehebatur in sublime. Qui enim ita precatur, etiam antequam consequatur quod postulat, ex oratione magna bona percipit, omnes animi perturbationes reprimens, iram sedans, invidiam expellens, cupiditatem extinguens, rerum ad vitam pertinentium amorem diminuens et exsiccans, animum in magna tranquillitate constituens, in ipsum denique cœlum ascendens. Quemadmo-

dum enim pluvia duram terram, in quam decidit, vel ignis ferrum mollit : ita vitiis induratum animum talis oratio et igne vehementius, et plus quam pluvia mollit et humectat. Est enim anima tenera, et ad fingendum facilis. Sed quod Istri aquæ sæpe evenit, ut glacie concrescat, ita etiam nostræ accidit animæ, ut a peccato et socordia indurescat et lapidescat. Magno ergo nobis calore opus est, ut quod durum est emolliat. Hoc autem maxime efficit oratio. Quando ergo orationem aggrederis, ne hoc solum quæras ut quod petis accipias : sed etiam ut in ipsa oratione animam tuam meliorem efficias. Nam hoc quoque est munus orationis. Qui ita orat, fit iis, quæ ad hanc vitam pertinent, superior, mente extollitur, levem reddit cogitationem, nulla perturbatione animi impeditur. « De profundis » clamavi ad te, Domine. » Duo hic ponit, et illud, « De pro- » fundis, » et hoc, « Clamavisse : » clamorem non dicens tonum vocis, sed affectionem animi. « Domine, exaudi vocem » meam. » Hinc duo discimus, nempe nos a Deo absolute impetrare non posse, nisi nostra quoque affuerint : quocirca prius dicit : « De profundis clamavi, » et tunc, « Exau- » di ; » deinde orationem intensam, vehementem, et plenam lacrymis compunctionis, magnas haberes vires Deo persuadendi, ut iis, quæ dicuntur, annuat. Tanquam enim magnum et præclarum quid fecisset, et partes suas implesset, ita subjunxit : « Domine exaudi vocem meam. Fiant » aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ [1]. » Aures dicit, audiendi facultatem : et rursus vocem, non intensionem spiritus, nec clamorem significans, sed intensam affectionem. « Si iniquitates observaveris, Domine, Do- » mine, quis sustinebit [1] ? » Ne quis enim dicat : « Sum peccator, et plenus malis innumerabilibus, non possum accedere, orare, et Deum invocare, » hanc tollens excusationem : « Si

[1] Psal. CXXIX, 2.

» iniquitates observaveris, inquit, Domine, Domine, quis » sustinebit[1] ? » Nam illud, « Quis, » hic nullus est. Neque enim fieri potest ut, si rerum a se gestarum summo jure ab ullo exigatur ratio, possit unquam misericordiam et clementiam consequi.

II. Hæc autem discimus non impellentes animos in socordiam, sed eos consolantes, qui cadunt in desperationem. « Quis enim gloriabitur se mundum habere cor, aut » quis confidenter dicet se esse purum a peccatis[2] ? » Et quid dico alios? Nam etiamsi Paulum in medium adduxero, et eorum quæ fecit rationem summo jure exegero, ne poterit quidem sustinere. Quid enim poterit dicere? Prophetas legit, ut qui legis patriæ esset diligens æmulator : signa vidit quæ fiebant, et tamen manebat persecutor : nec prius destitit quam admirabilem illam visionem suscepit, et vocem audivit terribilem. Antea autem mansit omnia susquedeque permiscens et confundens. Illis tamen omnibus prætermissis, Deus et vocavit, et magna gratia dignum censuit. Quid vero coryphæum illum Petrum, non post innumerabilia signa et miracula, tantamque admonitionem et exhortationem arguit in gravissimum illum lapsum cecidisse? Illud tamen prætermisit, et Apostolorum eum primum constituit. Et ideo dixit : « Simon, Simon, ecce ex- » petivit Satanas cribrare te tanquam triticum : ego autem » oravi pro te, ne deficiat fides tua[3]. » Porro post hæc quoque, si non cum misericordia et clementia veniat ad judicandum, sed rationem summo jure exigat, plane inveniet omnes reos et obnoxios. Quocirca Paulus quoque dicebat: « Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus » sum[4]. Si iniquitates observaveris, Domine, Domine. » Repetitio est non temere, nec abs re, sed admirantis et

[1] Psal. CXXIX, 3. — [2] Prov. XX, 9. — [3] Luc. XXII, 31, 32. — [4] 1 Cor. IV, 4.

stupentis insignem ejus clementiam, et infinitam majestatem, et vastum pelagus ejus bonitatis. « Quis sustinebit ? » Non dixit : « Quis effugiet, » sed, « Quis sustinebit ? » significans quod nec stare quidem poterit. « Quia apud te propi- » tiatio est [1]. » Quid est, « Apud te propitiatio est ? » Non in nostris, inquit, recte factis, sed in tua bonitate licet effugere supplicium. Ut judicium enim effugiamus, in tua clementia situm est. Quod si eam non fuerimus assecuti, nostra non sufficiunt ad nos ab ira futura eripiendos.

III. Hoc etiam per Prophetam significans, dicebat : « Ego » sum qui deleo iniquitates tuas [2]. » Id est, « Hoc est meum, meæ bonitatis, meæ clementiæ. » Nam quæ tua sunt, non sufficiunt unquam ut te liberent a supplicio, nisi mea accedat clementia. Et rursus, « Ego vos sustineo [3]. » Propter no- » men tuum sustinui te, Domine. Sustinuit anima mea in » verbum tuum. Speravit anima mea in Domino [4]. » Alius, « Propter legem tuam. » Alius rursus, « Ut cognoscatur ver- » bum tuum. » Quod autem dicit, est ejusmodi : « Propter clementiam, propter nomen tuum, propter legem tuam expectavi salutem. Nam si ad mea respexissem, jam olim desperassem, olim omnem fiduciam abjecissem : nunc autem legem tuam et verbum tuum attendens, bonam spem concipio. Quodnam verbum ? Verbum clementiæ. Ipse enim est qui dicit : « Quantum distat cœlum a terra, tan- » tum distant consilia mea a consilio vestro, et viæ meæ a » viis vestris [5]. » Et rursus : « Secundum altitudinem cœli a » terra confirmavit Dominus misericordiam suam super » timentes ipsum [6]. » Et rursus, « Quantum distat oriens ab » occasu, procul removit a nobis iniquitates nostras [7]. » Hoc est, « Non eos tantum servavi qui se recte gesserunt, sed peperci etiam peccatoribus, et inter delicta tua patro-

[1] Psal. CXXIX, 4. — [2] Isaï. XLIII, 25. — [3] Id. XLVI, 4. — [4] Psal. CXXIX, 4, 5. — [5] Isaï. LV, 9. — [6] Psal. CII, 11. — [7] Ibid. 12.

cinium meum, et quam tui curam gero, ostendi. » Alius inquit, « Ut sis terribilis, expectavi Dominum. » Terribilis cui? Inimicis, insidiatoribus, iis qui mihi infensi sunt. Quid est rursus, « Propter nomen tuum? » Quamvis, inquit, ego sim peccator, et plenus malis innumerabilibus, sciebam tamen, ne nomen tuum prophanaretur, fore ut nos pereuntes minime despiceres. Quod ipse quoque dixit in Ezechiele: « Non propter vos ego facio, sed propter nomen » meum, ut non prophanetur inter gentes [1]. » Hoc est, « Nos quidem non sumus digni qui servemur, neque ex rebus a nobis gestis ulla bona spe ducimur, sed expectamus fore ut conservemur propter nomen tuum, eaque nobis relicta est spes salutis. » Alius, « Propter metum sustinui Domi- » num. » Alius, « Propter legem sustinui Dominum. Susti- » nuit anima mea in verbo tuo. » Alius, « Expectavit anima » mea verbum ejus. » Alius, « Sustinuit anima mea, et ver- » bum ejus expectavi. » Hoc est, « Ex promissis et frequentibus pollicitationibus de benignitate ejus et clementia sumptam sacram habui ancoram, nec de mea salute spem abjeci. « A custodia matutina usque ad noctem speret Israël » in Domino [2]. » Tota vita, inquit, hoc est, omni die ac nocte. Nihil est enim ad salutem præstabilius, quam perpetuo illum respicere, et ab illa spe pendere, licet innumera accidant, quæ nos impellant in desperationem. Hic est murus infractus, invicta munitio, turris inexpugnabilis. Etsi ergo res minentur mortem, periculum, et interitum, ne desistas sperare in Deum, et expectare ejus salutem. Omnia sunt illi facilia et expedita, et vel in rebus difficillimis et impeditissimis exitum inveniet. Ne expecta ergo fore ut solum tibi adsit auxilium, si res secundæ affluant: sed tunc maxime, quando sunt fluctus maximi, et vehemens tempestas, et extremum imminet periculum. Tunc

[1] Ezech. xxxvi, 22. — [2] Psal. cxxix, 6.

enim maxime Deus suam ostendit potentiam. Hoc est ergo quod dicit : « Oportet in Deum perpetuo sperare, toto vitæ tempore. « Quia apud Dominum misericordia, et copiosa » apud eum redemptio. Et ipse redimet Israël ab omnibus » iniquitatibus ejus [1].» Quid est, «Apud Dominum misericor- » dia ? » Fons et thesaurus, inquit, illic est clementiæ perpetuo scaturiens. Ubi autem est misericordia, illic est etiam redemptio : nec solum redemptio, verum etiam multa ac copiosa, et immensum pelagus clementiæ. Etsi ergo sumus a peccatis proditi, non oportet concidere, nec desperare. Ubi enim est misericordia et clementia, non exiguntur tam accuratæ delictorum rationes, judice propter magnam misericordiam, et multam ad clementiam propensionem, multa prætercurrente. Hujusmodi enim est Deus, nempe ad assidue miserendum et ignoscendum propensus et proclivis. « Et ipse redimet Israël ab omnibus iniquitatibus » ejus. » Si ergo ita est ubique diffusa ejus clementiæ magnitudo, clarum est eum esse populum suum servaturum, et liberaturum non solum a supplicio, sed etiam a peccatis. Hæc ergo cum sciamus, perseveremus precantes et orantes, et nunquam desistamus, sive acceperimus, sive non. Si enim dare situm est in ejus potestate, in ejus etiam potestate situm est, quando vult, dare : tempus autem novit optime. Maneamus ergo rogantes, supplicantes, confidentes ejus misericordiæ et clementiæ, nec unquam de nostra salute desperemus, sed nostra afferamus, et ille nobis nunquam deerit, quandoquidem est inenarrabilis apud eum misericordia, et infinita clementia. Quam detur nobis omnibus assequi gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi cum quo Patri, et Spiritui sancto gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Psal. CXXIX, 7, 8.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXXX.

Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. *Alius*, neque exaltati sunt. Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me [1]. *Alius*, In magnitudinibus. *Alius*, In magnificentiis, nec me exuperantibus.

I. Quid hoc est? Paulus dicit stultum esse seipsum laudare, etiamsi sit necesse, et ideo subjunxit, dicens: « Fui » insipiens glorians, vos me coëgistis [2]. » Quomodo hoc ergo ignoravit Propheta, et nunc gloriatur, non apud duos, aut tres, aut decem, sed apud universum orbem terræ? Gloriatur autem dicens: « Sum humilis et moderatus, et mirandum in modum humilis ac simplex. » Hoc enim sibi vult aliud, « Ablactatus super matrem suam [3]. » Quare ergo hoc facit? Quoniam res quidem non est omnino prohibita, imo vero nonnunquam est necessaria, atque adeo nonnunquam incidit, ut non si gloriemur, sed si non gloriemur, simus insipientes. Quocirca Paulus quoque dicit: « Qui gloriatur, in Domino glorietur [4]. » Qui enim in cruce non gloriatur, est omnium insipientissimus. Qui non in fide gloriatur, est omnium miserrimus: qui in his non gloriatur et fidit, is omnino peribit. Et ideo audacter dicebat Paulus. « Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini

[1] Psal. CXXX, 1. — [2] 2 Cor. XII, 12. — [3] Psal. CXXX, 2. — [4] 2 Cor. X, 17.

» nostri Jesu Christi [1]. » Et rursus : « Ne glorietur dives in » divitiis suis, neque sapiens in sapientia sua : sed in hoc » glorietur, quod intelligat et cognoscat Dominum [2]. » Quomodo est ergo malum gloriari? Si id faciamus ut Pharisæus [3]. Et quare, inquies, dicit Paulus : « Fui insipiens » glorians, vos me coëgistis [4]? » Quoniam narrabat præclara vitæ suæ instituta et facinora, quæ non oportebat narrare, nisi necesse esset. Alibi autem dicit : « Si voluero » gloriari, non ero insipiens, veritatem enim dicam [5] » Qui veritatem ergo dicit, cum tempus postulat, non est insipiens. Non est ergo insipiens Propheta qui gloriatur : vera enim dixit. Sed quænam causa eum induxit ut hæc diceret? Ut doceret auditores, ne, postquam liberati sunt a malis, revertantur ad pristinam amentiam et insolentiam, nec a vinculo liberati resiliant, et in aliam captivitatis necessitatem incidant. Quapropter dum sua narrat, auditorem corrigit. Non dicit autem : « Exaltatus quidem sum : perturbationem autem animi continui, » sed quid? « Non est exaltatum » cor meum : » hoc est, « Non retigit animum meum nequitia. » Mens enim ejus erat veluti quidam portus nullis fluctibus agitatus, ejus morbi undas minime suscipiens, qui est causa omnium malorum, et radix extremæ iniquitatis. Quid est quod dicit : « Domine, non est exaltatum cor » meum, neque elati sunt oculi mei? » Non contraxi, inquit, supercilia, neque erexi cervicem. A fonte enim interno perturbationis animi morbus scaturiens, interno tumori conforme corpus effingit. « Neque ambulavi in magnis, » neque in mirabilibus super me. » Quid est, « In magnis? » In hominibus, inquit, tumidis, divitibus, arrogantibus, superbis. Vidisti quanta sit humilitas? Non solum erat ipse a morbo alienus, sed eos etiam, qui erant tumidi, fugiebat :

[1] Gal. VI, 14. — [2] Jer. IX, 23. — [3] Matth. XVIII. — [4] 2 Cor. XII, 11. — [5] Ibid. 6.

et a talibus resiliebat cœtibus, propter magnum, quod in arrogantiam conceperat, odium. Quoniam enim infenso erat in hoc vitium animo, non solum ab eo resiliebat, nec permittebat ut in castellum animæ esset ei ullus aditus : sed eos etiam qui illud sectabantur, longissimo intervallo fugiebat, ut ab eis nihil detrimenti caperet. Neque vero inter parva recte facta ducendum est fugere arrogantes, odio habere tumidos et insolentes, eosque abhorrere et aversari, sed est maxima virtutis securitas, humilitatis maxima custodia. « Neque in mirabilibus super me. » Alius, « Neque in me exuperantibus. Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam. Sicut ablactatus est super matrem suam : ita retribues in animam meam [1]. » Alius, « Ita retribuatur animæ meæ. » Dictum est per hyperbaton, nempe : « Si non humiliter sentiebam, sicut ablactatum super matrem suam, sed exaltavi cor meum, ita retribuatur animæ meæ. » Quod autem dicit est ejusmodi : « Non solum fui libera vitio, arrogantia, inquam, nec solum ab iis, qui illa prædiți sunt, alienus : verumetiam contrariam ei virtutem supramodum suscepi, nempe humilitatem, moderationem, contritionem. » Illud ipsum Christus quoque præcipit Discipulis suis, dicens : « Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non ingrediemini regnum cœlorum [2]. » Talis, inquit, fuit mea humilitas, qualis infantis, qui pendet ab ubere matris. Quemadmodum enim ille adhæret matri, humilis est, et omni arrogantia vacuus, vivit in innocentia summa et simplicitate : ita ego etiam erga Deum me gerebam, ei perpetuo adhærens. » Ablactati autem non abs re meminit : sed volens ostendere afflictionem, angustiam, dolorem, malorum magnitudinem. Quemadmodum ergo parvulus, qui nuper ab ubere avulsus est, ne sic quidem a matre recedit, sed flens, gemens,

[1] Psal. CXXX, 2. — [2] Matth. XVIII, 3.

lugens, ægre ferens et se afflictans, matri semper adhæret, nec ab ea recedit : ita ego quoque, inquit, cum essem in afflictione, angustiis et multis calamitatibus, Deo semper adhæsi. Si autem ita non fui, retribuatur, inquit, super animam meam, hoc est, dem ultimum supplicium. « Speret » Israël in Domino, ex hoc nunc et usque in sæculum [1]. » Vides, ut dixi in principio, in iis quidem, quæ ad finem et dogmata pertinent, etsi nulla causa sit, oportere assidue gloriari, et eum, qui non gloriatur, perire ; in recte autem factis, cum tempus postulat, non recusandum esse gloriari. Quodnam est autem tempus? Multa et varia, quorum unum est, docendi auditorem. Quod hic quoque sciens, et ostendens se sua recte facta ideo dicere, ut auditorem ad sui imitationem attrahat, subjunxit dicens : « Speret Israël in » Domino, ex hoc nunc et usque in sæculum. » Sive, inquit, calamitates, sive ægritudines, sive bella, et captivitates, sive quodcumque aliud grave et inopinatum malum te circumsederit, spem in Deum et expectationem illam tene firmiter, et omnino bonus erit tibi finis et exitus, Deo scilicet hanc tuam bonam spem remunerante a malis tibi data liberatione : In Christo Jesu Domino nostro, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Psal. cxxx, 3.

FINIS TOMI SEPTUAGESIMI SECUNDI.

ANNOTATIONES.

Annot. (1), pag. 3.

Non pervenit ad nos opus integrum quod de Psalmis singulis ediderat D. Chrysostomus, quos omnes ad unum interpretatum fuisse constat. Quin imo vix tertia parte gaudemus. Quinquaginta et octo supersunt solummodo expositiones seu commentaria; videlicet a Psalmo tertio ad duodecimum; hinc quadragesimi primi expositio sequitur; deinde a quadragesimo tertio deflectitur ad quadragesimum nonum; post a centesimo octavo ad centesimum decimum septimum; demum a centesimo decimo nono ad ultimum. Has Antiochiæ, non Constantinopoli, editas fuisse verisimile est: num scriptæ et legentibus accommodatæ, an more homiliarum prolatæ incertum; inter exquisitissimos ejus ingenii fœtus computandas absque dubio est, tanta in hoc opere dicendi cogitandique vis eminet.

Quanquam hic sanctus Doctor septuaginta interpretum editione utatur, quæ in Ecclesia antiochena in usu erat, miscet interdum lectiones alias ex Aquilæ, Theodotionis et Symmachi versionibus desumptas, nec raro etiam hebraïci exemplaris lectionem ipsam, græcis litteris expressam, qualis habebatur in hexaplis origenianis. Nec explorat quænam verior et sincerior sit, quænam ad seriem accom-

modatior, sed eam lectionum diversitatem lectori considerandam reliquit.

Quas desideramus expositiones jam ætate Photii temporum injuria abstulerat. Prima videlicet et secunda decrant. Quin tertius ipse expositus Psalmus, qui nunc agmen ducit, ambigitur an sit opus D. Chrysostomi genuinum, quem suo in loco servavimus S. Joannis Damasceni auctoritate ducti.

Animadvertere est plures sub Chrysostomi nomine expositiones seu homilias in Psalmos reperiri, quas promiscue inter spuria rejecerunt patres Benedictini, sæpius non immerito : quorum sententiæ, utpote qui sint in judiciis ferendis cauti admodum et perspicaces, vulgo adhæremus. Cum autem nonnullæ eadem in serie deprehendantur quas sancto Doctore non indignas iidem eruditi viri pronuntiarunt, eas lubentius admittimus. Sint in exemplum : Expositio in Psalmum tertium quæ est prima totius operis ; Homilia in versum 7, Psalmi XXXVIII : « Verumtamen frus» tra conturbatur omnis homo vivens ; » Expositio in Psalmum XLVIII ; Homilia in dictum prophetæ David : « Ne timue» ris cum dives factus fuerit homo ; » duæ in Psalmum L homiliæ, quamvis plurima incumbat dubitandi causa num sit utraque Chrysostomo adjudicanda ; recte an secus, penes eruditos judicium esto. Nos autem illas neque approbamus, neque abjudicamus, cum priorem habere quædam Chrysostomo minus digna in aperto sit, quæ res tamen non obstitit quin Savilius et alii huic inter germana Chrysostomi opera locum darent ; posterior ex initio vigesimæ secundæ Chrysostomi in Genesim homiliæ, et ex commentario Theodoreti in Psalmum L videatur desumpta.

ANNOT. (2), pag. 5.

Locus hic citatus nullibi reperitur in Scripturis.

ANNOT. (3), pag. 16.

Hic omnino videtur aliquid desiderari; hæc quippe verba: «Fac nobis deos qui nos præcedant, etc., » non sunt philosophantis animæ, neque Dei auxilium implorantis, imo potius indignationem attraxerunt. Certe verba illa, quæ locum illum Exodi sequuntur, alium omnino locum spectare videntur.

ANNOT. (4), pag. 24.

Sic et alias Chrysostomus accolas Abrahæ, cum Geraris habitaret, Persas appellat; at qua ratione ipse viderit. Nam memini de iis etiam, qui diluvium præcesserunt, locutum Chrysostomum, illos eodem Persarum nomine compellasse. Nihil mirum igitur si Sennacheribum aliquando regem Persarum vocaverit. Infra etiam Persas vocari a Chrysostomo deprehendes Assyrios et Babylonios; quin et Abraham Persam vocat infra.

ANNOT. (5), pag. 57.

Αὕτη, «Ipsa» cui referatur non ita perspicuum est, an voci χαρᾷ præcedenti, an προφητείᾳ, an τῇ θείᾳ νεκφῇ, quæ subaudiantur, licet ultima relatio magis admittenda videatur.

ANNOT. (6), pag. 80.

Hic memoria labi videtur Chrysostomus; nam hæc verba nusquam comparent in Bibliis.

Annot. (7), pag. 106.

« Adhuc tres dies. » Antiquissima hæc lectio est, et in septuaginta interpretes invecta. Cum et Hebræus, et Syrus, et Aquila et Symmachus et Theodotio, itemque Vulgata, habeant, « Adhuc quadraginta dies et Ninive sub» vertetur. » Justinus autem in Dialogo cum Tryphone quadraginta tres habet, ita ut ex duabus lectionibus una facta sit. Sed ait ibidem Justinus alia exemplaria tres dies habere.

Annot. (8), pag. 116.

Quod hic ait Chrysostomus resurrectionis spem non fuisse tempore legis veteris, hoc ipsum et alibi dicere videtur; duriora verba et quæ difficilem expositionem accipere possunt.

Annot. (9), pag. 125.

Par erratum exhibet Chrysostomus in libris contra Judæos, quia chronologiam ille non multum curabat. Cum enim has expositiones in Psalmos Antiochiæ, ut supra dictum est, ediderit, vix trecenti triginta anni numerari poterant ab excidio illo Jerosolymorum.

Annot. (10), pag. 230.

Quod ait Chrysostomus apud Gedeonem eos, qui capti sunt, æquales fuisse iis, qui non sunt capti, lapsus memoriæ Savilio esse videtur. Mihi vero hic non constat quid sibi velit Chrysostomus. Male autem ἴσοι *numero æquales* verterat Hervetus.

Annot. (11), pag. 337.

Cum S. Doctor ait Pentaphren seu Putipharem fuisse regem, ejusque uxorem reginam, tropo modoque loquendi non insueto utitur, quo rex dicitur is qui potestate et auctoritate gaudet.

Annot. (12), pag. 363.

Antequam episcopus concionaretur, in more erat, tum Antiochiæ, tum Constantinopoli, ut sacerdos alius, vel etiam episcopus, si adesset, populum alloqueretur. Quæ sit autem magna illa Ecclesia ubi homiliam recitavit, non satis constat. Quid de hoc facto probabilius dicatur, vide apud patres Benedictinos, ubi de vita Chrysostomi.

Annot. (13), pag. 375.

Mirum quod dicit Chrysostomus ne ipsam quidem Virginem, quæ Christum utero gestabat, novisse mysterium. Noverat enim postquam Angelus ipsi revelaverat.

Annot. (14), pag. 420.

Iis, quæ de Nathan sequuntur, prorsus similia habes in Homilia II de pœnitentia : sed ibi longe brevius enuntiata.

Annot. (15), pag. 428.

Hoc Chrysostomus principio utitur Homil. XXII in Genesim, eadem pene sententia, licet paucioribus : hic vero, quisquis sit scriptor, multitudine verborum redundat. Simili quoque modo orditur Chrysostomus Homil. LXIII in Genesim.

Annot. (16), pag. 450.

Hæc a Theodoreto, ut videtur, desumpta, paulo duriora primo aspectu judicarentur, si per Spiritus sancti gratiam intelligeretur gratia sanctificans, quam sine dubio David per peccatum amiserat; sed notandum est hic sanctum Doctorem, aut quemvis alium sub ejus nomine, respectum habere solummodo ad gratiam prophetiæ, quæ utpote data ad alienam utilitatem, in peccatore, cum Deus ita velit, potest subsistere.

Annot. (17), pag. 468.

Hic Psalmus contra Judæos profertur, quia probat Christum esse Filium Dei: contra Paulum Samosatenum, quia dixit Filium ante luciferum, sive ab æterno genitum fuisse: contra Arium, quia dicit Filium esse genitum, non factum: contra Marcionem et Manichæum, quia illo probatur unum solum esse principium: contra eos qui negant resurrectionem, quia illo resurrectio probatur.

Annot. (18), pag. 482.

Metragyrtæ, ii erant qui pro magna matre Cybele stipem colligebant: ideoque vocabantur Metragyrtæ. Metragyrtæ quoque appellabantur, quia singulis mensibus id officii præstabant. Qui vero populos cogebant et per vias Homeri Virgiliique carmina canebant et eventura credulis prænuntiabant, hi dicebantur Agyrtæ, utrique Cybelis cultui serviebant.

Annot. (19), pag. 561.

Sara quidem sterilis erat, referente Scriptura. At quomodo dici possit Abraham fuisse sterilem, et non magis

gignendi facultate præditum, quam lapidem, quandoquidem post Saræ mortem ætate grandior sex filios suscepit ex Cetura?

ANNOT. (20), pag. 579.

Hic tribunus, ille est, cui innixus rex Israëlis Eliseum prophetam adiit, dum obsideretur Samaria, et fame interirent omnes; de quo dicitur IV, Reg. VII, 2: « Et respon» dit tribunus, cui rex innitebatur. » Nimirum cum Eliseus prædiceret insequente die fore rerum alimentorumque copiam, post tantam famem; cum ille se dictis Prophetæ fidem non habere testificaretur, respondit Eliseus: « Tu » videbis oculis tuis, et non gustabis; » id quod etiam evenit.

ANNOT. (21), pag. 592.

Nescio cur dicat Chrysostomus Christum beatitudines orsum esse ab illa: « Beati qui lugent, » cum nec apud Matthæum, nec apud Lucam sit isthæc prima beatitudo.

CONCORDANTIA

BIBLIOTHECÆ LATINÆ CUM GALLICA.

BIBLIOTHECA LATINA.	BIBLIOTHECA GALLICA.
Expositio in Psalmum III, pag. 3.	Ejusdem fragmenta, tom. XII, pag. 113-120.
Expositio in Psalmum IV, pag. 10.	Ejusdem fragmenta, tom. XV, pag. 208-221.
Expositio in Psalmum V, pag. 43.	Ejusdem fragmenta, tom. XV, pag. 305-307.
Expositio in Psalmum VIII, pag. 117.	Ejusdem fragmenta, tom. XV, pag. 95-107.
Expositio in Psalmum X, pag. 172.	Ejusdem fragmenta, tom. XV, pag. 221-228.
Expositio in Psalmum XII, pag. 187.	Ejusdem fragmenta, tom. XV, pag. 246-251.
Expositio in Psalmum XXXVIII, pag. 195.	Ejusdem fragmenta, tom. XV, pag. 320-330.
Expositio in Psalmum XLI, pag. 203.	Ejusdem fragmenta, tom. XV, pag. 251-260.
Expositio in Psalmum XLIV, pag. 247.	Ejusdem fragmenta, tom. XIV, pag. 146-154.
Expositio in Psalmum XLV, pag. 282.	Ejusdem fragmenta, tom. XV, pag. 204-207.
Expositio in Psalmum XLVI, pag. 289.	Ejusdem fragmenta, tom. XIII, pag. 569-579.
Expositio in Psalmum XLVIII, pag. 313.	Ejusdem fragmenta, tom. XV, pag. 194-204.
Expositio in Psalmum CIX, pag. 468.	Ejusdem fragmenta, tom. XIV, pag. 111-120.
Expositio in Psalmum CXV, pag. 559.	Ejusdem fragmenta, tom. XV, pag. 230-235.

BIBLIOTHECA LATINA.	BIBLIOTHECA GALLICA.
Expositio in Psalmum CXVII, pag. 573.	Ejusdem fragmenta, tom. XV, pag. 237-246.
Expositio in Psalmum CXXIII, pag. 614.	Ejusdem fragmenta, tom. XV, pag. 443-448.
Expositio in Psalmum CXXVII, pag. 634.	Ejusdem fragmenta, tom. XVII, pag. 97-100.

INDEX

TOMI SEPTUAGESIMI SECUNDI.

Expositio in Psalmum III.	Pag.	3
— IV.		10
— V.		43
— VI.		61
— VII.		76
— VIII.		117
— IX.		141
— X.		172
— XI.		179
— XII.		187
— XXXVIII.		195
— XLI.		203
— XLIII.		222
— XLIV.		247
— XLV.		282
— XLVI.		289
— XLVII.		304
Expositio I in Psalmum XLVIII.		313
— II in Psalmum XLVIII.		343
— III in Psalmum XLVIII.		363
Expositio in Psalmum XLIX.		372
Expositio I in Psalmum L.		401
— II in Psalmum L.		407
— III in Psalmum L.		428
Expositio in Psalmum CVIII.		457
— CIX.		468
— CX.		492
— CXI.		511
— CXII.		526
— CXIII.		534

Expositio in Psalmum CXIV. Pag. 551
— CXV. 559
— CXVI. 572
— CXVII. 573
— CXIX. 590
— CXX. 599
— CXXI. 604
— CXXII. 610
— CXXIII. 614
— CXXIV. 620
— CXXV. 625
— CXXVI. 630
— CXXVII. 634
— CXXVIII. 644
— CXXIX. 647
— CXXX. 654

Annotationes. 659
Concordantia Bibliothecæ gallicæ cum latina. 667

EXPLICIT INDEX.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM.

LXXIII.

PATRES QUINTI ECCLESIÆ SÆCULI.

S. JOANNES CHRYSOSTOMUS.

IV.

PROSTAT INSUPER VENALE

MONTIS PESSULANI

APUD **VIRENQUE**, BIBLIOPOLAM,

PARISIIS,

APUD **BIBLIOPOLAM**, CUI NOMEN GALICE;

SOCIÉTÉ POUR LA PUBLICATION DES BONS LIVRES,

Rue des Saints-Pères, 16.

PARISIIS, E TYPOGRAPHEO BETHUNE, BELIN ET PLON,

VIA VULGO DICTA DE VAUGIRARD, 36.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM,

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

CANONICO HONORARIO CENOMANENSI

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

EPISCOPO MAROCHIENSI, IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE, AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE :

BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS.

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS SEPTUAGESIMUS TERTIUS.

PARISIIS,

APUD PARENT-DESBARRES, EDITOREM,

VIA VULGO DICTA DE SEINE, 48.

M. DCCC. XXXIV.

S. P. N. JOANNIS

CHRYSOSTOMI

ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI,

OPERUM

PARS I.

HOMILIÆ IN SCRIPTURAM.

CLASSIS I.

HOMILIÆ IN VETUS TESTAMENTUM.

EXPOSITIONES IN PSALMOS.
INTERPRETATIO ET HOMILIÆ IN ESAÏAM.
HOMILIÆ IN JEREMIAM.
SERMO DE SIGILLIS.
INTERPRETATIO IN DANIELEM.
HOMIL. II. DE OBSCURITATE PROPHETIARUM.
DE UNO ET EODEM LEGISLATORE UTRIUSQUE TESTAMENTI.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

CONSTANTINOPOLITANI

ARCHIEPISCOPI,

EXPOSITIONES IN PSALMOS.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXXXI.

Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus[1].

I. Alibi quidem rogant solum servari ex memoria majorum : hic autem bona opera narrant, et quod est omnium bonorum causa, moderationem, humilitatem, mansuetudinem. Ideo in maxima quoque admiratione habebatur Moses. « Erat, inquit, mitissimus omnium hominum, qui » erant super terram [2]. » Sed nonnulli hæretici, ejus vitæ institutum, et id quod dictum est reprehendentes, dicunt : « Quid dicis? Erat ille mitissimus, qui invasit Ægyptium, et eum interfecit? qui Judæos implevit sanguine et bellis intestinis? qui jussit ut consanguinei cognatos occiderent? qui precibus ut terra dehisceret effecit, et e supernis ful-

[1] Psal. CXXXI, 1. — [2] Num. XII, 3.

1,

men deorsum vibravit, et illos quidem submersit, hos vero exussit? Si hic mitis, quis sævus et iracundus?» Desine, neque supervacanea loquere. Quod enim erat mitis, et omnium hominum mitissimus, et dico, neque unquam cessabo dicere, et si vultis, non aliunde quam ex iis, quæ dicta sunt, conabor ostendere ejus mansuetudinem. Atqui poteram dicere quæ de sorore ab eo Deo dicta sunt, supplicationem, qua pro populo usus est, omnia verba illa apostolica et cœlo digna, moderationem, qua alloquebatur populum. Poterant hæc dici, et his alia longe plura enumerari, sed si vultis, his prætermissis, ex iis ipsis, quæ ante dicta sunt ab inimicis, age ostendamus eum fuisse omnium hominum mitissimum, ex quibus eum sævum, immanem et iracundum quidam esse existimant. Quomodo ergo ostendemus? Si prius distinxerimus, ac definierimus quid sit mansuetudo, et quid ferocitas. Neque enim ferire, est absolute ferocitatis : neque parcere, mansuetudinis : sed mitis ille est, qui ferre potest quæ in seipsum peccata sunt, qui aliis factam injuriam propulsat, et eis fert opem, et est vehemens ultor eorum, qui probra ingerunt. Qui autem non est ejusmodi, sed est hebes, deses, somnolentus, et mortuo nihilo melius affectus, non est mitis nec mansuetus. Despicere eos quibus fit injuria, non dolere vicem eorum qui injuria afficiuntur, nec iis irasci qui probris et contumeliis afficiunt, non est virtutis, sed vitii : non est mansuetudinis, sed ignaviæ. Quare hoc ipsum ostendit ejus mansuetudinem, et quod esset adeo ardens, ut prosiliret, cum videret alios injuria affici, iram pro justitia non valens cohibere : at quando ipse malo aliquo affectus est, nec ultus est, nec pœnam sumpsit, nec a philosophiæ instituto unquam recessit. Si autem fuisset adeo sævus et iracundus : qui pro aliis adeo inflammabatur et excandescebat, nunquam animum induxisset, ut pro iis, quæ ad seipsum

pertinebant, quiesceret: sed tunc magis irritatus fuisset. Scitis enim nos ægrius ferre nostra quam aliena. Ille autem, cum alii quidem male patiebantur, non minus quam illi ipsi, quibus male fiebat, ulciscebatur: delicta autem, quæ in ipsum admissa fuerant, cum maxima prætermittebat tolerantia: in utroque extremo consistens, illo quidem, se esse malis infestum, hoc vero se esse lenem et patientem ostendens. Sed dic, quæso, quid eum facere oportuit? eam despicere, quæ inferebatur, injuriam, et malum quod pertinebat ad populum? Sed id non erat ejus qui regebat populum, nec patientis alicujus et mitis, sed desidis et ignavi. Tu autem medicum quidem non reprehendis, qui putredinem totum corpus permeantem sectione reprimit: illum autem dicis esse atrocissimum, qui morbum longe putredine graviorem per totum populum permanentem ictu paulo graviori voluerit coërcere? Atqui hæc sunt judicis non satis considerati. Tanti enim populi præfectum, et qui ducebat gentem adeo asperam, duram et intractabilem, oportebat statim a principio reprimere, et in ipso vestibulo rescindere, ne malum longius serperet. At obruit, inquit, Dathan, et Abiron[1]. Quid dicis? Oportebat-ne despicere sacerdotium conculcari, et Dei leges everti, et id, quod omnia continet, dissolvi: dico autem dignitatem sacerdotii, et omnibus adyta patefacere, et ex eorum contemptu permittere ut liceret volentibus sacrosancta conculcare septa, et omnia susquedeque agere et miscere? Atqui ea non erant mansuetudinis, sed inhumanitatis et crudelitatis, despicere tantum quod crescebat malum: et dum ducentis parceret, perdere tot millia. Dic enim mihi, quæso, quando jussit genere propinquos occidere, quid eum facere oportuit, cum Deus irasceretur, cresceret impietas; cum nihil esset, quod eos posset ab ira eripere?

[1] Num. xvi, 32.

Permittere-ne debuit ut plaga cœlestis in omnes tribus descenderet, et universo generi interitum afferret, et cum supplicio negligere peccatum immedicabile? an pœna et cæde paucorum corporum et peccatum de medio tollere, et iram avertere, Deumque reddere propitium iis, qui talia admiserant? Si ita examinaveris quæ a Justo facta sunt, ex eo maxime videbis eum fuisse mitissimum.

II. Sed hæc ex iis, quæ dicta sunt, sinentes studiosis reconsere, ne ea, quæ obiter afferuntur, sint majora iis, quæ sunt in manibus, ad id quod est nobis propositum, revertamur. Quid erat autem propositum : « Memento, Domine, » David, et omnis mansuetudinis ejus. Sicut juravit Domino, » votum vovit Deo Jacob [1]. » Cum proposuisset dicere de mansuetudine, iis prætermissis quæ Saüli fecerat, quæ fratribus, quæ Jonathæ, omissa item patientia, qua usus erat in militem, qui eum aspergebat mille probris ac maledictis, et his longe pluribus, ad aliud caput deducit orationem, quod maximum in se zelum et ardorem continet. Quare ergo hoc facit? Duabus de causis, una quidem, quoniam Deus eo maxime delectatur : « Super quem enim, » inquit, respiciam, nisi super mansuetum et quietum, et » trementem verba mea [2]? » Alia vero, quoniam hoc quod maxime urgebat, nempe templi constructio, et civitatis ædificatio, et antiqui status reipublicæ restitutio, ad hoc maxime dirigit orationem, et illud quidem prætermittit, ut quod sit manifestum et in confesso; cognita enim erat omnibus ejus mansuetudo, id autem quo maxime opus habebat ad suum institutum, id in medium adducit. Quid enim videre cupiebant? templum excitatum, veteresque ritus et ceremonias restitutas. Quoniam ergo David erat ea re maxime insignis, illius studii et animi quasi remunerationem petit a Deo templi ædificationem, et dicit : « Me-

[1] Psal. CXXXI, 2. — [2] Isaï. LXVI, 2.

» mento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus. Sicut » juravit Domino, votum vovit Deo Jacob. Si introiero in » tabernaculum domus meæ; si ascendero in lectum strati » mei : si dedero somnum oculis meis, et palpebris meis » dormitationem. Et requiem temporibus meis; donec » inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob [1]. » Et quid hoc ad te? Quoniam, inquit, ab eo genus duxi, et quoniam cum tibi fuisset acceptum ejus studium et diligentia, dixisti te ejus genus et regnum erecturum : propterea hæc pacta conventa nunc a te exigimus. Non dixit autem: «Donec ædificavero,» hoc enim non fuerat ei permissum, sed : « Donec invenero locum Domino et tabernacu- » lum. » Deinde eum quidem, qui est ædificaturus, præterit: eum vero, qui est pollicitus, in medium adducit, ut scias quantum bonum sit rectus animus, et quomodo Deus semper consueverit recto animi instituto et bonæ voluntati mercedem constituere : et ideo ejus potius meminit, quoniam ipse est potius qui ædificavit, quam filius. Hic enim pollicitus est : ille vero jussus est. Vide autem maximam ejus animi alacritatem. Non solum dicit se non ingressurum domum, nec lectum ascensurum, sed ne ea quidem, quæ erant naturalis necessitatis, libere desumpturum, donec invenerit locum et tabernaculum Deo Jacob. Quorum contraria eis a Deo objiciebantur, dicente : « Vos quidem » habitatis in domibus laqueatis : domus autem mea est » deserta [2]. Donec invenero locum Domino, tabernaculum » Deo Jacob. » Vide hic rursus studium et animi sollicitudinem. Rex dicit : « Donec invenero locum Domino, ta- » bernaculum Deo Jacob. » Rex, inquam, qui in omnes dominatum obtinebat. Nolebat enim solum extruere, sed etiam in loco aptissimo et qui templo valde congrueret, et opus ei erat inquisitione, tanta erat animi vigilantia. « Ecce

[1] Psal. cxxxi, 1-5. — [2] Agg. 1, 4.

» audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis » sylvæ [1]. » Narrat nunc vetera, ostendens arcam antea longo tempore errasse, locum loco mutantem, et ideo dicit : « Ecce audivimus eam in Ephrata, » hoc est, « Ea narraverunt nobis patres nostri, hæc auribus nostris accepimus, quod, cum tunc quoque ubique oberraret in agris et campis, postea collocata sit; hoc ipsum nunc quoque fiat. » Ephrata hic dicit tribum Juda, ad quam post longam circuitionem deducta est. « Introibimus in tabernacula » ejus. Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus [2]. » Vidisti quam crasso dicendi modo usus est, propter stuporem eorum qui audiebant, dicens Dei tabernacula, et pedes, et locum ubi stabant pedes ejus. His autem omnibus indicat locum arcæ, quoniam ex eo loco edebantur voces horribiles de rebus, quæ ad Judæos pertinebant, quæ erant obscura solventes, et futura prædicentes. « Surge, » Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis » tuæ [3]. » Alius dicit : « Fortitudinis tuæ. » Alius : « Imperii » tui : » utraque autem vera. Illinc enim tradebatur sanctitas, et quæ erant ei impositæ litteræ, erant et sanctitatis effectrices, et roboris.

III. Pulchre ergo sic dixit. Magnam enim Deus per eam potentiam ostendit semel, et bis, et sæpenumero, ut quando capta ab Azotiis, quando simulacra dejecit, quando eos qui tetigerant percussit, quando ea reddita ut plaga cessaret effecit, et per alia, quæ illic fecit, suam ostendit potentiam. Quid est autem : « Surge in requiem tuam? » Fac, inquit, ut nos desistamus errare, et arca circumferri, et ea tandem aliquando quiescat. « Sacerdotes tui induentur » justitia [4]. » Alius : « Amiciantur. » Alius : « Induantur, » quod quidem est apertius. Est enim precantis, non prædicentis, et petentis possessionem virtutis. Justitiam autem

[1] Psal. cxxxi, 6. — [2] Ibid. 7. — [3] Ibid. 8. — [4] Ibid. 9.

hic dicit ritus sacros, sacerdotium, cultum, sacrificium, oblationes, et cum his perfectam vitæ institutionem; quoniam ea est maxime requirenda a sacerdotibus. « Et Sancti » tui exultabunt[1]. » Ubi hæc scilicet facta fuerint. Vide cum non quærere constructionem civitatis, non rerum venalium abundantiam, non aliarum rerum prosperitatem, sed templi decorem, et arcæ requiem, sacerdotum plenam perfectionem, ritus sacros, cultum, sacerdotium. Deinde quia hæc petierunt, ipsique fuerunt multis peccatis obnoxii, ad parentem rursus confugit, dicens : « Propter David ser- » vum tuum non avertas faciem Christi tui[2]. » Quid est : « Propter David servum tuum? » Non propter, inquit, illius tantum virtutem, nec quod tantum studium posuit ad hoc ut templum excitaret, sed etiam quia id es ei pollicitus. « Propter David servum tuum, ne avertas faciem » Christi tui. » Cujusnam inquit? Ejus qui tum unctus est, populumque regit et ei præest. « Juravit Dominus David » veritatem, et non frustrabitur eam. De fructu ventris tui » ponam super sedem tuam[3]. » Postquam enim David meminit, et virtutis viri, et studii quod in templum contulerat, ac vetera narravit, et ut in priori vitæ instituto appareret, rogavit, id quod est maximum caput adducit, Dei promissa. Quænam autem ea sunt? « De fructu ven- » tris tui ponam super sedem tuam. » Sed promissa non facta sunt pure et absolute, sed cum eis accedente quadam conditione. Quænam autem erat ea conditio? Audi, subjungit enim : « Si custodierint filii tui testamentum » meum, et testimonia mea hæc quæ docebo ipsos, et filii » eorum usque in sæculum sedebunt super thronum tuum[4]. » Cum his verbis concepta promissa Deus fecisset, eis tradidit chirographum : illi autem rursus dixerunt : « Omnia » quæcumque dicit Dominus faciemus et audiemus[5]. »

[1] Psal. cxxxi, 9.— [2] Ibid. 10.— [3] Ibid. 11.— [4] Ibid. 12.— [5] Exod. xxiv, 7.

Deinde quoniam videbat unam partem esse pacta conventa transgressam, deducit orationem ad locum, consolationem undique excitans, et dicens : « Quoniam elegit Dominus » Sion, elegit eam in habitationem sibi. Hæc requies mea » in sæculum sæculi. Hic habitabo, quoniam elegi eam [1]. » Hoc est : « Non homo locum elegit, sed Deus ipsum sua sententia constituit, se ad eorum imbecillitatem demittens.» Hoc est ergo quod dicit : « Quem elegisti, quem tua sententia constituisti, quem aptum esse censuisti, ne permittas ut collabatur et intereat. Hæc enim dixisti : « Hic habitabo. » Sed hæc dicebat cum illis pactis conventis. Quibusnam? « Si custodierint filii tui testamentum meum. Venationem » ejus benedicens benedicam [2]. » Alius : « Cibum. » Venationem dicit, rerum venalium abundantiam, fertilitatem, et precatur ut hæc omnia eis tanquam a fontibus affluant. Talis enim erat olim Judæorum reipublicæ status, ut eis omnia ceu a fontibus affluerent, nec sentirent ullas naturales necessitates, siquando Deum haberent propitium : nulla enim erat apud eos penuria, non fames, non pestis, nec mors immatura, nec aliquid eorum quæ solent evenire hominibus, sed eis omnia ceu ex fontibus affluebant, Dei scilicet manu corrigente humanarum rerum imbecillitatem. Hoc ergo hic dicit : « Pollicitus es te esse benedicturum ejus venationem, hoc est te præbiturum rerum necessariarum copiam cum multa securitate. « Pauperes ejus saturabo » panibus. Sacerdotes ejus induam salutari, et Sancti ejus » exultatione exultabunt. Illuc producam cornu David : » paravi lucernam Christo meo. Inimicos ejus induam con- » fusione : super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea [3]. » Vide undique constitutam prosperitatem, eo quod rebus necessariis non egeant, quod in tuto sint sacerdotes, quod populus sit in lætitia, quod rex sit fortis et potens. Hic

[1] Psal. cxxxi, 13, 14. — [2] Ibid. 15. — [3] Ibid. 16-18.

enim dicit lucernam, vel regem, vel defensionem, vel salutem, vel lucem. Cum his autem dicit maximum genus prosperitatis. Quodnam id est? Abscondi inimicos, et nullum esse qui his bonis possit aliquid detrimenti afferre. Non dixit autem absolute interitum, sed confusionem, volens eos se vivos abscondere, et latebras quærere, et per ea, quæ patiuntur, testari quanta sit vis et felicitas huic genti. « Super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea. » Quid est : « Super ipsum? » Super populum meum. Pro eo autem quod est « Sanctificatio, » alius dixit : « Cornu. » Alius : « Ejus segregatio. » Alius : « Ejus segregatum. » Quid est ergo quod dictum est? Mihi videtur hic dicere prosperitatem, securitatem, vires, regnum, quæ ei segregavi ab initio. Hæc, inquit, manebunt florentia, pullulantia, non flaccida, neque decidentia; sed hæc omnia erunt, si maneat ea, quæ prius dicta est, conditio. Quænam autem ea est? « Si custodierint filii tui testamentum meum. » Solæ enim Dei promissiones nobis bona non præbent, nisi nos quoque faciamus, quæ in nostra potestate sita sunt; nec oportet eas attendentes esse supinos, nec remissos. Multa enim quæ promisit bona Deus non facit, si qui promissa susceperunt inveniantur indigni : quemadmodum et mala quæ minatus est, non educit in opus, si ii qui eum irritarunt, postea mutentur, et iram expellant. Hæc cum nos quoque sciamus, non simus propter promissa socordes, ne corruamus, nec propter minas desperemus, sed mutemur. Ita enim poterimus nos quoque futura bona consequi, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXXXII.

Ecce quam bonum et quam jucundum? *Alius*, Ecce quid bonum et quid pulchrum : nisi habitare fratres in unum [1].

Multæ quidem res sunt pulchræ et honestæ, sed carent delectatione; aliæ sunt quidem rursus jucundæ, sed deest eis honestum. Non facile autem contingit, ut utraque conveniant. Sed in hoc quod dictum est, hæc utraque concurrunt, et voluptas, et honestas maxima. Hoc enim imprimis habet charitas, quod cum utilitate sit eadem facillima atque jucundissima. Eam ergo hic quoque laudat. Non dixit enim absolute habitationem, neque una contineri domuncula, sed in unum habitare, hoc est, cum concordia et dilectione. Hoc enim facit unam esse animam. Deinde postquam dixit honestum et jucundum, id clarius reddens, per exempla rem exprimit, et corporales similitudines, quæ possunt auditoris oculis eam melius subjicere. Vide autem quænam sunt similitudines. « Sicut unguentum » in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. » Quod descendit in oram vestimenti ejus [2]. » Hic enim, cum esset pontifex, ungebatur hoc unguento, et undique distillabat : erat autem valde gratus, jucundus, et amabilis iis qui eum videbant, propter hanc unctionem. Quemadmodum ergo ille, inquit, unctus hoc unguento, est hoc habitu

[1] Psal. cxxxii, 1. — [2] Ibid. 2.

decorus, vultu lætus, et multa repletus fragrantia, gratiamque præbet videntibus oculis; ita etiam hoc pulchrum est: et quemadmodum illud spectaculum non solum est visu pulchrum, sed etiam delectat oculos : ita etiam hoc affert voluptatem animæ. « Sicut ros Hermon, qui descendit in »montem Sion [1]. » Adduxit etiam aliam similitudinem, quæ multam habet jucunditatem, et spectatori præbet delectationem. Hæc autem non abs re posuit : sed quoniam ante captivitatem decem illæ tribus et duæ aliæ erant dispersæ, ac divisæ, et ea causa fuit multæ iniquitatis, eosque ad seditiones, contentiones et bella impulit : hæc ne fierent suadet, et consulit ne populus amplius distrahatur, sed simul habitet, sit conjunctus, unique administratori et regi pareat, charitasque ab initio ad finem usque diffluat, tanquam ros omnes pervadens. Comparat autem charitatem unguento et rori. Per illud quidem, suavitatem odoris : per hunc vero quietem et delectationem visus volens ostendere. « Quoniam illuc mandavit Dominus benedictio»nem [2]. » Illuc, quonam? In talem habitationem, in talem concordiam, in talem consensum, in tale contubernium. Hoc enim est benedictio, sicut contrarium maledictio. Quocirca hoc quoque laudat quispiam, dicens : « Amicitia »fratrum, et concordia proximorum, et vir et mulier secum »consentientes [3]. » Et alius vires ejus ænigmatice significans, dicit : « Si duo dormierint, calor erit ipsis : et funi»culus triplex non facile rumpetur [4].» Nam et voluptatem hic ostendit, et vires : nempe quiescentibus magnam fore voluptatem, et magnas vires operantibus. Et rursus : « Fra»ter a fratre adjutus, est tanquam urbs valida [5]. » Porro Christus quoque dicit : « Ubi duo aut tres congregati fuerint »in nomine meo, illic sum in medio eorum [6]. » Jam vero

[1] Psal. cxxxii, 3.— [2] Ibid.— [3] Eccli. xxv, 2.— [4] Eccl. iv, 11, 12. — [5] Prov. xviii, 19. — [6] Matth. xviii, 20.

ipsa quoque hoc natura exigit. Quocirca ab initio Deus cum hominem fingeret, dicebat : « Non est bonum hominem » esse solum [1] : » et cum faceret hoc animal, mulierem, inquam, propter necessitatem eam viro colligavit, mille modis nos inter nos conjungens. « Et vitam usque in sæ- » culum [2]. » Hoc pulchre adjecit : « Ubi enim est dilectio, illic est magna securitas, et copiosum a Deo auxilium. » Ea enim est mater bonorum; ea est fons et radix; ea est bellorum exitium, contentionis interitus. Quocirca id significans, subjunxit : « Et vitam usque in sæculum. » Quemadmodum enim seditio et contentio mortem parit, eamque immaturam : ita etiam dilectio et consensio pacem et concordiam; ubi autem est pax et concordia, vita est tutissima, et longe securissima. Et quid opus est dicere præsentia? Ea enim nobis cœlum largitur, et bona ineffabilia, et est regina virtutum. Hæc ergo cum sciamus, eam diligenter persequamur, ut et præsentibus bonis fruamur, et futuris. Quæ detur nobis omnibus assequi gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria simul cum sancto Spiritu in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Gen. II, 18. — [2] Psal. CXXXII, 3.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXXXIII.

Ecce nunc benedicite Dominum, omnes servi Domini, qui statis in domo Domini [1].

I. Psalmos [2] de gradibus hic absolvit, oratione pulchro fine conclusa, laude scilicet et benedictione. Vult esse Dei servos non solum dogmatibus, sed etiam accurata vitæ institutione. Et ideo adjecit: « Qui statis in domo Domini, in » atriis domus Dei nostri [3]. » Eum enim, qui est impurus et profanus, nefas est sacrosancta septa ingredi. Quamobrem si quis dignus est qui ingrediatur, is quoque dignus est qui benedicat. Domus enim Dei est cœlo similis, et quemadmodum ex adversariis potestatibus nullam fas est illuc intrare, ita nec in domum Dei. Considera, o homo, quantam dignitatem assequeris, et cum tu ipse quoque templum factus sis, quanta a te jure sit præstanda puritas. Quomodo autem exhibueris puritatem? si omnem malam cogitationem expuleris, si feceris ut ad mentis castellum diabolicis actionibus nullus pateat aditus, si tanquam in sanctis adytis perpetuo tuum animum exornes. Si enim in templo judaïco non licebat omnibus quemvis locum ingredi : sed erant multa et varia discrimina, et erat hic quidem locus præstitutus proselytis, ille vero Judæis qui fuerant ab initio, alius sacerdotibus, alius pontifici soli, idque

[1] Psal. CXXXIII, 1. — [2] Vide D. Guillon, tom. XVII, pag. 103-102. — [3] Psal. CXXXIII, 1.

non semper, sed semel in anno : cogita apud te quanta tibi sanctitate opus sit, qui signa multo majora acceperis, quam quæ sancta sanctorum tunc acceperint. Neque enim Cherubim, sed ipsorum Cherubim dominum habes inhabitantem; neque urnam, manna, tabulas lapideas, et virgam Aaron, sed corpus et sanginem dominicum, et spiritum pro littera, et gratiam, quæ superat humanam cogitationem, et donum inenarrabile. Quo autem majoribus signis ac symbolis et magis venerandis mysteriis dignatus es, eo major est a te præstanda sanctitas, et eo eris majori obnoxius supplicio si quæ jussa sunt transilieris. « In noctibus » extollite manus vestras in sancta. » Alius, « Sancte. » Alius, » Sanctificate. Et benedicite Dominum [1]. » Cur dixit : « In » noctibus? » Docens nos non eam totam somno consumendam esse, ostendensque puriores tunc esse preces, quando et mens est levior, et nobis est plus otii. Quod si in nocte oportet ad sancta accedere, considera quamnam consequetur veniam, qui ne domi quidem illo tempore preces fundit. Propheta enim te e lecto excitat, et deducit in templum, jubens totam illic noctem agere : at tu ne domi quidem manens hoc facis. Pulchre autem dixit : « Sancte, » docens esse orandum absque malis cogitationibus, absque odio et malevolentia, absque avaritia, absque ullo alio ejusmodi peccato, quod affert animæ exitium. « Et benedicite » Dominum. » Hoc est enim maxime perfecta benedictio, quando verborum et vitæ fuerit consensus, et per opera Deum, qui te creavit, gloria affeceris, ut vult Evangelium dicens : « Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant » opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui est » in cœlis [2]. Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cœ- » lum et terram [3]. » Hoc est, « Si hæc feceris, consequeris quoque Dei benedictionem; si pernoctes, si sancte ores, si

[1] Psal. CXXXIII, 2. — [2] Matth. V, 16. — [3] Psal. CXXXIII, 3.

sis dignus stare in domo Domini, si teipsum templum aptum præbueris. » Postquam ergo ea qua oportuit exhortatione usus est, precatione concludit orationem. Hoc est enim optimi doctoris, et consilio auditorem erigere, et precibus confirmare, robustumque reddere. Quid sibi vult hoc quod dicit : « Ex Sion? » Erat eis nomen desiderabile, sacrique omnes ritus illic peragebantur; et ideo precatur ut recuperent priorem statum religionis, illosque sacros ritus peragantur, et hanc consequantur benedictionem. Deinde eos sustollens ad altiora dogmata, et Deum ubique esse docens, jussisse autem templum ædificari propter illorum imbecillitatem, et oportere eum undique invocare, subjunxit : « Qui fecit cœlum et terram. » Sed illi quidem cum tunc illic invocabant, nos autem in omni loco, in omni agro, in domo, in foro, in solitudine, in navi, in diversorio, et ubicumque fuerimus. A loco enim non prohibentur preces, modo sint mores, qui precibus conveniant. Postquam ergo in hac re nos recte gesserimus, Deum ubique invocemus, et aderit, nosque adjuvabit, et quæcumque sunt nobis difficilia, facilia reddet et expedita, nosque bonis futuris dignabitur. Quæ detur nobis omnibus consequi, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXXXIV.

Laudate nomen Domini, laudate servi Dominum. Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. Laudate Dominum, quia bonus Dominus [1].

I. Ad hoc [2] rursus hortatur sacrificium, quod fit per laudes. Hoc est enim Deo sacrificium et oblatio. Et ideo alibi quoque dicit : « Laudabo nomen Dei mei cum cantico, » magnificabo eum in laude, et placebit Deo super vitulum » novellum, cornua producentem et ungulas [3]. » Loci autem et atriorum assidue meminit, eos loco affligens, et non sinens resilire, quandoquidem in principio quoque ipsum ideo jussit extruere, quo omnis impietas et simulacra tollerentur, ut omnes in unum locum cogerentur, et non libere effuseque vagarentur, nec nemora, fontes, montes et colles usurparent converterentque in occasionem impietatis, illic sacrificantes, et libantes in excelsis. Quocirca eum quoque morte damnat qui extra templum sacrificat, dicens : « Qui non obtulerit in tabernaculo, et sacrificave- » rit, sanguis ei imputabitur [4]. » Ea de causa eos undique illic in unum locum cogit, ut audientes, se modeste et temperate gerant, a falsaque et erronea cogitatione abstineant. Jubet autem eos canere, psallere et laudare, quia Dei laudes erant eis occasio pietatis, dum continerent veteres narrationes, ea nempe quæ in Ægypto, quæ in solitudine, quæ

[1] Psal. CXXXIV, 1-3. — [2] Vide D. Guillon, tom. XI, pag. 284-288. — [3] Psal. LXVIII, 31, 32. — [4] Levit. XVII, 4.

in terra promissionis facta sunt, quomodo lex lata sit, quæ gesta sunt in monte Sina, et quænam bella confecerunt : simulque uno eodemque tempore Deus laude afficiebatur, et qui canebant, argumentum doctrinæ capiebant, quæ et vitam eorum componebat, et ad perfecta dogmata deducebat. « Laudate Dominum, quoniam bonus Dominus. » Alius, « Quoniam benignus est. » Quod est iis qui audiunt maxime expetendum, hoc ponit assidue, humanitatem, misericordiam, benignitatem. « Psallite nomini ejus, quoniam » suave est [1]. » Hoc dicit ostendens rem ipsam habere quamdam vel per se voluptatem una cum utilitate. Præcipuum etiam ejus lucrum est, ad Deum hymnos dicere, animam expurgare, cogitationem in altum extollere, vera et accurata dogmata discere, de præsentibus et futuris philosophari. Habet autem cum his per melodiam multam voluptatem, consolationem aliquam et recreationem, atque eum, qui canit, venerandum reddit. Quod autem tales efficiat, clarum est ex eo quod alter quidem interpres dicat : « Quia » decorum. » Alter vero, « Quia suave. » Ambo autem vera dicunt. Nam licet sit millies lascivus is qui canit, dum Psalmum reveretur, sopit tyrannidem lasciviæ suæ : licet sit oppressus malis innumerabilibus, et ab ægritudine animi occupetur, dum demulcetur a voluptate, levat animum, extollit cogitationem, et mentem sublimem evehit. « Quo- » niam Jacob elegit sibi Dominus : Israël in possessionem » sibi [2]. » Non dicit beneficia, quæ sunt eis cum aliis communia, sed quod est eorum proprium et eximium. Quodnam autem hoc erat? Quod Dominus populum eum elegit, et sibi dedicavit, et præ aliis peculiarem quamdam in eos ostendit benevolentiam. Id autem faciunt ubique Prophetæ, ex beneficiis in ipsos collatis permulta dicta sua componentes. Quid est autem, « In possessionem sibi? » In

[1] Psal. CXXXIV, 3. — [2] Ibid. 4.

opes, in facultates. Etsi enim sit populus exiguus, eum tanquam divitias elegit, non paucitatem, sed virtutem attendens, ad quam volens deducere, elegit eos, eo scilicet quod alii homines non tantas ei opes parent, quantas hic populus; ita ut hoc processerit et ex ejus, qui illum elegit, benevolentia, et ad eorum institutionem. Solet enim Paulus quoque appellare divitias salutem hominum, ut quando dicit : « Idem enim Dominus, qui est dives in omnes, et super » omnes qui invocant ipsum [1]. » Et rursus, « Domino suo » stat, aut cadit. [2] » Vides quomodo ostendit Dei in eos benevolentiam, providentiam, curam, affectionem, cum eos vocaverit possessionem. Per hæc utraque ergo ostendit eximiam in eos providentiam, et quod elegerit, et quod in suam possessionem. Vidisti quomodo ostenderit ejus humanitatem? et ideo incipiens dixit : « Laudate Dominum, » quia bonus est Dominus. Quia ego cognovi quod magnus » est Dominus [3]. » Ecce aliam affert laudandi causam. Dic mihi autem, rogo. Tu nosti, alii vero non norunt? Norunt quidem, sed non ita ut ego. Est enim maxime Sanctorum, et eorum qui plurimum ascenderunt, accuratius ejus cognoscere majestatem, non quidem universam; hoc enim fieri non potest; sed apertius quam alii. « Et Deus noster » præ omnibus diis [4]. » Ecce, inquies, qui dicit magnum esse Dominum, et se id novisse, procedens, ei quod dixerat detrahit, et eum confert cum aliis, et per comparationem ei excellentiam tribuit. Nequaquam, inquit, sed tunc loquebatur habens rationem eorum, qui audiebant, paulatim eos ad id deducens. Neque enim hoc admodum magnum eum ostendit, quod dicatur Deus esse major, et magnus præ illis : sed, sicut dixi, adaptat orationem humilitati auditorum, eos paulatim erigens. Bene enim tunc cum eis agebatur, quod hæc audivissent, et persuasa haberent.

[1] Rom. x, 12. — [2] Id. xiv, 4. — [3] Psal. cxxxiv, 5. — [4] Ibid.

II. Quod enim omnes citra ullam comparationem superet, ostendit per ea quæ sequuntur, afferens maximum argumentum ejus potentiæ, et ostendens se priora dixisse propter imbecillitatem auditorum : et ideo quando tantum enuntiat, parva dicit : quando autem confirmat, et demonstrat, et ejus majestatis affert probationem, magna profert. Quid ergo postea adducit, quod sit eo dignum, et quod sit Dei tantum? Vide; subjungit enim : « Omnia quæ- » cumque voluit Dominus fecit in cœlo et in terra, in mari- » bus et in omnibus abyssis [1]. » Vidisti potentiam cui nihil omnino deest? Vidisti fontem vitæ? Vidisti vires inexpugnabiles? Vidisti excellentiam omnino incomparabilem? Vidisti potestatem quæ nullo modo prohibetur? Vidisti ei omnia expedita et facilia? « Omnia enim, inquit, quæcum- » que voluit fecit. » Dic, ubinam? « In cœlo et in terra. » Hoc est, non hic solum, sed etiam in cœlo : non in cœlo solum, sed etiam in terra : non solum in terra, sed etiam « In maribus et in omnibus abyssis. » Per abyssum enim dicit quæ sunt infra terram, quemadmodum dicendo, « In cœlo, » ea quæ sunt super cœlos. Unde cum tot et tanta sint, voluntas ejus nequaquam impeditur, sed omnia pervadit, et quod est admirabile, is qui ea fecit, nullo negotio, vel labore, non jussu, sed voluntate fecit. Solum enim voluit, et opus statim consecutum est. Vidisti quomodo ostenderit quam facilia ac copiosa fuerint ejus opera, et quomodo ejus potestas prohiberi non poterat? Deinde mittens dicere de cœlo, et terra, et mari, affert ea quæ sunt in eis, sed nec omnia quidem quæ sunt in eis, sed cum prætermisisset ea quæ sunt in cœlo, etsi sunt admirabiliora, dicit ea quæ sunt circa cœlum. Qua de re? Quoniam illa quidem etsi magna essent, erant tamen multis ignota : hæc autem licet minora, cernebantur tamen, et omnes habe-

[1] Psal. CXXXIV, 6.

bant spectatores. Quia ergo verba faciebat apud homines, qui non tantum fide ducebantur ad ea cogitanda quæ non apparebant, quantum ex iis quæ apparebant veluti manu ducebantur : ab iis incipit texere orationem et doctrinam, quod aliis faciendum suadet hoc et ipse faciens. Quodnam hoc? Deum ex ejus operibus laudare, eum qui singula ejus opera didicerit, ipsique pro singulis gloriam referre. Quia enim ad eum laudandum adhortans, assidue dicebat : « Lau» date nomen Domini, laudate servi Dominum : » ostendit etiam quomodo laudare oporteat, persequendo universum corpus creaturæ, laudando, et admirando sapientiam, providentiam, potentiam, curam. Hinc discimus non esse hoc solum nostrum mare, sed multa et diversa, et infinita maria. Dixit enim : « In maribus et omnibus abyssis. » Caspium enim, et Indicum, et Rubrum sunt ab hoc utique disjuncta, et Oceanus qui ambit extrinsecus. « Educens » nubes ab extremo terræ [1]. » Alius, « Sustollens. » Alius, « Attrahit ab extremis finibus. » Alius, « A finibus. » Hoc etiam in Job dictum est : « Alligans aquam in nubibus » suis [2]. » Et Salomon : « Continens aquam in vestimento [3]. » Hic autem non hoc dicit, sed aliud mirabile. Quidnam? Quod aër, cum crassior fuerit, sursum fertur et transmittitur, et ascendit id quod grave est, via contraria ingrediens. Admirabile autem est quod aqua in eo contineatur : sed multo admirabilius, quod in eo quod leve est contenta feratur : et adhuc admirabilius, quod aqua, quæ in illo aëre continetur, postquam e nube effluxerit, ab aëre qui sequitur, non amplius contineatur, sed undique diffluat, et in terram deferatur. Atqui si ea contineretur ex natura, oporteret eam etiam contineri in aëre. Quemadmodum enim si quis utrem in aërem abire sineret, aqua plenum, deinde erretur ab aëre, ferretur etiam aqua quæ intus continetur,

[1] Psal. CXXXIV, 7. — [2] Job. XXVI, 8. — [3] Prov. XXX, 4.

si effluxisset ab utre : ita consentaneum esset hic quoque fieri. Sed quia cuncta opera sunt admirabilia, et superant opinionem, supra rerum ordinem et rationem omnem fiunt hæc omnia. Quod enim in nubis aëre continetur, non continetur in aëre qui consequitur. Vidisti rem admirabilem, et quomodo, quod cæteris videtur esse minus, id cum posuit, fecit ut sit admirabile? Deinde ostendit etiam aliud admirabile, dicens : « Ab extremo terræ » vel, « A summo terræ. » Non solum enim ascendunt, sed etiam vadunt, nec ubi apparuerunt, illic emittunt pluviam, sed cum multa sæpe loca prætercurrerint, alibi imbres pariunt, civitatibus et gentibus præteritis. Non est ergo hoc solum mirabile, quod sustollantur, sed etiam quod incedunt tanquam in tabulatis, ferentes tantam molem aquarum.

III. « Fulgura in pluviam fecit [1]. » Vide rursus aliud mirabile, diversas naturas convenientes. Neque enim fulgure est quidquam magis igneum, neque aquis est aliquid frigidius : ea tamen miscentur, nec confunduntur, neque contemperantur, sed unaquæque conservat suos fines. Manens enim ignis in aqua, et aqua in igne, neque hic illam exsiccavit, nec illa eum extinxit. Atqui fulgur est igne solari acutius, et splendidius, et eo magis secat, ac dividit. Id testatur visus, qui cum radiis solis assidue congreditur : illius autem impetum ne tantillum quidem ferre potest. Et sol per totum diem cœlum percurrit, illud autem minimo momento temporis universum orbem terræ, quemadmodum Christus quoque testatur dicens : « Quemadmodum » fulgur proficiscitur ab oriente, et apparet usque ad occi» dentem [2]. Qui producit ventos de thesauris suis [3]. » Hæc est rursus alia naturæ species, quæ nobis non parvum usum exhibet, sed tantum ut vitæ nostræ plurimum conferat, et labore confecta corpora recreet ac refrigeret, et aërem

[1] Psal. CXXXIV, 7. — [2] Matth. XXIV, 27. — [3] Psal. CXXXIV, 7.

efficiat leviorem. Hoc est enim munus ventorum, aërem suscitare ac ventilare, ne, si sit immobilis, corrumpatur, fructus maturare, corpora nutrire. Quid vero, dixerit quispiam, usus eorum in navigatione : tempora quibus certo et constituto ordine oriuntur, et sibi inter se vicissim cedunt, in mari choreas ducentes, et nautas transportantes? Hic enim transmittit : ille vero excipit : et contrarias vias ingrediuntur, et ministrant, et pugna eorum est rursus vitæ nostræ utilis. Alia innumera dici possent ventorum munera. Hæc tamen omnia Propheta prætermittens, et auditori colligenda relinquens, eorum fabricationis facilitatem ostendit. Nam quod dixit, « Ex thesauris suis, » non hoc significat, aliquos esse ventorum thesauros, sed ejus qui constituit facilitatem indicat, et quam sit creatura prompta et expedita. Quemadmodum enim qui habet in thesauro, secure omnia, et quando vult, profert : ita etiam universi Opifex omnia facile condidit, et naturæ tradidit. Vides quanta sit etiam in aëre differentia, quemadmodum sunt in aqua et igne multæ mutationes? Aquarum enim aliæ sunt fontium, aliæ vero marinæ, aliæ autem aëriæ, aliæ sunt in nubibus, aliæ vero cœlestes, aliæ supra cœlos, aliæ subterraneæ. Et in igne, hic quidem est in sole, ille vero in luna, alius in stellis, alius in fulgure, alius in aëre, alius qui fit ex lignis, qui est apud nos, et is qui est in lucernis, alius qui ex terra : est enim sæpe ejusmodi ignis, qui e terra editur, sicut fontes aquarum : alius qui fit ex collisis lapidibus : alius qui est in comis arborum, quæ ipsæ quoque colliduntur; alius autem in fulminibus. Ita etiam in aëre, hic quidem est crassior, qui est circa nos : ille vero subtilior, qui autem est superior, magis igneus. Ventorum quoque sunt multæ differentiæ : hic quidem subtilior, ille vero crassior : alius frigidior, alius siccior : alius humidior, alius calidior. Aër autem et nubes, hic quidem tardior : illa

vero progreditur celerius, perinde ac si esset eques. Ita etiam in nubibus et ventis, hæ quidem sunt similes urnis et vasis aquariis, ut quæ aliquando sint plenæ aquis, aliquando ferantur inanes : aliæ vero sunt flabello similes. Tu autem hæc eorumque diversitatem et varietatem considerans, admirare Opificem. « Qui percussit primogenita Ægyp» ti [1]. » Postquam dixit generalia, et ostendit Dei providentiam in universum orbem terræ, per fulgura, per ventos, per aërem, per nubes, per pluvias, et eorum nugas arguit, qui dicunt providentiam usque ad lunam pertingere : accedit ad singularia, nempe ad ea quæ sigillatim privatimque Judæis facta sunt. Quod enim terra, et cœlum, et universa quæ videntur Dei benignitatem sentiant, ex iis quæ dicta sunt ostendit : ut autem memori et grato animo Judæos efficeret, narrat etiam singularia, ostendens universorum Deum, et qui omnium curam gerit, eis quædam propria beneficia largitum esse. Quanquam quæ in illos quoque fiebant, erant rursus generalia. Quod ipsi enim electi essent ex aliis, id faciebat ut illos æmularentur : quod Paulus quoque significans, dicit : « Eorum delicto salus gentibus, ut eos æmu» larentur [2]. » Quemadmodum enim pater, cum filii ab eo abscedunt, unum ex eis sumit et considere facit supra sua genua : non hoc autem facit propter illum, sed multo magis propter alios, ut eo honore perciti ad patrem accurrant, eamdem indulgentiam sensuri : ita etiam Deus fecit Judæis. Eis enim non super genua, sed super brachia [3], ut dicit Propheta, et super dorsum assumptis, quæ sunt eis expetenda largitur, templum, sacrificia : et quæ maxime ac cum majore cura quærebant, in bello auxilia, victorias, tropæa, rerum terrenarum copiam, et fructuum fertilitatem, eis illos instruens et adornans, et alios ad æmulationem adducens. Sed quoniam evasuri erant improbi, si eis

[1] Psal. cxxxiv, 8. — [2] Rom. xi, 11. — [3] Osee xi, 3.

perpetuo blandiretur, ipsos quoque per supplicia moderatur. Magna est enim Dei sapientia, et in rebus difficillimis viam exitumque invenit.

IV. Vide autem Prophetæ prudentiam, qui a generalibus ad hæc deduxit orationem : ne quis enim stultus existimaret Dei providentiam versari in singularibus, quando venit ad generalia, tunc hæc quoque attingit, dicens : « Qui » percussit primogenita Ægypti [1]. » Annon vobis videntur hæc magis facta esse propter Judæos? Si igitur ostendero hæc quoque facta esse propter alios, quid dicent ii qui effutiunt Dei providentiam ad universa minime pertinere? Quomodo ergo potest hoc ostendi? Certe sufficit a Deo enuntiata sententia quæ hoc significat, et dicit : « Ut ostendam » in te potentiam meam, et ut annuntietur nomen meum » in universa terra [2]. » Vidisti mortem illam fuisse Evangelium, et plagam illam divinitus immissam fuisse prædicationem, ut quæ ubique pervaderet et Dei potentiam prædicaret? Universi ergo orbis terrarum curam gerit, etiam quando res Judæorum administrat. Atqui potentiam suam olim quoque declaravit, ut in Joseph, ut in Abraham, sed nunc tamen apertius. Quomodo? Tunc quidem per beneficium : nunc autem per plagam : nec intermittit, ut jam sæpe dixi, assidue et in unaquaque generatione seipsum ostendere, et per opera manifestum reddere. Non id autem semper facit eodem modo, sed varie et diversis modis. Tunc quidem per uxorem Abrahæ, sterilitate illam affligens. Postea autem per famem, deinde per rerum copiam, post hæc vero per plagas frequentissimas. Quoniam ergo condemnabant Deum imbecillitatis, ipsi et primogenitos occiderunt, et fluvium cruentarunt ; eo ipso tempore vires quoque suas eis ostendit per quædam paulo obscuriora. Obstetrices enim Ægyptiorum, cum crudelia illa jussa contempsis-

[1] Psal. CXLIV, 8. — [2] Exod. XIV, 16.

sent, et sævum regis decretum elusissent, magna rerum copia donatæ sunt Utraque autem hæc erant Dei providentiæ, scilicet quod et mulieres majorem virtutem ostenderint, quam ii quorum erat caput redimitum diademate : et quod eas remunerata sit, et in magnam multitudinem eas propagaverit. Illud enim, « Benefecit obstetricibus [1], » hoc est, extensa est earum cognatio : etenim per ea ipsa beneficia, quæ in Judæos contulerunt, mercedem a Deo acceperunt. Quoniam ergo non occidebant eorum infantes, numerosam prolem eis Deus largitus est. Sed quoniam pergebant esse stupidi, et omni sensu privati, acriorem eis plagam inflixit : et didicit quidem universus orbis terræ, didicerunt autem etiam Ægyptii : sed illi quidem ex auditu, hi autem in iis malis quæ sibi ipsis evenerunt, et visu, et rei experientia Dei potestatem viderunt. Etenim ideo eis prædixit, ne videretur esse plaga vulgaris mortis, quæ fortuito aliquo casu evenisset. Quod itaque alicubi dictum est de Servatore, hoc hic quoque dicere possumus. Quidnam? « Dominare in medio inimicorum tuorum [2]. » Non enim eis in solitudinem eductis, nec in aliquo alio loco, sed in ipsa civitate plagam intulit. Vide autem in ipsa etiam plaga clementiam. Cœpit enim prius a pecoribus, et tunc ad homines processit. Quis ergo non admiretur potentiam, quomodo omnia in uno temporis momento simul attulit, indulgentiam item, et sapientiam ineffabilem? Neque enim hanc primam plagam inflixit, eos volens per alias corrigere, nec quando inflixit, non prænuntiatam inflixit. Quamobrem? Ut eos verbis castigaret, et ne devenirent ad rerum experientiam : nec rursus quoniam non correcti fuerunt, permisit ut esset plaga dubia. Ne quis enim existimaret fortuito aut morbum, aut pestem incidisse, vide quot res concurrant. Primum omnes in una

[1] Exod. 1, 20. — [2] Psal. cix, 2.

nocte. Secundo omnia primogenita. Si enim fuisset pestis, non sola tetigisset primogenita, secundis vero pepercisset; sed omnes citra ullum discrimen pervasisset. Tertio si fuisset pestis, non abstinuisset omnino a Judæis, nec solos tetigisset Ægyptios, sed ea multo magis corpora confecisset, quæ labore et miseria, et tot et tantis malis confecta fuerant, quæ paupertate et fame jampridem adeo exhausta erant : non regum, et eorum qui erant auctoritate et dignitate præditi, qui libere et secure vivebant, quibus omnia quæ ad cultum et ad vitam pertinent abunde suppetebant. Si fuisset pestis, non repente venisset, sed antequam ingruisset, prævia adventus signa dedisset. Nunc autem hæc simul fiunt, ut Ægyptiorum arguatur vecordia : etenim post hanc plagam, et postquam aperte didicissent esse plagam divinitus immissam, persecuti sunt Judæos qui recesserant, quod est signum maximæ eorum vecordiæ, et Dei maxima defensio. Quoniam enim erant signa cessatura, ea ejusmodi signi exitu conclusit, quo ea, quæ ante facta sunt, defendit apud eos qui volunt attendere. Ne quis enim diceret: « Cur puniuntur omnes, cum rex Judæos detineret, et peccaret? » Per hoc ultimum solvit hanc dubitationem. Quomodo per ultimum? Quoniam quando percussa sunt eorum primogenita, vel invito rege Judæos expulerunt. Quare etiam si voluissent ab initio, potuissent esse eo superiores. Non igitur regem ideo non vicerunt, quod non possent, sed quod nollent. Quinetiam ea quæ postea consecuta est persecutio, crimen eorum amplificat.

V. Hoc etiam evenit in Saül. Quando enim ejus filium eripere oportebat, omnes vulgo assentantes regi eum, tametsi legem ille transgressus esset, eripuerunt : quando autem volebat occidere tot sacerdotes, ne vocem quidem emiserunt, nec eos defenderunt. Quod si tunc habebant naturam quæ pro eis faceret, hic etiam habebant juris na-

turam. Erant enim sacerdotes, et erat cædes nefaria, et ira non ex recto judicio profecta. Sed hujus rei causa erat socordia, et quod sacerdotum vicem non valde dolebant. Vide ergo quæ mala postea inciderint. Illius enim negligentiæ non leves pœnas dederunt. Quando ergo factum fuerit aliquid nefarium, nemo sit iners et ignavus, sed igne ardentior : nec minus doleat, quam ii quibus fit injuria, et ita plurima mala sistentur. « Ab homine usque ad pe-» cus[1]. » Cur autem etiam pecora? Quoniam propter homines facta sunt, ea quoque punit propter hominem, ut augeat timorem, ut intensiorem reddat calamitatem, ut ostendat plagam esse divinitus immissam, et bellum procedere de cœlis. « Emisit signa et prodigia in medio tui, Ægypte[2]. » Quid est, « In medio tui? » Vel locum dicit, vel idem est quod, manifeste. Illud enim, « In medio, » ubique idem significat quod aperte, ut quando dicit alicubi : « Fecit salutem » in medio terræ[3]. » Est enim medium manifestum omnibus. « Emisit signa et prodigia in medio tui, Ægypte. » Jure autem optimo : ea enim fiebant ad correctionem, et ad eos ostendendos qui erant lucraturi. Non temere enim eveniebant, sed modo admirabilissimo. Quare et eo quod feriebant, et eo quod mirabiliter, duplicem afferebant utilitatem. « In Pharaonem, et in omnes servos ejus[4]. » Vidisti potentiam ineffabilem, quomodo cum omnes simul essent, de eis sumptum est supplicium, et illi quidem patiebantur, alii vero lucrabantur? Quomodo autem dicit : « In omnes » servos ejus? » Atqui non habebant omnes primogenita. Sed dicit de aliis signis : et dum in Ægypto quidem hi ferirentur, lucrum faciebant Judæi : dum autem in solitudine beneficio Judæi afflicerentur, alii juvabantur (1) : et plagas quidem inflixit hostibus, hos vero affecit beneficiis, per

[1] Psal. CXXXIV, 8. — [2] Ibid. 9. — [3] Id. LXXIII, 12. — [4] Id. CXXXIV, 9.

utraque omnes juvans. Et cur non hos quoque beneficio afficit? Quoniam soliti sunt plerique homines percussi potius quam beneficio affecti Deum agnoscere. Quod enim nollet eos punire, vide eum assidue differentem, et plagas cohibentem, et per utraque ostendentem potentiam suam et clementiam. Atqui sat fuisset post unam, secundam et tertiam, tanquam qui morbo immedicabili laborarent, eos omnino perdere : at noluit, sed et quanquam futura præsciret, et quod nec quinta, nec sexta, nec decima meliores futuri essent, non destitit facere quæ sua erant. Unde maxime ejus potestatem, curam, sapientiam et bonitatem admirari æquum est. Potentiam, quod percusserit; curam, quod cohibuerit; sapientiam quod cum sciret futura, quæ sua erant fecerit : quod ipsum quoque est maximæ clementiæ, quod incipiat a minoribus, quod ab iis quæ non sunt ratione prædita. Progrediens autem ipsum quoque regem attigit : quod etiam maxime fecit ut prædicarentur quæ eveniebant. Quæ enim privato alicui accidunt, latere etiam consentaneum est : quando autem vir est insignis qui plagam accipit, nihil vetat quominus res ubique audiatur. Postquam vero dixit causam, cur percusserit, dicit etiam plagas. Sed neque eas sæpe recenset, neque sigillatim persequitur : sed cum eas uno verbo significasset, prætercurrit dicendo : « Emisit signa et prodigia in medio tui, Ægypte. » Deinde educit rursus populum ex Ægypto in desertum, ubique ostendens se non esse Deum tantum alicujus partis, nec in unam solam regionem dominatum obtinere, sed in universum orbem terræ. Quocirca subjunxit dicens : « Qui » percussit gentes multas, et occidit reges fortes [1]. » Per totam viam pignora variis modis præbens suæ potentiæ, et in ipsis docendis per res ipsas deducens. Per bella enim, priora quoque docuit, non naturam aëris, non potentiam

[1] Psal. CXXXIV, 10.

elementorum, nec aliquid aliud ejusmodi, sed imperatoriam manum, quæ eos ducebat, pro eis bellum gerere; et utrumque per utrumque ostendit; per ea quæ facta sunt in Ægypto, ea quæ in solitudine facta sunt : et per ea quæ facta sunt in solitudine, ea quæ in Ægypto sunt edita. Quando enim ipsi absque armis, acie et prælio inimicos profligabant, eis aperte ostendebat se in Ægypto quoque non opus habuisse elementis ut ea adversus illos moveret, sed variis et diversis modis volentem suam ostendere potentiam, creaturis ad ea usum esse. « Seon regem Amor-» rhæorum, et Og regem Basan [1]. » Non persequitur urbes, neque in singulis insistendo paulatim narrat prælia : sed rursus magno animo prætercurrit innumerabiles catervas miraculorum. Cum enim posset immorari, et tragœdiam illam amplificare, non hoc facit : sed cum maxima se offerret multitudo eorum, quæ a Deo gesta sunt, ea omnia prætercurrendo prosequitur. Atqui illi quidem erant armati, et urbes munitas habitabant, et rei militaris et instruendæ aciei erant periti : hi vero exules, et bellandi ignari, a longa servitute et diuturna tyrannide liberati, fame et ærumnis consumpti, omnibus ad accipiendam injuriam expositi. Sed illa ducente manu omnium potentissimi erant.

VI. Erat etiam bellum justum. Neque enim eos invasissent, nisi illi eis causam dedissent, et viam eis interclusissent, quod erat extremæ inhumanitatis : et Idumæos non sivit ad bellum accedere. Ne enim silentio confidentes, post hæc rursus invaderent, sed scirent cum quibusnam bellare, a quibus vero abstinere oporteret, hoc facit in solitudine, per res ipsas legem eis constituens, quomodo oporteret uti eis qui illis occurrerent. « Et omnia regna » Chanaan [2]. » Vidisti ex his doceri universum orbem terræ?

[1] Psal. cxxxiv, 11. — [2] Ibid.

Quemadmodum enim ignis spinas, ita ii omnes invaserunt, nec poterat quisquam eos sustinere. Audi ergo quid dicat Balaam (z), qui non a Prophetis, non a Mose didicerat, sed a rebus ipsis : « Hæc est gens quæ elingit omnem terram [1]. » Vidisti proprie dictam metaphoram? Non dixit : « Quæ bellum gerit, quæ fundit et evertit, » sed « Quæ elingit, » volens ostendere quam facile ab eis pariatur victoria, et quomodo citra sanguinem ab eis tropæa erigantur, et sola eorum incursione inimici profligentur. Non opus, inquit, habent instructa acie, nec ut prælium committatur, sed tantum invadere satis est, et omnia eis cedunt. Non solum enim ut lege belli et instructa acie vincerent effecit, ne quis ea quæ fiebant, eis attribueret, sed elementa orbis terræ in eos commovebat, et ideo animos eorum primum dejiciebat et perturbabat, et cadens grando multos perdidit, et sol stetit, et bellum longius protraxit, et multa ejusmodi admirabilia facta sunt, et tubarum sonitus vel igne vehementius in turres irruens, muros diruit. Hoc autem utrisque fuit utile. Nam illi discebant bellum non geri ab hominibus, et hi docebantur ut ad Deum respicerent, nec unquam de rebus gestis se jactarent, magnosve spiritus sumerent, sed se honeste et moderate gererent. Hoc enim modo vicisse majus eis ornamentum afferebat, quam solum vicisse, ut quod eos splendidos redderet, et modestiam doceret; splendidos certe, quod talem haberent Imperatorem ; modestos autem, quod præclaris suis factis non intumescerent. « Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Israël populo suo [2]. » Hoc quoque est maximum miraculum, quod non solum expellerent, sed terram etiam occupare possent, et urbes distribuere : quod eis quoque magnam præbebat voluptatem, magnum ornamentum, magnam lætitiam. Id autem Dei quoque est potentiæ. Non

[1] Num. xxii, 4. — [2] Psal. cxxxiv, 12.

enim parva res est occupasse regionem hostium, sed ad hoc quoque magno Dei auxilio opus est. « Domine, nomen »tuum in æternum, et memoriale tuum in generationem »et generationem [1]. » Alius, « Recordatio tui. » Hic intercipit orationis seriem glorificatione, quod semper solent Sancti facere. Postquam enim de Dei miraculis aliquid dicere incipientes, inflammati fuerint, non prius ad finem perveniunt, quam pro iis, quæ dicta sunt, Deum gloria et laude affecerint, et ita suum desiderium impleverint. Quod etiam Paulus ubique facit; maxime autem in proœmiis Epistolarum, ut quando dicit Ecclesiis Galatiæ : « Gratia vo»bis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo, »qui dedit seipsum pro peccatis nostris secundum volun»tatem Dei et Patris nostri : cui gloria in sæcula sæculo»rum. Amen [2]. » Et in Epistola ad Romanos : « Quorum »adoptio, et gloria, et cultus, et promissio, quorum patres, »et ex quibus Christus secundum carnem, qui est super »omnia benedictus Deus in sæcula. Amen [3]. » Et rursus alibi : « Regi autem sæculorum immortali, invisibili, soli sa»pienti Deo honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen [4]. » Ita etiam hic Propheta, cum mente agitasset universam Dei providentiam, plagam in Ægypto, varia et diversa beneficia, quæ in solitudine ab illo in Judæos collata sunt, quæ pro illis adversus hostes facta sunt, ab ejus ineffabili benignitate inflammatus, emisit glorificationem, dicens : « Domine, nomen tuum in æternum; Domine, memoriale »tuum a generatione in generationem. » Hoc est, « Gloria tua est perpetua. Nihil enim ei affert ullum detrimentum, nihil eam interrumpit, sed est semper, et manet immutabilis, et a conversione omnino aliena, florens ac vigens. » Quid est autem, « Memoriale tuum in generationem et ge-

[1] Psal. CXXXIV, 13. — [2] Gal. I, 3-5. — [3] Rom. IX, 4, 5. — [4] 1 Tim. I, 17.

» nerationem? » Tui, inquit, memoria non desinit, et finem non habet. « Quia judicabit Dominus populum suum, et » in servis suis deprecabitur [1]. » Vel utraque hæc dici possunt de populo, quod de eo pœnas sumet, et postea cessabit et ipsos recreabit : vel divisim, Consolationem quidem accipiet, de populo : judicabit autem, de hostibus. Hoc est, illos quidem recreabit; hoc enim sibi vult illud, « Consolationem accipiet; » judicabit autem hostes, hoc est, de ipsis pœnas sumet.

VII. Deinde quoniam non poterat dicere eorum recte facta, hac justificandi ratione utitur, nempe nomine populi, et nomine servorum. Cum autem dixit : « Deprecabitur, » ostendit reconciliationem esse illius clementiæ, non autem ex illorum meritis. Ubi enim deprecatio, venia opus est : ubi autem opus est venia, non sunt recte factorum merita, sed est tempus clementiæ. Quoniam ergo dixit superius : « Memoriale tuum in generationem » et generationem, » soli autem ex aliis gentibus ipsi tunc Deum sibi ascribebant, per hoc tale quid significat, et dicit : « Salus populi ostendit tuam apud multos gloriam. » Quæ enim natura ei inest gloria, etsi nullus eum colat et observet, perpetuo manet, et nec minui, nec dissolvi, nec mutari potest. Quæ sit autem ejus apud multos laudatio, a nostra etiam salute ostendetur, cum nos civitatem, ædem sacram, et templum receperimus, et pristinæ reipublicæ restituti fuerimus. « Simulacra gentium argentum » et aurum, opera manuum hominum [2]. » Quoniam in principio dixerat : « Dominus autem noster præ omnibus » diis, » et visus est per comparationem introducere quamdam excellentiam, propter imbecillitatem eorum qui audiebant, vide quomodo hoc verbis amplificat. Postquam enim a Dei potentia initium duxit, et dixit quæ in cœlo sunt,

[1] Psal. cxxxiv, 14. — [2] Ibid. 15.

quæ in terra, quæ in abyssis, quæ in Judæis, quæ in propria, quæ in aliena terra, quæ in hostibus, quæ in gentibus facta sunt; deinde cum ejus benignitatem revocasset in memoriam, bonitatem, clementiam, curationem, sapientiam, et potentiam, et Deum esse universorum, et universi orbis terræ curam gerere ostendisset, irridet deinceps et ludificatur idolicorum deorum imbecillitatem, et statim ab ipsa natura in ipsos invehitur: imo vero ipsum nomen ad eorum reprehensionem adducit. Idolum enim nihil est aliud quam quid imbecillum et abjectum, et nomen summæ infirmitatis. Quocirca hinc incipit, dicens: « Simula» cra gentium argentum et aurum. » Primum, quod simulacrum; secundum, quod inanima materia; tertium, quod hoc ipso quod sunt simulacra, non solum ex seipsis imbecilla, vilia et abjecta sint, sed etiam quod ab hominibus facta. Quocirca subjunxit: « Opera manuum hominum, » quod quidem est maxima reprehensio eorum qui illa colunt, nempe quod cum ipsi sint in causa cur ea sint, in eis tamen suæ spem salutis collocent. « Os habent, et non » loquentur. Oculos habent, et non videbunt. Aures ha» bent, et non audient. Neque enim est spiritus in ore ip» sorum. Similes illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui » confidunt in eis [1]. Os, inquit, habent, et non loquentur. » Vidisti quomodo auget irrisionem, et fraudem coarguit? Quoniam enim ea sæpe movent dæmones, fictionem et simulatum actum eorum detegit, ostendens non esse spiritum in ore ipsorum. Et quænam est causa quod malus dæmon absque illis nihil facit, nec loquitur? Quoniam stupri, adulterii, et innumerabilium vitiorum columnæ sunt horum simulacrorum figuræ: docens eos, qui seducuntur, per ipsum statuarum aspectum eas res imitari, quarum figuram præferunt statuæ, eis assidet ea movens,

[1] Psal. CXXXIV, 16-18.

et decipiens. Deinde rursus alio ludificationis genere ea aggreditur : « Similis illis fiant qui faciunt ea. » Considera apud te quales dii sint, quibus fieri similes dira est imprecatio. Nostra autem non ita habent. Extremus enim virtutis finis est, id quod facit ad summum bonorum fastigium pertingere, ut Dei, quantum fieri potest, similes simus. Apud illos autem, inquit, et cultus est, et dii tales, ut eis esse similes locum teneat extremæ imprecationis. Quod igitur sint materia inanima, quod fiant ab eis qui illa colunt, quod sint simulacra informia, quod jaceant nullo sensu prædita, et quod adjecerit pro dira imprecatione, ut quis eis evadat similis; per hæc, inquam, omnia ostenditur summus error. Postquam ergo ostendit eorum imbecillitatem, errorem, dæmonum improbitatem, eorum qui illa faciunt stultitiam, ab his cito liberatus, concludit orationem glorificatione, non amplius narrans ea quæ Deus fecit, ut qui ea jam satis demonstrarit, sed pro omnibus quæ sunt in confesso, laudem exigens ab iis qui fruuntur ejus beneficio, et ideo vocat omnes ad glorificationem, sic dicens: « Domus Israël, benedicite Domino. Domus Aaron, » benedicite Domino. Domus Levi, benedicite Domino. Qui » timetis Dominum, benedicite Domino. Benedictus Domi- » nus ex Sion, qui habitat in Jerusalem [1]. » Cur ergo non omnes simul vocat, sed in ordines dividens? ut scias esse magnam differentiam benedictionis. Aliter enim sacerdos, aliter Levita, aliter laïcus, aliter frequens populus benedicit. Dicere autem, « Benedicite, » est ejus qui ostendit beatam illam naturam, et ab interitu alienam. « Benedicite enim, inquit, quod liberati estis ab adversariis, quod digni habiti estis qui talem Deum adoraretis, quod veritatem agnovistis. Est enim ipse quoque benedictus, in natura habens benedictionem, nec laude aliorum indigens; ve-

[1] Psal. CXXXIV, 19-21.

rumtamen vos quoque benedicite, non quod ei aliquid ex eo accedat, sed quod ipsi magnum fructum ex ea re percipiatis. » Etsi enim est natura benedictus, ut certe est, vult tamen etiam a nobis benedici. Sion autem rursus memorat, et Jerusalem. Quoniam enim illic erat constituta eorum respublica, illic fundatus erat eorum cultus, et ex eo loco docebantur et instituebantur : vult ea loca veneranda ac magnifica reddere ipso Dei cognomine, ut cum essent veneranda, majus illorum esset in ea studium, et cum esset majus studium, ad ea magis attraherentur : attracti vero in Dei cultum magis defigerentur : defixi autem, ad majorem virtutem deducerentur, propter quam omnia facta sunt. Sed tunc quidem erant Jerusalem et Sion; hodie autem cœli, et quæ sunt in cœlis. Illi ergo nos, quæso, defixi simus, ut futura etiam bona consequamur gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXXXV.

Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus [1].

I. Postquam autc locutus est de Dei in homines beneficiis, de ejus quoque misericordiæ magnitudine disserit, non eam metiens, nec enim id fieri potest; sed per infinitum volens ostendere ejus magnitudinem; invitatque

[1] Psal. cxxxv, 1.

omnes ad glorificationem, dicens : « Confitemini Domino. » Hoc est, « Gratias agite, laudate ipsum. « Quoniam in sæ- »culum misericordia ejus. » Quid est, « In sæculum? » Non aliquando quidem, inquit, beneficio afficit, aliquando vero recedit : neque modo miseretur, modo desinit, quod evenit in hominibus, quos prohibet animi perturbatio, distrahit fractus et abjectus animus, impedit obsequium, nec permittunt varii casus, rerumque conditio. At Deus non est ejusmodi, sed perpetuo miseretur, nec unquam desinit hoc facere, etiamsi hoc faciat variis et diversis modis. Semper ergo miseretur, nec unquam cessat beneficio homines afficere. Deinde postquam dixit eum misereri perpetuo, ostendit etiam argumenta misericordiæ, quod ejus misericordia semper maneat, ex iis quæ videntur, ea asserens : et quoniam eos deducebat ad pietatem veramque religionem, vide quomodo eum rursus confert cum diis Gentilium, ad captum auditorum eodem modo se demittens. Quid enim dicit : « Confitemini Deo deorum. » Singulis subjungens : « Quoniam in sæculum misericordia »ejus [1]. » Et « Confitemini Domino dominorum [2]. » In præcedenti quidem Psalmo dicebat eum esse præ omnibus diis : hic autem adhuc amplius, eum esse illorum herum et Dominum, sive idolorum dicas, sive dæmonum. Etsi enim offenderint dæmones, sintque probro et ignominia notati, servi tamen sunt, eique subditi. Propterea ergo, inquit, confitemini, quod habeatis Deum omnium supremum, cui nullus est similis, qui herus est omnium, et Dominus. Atqui dicitur etiam Deus eorum qui illi placent, ut quando dicit : « Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et »Deus Jacob [3] : » Quomodo ergo hic dicit : « Dæmonum? » Sed illud aliter, et hoc aliter. Illic enim ut ostendat familiaritatem et conjunctionem, magnumque suum in eos

[1] Psal. cxxxv, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Exod. III, 6.

amorem : hic autem, ut suam significet eminentiam. « Qui »facit mirabilia magna solus. Quoniam in sæculum mise»ricordia ejus [1]. » Postquam asseruit eum esse deorum herum et Dominum, assertionem deinceps probat, et quod dictum est confirmat, ex potentia eum rursus prædicans. Non dixit autem : « Qui fecit, » sed, « Qui facit, » ostendens eum assidue beneficio afficere, resque admirabiles, et quæ sunt opinione majores, facere. Hæc autem duo ponit quæ sunt in eo eximia, et quod faciat, et quod solus faciat : atque adeo tria et quatuor, nempe quod faciat, quod miracula, quod magna miracula, et quod solus faciat. Hæc autem dicta sunt non ut vilipenderetur Filius, sed ut inter eum et dæmones ostenderetur discrimen et distinctio. Et quænam sint hæc miracula magna videamus, quæ solus facit. Atqui in principio non loquebatur de potentia, sed de benignitate et clementia. « Confitemini enim, inquit, »Domino, quoniam bonus. » Quomodo ergo accidit ut nunc loquatur de potentia? Quoniam hæc miracula non solum sunt potentiæ, sed etiam benignitatis et clementiæ. Quænam autem sunt miracula ostendens, subjungit dicens : « Qui fecit cœlos in intellectu. Qui firmavit terram »super aquas. » Alius, « Qui compilavit terram in aquis. »Qui fecit luminaria magna solus. Solem in potestatem »diei. Lunam et stellas in potestatem noctis [2]. » Hæc etsi ejus potentiam et sapientiam indicant, attamen ejus quoque magnam benignitatem ostendunt. Quia enim sunt adeo magna, pulchra, et firma, vires ejus et sapientiam prædicant. Quod ea autem propter nos et usum nostrum facta sint, benignitatem et perpetuam bonitatem. Vides quomodo sit in æternum ejus misericordia? Non enim ad decem et viginti tantum annos hæc fecit, neque ad centum, ducenta, et millia, sed ea ultra totam vitam nostram

[1] Psal. cxxxv, 4. — [2] Ibid. 5-9.

produxit. Et ideo hoc significans, in unoquoque versu subjungit : « Quoniam in sæculum misericordia ejus. » Et quod est admirandum, ea fecit quidem : et cum facta essent, dedit ab initio : sed postquam homo transgressus est, ne sic quidem eum expulit, sed ea, quæ ei dederat, cum non peccasset, reliquit etiam fruenda post peccatum, nec prohibuit quominus post illud peccatum eis uti et frui posset. Neque vero unum cœlum solum fecit, sed etiam alterum : vel ab oxordio ostendens nos ab eo non relinquendos in terra, sed fore ut nos hinc transferamur. Si enim non esset nos illuc translaturus, cur productum esset cœlum? neque enim est hoc illi elementum utile, nulla re enim indiget, sed cum velit nos illuc a terra traducere, præparavit habitacula.

II. Quamobrem cum hæc sciret Propheta, unicuique versui subjungit : « In sæculum misericordia ejus, » admirans ejus benignitatem. « Qui firmavit terram super aquas. » Vide hic quoque rursus benignitatem. Postquam enim facti sumus mortales, et eo redacti sumus, ut multis egeremus, ne sic quidem nos reliquit, sed hic quoque interim nobis congruum dedit habitaculum, et tot tantisque suæ benignitatis clarissimis indiciis terram refersit, ut ne verbis quidem ea possint explicari. Propheta ergo cum incidisset in abyssum horum beneficiorum, et vidisset quoddam vastum et immensum pelagus, exiliit alta voce clamans, et dicens : « Quam magnificata sunt opera tua, Do»mine ! Omnia in sapientia fecisti [1]. » Porro si quis viderit solem et lunam, et temporum ordinem, rursus videbit universam ejus benignitatem : neque enim parum ad vitæ decus et ornamentum, imo vero ad ipsam vitam hæc nobis elementa conferunt, ut quæ nutriant fructusque maturent, sine quibus vivi non potest, tempora nobis osten-

[1] Psal. CIII, 24.

dant, horas exprimant, diei et noctis cursus distinguant, per terram et mare viatores deducant, innumerabiles alios usus præbeant. Vidisti quomodo sit in æternum misericordia ejus, quomodo in unoquoque versu jure hoc subjungat Propheta? Alius autem interpres illud, « In potestatem » diei, » dixit : » Ut dominetur diei. » Alius, « In potestatem » noctis, » dixit, « In potestatem nocte. Qui percussit Æ- » gyptum cum primogenitis eorum. Qui eduxit Israël de » medio eorum. In manu potenti et in brachio excelso [1]. » Assidue versat miraculum quod in Ægypto factum est, propter ingratum eorum animum, et quod cum ea semper audivissent, eorum obliviscerentur. Non est autem hæc quoque misericordia parvum signum, hoc enim liberavit illos a servitute, et posteris fuit occasio Dei cognitionis. Aliud autem hic quoque significat. Quidnam? Etiam post plagam illam in ejus fuisse potentia liberare eos a servitute, cum illos terrore concussisset, et mari obruisset. Hæc autem dicit, ne quis paulo inconsideratior putaret, cum jussit eos accipere aurum et vasa argentea, hæc propter imbecillitatem jussisse. Nam hoc fecit volens omni ratione esse terribilis hostibus, et ostendere se et vi auctoritate posse omnia facere, eosque fallere ac decipere. Nam quæ aperte fecit, non ideo fecit tanquam non posset decipere, neque cum decepit, id ideo fecit, quod non posset aperte capere, sed in utraque parte suam ostendens potentiam. Nam quod hoc quoque magnum metum attulerit alienigenis, audi quid postea dicant vates Azotiorum, « Hic est Deus acerbus qui percussit Ægyptum, et quando » illusit eis, tunc ipsos eduxit [2]. » Vides eos propter hoc ipsum contremiscere, propter furtum, propter fraudem, quod eos interfecerit. « Qui divisit mare Rubrum in divi- » siones [3]. » Alius, « In sectiones. » Alius, « In segmenta. »

[1] Psal. CXXXV, 10-12. — [2] 1 Reg. VI, 6. — [3] Psal. CXXXV, 13.

Nonnulli enim dicunt non fuisse unam viam, sed pro numero tribuum fuisse aquam scissam, ut multæ essent trajectiones. Hæc autem omnia etsi magnam ostendebant potentiam, terribilemque et magnum eum esse indicabant, multam tamen quoque in se habebant benignitatem, non solum in eos, quorum gratia ea fiebant, sed si voluissent attendere, etiam in adversarios : non enim eos temere et nequidquam mari obruit, sed quod post tot facta miracula adversus aquas adhuc suam ostenderent audaciam. Oportebat autem eos, etiamsi essent supra omnes homines nullo sensu præditi, cum præcedentia, præsentia, et quæ erant præ oculis considerassent, ejus potentiam mirari et adorare, atque ab importuna contentione cessare. Illi autem cum viderent universam creaturam pro ejus arbitrio mutari ac transformari, et cum eis belligerare, ne sic quidem a furore destiterunt, sed etiam cum viderent illud miraculum quod omnem superabat opinionem, aliena illa et nova via ingredi ausi sunt. Quocirca mare illis sepulcrum efficitur. Non enim erat opus naturæ quod fiebat, sed plagæ divinitus immissæ : et ideo brevi momento temporis fiebant contraria, et non scindebatur tantum in unam partem, sed pro numero omnium tribuum. In unoquoque autem signo meminit misericordiæ. Hoc enim Deo maximæ curæ erat quandoquidem per elementa fiebant miracula, ne quæ fiebant, existimarentur esse alicujus naturalis ordinis rerum, sed superni auxilii, quod omnem opinionem superantia efficit miracula. Quod etiam in mari accidit : idque aperte ostensum est ex eo, quod post illud non amplius factum sit : quæ autem naturaliter fiunt, sunt frequentia, et certo tempore solent fieri. « Et eduxit Israël »per medium ejus. Quoniam in sæculum misericordia »ejus [1]. »

[1] Psal. cxxxv, 14.

III. Vides quomodo in unoquoque versu jure subjungit illud : « In sæculum misericordia ejus ? » Hæc enim omnia ostendunt perpetuam ejus providentiam. Etsi enim quæ facta sunt finem ceperunt, eorum tamen memoriæ præbuerunt posteris magnam ansam Dei cognitionis. In memoriam enim mandata, et transmissa ad posteros, deducebant ad magnam philosophiam. Quanquam alioqui non illud solum factum est, et Dei cessavit curatio : neque in rebus solum ægyptiacis substitit ejus benignitas, sed unumquodque tempus habet ampla et late diffusa ejus inenarrabilis benignitatis indicia. Quæ quidem ille admirans, assidue subjungit illud. « Quoniam in sæculum » misericordia ejus. » Recte autem adjecit illud. « Et edu- » xit Israël per medium ejus. » Nam hoc quoque est Dei potentiæ. Non sufficiebat enim efficere ut mare retrocederet, et facilem eis transitum præberet; nam hoc ipsum eos magis stupefecisset, terruisset, et audere prohibuisset, quod omnium superaret opinionem, timorem incutiens; sed Dei fuit potentiæ, postquam mare retrocessisset, eis animum addere, et persuadere, ut novam illam viam et alienam ingrederentur. Nam cum in utraque sectione in sublimem verticem erectæ essent aquæ, generoso et excelso animo opus erat, ut non timerent trajicere, nec suspicarentur maria ad summum verticem utrinque sublata esse eos invasura, et universum exercitum obruitura. « Et excussit Pharaonem et virtutem ejus in mari » Rubro[1]. » Volens significare facilitatem ejus demersionis, hac dictione usus est. Tu autem considera quomodo, cum potentia et ira, patientiam quoque ostenderit; ut qui eos non prius de medio sustulerit, licet adeo impudentes essent et contentiosi, quam ipsi lubentes et volentes seipsos præcipitarent. Non abs re autem exercitus quoque

[1] Psal. CXXXV, 15.

punitur : sed quoniam fuerunt peccatorum participes, et persecutionis, sunt etiam pœnæ et supplicii participes. « Qui traduxit populum suum per desertum, quoniam » in sæculum misericordia ejus[1]. » Hoc non est minus quam per mare perducere. Etsi enim suberat terra sicca, quæ castra sustinere poterat, erant tamen multa alia quæ eis afferebant molestiam : sufficiebant enim omnia ad eos consumendos, et morti crudelissimæ tradendos; fames, squalor, sitis, radius quam par esset calidior imminens, ferarum multitudo, et necessariorum omnium penuria. Scis autem quot rebus homo indiget. Illis tamen omnibus nudati, et non tectum habentes, non alimenta, non indumenta sufficientia, non calceamenta, non aliquid aliud ejusmodi, tanquam in mediis urbibus choreas agentes, ita per omnem illam solitudinem incedebant. Tu autem mihi considera, quot miracula præteriit quæ in solitudine facta sunt, et quot annorum administrationem : duorum autem tantum miraculorum meminit, quæ circa illos reges facta sunt. Mittens enim de illa nova mensa dicere, de tecto admirabili, de lampade quæ nunquam non apparuit, de vestium perpetuitate, de calceis qui non conterebantur, de fontibus qui manarunt e rupibus, et de aliis novis et admirabilibus, per quæ iter illis facile paravit, duorum solum meminit, quomodo reges barbarorum sustulit, et quomodo tropæum erexit, et victoriam eis largitus est, auditori reliqua accurate colligenda relinquens, et ideo dicit: « Qui percussit reges » magnos. Et occidit reges fortes. Seon regem Amorrhæo- » rum. Et Og regem Basan[2]. » Et uniquique eorum subjungit: « Quoniam in sæculum misericordia ejus; » ostendens, etiamsi hostibus hostes succederent, nullum tamen eos vicisse. Qua de re? Quoniam ejus benignitate fruebantur

[1] Psal. cxxxv, 16. — [2] Ibid. 17-20.

assidue. Hoc enim significat perpetuo dicens: « Quoniam » in sæculum misericordia ejus. Et dedit terram eorum » hæreditatem. Hæreditatem Israël servo suo[1]. » Duplex est beneficium, et hostes vincere, et illorum bona adipisci. Hoc enim erat magnæ potentiæ, non solum ejicere eos qui habitabant, sed etiam posse occupare et retinere alienam regionem. Deinde hoc rursus apertius ostendens, eos non ex meritis fuisse horum compotes, sed ex Dei bonitate, subjunxit : « Quia in humilitate nostra memor » fuit nostri Dominus[2]. » Significans non in recte factis, non in prosperitate, sed in humilitate nostra bene actum esse. Quod autem dicit, est ejusmodi: « Satis fuit calamitas et ærumna nostra ad ipsum flectendum. » Nam et ab initio, quando eos liberavit ab Ægypto, non dixit: « Videns vidi mutationem eorum in melius : « sed, « Videns vidi afflic- » tionem populi mei in Ægypto[3]. Et redemit nos ab ini- » micis nostris[4]. » Ne paulatim enumeret bella, irruptiones, victorias, tropæa, cum rursus uno verbo recte factorum seriem esset persecutus, et quæ in Judæos sigillatim facta sunt prætermisisset, ad generalem ejus venit providentiam dicens : « Qui dat escam omni carni[5]. » Alius, « Qui dat panem. » Alius, « Dans panem. » Non ergo terræ, nec aquæ, nec aëris, nec solis, nec alicujus alterius sunt productiones fructuum, sed ejus est universum. Vide autem hic quoque non solum potentiam, sed benignitatem etiam ineffabilem. Quod enim dicit Christus: « Solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit » super justos et injustos[6], » hoc ipse quoque hic significavit, dicens : « Qui dat escam omni carni. » Hoc est, non justis solum, nec iis qui se recte gerunt, sed peccatoribus, et impiis, et omni humanæ naturæ : quod etiam maxime

[1] Psal. CXXXV, 21, 22. — [2] Ibid. 23. — [3] Exod. III, 7. — [4] Psal. CXXXV, 24, — [5] Ibid. 25. — [6] Matth. V, 45.

prædicat ejus dominium. Vidisti Psalmum ideo maxime esse compositum, ut nos deducat ad Dei cognitionem? Et ideo in principio incœpit a generalibus, et in eis desiit: superius quidem dicens solem et lunam, fulgura et pluvias, quæ non fiunt solum in parte orbis : in fine autem desinens in communi omnium nutrimento. Deinde postquam ex eis confirmavit generalem providentiam, subjunxit : « Confitemini Deo cœli, quoniam in sæculum misericordia »ejus [1]. »Ex his enim illud quoque clarum est, ipsum esse infernorum omnium et supernorum Dominum, ejusque curam et providentiam ubique diffusam esse. Pro omnibus ergo illi offeramus gratiarum actionem, pro communibus, pro privatis, pro bonitate, pro benignitate, pro potentia, pro curatione, et hoc assidue faciamus, sicut etiam jubet Psalmographus, dicens : « Confitemini »Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum miseri»cordia ejus [2]. »Hoc est enim sacrificium, hoc oblatio, hoc ipsum nobis reddit maxime propitium, et facit ut fruamur illius benevolentia. Quam detur nobis omnibus assequi gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Psal. CXXXV, 26. — [2] Ibid.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXXXVI.

Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus, dum recordaremur Sion [1].

I. Magnum est his viris suæ civitatis desiderium, magna reditus cupiditas. Quandiu enim bona habebant in manibus, probra ei injurias inferre non desistebant : sed postquam ab illis sunt exturbati, tunc eorum desiderio affecti sunt : propterea enim eos expulit, ut excitaret in iis majus desiderium. Id autem solet sæpe Deus facere. Quando enim, dum in summis sumus deliciis, et maxima bonorum ejus affluentia, non sentimus, curat ut eis careamus, ut privatione eorum castigati, eis rursus frui quæramus. Sed quanam de causa sedebant ad flumina? Ut qui essent captivi, et regionis hostium finibus circumscripti, extra muros et urbes habitarent. « In salicibus » in medio ejus suspendimus organa nostra [2]. » Alius, « Citharas nostras. » Alius, « Lyras. » Et quanam de causa tulerunt organa sua, cum in captivitatem recederent, qui eis minime erant usuri? Hoc quoque fuerat a Deo provisum, ut vel in aliena regione haberent monimenta prioris reipublicæ, magisque morderentur et ægrius ferrent, dum illius religionis et Dei cultus illa signa viderent. « Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxe- » runt nos, verba cantionum : et qui abduxerunt nos;

[1] Psal. CXXXVI, 1. — [2] Ibid. 2.

» Hymnum cantate nobis de canticis Sion [1]. » Non parum hinc lucrifaciebant, quod eis barbari instarent, et cantica eorum audire cuperent. Vide autem quantam hinc correctionem ceperunt ex captivitate. Qui enim insolentes facti defecerant, et a religione sua resilierant, et legem omni ratione conculcaverant, se in aliena regione tam graviter gesserunt, ut vel urgentibus et minantibus barbaris, et undique circumsistentibus, et audire cupientibus, ne sic quidem eorum desiderio gratificarentur, sed legem præferrent, eamque diligenter conservarent. Illud autem, « Qui abduxerunt, » alius dixit : « Qui ar- » roganter agebant contra nos, » propemodum hoc dicens : « Qui antea in nos invehebantur, et in nos insurgebant, tempore adeo lenes, mites et mansueti facti sunt, ut vellent etiam nostra audire cantica, hi tamen non concesserunt. Vidisti quonam modo reddit fortes afflictio? quomodo compunctos? quomodo mentem conterit? Flebant enim, et legem observabant, et qui, cum Prophetæ lacrymarentur, ridebant, ludificabantur, et subsannabant, hi nunc, nemine eos admonente, ad lacrymas convertebantur, et flebant. Ex eo etiam plurimum commodi percipiebant hostes. Videbant enim eos non premi captivitate, nec servitutem deflere, nec quod in aliena regione habitarent, sed quod a suo Dei cultu excidissent. Et ideo adjecit : « Dum recordaremur Sion. » Neque enim leviter tantum lugent, sed veluti quoddam perpetuum lugendi munus obeunt. Quocirca dicit in principio : « Se- » dimus et flevimus, » significantes se ideo consedisse ut cierent fletus et ejulatus. Sed cur eis non permittebatur canere in aliena terra? Quoniam non oportebat aures profanas audire illa arcana. « Quomodo cantabimus can- » ticum Domini in terra aliena [2]? » Hoc est : « Non licet

[1] Psal. CXXXVI, 3. — [2] Ibid. 4.

nobis canere. Etsi enim a patria excidimus, legem tamen perpetuo servamus, idque diligentissime. Quare etsi in corpora dominium obtineatis, animum tamen non superabitis. « Vidisti animam ab afflictione esse deductam ad studium sapientiæ, ærumnisque et calamitatibus esse superiorem? « Si oblitus fuero tui, Jerusalem, oblivioni » detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis[1]. » Vide hic quoque magnam factam mutationem. Qui enim singulis diebus audiebant fore, ut ex civitate exterminarentur, et non curabant, nunc dira sibi imprecantur, si ejus sint obliti. Quid est autem, « Oblivioni detur dex- » tera mea? » Vires, inquit, meæ mei obliviscantur, et mutus evadam propter malorum magnitudinem. » Si non » meminero tui. Si non præposuero Jerusalem sicut in » principio lætitiæ meæ[2]. » Quid est, « Si non præposuero » Jerusalem? » Non solum, inquit, tui meminero in aliis, sed etiam in hymnis, et in canticis. Illud autem, « Præ- » posuero, » hoc est, « In cantici procœmio ac præludio posuero, » loquentes verbum eorum, qui valde desiderant, imo vero eorum qui ejus magno amore tenentur et inflammantur. Audiamus hæc omnes, et discamus. Etenim quemadmodum hi cum ab ea exciderant, tunc quærunt : ita etiam multis ex nobis eveniet, cum in illo die a Jerusalem cœlesti exciderimus. Sed hi quidem cum excidissent, spem habebant reditus, nobis autem excidentibus nulla reliqua spes est reversionis. « Vermis enim eorum » non morietur, inquit, et ignis eorum non extinguetur[3]. » Et ideo oportet nos nostra diligentius attendere, et in præsenti vita sic nos gerere, ut non simus captivi, nec alieni ac remoti ab illa metropoli. « Memor esto, Domine, » filiorum Edom in die Jerusalem, qui dicunt: Exinanite, exi- » nanite usque ad fundamenta ejus[4]. » Alius, « Filiis Edom. »

[1] Psal. CXXXVI, 5, 6. — [2] Ibid. — [3] Marc. IX, 43. — [4] Psal. CXXXVI, 7.

Hoc quoque verbum est eorum, qui inflammantur desiderio civitatis. Hoc est autem quod dicunt: « Pœnas de eis sume, » quibus non sufficiebat quod capta esset civitas, nec satiati erant ejus eversione, sed instabant, et dicebant: « Effodite quandiu fuerit in ea fundamentum. » Cupiebant enim ne bases quidem manere civitatis, sed vel ipsa ejus fundamenta convelli.

II. Hi autem erant Arabes, qui una cum Babyloniis Judæos invaserant, quorum frequenter meminit Propheta, et eos valde reprehendit, quod cum intercederet inter eos cognatio, hostibus fuere acerbiores. « Filia Babylonis mi- »sera[1]. Alius : « Vastata. » Alius : « Diripienda. » Hic ostendens Dei vires non in liberatione a malis, sed in parandis iis insidiis, qui illos oppugnarunt, prædicit Propheta mala quæ erant eventura Babyloni, et vocat eam miseram propter mala quæ illam erant invasura : in hoc quoque docens Judæos, et ostendens Dei potentiam esse per totum orbem terræ porrectam. « Beatus qui retribuet tibi retri- »butionem tuam, quam retribuisti nobis. Alius : « Quam »ante fecisti nobis. Beatus qui tenebit, et allidet parvulos »tuos ad petram[2]. » Hæc, etsi ira plena sunt vehementique pœna, et supplicio, sunt tamen verba perturbationis animi captivorum, qui magnam aliquam pœnam, et horrendum mirumque supplicium postulant. Prophetæ enim multa sæpe loquuntur non tanquam suos, sed aliorum affectus narrantes, et in medium afferentes. Si enim ejus quæris sententiam, audies dicentem : « Si reddidi retribuentibus »mihi mala[3], » et vel modum, qui a lege erat ei datus, superantem. Quando autem narrat perturbationes animi aliorum, describit iram et dolorem : quod etiam nunc fecit, Judæorum cupiditatem in medium adducens, quorum ira vel ad infantiæ usque ætatem procedebat. Novum non

[1] Psal. CXXXVI, 8. — [2] Ibid. 8, 9. — [3] Id. VII, 5.

ita se habet, sed inimicos nostros et pascere, et eis cibum dare jubemur, et orare pro eis qui nos ærumnis afficiunt. Hoc autem facimus propter legem quæ est nobis constituta. Quænam autem ea est? « Nisi abundaverit, inquit, justitia » vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intra- » bitis in regnum cœlorum [1]. » Magnum ergo studium adhibeamus, et totam eam abunde observemus, ut qui deinceps in terra tanquam in cœlo habitemus, et cum Angelis choros ducamus. Ita enim futura quoque bona consequemur : quæ detur nobis omnibus assequi gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXXXVII.

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo [2].

I. De hoc apud vos sæpe disserui. Quocirca eo prætermisso, veniemus ad id, quod est proximum. Quid hoc sibi vult : « Et in conspectu Angelorum psallam tibi [3] ? » Quod quidem alius dixit interpres : « Libere Deus canam te. » Alius : « In conspectu deorum cantabo tibi. » Si ergo dicat Angelos qui sunt in cœlis, est id, quod dicitur, ejusmodi : « Conabor canere cum Angelis, et cum eis contendere, et choreas ducere cum supernis Potestatibus. Etsi enim natura differam, animi tamen alacritate, ut cum eis stare possim, decertabo. Sin autem accipiamus quod dictum est ex alio-

[1] Matth. v, 20. — [2] Psal. CXXXVII, 1. — [3] Ibid.

rum interpretatione, videtur mihi dicere de sacerdotibus, id quod de diis dicitur. Solet enim Scriptura sacerdotem vocare et Angelum et Deum : nunc quidem dicens : « Diis »non maledices : et, principi populi tui non maledices [1] : » Nunc autem : « Labia sacerdotum custodient judicium, et »ex ore ejus exquirent justitiam, quoniam est Angelus Domini omnipotentis [2]. » Si liceat ergo hoc ita accipere, illud oportet intelligere : « Cum sacerdotibus, ipsis inchoantibus, et præcedentibus, cum eo quo par est ordine sequar, et canam tibi : « Quoniam audisti omnia verba oris mei. » Vidisti magnam gratiarum actionem? vidisti summam attentionem? non quemadmodum nonnulli molles et dissoluti, qui antequam quidem accipiant, sunt vehementes : postquam autem acceperint, languescunt. Sed hic quidem et antequam acceperit, urget, et postquam accepit, perstat agens assidue gratias. Hinc autem ostenditur eum puras et optimas preces fudisse, ex eo quod a Deo sit auditus. Hoc enim maxime ut audiamur efficit, quando preces ei gratæ fuerint. Unde etiam est in nostra potestate ut audiamur. Quando enim petimus quæ a Deo dari par est, quando alacri animo, quando nos præbemus dignos qui accipiamus, audit vocatus, et implet quod petitur. « Adorabo ad tem»plum sanctum tuum [3]. » Non est hoc quoque parva virtus, posse templum ascendere, et ascendentem cum pura adorare conscientia. Non enim flectere genua, nec ingredi, est id quod quæritur, sed cum acri mente et intento animo, non corpore solum, sed mente etiam intus esse : quemadmodum nec parva est dignitas, universorum Deum ut decet adorare. Si enim in regibus hoc pro honore ducitur, multo magis in Deo universorum. « Et confitebor nomini tuo »super misericordia tua et veritate tua [4]. » Quid hoc est? « Agam inquit, tibi gratias, quod magnam tuam mei curam

[1] Exod. xxii, 28. — [2] Malac. ii, 7. — [3] Psal. cxxxvii, 2. — [4] Ibid.

senserim. Non enim ex propriis recte factis consecutus sum, ut patriam reciperem, et templum aspicerem, sed ex misericordia et clementia tua. Propter hæc te adorabo, propter hæc tibi confitebor, quod cum pœna et supplicio dignus essem, et ut in aliena regione perpetuo degerem, me cito reduxisti. « Quoniam magnificasti super omne no-» men sanctum tuum [1]. » Quod dicit, est ejusmodi, « Non agam enim solummodo gratias propter beneficia, sed etiam propter ipsam gloriam ineffabilem, et infinitam magnificentiam, et naturam inenarrabilem. « Magnificasti enim, » inquit, super omne nomen sanctum tuum : » hoc est, « Per beneficia, per elementa, per ea quæ sunt in cœlis, per ea quæ sunt in terra, per pœnas, per ea quæ fiunt in hostes, per ea quæ fiunt in familiares. Nulla est enim pars creaturæ et supernæ et infernæ, quæ non emittat vocem quavis tuba clariorem, prædicantem nominis tui magnificentiam. Sive ergo Angelos dixeris, sive Archangelos, sive dæmones, sive elementa insensibilia, sive lapides, sive semina, sive solem, sive lunam, sive terram, sive maria, sive pisces, sive volucres, sive lacus, sive fontes, sive fluvios : per omnia nomen tuum magnum ostenditur. « Alius autem pro illo, « Magni-» ficasti super omne nomen sanctum tuum, » ait : « Magni-» ficasti enim super omnia nomina tua verbum tuum. » Alius : « Eloquium tuum. In quacumque die invocavero te, velo-» citer exaudi me [2]. » Alius : « In quacumque die invocavi » te, exaudisti me. » Hoc etiam Deus pollicitus est, dicens : « In quacumque die invocaveris me, exaudiam te, et dicam ; » Ecce loquente te adsum [3]. » Ipse itaque hoc petit. Tales enim sunt animæ quæ dolore aliquo afficiuntur, volunt videre se quamprimum liberari a malis. « Multiplicabis me » in anima mea virtute tua [4]. » Alius : « Constituisti in anima

[1] Psal. CXXXVII, 2. — [2] Ibid. — [3] Ibid, 3. — [4] Isaï. LVIII, 9. — [5] Psal. CXXXVII, 3.

» mea virtutes. » Nam quod est prius : « Exaudi me : » alius » dixit : « Exaudisti me. » Quid est ergo quod dictum est? Quæ sunt alta et sublimia, dicuntur Græce meteora, a verbo αἴρεσθαι, et elevationes maris dicuntur fluctus et exaltationes, ab eo quod est elevari et exaltari. Illud ergo πολυηράσεις, idem est ac si dicas : «Exaltabis me, extolles me.» Hoc ipsum autem verbum posuit alibi, dicens : « Secun- » dum altitudinem tuam extulisti filios hominum [1], » ubi est Græce ἐπολυώρησας, hoc est, « Elevasti, extulisti. » Ita etiam dixit illud πολυωρήσειν με, ut significaret, « Implebis me multo gaudio, sublimemque et erectum mihi reddes animum, et quod est omnium maximum, non sines hanc meam exalta- tionem, et lætitiam esse languidam et imbecillam, sed po- tentem, validam, firmam et immobilem. Hoc enim sibi vult illud : « Extolles me in anima mea potentia tua. »

II. Hoc est autem quod dicit : « Extolles me potentia, viribus eriges, et mihi opem feres. » Quocirca alius quoque interpres hoc ipsum ostendens, dixit : « Constituisti animæ » meæ virtutes. » Recte autem dixit : « Animæ meæ, » quod est maxime Dei proprium, recreare animos in afflictioni- bus, quemadmodum etiam evenit in Apostolis. Flagris enim cæsi, revertebantur gaudentes, ita eorum erigebatur animus. Hoc est vel maxime potentiæ Dei munus; hoc imprimis ostendit ejus vires, quod in mediis malis et peri- culis non sinit dejici animum. « Confiteantur tibi, Domine, » omnes reges terræ, quia audierunt omnia verba oris » tui [2]. » Vide quam sit pii et grati animi. Non satis habet, si solus agat gratias, sed etiam omnes qui dominatum ob- tinent, vocat ad societatem gratiarum actionis, et ipsos etiam qui gestant diademata. Etsi enim magna sit, inquit, eorum potentia, omnes tibi tamen debent gratias agere pro iis etiam quæ aliis facta sunt. Quocirca hoc quoque

[1] Psal. xi, 9. — [2] Id. cxxxvii, 4.

significans, subjunxit : « Audierunt omnia verba oris tui. » Si ergo gratias agant, plurimum hinc fructum capient, et magnum lucrum facient. Talia enim tua dona sunt omnibus in medio proposita, ut qui volunt, possint esse eorum participes, et ea percipere. Nullam ergo tantam utilitatem poterit eis regnum afferre, quantam tua verba audire. Hoc est eis securitas, hoc vires, hoc ornamentum, hoc decus, hoc regnum, hoc est imperii lætitia et potentia. « Et cantent in viis Domini [1]. » Alius, « Et cantent vias Domini. » Si ergo dicat : « In viis tuis, » hoc est quod dicit : « In legibus tuis, in jussis tuis. » Si autem, « Vias tuas : » præclara, inquit, hæc tua facta dicant, laudent, celebrent ac prædicent. Hoc enim sibi vult illud, « Cantent. Quoniam magna » est gloria Domini [2]. » Hoc est, omnibus aperta, omnibus manifesta, omnibus evidens, parata ad omnibus beneficia præstanda, omnes habens sibi gratiæ nomine obnoxios. « Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit [3]. » Altus, inquit, natura, altus substantia. Sed hoc quidem nunc dictum est, ut se ad judaïcum cultum accommodaret. Quod autem sequitur, id corrigit, et humilem auditorem ad magnam intelligentiam erigit. Quid hoc autem est, « Et » alta a longe cognoscit [4] ? » Hic enim de præscientia agitur, quod est potentiæ Dei maxime proprium : et ideo in Prophetis sæpe loquens, hinc in eos invehitur, qui tenentur errore simulacrorum. Alius, « Et quod elatum est, a longe » discernit. » Alius, « Et sublime. » Quoniam enim dixit : « Excelsus Dominus, et humilia respicit, » subjunxit, « Et » alta a longe cognoscit, » significans eum alta non solummodo cognoscere, sed etiam ex magno intervallo, hoc est, priusquam eveniant, priusquam perficiantur, priusquam in opus exeant. « Si ambulavero in medio tribulationis, » vivificabis me [5]. » Non dixit : « Tribulationem expelles, » sed

[1] Psal. cxxxvii, 5. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 6. — [4] Ibid. — [5] Ibid. 7.

in ipsis malis manentem vivificabis me; » hoc est, « Etiamsi in maxima pericula incidero, poteris me conservare : » quod est admirabile, et majus omnium opinione, quod cum undique hostes et mala circumstent, in tuto collocetur, qui ab eis circumsidetur. « Et super iram inimicorum meorum » extendisti manus tuas [1]. » Alius, « Adversus respirationem » inimicorum meorum extendes. » Vidisti maximam esse potentiam in utrisque partibus? Nam et me, inquit, qui in maximis versor malis, conservare poteris, et illos furore rabieque percitos, et ignem spirantes, dejicere et comprimere. « Et salvum me fecit dextera tua [2]. » Alius, « Et sal- » vum me faciet dextera tua, » hoc est potentia tua, virtus tua. Deo enim sunt expeditæ viæ omnes et rationes, et potest vel ex rebus desperatis ad salutem adducere. « Domi- » nus retribuet pro me [3]. » Alius, « Efficiet. » Alius, « Perfi- » ciet, » hoc est, ulciscetur inimicos. Non dixit autem : « Ulciscetur, » sed, « Retribuet, » ostendens quod etiamsi sim rationi reddendæ obnoxius, ipse exolvet et satisfaciet, est enim benignus. Potest autem hoc etiam dici de iis, quæ a Christo pro nobis facta sunt. Ipse enim pro nobis retribuit. « Domine, misericordia tua in sæculum. Opera ma- » nuum tuarum ne despicias [4]. » Duas affert rationes, cur debeat assequi ejus clementiam. Unam quidem quod ipse sit bonus et misericors, et assidue misericors, ut nunquam interrumpatur, nec desinat, nec cedat ejus clementia : alteram autem, quod ipse sit creator et opifex. Sed quemadmodum ab eis servari volumus, ita etiam misericordia dignum quid ostendamus. « Miserebor enim, inquit, cujus » miserebor [5]. » Non enim indiscriminatim eum subit misericordia, sed ipse etiam aliquam distinctionem adhibet. Si id enim faceret indiscriminatim, nemo unquam puniretur.

[1] Psal. CXXXVII, 7. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 8. — [4] Ibid. — [5] Rom. IX, 15.

Quocirca non solum faciamus ea quæ oportet, ut misericordiam consequamur, sed etiam quia a Deo facti sumus. Eum enim, qui a Deo creatus est, et tantum habuit opificem et regem, oportet se ita gerere ut illius cura et providentia se non esse indignum ostendat. Si hæc faciamus, bona futura consequemur, quæ nobis contingat assequi gratia et clementia Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXXXVIII.

In finem, victoriæ auctori.

Domine, probasti me, et cognovisti me [1].

I. Quid dicis? Novit Deus postquam probavit : antequam probavit autem, non novit? Absit. Quomodo enim, qui omnia novit antequam fierent? Sed illud, « Probasti » me, » significat, « Me perfecte novisti. » Quemadmodum enim Apostolus, quando dicit eum corda scrutari, non ignorationem, sed perfectam cognitionem significans hoc dicit : ita etiam hic cum dicit : « Probasti me, » evidentissimam significat cognitionem, hoc est, « Tu me perfecte » nosti. Tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem » meam [2]. » Per sessionem et resurrectionem, omnem vitam significat : in his enim tota vita nostra consistit, actiones, operationes, ingressus et exitus. Deinde quoniam dixit in

[1] Psal. cxxxviii, 1. — [2] Ibid. 2.

principio, « Probasti me : » ne quis paulo inconsideratior putaret eum nosse ex probatione, vel ex rerum experientia : propterea quod dixit : « Tu cognovisti sessionem et » resurrectionem meam ; » vide quomodo id corrigit per id quod subjungit dicens : « Tu intellexisti cogitationes meas » a longe [1]. » Per hoc enim significat eum non nosse per probationem, neque opus habere ut probet, sed sua præsciendi facultate scire omnia. Qui enim novit cogitationes quæ in mente sunt positæ, non opus habet ut probet per opera. Quanquam alioqui non solum eas novit dum in mente versantur, sed etiam priusquam versari incipiant : nec solum antequam versari incipiant, sed etiam longo ante tempore. Et ideo hæc volens significare, subjunxit illud, « Intellexisti cogitationes meas de longe. » Si ergo novit etiam cogitationes Deus, cur inducit eam, quæ per opera fit, probationem ? non ut ipse hoc discat, sed ut eos, qui illa sustinent, probatos efficiat. Cognoverat enim Job ante experientiam, et ideo id testabatur dicens : « Homo » justus, verax, pius [2]. » Sed induxit experientiam, ut et illum redderet fortiorem, et diaboli redargueret improbitatem, et alios ejus exemplo meliores redderet. Et quid miraris si hoc fecerit in Job, cum ipsum faciat etiam in peccatoribus? Aperte enim sciebat Ninivitas non esse dignos qui perirent, sed per pœnitentiam eos meliores futuros, inducit tamen etiam per res experientiam, et ubique multa præbet argumenta evidentissima suæ curæ et providentiæ, non contentus sua cognitione. Quamobrem dicebat quoque Unigenitus : « Si non facio opera Patris mei, ne » mihi credite. Si autem facio, etsi mihi non credatis, ope» ribus credite [3]. » Quia enim permulti, qui sunt crassioris ingenii, et nullo fere sensu præditi, multa dicunt hujusmodi, nempe : « Hunc elegit, hunc dilexit, illum odio habuit,

[1] Psal. cxxxviii, 3. — [2] Job. ii, 3. — [3] Joan. x, 37, 38.

et propterea hic quidem malus, ille vero bonus evasit : » ex rebus ipsis persuadet, uniuscujusque horum sententiam corrigens, et in medium adducens probationem per opera, et pronuntiat quidem etiam antequam res eveniant, hunc virtute præditum, ut ejus præsciendi facultatem intelligant : adjungit autem etiam probationem quæ fit per opera, ne quis dicat paulo inconsideratior eum talem esse propter præscientiam. Porro vide quomodo Paulo hoc significat, dicens. « Cum enim nondum nati fuissent, nec aliquid boni » aut mali fecissent, ut Dei secundum electionem propositum maneret, non ex operibus, sed ex vocante, dictum est » ei, quod major serviet minori [1]. » Neque enim factorum exitus est expectandus, sed etiam ante ea novit ipse eum qui malus, et qui non talis est futurus. « Semitam meam » et funiculum meum investigasti, et omnes vias meas præ- » vidisti [2]. » Quemadmodum sessionem et resurrectionem vocat facta ex consuetudine : etenim non etiam sæpe dicimus : « Hic novit quomodo sedet, et quomodo surgit, » testantes ejus perfectam notitiam : ita hic etiam semitam et funiculum dicit universam ejus vitam. Et ideo subjungit : « Et omnes vias meas prævidisti. » Porro illud, « Investi- » gasti, » non est ejus qui quærit, nec ejus qui scrutatur, sed ejus qui novit perfecte. Hoc autem ostendens subjunxit, « Prævidisti : » hoc est, « Antequam fierent, nosti omnia facta bona et mala. « Quia non est dolus in lingua mea [3]. » Alius, « Contradictio. » Hoc est maximum virtutis indicium, hoc est summa bonorum, hoc est quod Christus maxime requirit, dicens : « Nisi convertamini et efficiamini sicut par- » vuli, non ingrediemini in regnum cœlorum [4], » simplicitatem, innocentiam, et ab omni dolo ac simulatione remotionem significans. Quocirca imperitos et idiotas elegit, et

[1] Rom. IX, 11, 13. — [2] Psal. CXXXVIII, 3, 4. — [3] Ibid. — [4] Matth. XVIII, 3.

dixit: « Confiteor tibi, Pater, quia occultasti hæc a sapien-» tibus et intelligentibus, et revelasti ea parvulis [1]. » Vide autem. Non dixit: « Quia suscepi, et ejeci dolum; » sed, « Quod non fuit unquam, neque linguam meam suscepit hic morbus, nec ei vitio ullus unquam fuit ad me aditus. « Ecce, Domine, tu cognovisti omnia, novissima et antiqua [2]. » Non cogitationes solum, inquit, nosti, nec actiones, nec vias meas, sed omnia quæ fuerunt et futura sunt. « Tu for-» masti me, et posuisti super me manum tuam [3]. » A præsciendi facultate transiit ad creandi potestatem, et rursus a creandi potestate ad præsciendi facultatem. Non solum enim nos fecit, cum non essemus, sed etiam in jam factos obtinet imperium.

II. Hæc utraque de Christo Paulus testatur, dicens: « Multifariam multisque modis Deus olim locutus patribus » in Prophetis, in extremis diebus locutus est nobis in Fi-» lio, quem posuit hæredem omnium [4]. » Deinde subjungens dicit etiam opificium: « Per quem fecit etiam sæ-» cula [5]. » Et cum de ejus substantia disseruisset, et dixisset: « Qui cum sit splendor gloriæ et character substantiæ » ejus [6], » ostendit etiam ejus præsciendi facultatem, dicens: « Et ferens omnia verbo potestatis suæ [7]. » Et ad Colossenses scribens hæc eadem rursus dixit: « Quoniam in eo » creata sunt omnia quæ sunt in cœlis et quæ in terra, sive » Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potes-» tates, omnia per ipsum et in ipso creata sunt, ipse est » ante omnia [8]. » Hæc sunt ejus creandi potestatis. Deinde facultatem præsciendi significans, subjungit: « Et omnia » in ipso consistunt [9]. » Utraque hæc rursus Joannes quoque ostendens, dicebat: « Omnia per ipsum facta sunt, et

[1] Matth. xi, 25. — [2] Psal. cxxxviii, 5. — [3] Ibid. — [4] Hebr. i, 1, 2. — [5] Ibid. — [6] Ibid. 3. — [7] Ibid. — [8] Coloss. 2, 16, 17. — [9] Ibid.

» sine ipso factum est nihil [1]. » Hoc dixit significans creationem. Deinde providentiam : « Vita erat, et vita erat lux » hominum [2]. » Hoc etiam Propheta hic significans, dicit : « Tu formasti me. » Hoc est opificii. Dixit etiam id quod est providentiæ : « Posuisti super me manum tuam. » Quid est, « Posuisti ? » Regis, contines, componis, et portas. » Quod ipsum quoque Paulus significans, dixit : « In ipso vivimus, » et movemur, et sumus [3]. » Non solum enim in eo quod facti sumus, sed etiam in eo quod existimus et manemus, potentia ejus opus habemus. « Mirabilis facta est scientia » tua ex me : confortata est, et non potero ad eam [4]. » Alius, « Superat me. » Pro eo autem quod est, « Confortata » est. » Alius, « Admodum elata est. » Quod autem dicit, est ejusmodi : « Et tua fruor providentia, et quamvis sciam te omnia præscire, et me ex non extantibus fecisse, perfectam tamen et manifestam non possum habere tui cognitionem, sed mirabilis facta est, hoc est, superavit, exaltata est super me, validior facta est, quam ut mea possit ratione comprehendi : adeo est mirabilis, adeo magna. Quid igitur si est quidem mirabilis et magna, potest autem comprehendi ? Nequaquam. Propterea enim subjunxit : « Non » potero ad eam, » ne hoc dicas. Quando autem dicit : « Cognitionem non habeo, » non hoc dicit : « Ignoro Deum ; » sed, « Perfectam et undique absolutam et manifestam ejus non habeo notitiam, » quod quidem dicit etiam Paulus : « Nam » eum quidem esse scimus : » quid sit autem substantia, nescimus. « Credere enim oportet accedentem ad Deum quia » est [5]. » Non dixit, « Quid sit substantia, » hoc enim nulli est cognitum. Quod sit benignus et clemens, novimus quod sit humanus, quod bonus, quantum vero sit ignoramus. Sed hic his omnibus prætermissis, proponit aliud quod

[1] Joan. I, 3. — [2] Ibid. 4. — [3] Act. XVII, 28, — [4] Psal. CXXXVIII, 6. — [5] Hebr. XI, 6.

videtur esse facilius, et hoc quoque se dicit ignorare. Non solum, inquit, non dico quidnam sit substantia, neque quantum sit bonus; hæc enim non posse comprehendi est in confesso; sed etiam quomodo sit ubique, non possum dicere : sed hoc quoque superat nostram comprehensionem. Quocirca cum dixisset : « Mirabilis facta est scientia » tua ex me, » subjunxit, « Quo ibo a Spiritu tuo, et quo a » facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es : si » descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas » diluculo, et habitavero in extremis maris. » Alius, « Man» sero. Etenim illuc, » alius, « Adhuc ibi manus tua deducet » me, et tenebit me dextera tua [1]. » Spiritum et faciem dicit Deum ipsum. Hoc est, « Quo a te proficiscar? Omnia imples, omnibus ades, non per partes, sed omnibus simul totus. Et postquam dixit quæ sunt superne, et quæ inferne, longitudinem, latitudinem, profunditatem, eum ubique adesse significat. Non dixit autem : « Quocumque abiero, sequeris me, et me retinebis : » sed, « Quocumque abiero, tu illic es, » hoc est, « Illic te invenio me prævenientem, » et ideo dicit : « Mirabilis facta est scientia tua ex me. » Si eam non perfecte nosti, dices, quomodo nosti eam esse mirabilem? Quod meam superet rationem : quod mentem meam excedat. Nam radium quoque solarem non possumus aperte cognoscere, et tamen propter hoc ipsum eum maxime admiramur. Ita etiam de Dei cognitione : neque eum omnino ignoramus, cum enim esse scimus, et esse benignum, clementem, bonum, misericordem, et esse ubique : quid sit autem substantia, vel quanta sint quæ dicta sunt, vel quomodo sit ubique, hoc ignoramus. Postquam itaque dixit quibusnam ex rebus mirabilis facta est scientia tua, et prædicavit ejus præsciendi creandi, et providendi facultatem, substantiamque, quæ nec comprehendi, nec

[1] Psal. CXXXVIII, 7-10.

explicari potest : aliam rursus refert potestatem, quæ ipsa quoque magna dubitatione plena est, si ratione quæratur. Nam ipsa comprehendi non potest. Quænam ergo ea est ? « Etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dex- » tera tua. » Hoc est, « Potes efficere ut homines qui in magna et gravia mala inciderint, gravibus illis malis minime illaqueentur et implicentur. »

III. Hoc itaque interpretans, subjunxit : « Et dixi : For- » sitan tenebræ conculcabunt me, et nox illuminatio in » deliciis meis. Quia tenebræ non obscurabuntur a te, et » nox sicut dies illuminabitur. Sicut tenebræ ejus, ita et » lumen ejus [1]. » Postquam dixit superius ea, quæ enumeravi, et una cum illis, cum non solum adesse ubique, sed etiam deducere, defendere et munire, subjungit deinceps, in eo quoque ostendens quid admirabile, non solum quod muniat et protegat, sed etiam quod supra rerum naturam. Cum enim dixisset : « Tenebit me dextera tua, » et, « Dedu- » cet me, » subjunxit : « Et dixi : Forsitan tenebræ conculca- » bunt me. » Alius, « Si dixero : Forsitan tenebræ tegent me. » Alius, « Operient me. » Tenebræ hic significant afflictionem. Quod autem dicit, est ejusmodi, « Circumsessus sum a malis, et dixi mihi ipsi : Superabunt me mala. » Hoc enim sibi vult illud, « Tenebræ me conculcabunt. » Alius, « Tene- » bræ tegent me. Et nox illuminatio in deliciis meis. » Alius, « Nox lucida circa me. » Quid hoc est ? « Ego hæc quidem dixi, inquit, ex rerum natura reputans : repente autem mala mutata sunt in bona : imo vero mala non mutata sunt in bona, sed malis manentibus magnam sensi benignitatem. » Non dixit enim : « Non deleta est, » sed, « Nox fuit » lucida ; » hoc est, « Nox manens nox, mala scilicet, et calamitates, ea enim noctis nomine significat, non potuerunt me conculcare, sed fuit lux in nocte, hoc est, mei extitit

[1] Psal. CXXXVIII, 11, 12.

defensio. » Contraria enim in contrariis et fiunt et apparent, quando vult Deus. Annon vidisti et fornacem ardentem, et rorem sibilantem, et neque illam extingui, nec hunc exsiccari, et grandinem simul et flammam? Undenam ergo, dic mihi, hoc factum est? Quomodo autem factum est, volo scire. Imo vero nec volo quidem scire modum, neque enim potest fieri, sed factum credo : eum autem qui fecit adoro. Plurima enim ejus facta sunt occulta et arcana. Non vidisti quod cum dies esset, perinde atque in tenebris palpabant Ægyptii, et cum omnia occuparent tenebræ, videbant Israëlitæ; et cum essent rursus in principio tenebrarum, lux eis illuxit in medio? Naturæ enim rerum semper est Dominus, qui fecit naturam, non ut producat quæ non sunt, sed ut manentia in natura aliter apparere efficiat. « Quia tenebræ non obscurabuntur a te. » Alius, « Apud te. Et nox sicut dies illuminabitur. » Alius, « Sed et nox ut dies apparebit. Sicut tenebræ ejus, ita et » lux ejus. » Alius, « Similes sunt tenebræ et lux ejus. » Recte dixit : « A te, » hoc est, « Apud te, » significans, « Si volueris, tenebræ non erunt tenebræ, sed quæ lucis sunt, ostendent. » Et ideo subjunxit, « Nox sicut dies illuminabitur, » reddens quod præcidit apertius, et hoc indicat : quæ sunt diei, nox ostendet, non secus atque ea quæ sunt ejus propria. Quando enim Deus voluerit, operatio elementorum vertitur in contraria æque facile atque in propria sibi initio tributa. Si tu enim volueris, ita erit nox, et ita habebit lucem sibi attributam, ut tenebras. Quocirca hoc quoque significans, subjunxit, « Sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus. » Hæc de elementis quidem proprie dicta sunt, metaphorice autem etiam de rebus. Ex quibus ostenditur posse Deum tantam afferre requiem ac recreationem iis, qui in afflictiones incidunt, quantam habent ii qui utuntur rebus secundis, ut pote qui curam gerat afflictionis. Hoc est enim incredibile,

et majus opinione, quod etiam in Joseph accidit. Neque enim tam felix fuisset ejus successus, nec tantum esset honorem consecutus in paterna domo habitans, quantum venumdatus, et in domo barbarica educatus. Per ipsos enim insidiatores ei contexebatur diadema, et comparabatur purpura, et ab infamiæ occasione, honoris et regni ei causa processit. Vidisti quomodo interpretati sumus illud, « Nox sicut dies illuminabitur? » ad hoc autem, « Sicut te- » nebræ ejus, ita lumen ejus, » id ipsum dicere necesse est : sicut illæ, sic etiam hoc erit, non specie tantum, sed Domino tuo mutante rerum naturas. « Quia tu possedisti renes » meos, Domine : suscepisti me de utero matris meæ [1]. » Et quænam est hæc consequentia cum eis quæ dicta sunt? Magna quidem certe, et quæ valde cohæret. Quoniam enim dixit de tanta ejus potentia, ostendit deinceps eum uti hac potestate ad utilitatem et beneficium hominum. » Ne quis enim insipiens diceret : « Et quid hæc ad me, si est magnus, et potens, et præsciendi facultate præditus? Ostende si quid ex eo lucri faciamus : » subjunxit, « Tu possedisti re- » nes meos, » a parte dicens totum hominem. Non est autem hoc parvum ad partem laudis providentiæ, esse Dei possessionem. Qui enim possidet, curam gerit et providet. Quocirca hoc quoque significans, adjicit deinceps quod sequitur, « Suscepisti me de utero matris meæ. » Hoc est, « Perpetuo me muniisti, mihi providisti, mei curam gessisti, ac tutum reddidisti ab ineunte ætate, ab ipsis fasciis : et quæ dixi, docuisti rebus ipsis. « Confitebor tibi quia terribiliter mag- » nificatus es : mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit » nimis [2]. » Quid hoc est? Finxisti me, inquit, sed nescio quomodo finxeris. Provides, sed non possum simul providentiam omnem ratione comprehendere. Ubique es, sed ne hoc quidem scio quo pacto. Nosti futura, et præterita,

[1] Psal. CXXXVIII, 13. — [2] Ibid. 14.

et arcana mentis hominum : sed nec hoc possum ratione comprehendere. Mutas enim rerum naturas, et facis ut manentes ostendant contraria : et ita rursus contraria educis, perinde ac si essent propria et ejus naturæ attributa.

IV. Cum itaque hæc omnia collegisset, et divino esset Spiritu afflatus, magna voce clamavit dicens : « Confitebor » tibi, quia terribiliter magnificatus es, » hoc est, « Mirabilis apparuisti, et es mirabilis. « Mirabilia opera tua, et anima » mea cognoscit nimis. » Et quid de te, inquit, dico, cum quæ a te fiunt, magnum habeant miraculum? Deinde mittens omnia persequi, propria sui notitia contentus dicit : « Et anima mea cognoscit nimis. » Non cognoscit solummodo, sed valde et intense cognoscit. Si autem cognoscit, quomodo dixit antea « Mirabilis facta est scientia tua a » me, confortata est, non potero ad eam? » Maxime : nam illud quidem certe de ipso dictum est, hoc vero de operibus. Quod si hoc quoque de ipso dictum est, illud dixerimus : « Novit eum esse mirabilem, magnum, excelsum. » Quid sit autem substantia, eadem enim rursus dicam, et quonam modo sit ejus majestas et magnificentia, et quisnam sit modus eorum quæ dicta sunt, ignorat : sed ea ipsa ignoratio est argumentum cognitionis, etiamsi sit mirabile quod dictum est. Nam mare quoque quantum sit ignoramus : et tamen propter hoc ipsum mare maxime novimus, quod ejus mensuram nesciamus. Si quis autem dicat se nosse ejus quantitatem, is est qui id ignorat maxime. Est igitur professio cognitionis, quæ arguit ignorantiam : et est ignoratio, quæ nobis fert testimonium de scientia. « Non est » occultatum os meum a te quod fecisti in occulto : et sub» stantia mea in inferioribus terræ[1]. » Loquitur rursus de ejus cognitione, et ostendit cum hæc scire omnia. Vel ergo dicit eum omnia nosse arcana, vel aliquid aliud signi-

[1] Psal. CXXXVIII, 15.

ficat, nempe formationem et creationem : ne cum fingerer quidem, me ignorasti, sed omnia sciebas, cum hæc paulatim natura contexeret, tametsi in arcano operaretur, et tanquam in infimis terræ partibus : sunt tamen tibi, inquit, omnia nuda et aperta. Alius autem interpres sic dixit : « Non velata sunt ossa mea a te, quibus factus sum in oc- » culto. » Alius : « Non latuit te fortitudo mea qua factus » sum in occulto : varie compactus sum ut in infimis terræ. » Alius : « Non latuit te potentia mea seu ossa mea, quia » factus sum in occulto, effictus sum in infimis terræ. » Omnes ergo eadem ipsa loquuntur, nempe, « Dum fingerer, me perfecte formatum per partes novisti, et unumquodque membrum et ejus quoque incrementum scivisti » Quod et ipse etiam dicit Christus : « Vestri autem capilli capitis » omnes numerati sunt [1]. » Simul autem et providentiam et scientiam eodem sermone explicatam deprehendimus. « Im- » perfectum meum viderunt oculi tui [2]. » Vel idem ipsum rursus dicit: « Me vel informem nosti. » Alius enim sic dixit : « Informem me viderunt oculi tui. » Vel de ipsis actionibus, nempe quod nondum factum erat viderunt oculi tui. « Et in libro tuo omnes scribentur. Die formabuntur, et » nemo in eis [3]. » Est obscurum illud, sed oportet id venari ex serie et ex alio interprete. Quod enim dicit, tale est, ei quod præcessit conveniens. Quid autem præcessit ? « In- » formem me viderunt oculi tui : » hoc est, « Cum nondum ullam figuram suscepissem, cum adhuc fingerer et formarer, me æque aperte viderunt ut eum, qui est figura præditus, » et nullo die eget ad suam perfectionem. Et ut scias hoc ita esse, audi interpretationem alterius. « Informem me » præviderunt oculi tui, cum omnibus qui in libro tuo » scripti sunt, qui sunt effingendi nullo die deficiente. » Cum illis, inquit, me vidisti, qui finguntur in diebus eorum,

[1] Luc. XII, 7. — [2] Psal. CXXXVIII, 16. — [3] Ibid.

quibus nullus dies defuit. Hæc autem dicit non quasi sit liber, nec quasi ulli scripti sint, sed perfectam cognitionem per librum significans, quemadmodum quando dicit : « Audivit Dominus, et scripsit in libro [1]. » Et rursus, « Libri » aperti sunt [2]. Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui » Deus [3]. » Alius : « Pretiosi fuerunt amici tui. » Non est hoc parva virtus, Dei amicos honore afficere. Curam, inquit, mei gessisti; me, cum non essem, produxisti ; me regis et contines : ego autem hanc reddo remunerationem amicos tuos honorans. « Nimis confortati sunt principatus eorum [4]. » Hoc est, « Ipsi validi et potentes facti sunt. » Alius dicit : « Quam » multiplicia sunt capita eorum, » quod quidem est clarius, subjungit enim : « Dinumerabo eos, et super arenam mul- » tiplicabuntur [5]. » Ego quidem ipsos honoro : tu autem multos facis, atque adeo plures arena. Non solum autem multos, sed etiam fortes ac validos. Hoc enim sibi vult illud : « Confortati sunt. » Duplicem autem dicit prosperitatem, multitudinis scilicet, et roboris incrementum. « Exurrexi, » et adhuc sum tecum [6]. » Alius : « Excitabor et ero semper » tecum. »

V. Non est hoc parvum signum virtutis, in rebus secundis virtutem perpetuo conservare. Multi, inquit, cum res eis secundæ evenissent, tui obliti sunt. At non ego, inquit, sed etiam cum exurrexi, hoc est, cum sum liberatus a malis, semper ero tecum. « Si occideris, Deus, peccatores [7]. » Non hoc dicit : « Si occideris, tunc ero tecum : sed illud quidem etiam absque hoc promisit. Petit autem hoc fieri, non ut deleat hominum substantiam, sed ut eos mutet a peccato in justitiam. Non dixit enim : « Si homines occidas, » sed « Peccatores. » Alius autem pro eo quod est, « Peccatores, » dixit : « Transgressorem, » loquens de hostibus simulacra

[1] Malach. III, 16. — [2] Dan. VII, 10. — [3] Psal. CXXXVIII, 17. — [4] Ibid. — [5] Ibid. 18. — [6] Ibid. — [7] Ibid. 19.

adorantibus. « Viri sanguinum, declinate a me [1]. » Viros sanguinum dicit sicarios, homicidas, et qui cæde lætantur. Non est autem hic parvus gradus ad incrementum virtutis, fugere et resilire ab ejusmodi hominum congressionibus Deinde subjungitur etiam causa : « Quia litigiosi estis in » cogitationibus [2]. » Alius, « Qui adversus te dixerunt co- » gitationem. » Alius, « Quoniam exacerbaverunt te in » malo consilio. » Vide eum non quærere quod suum est, sed propter Deo factam injuriam resilire, et fugere illorum consuetudinem. Hoc enim Judæis fuit causa interitus, quod versarentur cum improbis. Quocirca legem quoque acceperunt, ac lege separabantur ab eis, et jubebantur eorum vitare conjugia, cumque tunc exiissent ab Ægypto, quadraginta annis seorsim fuerunt in solitudine. Quocirca lex appellabatur sepes, quod eos undique circumdaret, et eorum consuetudinem cum malis coërceret : erant enim eorum mores captu ac circumscriptu faciles, et mutabiles. « Accipient in vanitate civitates tuas [3]. » Alius, « Vane » elati sunt æmuli tui. » Alius, « Inimici tui. » Propterea fugit et resilit, quod adversus Dei gloriam elati sunt, quod se inique gesserunt, quod verba blasphema locuti sunt. « Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos » tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos ; inimici facti » sunt mihi [4]. » Ita etiam Deus pollicitus est se hostibus hostem futurum, et adversariis futurum adversarium. Hæc enim sunt maxime signa amicitiæ. Ipse itaque Deo per utrumque vicem reddit. Superius enim dixit : « Mihi autem » valde honorati sunt amici tui, Deus. » Hic autem : « Eos » qui te oderunt odi : » illic supra modum et hic quoque supra modum. Non solum enim dicit : « Oderam, » sed etiam « : Tabescebam. Proba me, Deus, et scito cor meum.

[1] Psal. CXXXVIII, 19. — [2] Ibid. 20. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 21, 22.

» Interroga me, et cognosce semitas meas : et vide si via » iniquitatis in me est, et deduc me in via æterna[1]. » Atqui dixit in principio : « Probasti me, et cognavisti me. Tu » cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam. In- » tellexisti cogitationes meas de longe : semitam meam et » funiculum meum investigasti. Et omnes vias prædivisti. » Tu cognovisti omnia novisssima et antiqua. » Quomodo ergo hic rursus dicit, tanquam nondum probatus : « Pro ba » me? » Vides quomodo utitur humanis dictionibus, non ut in ea vitate maneamus, sed ut cum Deo dignam cogita- tionem per omnia colleg rimus, ad altam conscendamus intelligentiam. Petit enim ut probetur et examinetur, non ut ejus cor cognoscat, qui ante omnia novit, etiam prius- quam gignerentur : sed ut nos cognoscamus, qui ex rerum exitu discimus. Hoc enim sibi vult hic illud : « Proba me. » Et vide si via iniquitatis in me est, et deduc me in via » æterna. » Quænam est autem via æterna, nisi spiritualis, et quæ ducit in cœlum, et cujus non est finis? Alia enim omnia sunt caduca et momentanea, et vita præsenti con- cluduntur. Quocirca omnibus prætermissis illam quærit quæ est immortalis, quæ est interminata, quæ ad finem non pervenit. Quomodo autem deducetur quis ad illam? Si Dei auxilio fruatur, et ea quæ sua sunt conferat, virtu- tem persequens, philosophiæ deditus, et rebus quæ ad hanc vitam pertinent, excelsior effectus. Quæ enim ad illam viam pertinent, non sunt fluxa et momentanea. Virtus namque talis est : habet fructus qui perpetuo florent, et nunquam flaccescunt, et bona immortalia a fine et ab in- teritu omnino aliena. Quæ detur nobis omnibus consequi gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui glo- ria et imperium nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Psal. CXXXVIII, 23, 24.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXXXIX.

Eripe me, Domine, ab homine malo : a viro iniquo eripe me [1].

I. Ubi nunc sunt qui dicunt : « Quare sunt feræ? quare scorpii ? quare viperæ? » Ecce enim inventum est animal, quod majorem ostendit improbitatem, non ex natura, sed ex libera animi voluntate, nempe homo. Ideo Propheta quoque, illis omnibus prætermissis, rogat ut ab eo liberetur. Quid ergo, dic mihi, quæso, quoniam is talis est, non oportuit gigni homines? Sed extremæ est amentiæ hoc dicere : nihil enim est quod lædat hominem, nisi solum peccatum : eo autem sublato, omnia sunt facilia, expedita, ac tranquilla : quemadmodum, si id adsit, sunt omnia scopuli, tempestates et naufragia. Nemo autem nos condemnet, si dicamus vitiosum hominem esse fera improbiorem : ea enim etsi naturalem non habet mansuetudinem, potest tamen facile decipi, et id quod est, esse cernitur. Homo autem qui scelus meditatur, et multis se larvis induit, longe difficilius observatur et cavetur quam fera, ut qui ovis pellem sæpe præ se ferat, lupum autem intus occultet : et ideo multi, dum non cavent, in ejusmodi hominum laqueos incidunt. Quoniam ergo non facile deprehendi possunt ejusmodi bestiæ, Propheta ad preces convertitur, et Dei implorat auxilium, ut a talibus liberetur insidiis.

[1] Psal. CXXXIX, 2.

Ejusmodi enim homines sæpe subit diabolus, et ita ferit. Multa ergo sunt, quæ tendunt undique insidias. Nam homo sceleratus hoc facit, et sævus Dæmon bellum gerit, et intoleranda tentatio molestiam exhibet. Quocirca docemur orantes dicere : « Ne nos inducas in tentationem, sed libera » nos a malo [1]. » Variæ sunt pugnæ, aciesque multiplices, et oportet esse paratos ad omnia. Sicut enim qui ad mare est accessurus, et aquarum violentarum impetum, vim immanium ventorum, nubium concursum, rupesque et scopulos marinos, belluarum irruptionem, piratarum incursionem, famem, sitim, stationem non satis tutam navibus, nautarum contentionem, viatici inopiam, et quæcumque sunt ejusmodi, debet considerare ac prospicere, et adversus ea omnia aciem instruere : ita etiam qui venit in Euripum vitæ præsentis, adversus corporis affectiones, adversus morbos animi, adversus hominum insidias, adversus inimicorum incursus, contra fictorum amicorum fraudes, contra paupertatem, ac tormenta, adversus contumelias, et dæmonum phalanges diabolique furorem, par est ut se præparet, siquidem sit in urbem regiam perventurus, et mercibus onustus in portum appulsurus. Atque hic quidem vocat malum hominem : quando autem loquitur de diabolo, absolute dicit malum. Quanam de causa? Quoniam ipse est pater improbitatis : et ideo dicitur malus per excellentiam, et pro nomine proprio sufficit adjectivum propter insigne vitium, quod quidem non est insitum natura, sed ei accessit. Quod si etiam scire velis unde sit deductum nomen improbitatis, magnum quoque hinc fructum percipies. Improbitas enim Græce dicta est πονηρία, eo quod πόνον, hoc est, laborem et ærumnam possessori afferat. Quocirca quidam Sapiens hoc significans dicit : « Si sis » malus, solus hauries mala. Sin bonus, tibi ipsi atque tuis

[1] Matth. VI, 13.

» proximis [1]. » Et quomodo, dicet quispiam, malus solus mala haurit? Atqui multos probris et contumeliis afficit. Sed neminem lædit, qui non sit mollis, ignavus et iners. Et si velis, modo homine dimisso, ipsum malum dæmonem in medium adducamus. Dic mihi autem, annon omnem suam effudit improbitatem? Num læsit Job? Annon illum quidem reddidit clariorem, sibi autem graviorem lapsum procuravit? Quid vero Caïn, annon solus mala hausit? Non, inquit, sed etiam Abel. Quomodo, et qua ratione? quia celeriter transmissus est in portum nullis fluctibus agitatum. Sed hoc est maximum genus beneficii, quod re a se recte gesta obierit, quod in communi naturæ debito probe negotiatus sit. Nam quod erat aliis commune, et accidebat ex necessitate, hoc ei cum ampla mercede accedit. Hoc non erat malum sustinere, sed clariorem capiti coronam imponere. Quid vero Joseph læserunt fratres? nonne ipsi soli mala hauserunt? At fuit, inquit, servus. Quid tum? Ego vero dico eum etiam vinctum fuisse. Sed non est hoc quod quæritur, an fuerit servus, et in vinculis : sed an ex eo damnum ullum acceperit. Contrarium enim invenimus, nempe eum plurima lucratum esse, ut qui sit apud Deum plurimam fiduciam consecutus, et per ea quæ esse videbantur contraria, præsentem acceperit prosperitatem. Ne igitur timeamus improbos, sed eorum misereamur. Tunc enim jure quidem erant timendi, cum nondum aperta esse alta via, quæ duceret ad philosophiam : nunc autem non amplius, cum deinceps cœli nobis pateant, et homines Angeli effecti sint. Nam et bestia, quæ cum magno impetu irruit in hastæ aciem, videtur quidem cum ulcisci qui tenet hastam, verum sibi ipsi gravius vulnus infligit: et qui contra stimulum calcitrat, itidem pedes sibi cruentat.

II. Talis est virtus, stimulus et gladius acutus : omnes

[1] Prov. IX, 12.

autem improbi sunt deteriores, et rationis magis expertes quam bestiæ. Quando ergo bonos invadunt, seipsos gravius confodiunt, illis quidem sæpe in pecunia, vel etiam in corpore damnum afferentes : seipsos autem in anima, quod quidem est vere damnum, lædentes. Si enim in propria nos virtute læderet damnum pecuniæ, non præcepisset Paulus ut injuriam pateremur [1], non autem faceremus. Si malum esset injuria affici, non qui est bonorum legislator mala jussisset. Verum quamvis res ita se habeant, non oportet malis insultare, nec in eos impetum facere, sed eorum vitare consuetudinem : si invadunt, forti et generoso animo eos excipere. Ideo enim jubemur orare ne intremus in tentationem. [2] Quocirca ipse quoque cum dixisset : « Eripe me, » Domine, ab homine malo, » subjunxit, « A viro iniquo » eripe me, » ponens rursus generale nomen vitii. Non solum enim eum qui in pecunia, sed eum etiam qui est in omnibus aliis injustus hic dicit. Rogat autem ut liberetur, ne cadat, nec fiat ut ille est. Non petit absolute, nisi cum sua prius contulerit. Et ideo cum in fine prioris Psalmi eos fugisset, et eorum consuetudinem, hic petit Dei auxilium. Illic enim quæ sua erant contulerat dicens : « Viri sangui- » num, declinate a me, quia litigiosi estis in cogitationibus [3]. » Ilic autem rogat Deum ut liberetur ab eorum improbitate. Non enim parvum aut leve quid est ad securitatem, ad libertatem, et omnem voluptatem, liberari a tali hominum cœtu, et quam longissime ab improborum consuetudine versari, imo vero magna est felicitas. Deinde ipsorum describens improbitatem, addit et ait : « Qui cogitaverunt ini- » quitatem in corde : tota die constituebant prælia [4]. » Vidisti quomodo sint feræ, quæ vix caveri possunt, ut qui mala in animo machinentur, et celent in arcanis insidias.

[1] 1 Cor. VI, 7. — [2] Matth. XXVI, 41. — [3] Psal. CXXXVIII, 19, 20. — [4] Id. CXXXIX, 3.

« Cogitaverunt, inquit, in corde; » hoc est, non extra protulerunt, sed intus agitabant et versabant scelus parturientes, et, quod est omnium gravissimum, non aliqua temeritate inducti, nec perversi, sed omnem operam et studium in eam rem conferentes. Hoc enim sibi vult illud, « Cogi» taverunt, » nempe omni studio, et maxima animi alacritate. « Tota die constituebant prælia. » Per hæc omnem vitam significat. Bella autem subindicat, non ea quæ instructa acie, nec quæ armis geruntur, sed quæ paratis insidiis, quæ et in foro et domi gerunt homines, non thorace induti, nec clypeo protecti, sed pro omnibus armis improbitate utentes, et verba telis acerbiora mittentes. Improbitatis autem eorum est hoc maximum, quod non solum sint dolosi, ficti, et simulatores, nec quod ad bella et prælia parati; sed etiam quod per totam vitam, tetri hujus belli nullæ sint induciæ. Atqui si volebant belligerare, aliam justam belli gerendi causam habebant. Adversus enim peccata decertare, et contra diabolum aciem instruere oportebat, pugnare contra morbos animæ, enses in dæmones acuere. Hi autem illam aciem ne aspiciunt quidem, sed tela inter se mutuo jaculantur. « Acuerunt linguam suam sicut ser» pentis: venenum aspidum sub labiis eorum semper [1].» Vidisti quam sit ignobile vitium? facit ex hominibus bestias, aspides et serpentes, et linguam illam quæ disserendi potestate prædita est, ad istam feritatem deducit. Id autem cujus eos superius accusavit, nunc quoque eis objicit. Quidnam autem illud est? « Venenum aspidum sub labiis eo» rum, inquit, semper, » hoc est, assidue. Quemadmodum enim superius dixit: « Tota die constituebant præ.ia; » ita etiam, « Acuerunt linguam suam sicut serpentes: venenum » aspidum sub labiis eorum semper. » Hoc enim ubique significat « Diapsalma. » Diapsalma autem hebraïce dic-

[1] Psal. cxxxix, 4.

tum est « Sel, » quod est « Semper. » Atqui vitium vel exiguo tempore res est gravis et molesta : quando autem id assidue persequuntur, nec eos ulla ejus capit satietas, quænam eis venia dari potest, et quænam erit eorum defensio. « Custodi me, Domine, de manu peccatoris, ab hominibus » iniquis eripe me. Qui cogitaverunt supplantare gressus » meos. « Absconderunt superbi laqueum mihi. Et funibus » extenderunt laqueum pedibus meis : juxta iter scandala » posuerunt mihi [1]. » Nihil est iniquius iis, qui vitium persequuntur, qui ante alios suas ipsorum lædunt animas. Cum enim ipsi sint auctores offensionis, cum efficiant ut Dei gloriæ detrahatur ab insipientibus, cum non exolvant quæ debent, sed qui corpus et animam a benigno et clementi Deo acceperint, sint agendæ gratiæ immemores, et qui tantum ornamentum et bonum acceperint, benefactori suo contraria rependant, quid his fuerit injustius ? quid vero ingratius ? Et quod est majus, et omne scelus superat, alios quoque lædere conantur. « Cogitaverunt enim, inquit, » supplantare gressus meos. » Quo ! si quod cogitabant minime effectum est, id quoque summæ Dei clementiæ ascribendum est. Ipse enim scelerata eorum consilia confregit.

III. Vide autem quam meditatum erat scelus, et quanto studio paratæ insidiæ. Occultarunt enim, et extenderunt, idque « Juxta iter, » ut ex longitudine, ex latebris et quod prope tenderent, caperent et in suam potestatem redigerent. Fuerunt enim sceleris artifices, dum laqueos undique extenderent, hoc unum sibi faciendum statuentes, ut eum perderent. Vis videre quomodo funes extendat diabolus ? vide rursus id quod Job accidit. Quid enim illis latius ? quid longius ? quid vero propinquius, cum non solum in cognatis et amicis, nec in uxore tantum, sed in ipso ejus

[1] Psal. CXXXIX, 5, 6.

corpore laqueum tetenderit? « Dixi Domino, Deus meus » es tu. Exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ. Domine, » Domine, virtus salutis meæ[1]. » Alius, « Potentia salutis » meæ. » Postquam dixit bellum et insidias, et ostendit mala esse intolerabilia : confugit deinceps ad inexpugnabile auxilium, e cœlo adjutorem implorans, qui hæc potest frangere et profligare. Hoc est argumentum generosi animi, hoc est signum mentis quæ tenetur studio sapientiæ, cum hæc circumsteterint, non confugere ad humanum auxilium, nec ad mortales cogitationes, sed in cœlum respicere, et Deum qui ubique præsens est, invocare, non autem conturbari, animove consternari. Vide autem quomodo ut eo dignum est, verba contexit. « Non dixit enim : « In hac et in illa re me recte gessi, nec hanc vel hanc justitiam operatus sum : » sed quid? « Deus meus es tu, » maximam causam afferens cur petat auxilium, quod confugiat ad Dominum, opificem, et regem. « Exaudi, Domine, vocem deprecationis » meæ, Domine, Domine, virtus salutis meæ. » Dixit : « Virtus seu potentia salutis, ostendens esse etiam potentiam pœnæ et supplicii. » Sed præbuisti, inquit, mihi virtutem salutis. » Potes enim et nocere et de medio tollere : sed ad meam salutem tua semper potentia usus es. Vide autem amorem dicentis. Per repetitionem enim, et quod adjecerit, « Salutis meæ, » ostendit magnam affectionem. « Obum- » brasti super caput meum in die belli[2]. » Vidisti gratum animum? priora in memoriam revocat, quod eum scilicet in tuto collocaverit. Hoc enim sibi vult illud, « Obumbrasti. » Vide autem quomodo ostendat quam id Deo facile sit. Non enim dixit : « Ante, » sed, « In ipso, inquit, die, quando mala imminebant, quando erat instructa acies, quando versabar in maximis periculis, tunc me in tuto collocasti. » Neque enim aut apparatu aut exhortatione ulla Deus indiget, ut

[1] Psal. cxxxix, 7, 8. — [2] Ibid.

qui sciat quæ sunt præsentia, futura, et præterita, qui omnia possit, semper adsit, et præsto sit ad ferendum auxilium. Deinde ostendens insignem victoriam, et summam securitatem, non dixit : « Servasti me : » sed quid ? Obum»brasti : » hoc est, « Ut ne minimam quidem molestiam sustinerem, effecisti, ac ne æstum quidem : sed me in tanta securitate, et una cum securitate in tanta jucunditate et animi quiete collocasti, ut nec ullus calor mihi molestiam exhiberet, sed in umbra suaviter agerem, liber scilicet ac remotus a malis et calamitatibus. Quocirca subjunxit illud, « Obumbrasti, » ea ratione etiam significans quam promptum et expeditum sit Dei auxilium, nempe per umbræ nomen, perinde ac si diceret : « Sufficit si tantum adsis, et omnia soluta erunt. « Non tradas me, Domine, a deside»rio meo peccatori [1]. » Alius, « Ne des, Domine, desideria »injusti. » Quod autem dicit, est ejusmodi : « Ne concedas ei desiderium suum contra me, » id est, « Quæ adversus me desiderat, ne permittas ut ipse impleat. » Non dixit autem, « Quæ desiderat : » sed, « A desiderio meo, » volens tale quid significare « Ne tantillum quidem concesseris eorum, quæ desiderat. » Tales enim sunt improbi, cum maxima cupiditate in proximum moliuntur insidias, quemadmodum diabolus quoque, de quo dicit : « Circuit tanquam leo »rugiens, quærens quem devoret [2]. » Ita Job cupide aggressus est : ita etiam de Petro invadendo consultabat : et ideo dicebat : « Quoties expetivit te satanas cribrare ut tri»ticum [3]. » Vidisti quantam habuerit cupiditatem ? Sunt etiam homines, qui invidia adducti, et quod malis lætentur, illius vitium imitantur. Quos quidem miseros appellat Scriptura dicens : « Væ qui lætamini malis, qui delectamini »in eversione improborum [4] : » idque merito : hoc est enim

[1] Psal. CXXXIX, 9. — [2] 1 Petr. V, 8. — [3] Luc. XXII, 31. — [4] Prov. II, 14.

pravi et corrupti animi. Si enim dolendum, ingemiscendum, deflendum est propter eos qui pereunt; quam consequentur veniam, aut qua utentur defensione, qui tantum abest ut eorum misereantur, ut etiam gaudeant? Annon vidisti ipsum quoque Christum, cum esset puniturus, deflere pereuntem Jerusalem? » Non vides etiam Paulum propter aliorum interitum gementem et lugentem? Sed sunt nonnulli adeo depravati, ut suorum malorum solatium alienas ærumnas existiment. « Cogitaverunt contra me, ne derelinquas me, ne forte exaltentur semper[1]. » Hoc enim sibi vult « Diapsalma. » Alius, « Ne discedas, ne forte exal»tentur. » Hoc est scelerati et corrupti animi, quando et consilio et otio, et meditatione opus est ad vitium. Non sufficiunt quæ repente fiunt: non enim satis sunt ad nos perdendos quæ temere et inconsiderate patrantur; sed consilio, tempore et consideratione tibi opus est ad vitium.

IV. Quanam ergo uteris defensione, cum studium et diligentiam adhibes, ut vitium exerceas, cum pro malis faciendis consultas, et socios asciscis? Sed vide istius humilitatem. Non dixit enim: « Ne derelinquas me, quoniam sum dignus: ne me derelinquas propter vitam in virtute actam. » Sed quid? « Ne forte exaltentur, » hoc est, « Ne fiant arrogantiores, et ne in majorem erigantur insolentiam propter meam derelictionem. « Caput circuitus eorum, la»bor labiorum ipsorum operiet eos[2]. » Alius, « Exacerba»tio eorum qui me circumdant, labor labiorum ipsorum »operiat ipsos. » Circuitum hic dicit conventum, consessum, improbam officinam, scelesta consilia. Quod autem dicit est ejusmodi: « Ipsa scelerata consilia, et caput ac summa improbi et depravati animi, ipsa eos obruerit et perdiderit. «Labor labiorum ipsorum. » Laborem hic vocat improbitatem. Res est enim ejusmodi improbitas, affert ei

[1] Psal. CXXXIX, 9. — [2] Ibid.

qui illam possidet, exitium, et ut obruatur efficit. Hoc in David accidit. Expectabant enim fore ut in mala gravissima incideret: ille vero evasit clarior. Certe, inquit, sed hoc non quæro; verum ostende quomodo proprio consilio confossi perierunt, et dic ubi hoc evenerit. In fratribus Joseph. Cum enim vellent eum servum facere ac perdere, ipsi extremum periculum adierunt. Atqui et in servitutem et in mortem, quantum in eis fuit, ille detrusus est. Et Absalom cum invasisset tyrannidem, et vellet patrem perdere, ipse per eam captus est. « Cadent super eos carbones ignis. In » ignem dejicies ipsos [1]. » Quod dicit, est ejusmodi: « Sufficit quidem vel ipsum vitium ad eos perdendos, qui ipsum complectuntur: » sed cum eo iram quoque divinitus immissam sustinebunt. Carbones autem ignis et ignem hic dicit supplicium, quod a cœlo immittitur. Sæpe autem cum ipso quoque igne immissum est, ut accidit circa Dathan, Core, et Abiron, et circa eos qui fornacem babylonicam circumsistebant. « In miseriis, et non subsistent [2]. » Alius, « Cadent in foveas, ne resurgant. » Alius, « Propere, et » non resurrexerint. » Secundum unum interpretem talis est sententia: « Ita eos perde, ut non amplius resurgant. » Secundum alterum vero, « Cum magna celeritate; » hoc enim sibi vult illud, « Propere. Vir linguosus non dirigetur » in terra [3]. » Postquam dixit de ira Dei, ostendit rursus ipsum per se vitium sufficere, ut sui possessores perdat. Non est autem hoc quoque parvum genus improbitatis, esse nimis insolentem, et linguam non posse cohibere. Linguosum enim hic dicit hominem petulantem, nugatorem, maledicum, qui latrat assidue, qui cane nihilo est melius affectus. Dic ergo qualis est ejus fructus. « Non dirigetur, » inquit, in terra. » Alius, « Non stabilietur, » hoc est, Dejicietur, evertetur, peribit. Hic est fructus maledici, est

[1] Psal. CXXXIX, 11. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 12.

omnibus hostis, omnibus molestus, gravis et acerbus. Quemadmodum ergo qui est mitis, patiens et lenis, et scit tacere, tutus est, gratus et jucundus omnibus : ita qui talis est, vitam agit lubricam et valde periculosam, undique innumerabiles inimicos ad se accersens et attrahens, et ante alios suam animam conturbans, non sinens eam quiescere, sed etiam nullo ei molestiam exhibente innumerabiles tumultus et bella intus excitans. « Virum injustum mala capient in interitum. » Ita etiam dicit alius Sapiens : « Iniquitates virum venantur. «Vide rursus vitium sufficere ad eum perdendum qui id habet. Sed qua de causa posuit nomen venationis ? Ut videas id esse inevitabile : ut et si cum injuste te geras, non statim incidas, non ideo sis bono et fidenti animo. Talis enim est venatio : non semper, nec protinus assequitur ; sed tamen quamvis in venatione non capiantur feræ, ne sic quidem tutæ sunt, licet laqueis nondum sint implicatæ. Ita etiam non confidat anima, quæ injuste facit, etsi nondum capta sit. Aliquando enim capietur. Si vis in tuto esse, cessa hæc agere, et magna frueris securitate. Cur autem dixit : « In interitum ? » Quoniam multi capiuntur ad salutem, ut qui ab Apostolis, ut qui a sanctis viris. At non mali, quando eos venatur vitium ; sed ad perniciem et interitum. Et cur non e vestigio vitium consequitur supplicium ? Propter Domini clementiam. Si enim vellet de unoquoque eorum, qui peccant, protinus supplicium sumere, jam maxima ex parte sublatum esset humanum genus. « Cognovi quia faciet Dominus judicium inopum, et » vindictam pauperum. Verumtamen Justi confitebuntur » nomini tuo, et habitabunt recti cum vultu tuo[2]. » Alius, « Apud vultum tuum. » Pro, « Habitabunt » autem, alius dicit : « Permanebunt, « et alius, « Sedebunt : » et pro « Co» gnovi, « Scio. » Quoniam enim dixit ; « Venabuntur, et

[1] Psal. CXXXIX, 12, — [2] Ibid. 13, 14.

peribunt, » nec ostendit statim imminere supplicium : ne quis ex crassioribus ideo redderetur negligentior, subjunxit illud, « Cognovi, » ostendens id omnino futurum. Qui enim injuria affecti sunt, non manebunt inulti. Pauperes autem hic non intelligit absolute pauperes, sed eos qui sunt valde humiles, qui sunt contriti. Hæc autem dicit, eos, qui injuria afficiuntur, consolans, et eos qui faciunt injuriam, corrigens admonensque, ut nec illi propter moram desperent, nec hi propter dilationem reddantur socordiores. Dilatio enim ducit ad pœnitentiam : eum autem, qui perseverat, punit gravius : idque merito. Quare ? Quod cum in se tantam bonitatem senserint, nequaquam meliores evaserint. Cogita namque quanta sit Dei clementia, quando eos, qui sunt sibi addicti, mala pati permittit, nec ulciscitur, volens te pœnitentia meliorem facere. « Verumtamen Justi confitebun- » tur nomini tuo. » Quid est quod dicit ? « In quocumque, inquit, evenerit, illi agent gratias : seu viderint humiles injuriis affectos, seu malos elatos, non exigent rationem cur illa fiant. » Hoc est enim vel maxime Justorum, semper et in omnibus gratias agere. « Et habitabunt recti cum vultu » tuo : » hoc est, « Tuum assecuti auxilium, et de te cum suis animis cogitantes, semper tecum versantes, a te nunquam recedent. Quidquid evenerit, nihil unquam eis ægre fuerit, nec de eis quæ accident, unquam querentur. Hoc est enim animi immobilis, hoc firmæ mentis ac stabilis, non poscere a Domino eorum quæ fiunt rationem. Quocirca dicebat Paulus : « Verumtamen, o homo, tu quis es qui res- » pondeas Deo ? Numquid dicit figmentum figulo : Cur me » fecisti sic [1] ? » Hoc igitur modo nos quoque semper grato simus animo, pro omnibus Deo gratias agentes : quoniam ei gloria, gratiarum actio, et adoratio, nunc et semper, et in infinita sæcula sæculorum. Amen.

[1] Rom. IX, 2

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXL.

Domine, clamavi ad te, exaudi me : intende voci meæ, cum clamavero ad te [1].

I. Hujus quidem Psalmi [2] verba pene omnes sciunt, et per omnem ætatem perpetuo canunt : quis sit autem sensus eorum, quæ dicta sunt, nesciunt. Quod quidem non est parva reprehensione dignum, eos qui quotidie canunt, et ore verba proferunt, non quærere vim sententiarum, quæ in his verbis sitæ sunt. Sed si viderit quidem quispiam aquam puram et limpidam, non se tenuerit, quin ad eam accedat, tangat, et bibat; et qui in pratum assidue ingreditur, nisi collectis prius aliquot floribus, recedere minime sustinuerit : vos autem, qui ab ineunte ætate ad extremam usque senectutem hunc Psalmum meditamini, nihil aliud quam verba perpetuo tenetis, absconso thesauro assidetis, obsignatam crumenam circumfertis, et nec a curiositate quidem incitatus est quispiam ut disceret quid est quod dicitur : non quæsivit, non scrutatus est. Quanquam nec illud quidem dici potest, cum esset Psalmus apertus, omnes invitavit ad somnum, nec sivit ut quæreretur quod erat ad manum. Est enim obscurus, sufficitque ad eum excitandum, qui non nimis profunde dormit, imo eum etiam qui omnino dormit. Quid enim est illis. « Ne decli- » nes cor meum in verba malitiæ [3] ? » Quid vero ; « Corripiet » me Justus in misericordia, et increpabit me [4] ? » Quod au-

[1] Psal. CXL, 1. — [2] Vide D. Guillon, tom. XVII, pag. 134-143. — [3] Psal. CXL, 4. — [4] Ibid. 5.

tem consequitur, dic, quæso, annon est quibuslibet tenebris tenebricosus? « Quoniam adhuc et oratio mea in beneplacitis eorum. Absorpti sunt juncti petræ judices eorum [1]. » Quamvis tamen tot sint obscura, veluti quoddam canticum, ea multi leviter prætercurrunt. Sed ne dum in reprehensione nimium immoramur, molesta evadat oratio, age ad ea quæ dicta sunt perscrutanda veniamus. Sed diligenter attendite : neque enim puto fuisse temere decretum a Patribus, ut hic Psalmus vespere diceretur quotidie, neque propter id quod in eo dicitur : « Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum [2]. » Nam idipsum quoque in aliis Psalmis dicitur, quemadmodum in illo qui dicit : « Vespere, et mane, et meridie narrabo et annuntiabo [3]. » Et rursus, « Tuus est dies, et tua est nox [4]. » Et rursus, « Vespere demorabitur fletus, et in matutino exultatio [5], » et multi possunt inveniri Psalmi qui vespertino tempori conveniant. Non ergo propterea hunc Psalmum decreverunt Patres, sed tanquam salutare aliquod pharmacum et peccatorum piaculum, ut is diceretur, constituerunt : ut quæcumque sordes aut maculæ fuerint a nobis toto die susceptæ, dum vel in foro, vel domi, vel in quocumque alio loco versamur, eas, cum ad vesperum pervenerimus, per spirituale hoc carmen abstergamus. Est enim medicamentum quod delet hæc omnia. Talis est etiam Psalmus matutinus : nihil enim vetat illius quoque breviter meminisse. Accendit enim in Deum desiderium, et animum excitat, ac postquam valde inflammavit, magnaque replevit lætitia et charitate, ita permittit accedere. Videamus autem undenam incipiat, et quid nos doceat : « Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. Sitivit te anima mea [6]. » Vides quomodo ostendit verbum inflammati ani-

[1] Psal. CXL, 6. — [2] Ibid. 2. — [3] Id. LIV, 18. — [4] Id. LXXIII, 16. — [5] Id. XXIX, 9. — [6] Id. LXII, 1.

mi? Ubi est autem amor Dei, omnia mala recedunt. Ubi est Dei memoria, illic est peccatorum oblivio, et malorum interitus. « Sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem » tuam, et gloriam tuam [1]. » Quid est, « Sic? » Cum hoc, inquit, desiderio, cum hac dilectione, ut videam tuam gloriam, quæ potest ubique videri. Sed ne eo qui est præ manibus relicto, alium obiter introducamus, transmisso auditore ad ea quæ de illo dicta sunt, ad ea quæ sunt nobis proposita accedamus. Quid hic ergo dicit? « Domine, cla- » mavi ad te, exaudi me. » Quid, quæso, dicis? Quoniam clamasti, vis exaudiri, et eam affers justam causam cur exaudiaris? Iis ergo, qui magna et vehementi voce intensaque præditi sunt, opus est? Sed hoc fuerit a ratione alienum. Quid enim peccavit qui est parva et exili voce, tardæque et impeditioris linguæ? Nonne talis erat Moses, et plus quam omnes exaudiebatur? Nonne Judæi clamabant plus quam omnes, sed Deus eorum precibus non annuit? Magna enim vel exili voce esse præditum, sunt naturæ commoda et incommoda. Ea autem non faciunt ut vel audiamur, vel non audiamur, ut quæ nec digna sint quæ vel laudentur vel vituperentur. Multa enim naturæ commoda adsunt etiam sceleratis. Annon erat pulcher et formosus Absalom, et usque ad capillos capitis porrigebatur ejus corporis species? Quid autem? annon erat calvus Eliseus, ut etiam rideretur a pueris? Sed nec illum quidquam juvit forma, nec hunc læsit deformitas. Et quid dico eum qui tenui et exili voce, tardiorisque et impeditioris linguæ, cum vel tacens audiretur Moses, et Anna minime loquens? Judæos alloquens Deus dicebat : « Si multiplicetis orationem, » non exaudiam vos [2]. » Cur hic ergo dicit : « Clamavi ad » te, exaudi me? » Clamorem hic dicit internum, quem cor inflammatum peperit, et contritus animus, quo cum

[1] Psal. LXII, 2. — [2] Isaï. 1, 15.

clamaret Moses, exaudiebatur. Quemadmodum enim qui clamat, vires suas exhaurit, ita etiam qui corde clamat, totam mentem suam convertit.

II. Talem ergo clamorem Deus requirit, qui convertat, non sinat oscitare, nec canentem alio divertere. Non solum autem quærit talem clamorem, sed etiam ut ipse oretur. Sunt enim multi qui stant quidem, ad Deum autem non clamant, sed labia ad Deum clamant, et nomen Dei circumferunt : at mens nihil sentit eorum quæ dicuntur. Qui ita se gerit, non clamat, etsi maxime vociferetur. Qui ita se gerit, Deum non orat, etsi maxime videatur orare. At non ita Moses, sed clamabat, et exaudiebatur, et ideo ei a Deo dicitur: « Cur ad me clamas [1] ? » Non solum autem clamans, sed etiam tacens impetravit, quæ voluit, ut qui se dignum præbuisset ut a Deo exaudiretur. Quod si vis etiam videre peccatores intense et vehementer orantes, magnaque voce clamantes, et impetrantes, vide meretricem quæ clamat silentio : vide publicanum qui a sola oratione fuit justificatus. Hic quoque tali clamore utitur, et ideo dicit: « Domine, clamavi ad te, exaudi me : » et ideo rogat ut audiatur. « Cum clamavero ad te. » Vide etiam aliam virtutem orationis. Non enim rogat exaudiri, quod magno et vehementi studio oret, sed etiam ex eo quod talem offerat orationem, ut digna sit oculis illis semper vigilantibus. Quænam autem ea est? Cum quis non male precatur inimicis, cum non orat pro divitiis et facultatibus, cum non pro potentia et gloria, neque pro ulla re fluxa et caduca, sed pro illis immortalibus, quæ nunquam intercunt. « Quærite enim, inquit, regnum Dei, et »hæc omnia adjicientur vobis [2]. Cum clamavero ad te. » Vides quomodo vult nos quoque cum magno studio et alacritate animi eum vocare : etenim diabolus tunc maxime

[1] Exod. xiv, 15. — [2] Matth. vi, 33.

insidiatur. Quia enim scit maxima arma esse preces, et nos licet simus peccatores, infamiaque et ignominia notati, si tamen perfecte, et Dei legibus diligenter servatis, oremus, magna efficere : tunc nos conatur impellere in socordiam, et dimovere nostram cogitationem, ut faciat nos absque ullo fructu recedere ab oratione. Quocirca oportet nos, cum hæc sciamus, adversus eum nostrum communire studium et diligentiam, et inimicis nostris nunquam male precari, sed Apostolos imitari. Illi enim cum passi essent mala innumera, in carcerem conjecti essent, et in extremum adducti periculum, ad orationem confugiebant, dicentes : « Respice super minas ipsorum [1]. » Et quid postea ? Num, « Confringe ipsos, vel occide, » dicebant, ut multi sæpe dicunt imprecantes? Nequaquam, sed quid? « Et da servis » tuis cum fiducia loqui verbum tuum [2]. » Quomodo et qua ratione. In occidendis iis qui insidiantur? In iis delendis et ad internecionem usque de medio tollendis? Minime. Sed quomodo? « In signis et prodigiis faciendis per sanc- » tum filium tuum Jesum [3]. » Vidisti orationem plenam philosophia, et quæ post tot et tanta mala non petit, ut supplicium sumatur de inimicis? Sed hi quidem sic, adhuc viventes et spirantes. Stephanus autem, cum præsentis vitæ cursus esset ei interrumpendus, non solum nihil mali eis petiit, sed eos etiam qui lapidabant, et cum interimebant, studet per suam orationem eripere ab ira, quæ erat in eos ventura propter hoc peccatum, et dicit : « Ne » statuas eis hoc peccatum [4]. » Quamnam ergo veniam consequentur, et qua defensione utentur, qui inimicis male precantur? Quomodo autem exaudiri poterit ea oratio, quando repugnat Dei legibus? Nihil ergo tale dicamus. Non solum enim non est male precandum inimicis, sed ira etiam in eos concepta est auferenda : et ideo dicit :

[1] Act. IV, 29. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 30. — [4] Id. VII, 59.

« Volo viros orare in omni loco tollentes manus sanctas » sine ira et disceptatione [1]. » Hoc est, » Etsi sit tibi inimicus, extingue iram, et ita accede ad Dominum, et non solum adversus eum ore nihil dixeris, sed etiam expurges virus tui animi. Si talis sit tua oratio, et vehementi studio Deum invocaveris, etiam priusquam orationem perfeceris, exaudieris. Hoc ipse quoque petit dicens : « Intende voci » orationis meæ, cum clamavero ad te. » Etenim ipsius Dei promissio est quæ dicit : « Adhuc loquente te dicam : Ecce » ad sum [2]. Dirigatur oratio mea sicut incensum in con- » spectu tuo. » Alius, « Statuatur oratio mea sicut incensum » coram te. » Alius, « Præparetur. Elevatio manuum mea- » rum sacrificium vespertinum [3]. » Alius, « Donum vesperæ. » Alius, « Oblatio vespertina. » Quid nos volens docere Propheta loquitur de sacrificio vespertino? Erant olim duo altaria, unum æneum, alterum aureum. Et illud quidem erat publicum, omnibus fere totius populi hostiis expositum : hoc autem situm erat in adytis, et intra velum. Atque adeo ut quæ a nobis dicuntur sint clariora, conabimur potius ab ipso initio ducere orationem. Fuit olim apud Judæos templum, longum quidem quadraginta cubitos, latum vero viginti. Hujus longitudinis decem intus ablati intercipiebantur cubiti, et quod erat interceptum, vocabatur Sancta sanctorum : quod erat autem extra, Sancta tantum. Auro autem omnia collucebant.

III. Nonnulli vero dixerunt supremam quoque illam trabem fuisse auream. Huc solus pontifex semel in anno ingrediebatur : illic et arca sita erat, et Cherubim : illic etiam stabat altare aureum, in quo offerebatur incensum, ad nihil aliud paratum quam ad solum thymiama seu suffitum. Hoc autem fiebat semel in anno. In externo ergo templo erat altare æneum, in quo quotidie offerebatur

[1] 1 Tim. II, 8. — [2] Isaï. LVIII, 9. — [3] Psal. CXL, 2.

agnus et comburebatur. Hoc appellabatur vespertinum sacrificium : erat enim etiam matutinum, et bis in die oportebat altare accendi, præter alias hostias, quæ offerebantur a populo. Hoc enim erat jussum et lege statutum sacerdotibus, ut ex se et ex domo sua, quando nullus offerret, unum matutinum, et unum vespertinum agnum sacrificarent et comburerent : et illud appellabatur sacrificium matutinum; hoc vespertinum. Hoc autem jusserat Deus fieri, significans per id quod fiebat cum assidue colere oportere, et cum dies incipit, et cum desinit. Hoc ergo sacrificium fuit semper acceptum, itemque ejusmodi suffitus. Quod autem fiebat pro peccatis, aliquando quidem erat acceptum, aliquando vero non acceptum, utpote quod hoc vel illud esset, prout ii qui illud offerebant, erant affecti ad virtutem aut vitium. Quod autem non offerebatur pro aliorum peccatis, sed erat lex sacrificii et modus colendi, erat omnino acceptum. Hic ergo rogat, ut sit ejus oratio ut illud sacrificium, quod nulla polluebatur offerentis macula, sicut illud incensum sanctum et purum. Rogando autem, docet nos ut orationes nostræ sint puræ et odoriferæ. Talis enim est justitia, quemadmodum peccatum est fœtidum. Quocirca tetrum ejus odorem significans, dicebat : « Quoniam iniquitates meæ supergressæ » sunt caput meum, sicut onus grave gravatæ sunt super » me. Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ [1]. » Quemadmodum ergo suffitus per se est bonus et bene olens, tunc autem maxime bonum odorem emittit, quando igni accesserit : ita etiam oratio vel per se quidem bona est : est autem melior et fragrantior, quando affertur cum ardenti et ferventi animo, quando anima efficitur thuribulum, et ignem vehementem accendit. Neque enim imponebatur incensum aut suffitus, nisi esset prius accensa

[1] Psal. xxxvii, 5, 6.

craticula, aut nisi arderent carbones. Hoc ipsum fac tu quoque in mente tua, accende prius ipsam studio et animi alacritate, et tunc impone orationem. Precatur ergo ut oratio quidem sua fiat sicut incensum, elevatio autem manuum sicut sacrificium vespertinum. Sunt enim ambo accepta. Quomodo autem hoc fiet? Si utraque sint munda, si utraque nulli sint reprehensioni vitiove obnoxia, et lingua et manus, hæ quidem ab avaritia et rapina expurgatæ, illa vero a malis verbis libera. Quemadmodum enim oportet thuribulum nihil habere immundum, sed solum ignem et suffitum : ita etiam linguam nullum oportet verbum proferre, quod sit ulla macula aut labe respersum, sed sanctitatem et laudem. Ita etiam oportet manus esse thuribulum. Sit ergo os tuum thuribulum. Vide autem ne id fimo impleas. Tales enim sunt, qui loquuntur verba turpia et immunda. Cur autem non dixit matutinum, sed vespertinum? Mihi quidem videtur dictum esse indiscriminatim. Si enim dixisset matutinum, curiosus quispiam interrogasset, cur non dixit vespertinum. Si quis autem velit audire non nimis curiose, dicendum est matutinum quidem expectare vespertinum : cum vespertinum autem peractum fuerit, finitum est sacrificium, et non est utique amplius imperfectus diei cultus, sed est completus, et finem accepit. Sed quid sibi vult manuum in oratione elevatio? Quoniam multis sceleribus inserviunt, ut percussionibus, cædibus, rapinis, avaritiæ, et bonorum alterius cupiditati, propter hoc ipsum ergo eas jubemur tendere, ut orationis ministerium sit eis nequitiæ vinculum, et ab improbitate liberatio : ut quando es rapturus, vel in bona aliorum invasurus, aut alium verberaturus, in memoriam revocans fore ut eas ad Deum mittas te defensuras, et illud spirituale sacrificium per eas offeras, ne eas ignominia et pudore afficias, et malæ operationis ministerio eis

fiduciam auferas. Purga ergo eas eleemosyna, clementia, subveniendo iis qui indigent, et ita eas Deo expandito ad orationem. Si enim non permittis ut eæ tollantur illotæ ad orationem : multo magis non æquum est ut eas peccatis inquines. Si quod minus est vereris ; multo magis pertimesce quod majus est. Illotis enim orare manibus non est adeo absurdum, sed innumerabilibus peccatorum sordibus inquinatas offerre, hoc iram affert maximam.

IV. Hoc ipsum et in ore et in lingua versemus, et ea sceleri invia conservantes, ita offeramus orationem. Si quis enim habens vas aureum, eo ad vilem usum uti nunquam in animum induxerit propter pretium materiæ : multo magis cum auro et margaritis habeamus ora longe pretiosiora, non par est ut ea polluamus verbis turpibus et impudicis, maledictisque et contumeliis. Non in altari æneo nec aureo offers suffitum, sed in eo quod est pretiosus, nempe in templo spirituali. Illi enim est inanima materia : in te autem Deus habitat, et es membrum et corpus Christi. « Pone, Domine, custodiam ori meo [1]. » Cum rogasset Dominum ut ejus audiretur oratio, et ut fieret accepta, vide quodnam primum affert postulatum, et quamnam supplicationem. Non dixit enim: « Da mihi pecunias : da mihi honores, qui sunt apud homines : da mihi victoriam adversus inimicos : da mihi liberos. » Nihil horum, sed hæc omnia sinens humi jacere, ea petit quæ a Deo dari digna sunt. Quid igitur? Non oportet, inquit, petere sensibilia? Oportet quidem, sed moderate, quemadmodum Jacob dicens : « Si dederit mihi Dominus panem ad vescendum, et vestem » ad induendum [2]. » quemadmodum Christus jussit orare nos, dicentes : « Panem nostrum supersubstantialem da » nobis hodie [3] : » ante omnia vero, spiritualia. Quod ipse quoque facit dicens : « Pone, Domine, custodiam ori meo. »

[1] Psal. CXL, 3. — [2] Gen. XXVIII, 20. — [3] Matth. VI, 11.

Vidisti prudentiam, vidisti sapientiam, et undenam postulationem incipiat? Ab eo quod est eorum quæ recte et ex virtute fiunt, maximum, et est omnium malorum causa, si negligatur: quemadmodum bonorum, si in eo cura ac studium ponatur. Mala enim innumera parit linguæ facilitas: quemadmodum rursus bona, cautio et securitas. Quemadmodum ergo nihil juvat domus, non urbs, non mœnia, non portæ, non ostia, nisi sint qui ea custodiant, et sciant quando oportet ea quidem claudere, quando vero aperire: ita etiam oris et linguæ nulla est utilitas, nisi sit ratio, cui scienter, accurate ac circumspecte ea claudere et aperire permissum sit, et sciat quæ sint efferenda, quæ vero retinenda. Non tot, inquit, gladio, quot lingua ceciderunt [1]: et rursus Christus: « Non quæ intrant per os, coinquinant »hominem, sed quæ ex ore exeunt [2]. » Et rursus alius: « Fac ori tuo portam et vectem [3]. » Hic autem quoniam novit rem esse valde difficilem, addit et preces, et Deum vocat ad ferendum auxilium. Imo vero ille quoque hoc ipsum significat, ut quando dicit: « Quis dederit labiis »meis signaculum callidum [4]? » Oportet enim nostra quoque conferre, et ideo hoc instar præcepti posuit, dicens: « Fac portam et vectem. » Est etiam Dei invocandum auxilium, ut nostrum quoque studium in opus exeat. Os ergo nostrum perpetuo custodiamus, ei rationem tanquam clavem adhibentes, non ut perpetuo claudatur, sed ut convenienti tempore reseretur. Nonnunquam enim silentium est loquela utilius, quemadmodum loquela quoque silentio. Et ideo dicebat ille Sapientissimus: « Tempus tacendi, et »tempus loquendi [5]. » Si enim oporteret ora perpetuo patere, non factæ essent portæ. Si autem perpetuo clausa esse, non esset opus custodia. Quod enim clausum est, cur

[1] Eccli. xxviii, 22. — [2] Matth. xv, 11. — [3] Eccli. xxviii, 28. — [4] Id. xxii, 33. — [5] Eccl. iii, 7.

quis custodierit? Sed propterea sunt portæ et custodia, ut faciamus singula tempore convenienti. Alius autem dicit : « Jugum et stateram fac linguæ tuæ [1], » majorem exigens diligentiam, ut non solum verba quæ oportet efferamus, sed etiam cum ea qua par est cautione et accurata consideratione ipsa veluti ponderantes diligenter expendamus. Si enim hoc facimus in auro et materia quæ interit, hoc multo magis faciendum est in verbis, ut nihil desit, nec redundet. Quocirca dicit etiam quispiam : « Verbum ne » prohibueris in tempore salutis [2]. » Vidisti tempus exitus? Alius autem dicens tempus silentii, inquit : « Si est tibi » sermo, responde. Sin minus, esto manus tua super os » tuum [3]. » Et rursus, « Qui abundat in sermone, odio ha- » bebitur [4]. » Et, « Melior est homo qui celat stultitiam suam, » quam homo qui occultat sapientiam suam [5]. Audivisti » sermonem? moriatur in te. Confide, non te rumpet [6]. » Et rursus, « A facie verbi parturiet stultus, ut a facie in- » fantis puerpera [7]. » Deinde etiam de modo. « Loquere, » adolescentule, si opus sit tibi, vix bis : Si interrogatus » fueris, in brevem summam paucis multa redige [8]. » Magna enim animadversione opus est, ut linguæ potestate caute et secure utaris. Et ideo rursus dixit : « Est reprehensio, et » non est tempestiva : et est tacens aliquis, qui invenitur » sapiens [9]. » Non solum enim oportet tacere et loqui opportune, sed etiam cum magna gratia. Quocirca dicebat Paulus : « Sermo vester sit semper in gratia sale conditus, ut » sciatis quomodo oporteat vos in unoquoque respondere [10]. » Cogita hoc esse membrum, per quod cum Deo colloquimur, per quod laudes celebramus. Hoc est membrum, per quod horrendum sacrificium suscipimus. Sciunt fideles

[1] Eccli. xxviii, 28. — [2] Id. iv, 28. — [3] Id. v, 14. — [4] Id. xx, 8. — [5] Ibid. 33. — [6] Id. xix, 10. — [7] Ibid, 11. — [8] Id. xxxii, 10, 11. — [9] Id. xx, 5. — [10] Colos. iv, 6.

quod dicitur; et ideo oportet id esse liberum ab omni accusatione, maledicto, verbo obscœno, et calumnia. Et si nos aliqua lasciva et impudica cogitatio urgeat, ea intus est suffocanda, nec permittendum ut in verba exeat. Et si exasperato animo feraris sed erumpendum in simultates, illa quoque radix est exsiccanda, ostium est custodiendum et accurate observandum : nec permittendum est, ut intus mala consilia pariantur : et si pariuntur, ea sunt intus suffocanda, et est radix eorum exsiccanda.

V. Hanc habuit Job custodiam, et ideo nullum verbum inconcinnum protulit, sed maxima quidem ex parte tacuit : quando autem eum loqui cum uxore oportuit, locutus est verba sapientiæ plena. Tum demum enim solum loquendum est, quando quæ dicuntur, plus prosunt quam silentium. Quocirca Christus quoque dicebat : « Omne verbum » otiosum, quod locuti fuerint homines, dabunt pro eo ra» tionem [1]. » Et Paulus, » Sermo obscœnus ex ore vestro » non prodeat [2]. » Quomodo autem fuerit tuta hæc janua, et accurata custodia, audi alium dicentem : « Omnis nar» ratio tua sit in lege Altissimi [3]. » Si enim didiceris nihil loqui supervacaneum, sed divinarum Scripturarum narratione mentem et os tuum perpetuo munias, erit custodia quovis adamante tutior. Per os enim multæ sunt viæ interitus, ut quando quis obscœna verba loquitur, quando verbis scurrilibus utitur, quando vanam præ se fert gloriam, quando se magnifice jactat et gloriatur, ut Pharisæus, qui, quoniam ori suo fores non obdidit, paucis verbis quæcumque erant intus, effusa sunt : idcirco quemadmodum domus, cui nullæ essent fores, quia thesaurum, qui positus erat intus, conservare non potuit, repente pauper factus est. Considera mihi quoque alium, qui propter magnifica sua verba similiter periit. Dixit enim, inquit : « Super astra cœli po

[1] Matth. xii, 36. — [2] Ephes. iv, 29. — [3] Eccli. ix, 23.

» nam sedem meam [1]. » Judæi autem quia proximi malis lætantur, nunc quidem audiunt : « Quia dixisti, Euge, factus » est ut reliquæ gentes Israël : » nunc autem probris incessuntur, propterea quod murmurant, et dicunt : « Omnis » qui facit malum, bonum coram Domino, ipse quoque in » eis complacuit [2]. Et nos alienos beatos ducimus, et reædificantur qui faciunt scelera. Non ecce hæc scripta sunt in » libro [3]. » Alii propter murmurationem, ut dicit Paulus : « Neque murmuremus, sicut nonnulli eorum murmurarunt, » et perierunt ab exterminatore [4]. » Et quando murmurarunt? Quando dicebant : « Eduxisti nos ut occideres in de» serto, quasi non essent monumenta in Ægypto [5]. » Alii propter ludum, quemadmodum dicit : « Comederunt et bi» berunt, et surrexerunt ad ludendum [6]. » Alii propter maledicta. « Omnis enim qui dicit fratri suo : Fatue, reus erit » judicio [7]. » Et his longe plures propter alia perierunt, cum non custodissent ora sua. Quod si vis videre nonnullos etiam perire ex intempestivo silentio, ego tibi ostendam. « Si enim, inquit, populo non distinxeris, ille quidem mo» rietur in peccato suo, sanguinem autem ejus manu tua » requiram [8]. » Alius, quod nullo habito discrimine loquatur cum aliquibus, et quæ sibi credita sunt effundit. « No» lite, inquit, dare sancta canibus, nec projicite margaritas » vestras ante porcos [9]. » Alius propter risum, et ideo dicit : « Væ vobis qui ridetis, quoniam flebitis [10]. » Vidisti quomodo os perdat? Vide etiam contra quomodo os conservet. Vidisti Pharisæum per ipsum pereuntem? vide Publicanum per ipsum conservatum. Vidisti gloriosum ac magniloquum barbarum pœnas dantem? Vide Justum moderate loquentem et dicentem : « Ego sum terra et cinis [11]. » Vi-

[1] Isaï. XIV, 13. — [2] Malach. II, 17. — [3] Id. III, 15. — [4] 1 Cor. X, 10. — [5] Exod. XIV, 11. — [6] Id. XXXII, 6. — [7] Matth. V, 22. — [8] Ezech. III, 20. — [9] Matth. VII, 6. — [10] Luc. VI, 25. — [11] Gen. XVIII, 27.

disti eum qui lætatur et insultat, reprehendi et puniri? vide eum qui miseretur, servari. « Da enim, inquit, signum » super vultus eorum qui lugent et mœrore afficiuntur [1]. » Quocirca Paulus quoque dicebat : « Gaudere cum gaudentibus, et flere cum flentibus [2]. » Si nihil, inquit, aliud potes, non parum ei qui dolore afficitur, conferes, si una cum eo ejus vicem doleas. Vidisti eum qui ridebat, fletui esse traditum? vide eum qui luget, assecutum esse consolationem. « Beati enim qui lugent, inquit, quoniam ipsi » consolationem accipient [3]. » Vidisti eos qui murmurant, punitos? vide eos qui gratias agunt, servatos. « Benedictus » es, Domine, et laudabile nomen tuum, quoniam justus » es in omnibus, quæ fecisti nobis [4]. » Et paulo post, « Omnia » quæcumque induxisti nobis, in vero judicio fecisti [5]. » Illi dicebant : « Omnis qui facit malum, bonum coram Do» mino [6] : » hi contra, « Mundus oculus tuus, ut non videat » mala [7]. » Illi beatos dicebant alienos, quoniam reædificantur facientes scelera : hic eos quibus Deus fert opem. « Bea» tus, inquit, populus, cujus Dominus Deus ejus [8]. » Et rursus : « Noli æmulari in malignantibus : neque zelaveris » facientes iniquitatem [9]. » Vidisti sanctos qui alios adhortantur, et ipsi manent immobiles in tentationibus? audi itaque Jacob dicentem : « Si dederit mihi Dominus panem » ac vescendum, et vestem ad induendum [10] : » Et Abraham, « Non accipiam a te ex filo usque ad corrigiam calcea» menti [11]. » Porro quando stuprum erat uxori inferendum, et fame premebatur, nihil grave aut absurdum locutus est. Et quando dixit filius : « Pater, ecce ligna et ignem, ubi ovis [12]? Vide cum quanta mansuetudine et sapientia respondet, et

[1] Ezech. IX, 4. — [2] Rom. XII, 15. — [3] Matth. V, 5. — [4] Dan. III, 26, 27. — [5] Ibid. 28. — [6] Malach. II, 17. — [7] Hab. I, 13. — [8] Psal. CXLIII, 15. — [9] Id. XXXVI, 1. — [10] Gen. XXVIII, 20. — [11] Id. XIV, 23. — [12] Id. XXII, 7.

dicit : « Providebit sibi ipsi, inquit, ovem Deus, o fili[1] ; » nec a natura, nec a commiseratione conversus ad verba filii, quæ solus soli faciebat, quando consentaneum erat amorem vehementius accendi. Ne quis enim dicat eum alios reveritum non flevisse, ab illis semotus et solus ostendit summam philosophiam.

VI. Vidisti eos, qui propter risum castigati fuerunt? vide eos, qui per fletus et jejunia servantur, Ninivitas mente agitans[2]. Vidisti eos, qui propter maledicta dant pœnas? vide eos, qui propter laudationem, mercedem accipiunt. « Qui » benedicit, benedictus : et qui te execratur, maledictus[3]. » Benedicite iis qui vos persequuntur : orate pro iis qui vo» bis insultant, ut sitis similes Patris vestri qui est in cœ» lis[4]. » Vides quod neque oporteat omnino esse clausum, neque apertum ad omnia, sed scire uniuscujusque tempus? Hæc autem cum sciret Propheta dixit : « Pone, Domine, » custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis[5]. » Quænam autem fuerit custodia, nisi cogitatio quæ urget terribiliter, habens præ manibus ignem eos usturum, qui ore temere usi fuerint? Eum adhibe janitorem et custodem intentantem minas conscientiæ, et hanc portam nunquam intempestive aperiet, sed tempestive, et propter lucrum, et bona innumera. Quocirca dixit quispiam : « Sem» per memorare novissima tua, et in æternum non peccabis[6]. » Vidisti quomodo hic quoque hanc præfert cogitationem? Ego vero ipsam etiam feci terribiliorem, non solum in morte, sed etiam post mortem, cum dixi cum habere præ manibus. Si hoc ita sit, nihil mali parietur in animo. Cum eo alium quoque ei appone, qui dicat : « Omnis verbi otiosi » reddes rationem in die judicii[7]. » Cogita mortem quoque ex eo ingressam esse. Nisi enim mulier locuta esset cum ser-

[1] Gen. XXII, 8. — [2] Jonæ III. — [3] Num. XXIV, 9. — [4] Matth. V, 44, 45. — [5] Psal. CXL, 3. — [6] Eccli. VII, 20. — [7] Matth. XII, 36.

pente, eo quo locuta est modo, nisi verba illius admisisset, damnum non accepisset, viro non dedisset, ille non comedisset. Hæc autem dico, non in nos et linguam culpam conferens, absit, sed in importunum eorum usum, qui ex rationis negligentia oritur. Est etiam alia via interitus, quæ ex ore proficiscitur, quando sunt turpia et immunda oscula, quando ficta ac fraudulenta. Eis quoque pone custodiam. Tale erat Judæ osculum, dolo plenum : sed non tale Pauli osculum, quo jussit se invicem osculari, dicens : « Sa» lutate vos invicem in osculo sancto [1] : » quemadmodum nec osculum quod Jonathæ præbet David [2], sed sanctum et honestum, et sincera dilectione plenum ; cujusmodi etiam fuit eorum, qui in Pauli collum ceciderunt, et eum amplexi osculabantur [3]. » Et ideo dicit : « Pone, Domine, custo» diam ori meo, et ostium, » non absolute autem ostium, sed « Ostium circumstantiæ » addidit, ut universum contineat, et muniat. Jam vero est etiam aliud genus exitii per linguam, nempe dicere, « Cur hoc ita est? Ad quid hoc factum est? » Quocirca Paulus eos carpens, qui hæc inconsiderate loquuntur : « Verumtamen, o homo, tu quis es qui » respondeas Deo [4]. » Non oportet autem os solum custodire, sed mentem etiam ante os. Quocirca dicebat etiam quispiam : « Quis dabit in cogitatione mea flagella, ut ignoran» tiis meis non parcant [5]. » Quocirca Christus quoque intus tollit ipsas malas cogitationes dicens : « Qui aspexit mulie» rem ad concupiscendum, jam mœchatus est eam [6]. » Vides quomodo non sinit eas pullulare, nec initium sumere cupiditatem, nec iram? « Qui irascitur enim, inquit, fratri » suo, reus erit gehennæ ignis [7]. » Non parum quoque conducit ad securitatem, non multum loqui, et ideo dicit : » In multiloquio non effugies peccatum ; parcens autem la

[1] 2 Cor. XIII, 12. — [2] 1 Reg. XX. — [3] Act. XX, 37. — [4] Rom. IX, 20. — [5] Eccli. XXIII, 2. — [6] Matth. V, 28. — [7] Ibid. 22.

» biis, eris intelligens [1]. Non declines cor meum in verba » malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis [2]. » Alius, « Ne diverteris cor meum in sermones malos, ad cogitan- » dum sceleratas cogitationes. » Cur autem usus est ordine contrario? et cum de ore prius esset locutus, tunc venit ad cor? Non temere, nec abs re hoc facit. Quemadmodum enim in captivis qui volunt aufugere, qui ejus rei curam gerunt, primum hoc agunt, ut portas carceris præoccu- pent, et ad hoc omnes studium suum conferunt, et si hoc factum fuerit, quod restat poterit facile recte geri: ita etiam hic quoque id facit in hoc loco, et per ea quæ suadet, hoc prope dicit: « Sint clausæ januæ, et malæ cogi- tationes cito expugnabuntur. » Quocirca non ab initio quidem permittit ut extrinsecus ingrediantur, et malam convellit radicem, dicens: « Non declines cor meum in » verba malitiæ. » Non quod Deus declinet; absit, sed quod dicit ita intelligendum est: « Ne sinas declinare, ne sinas di- verti in malas cogitationes. » Illinc enim est fons virtutis et vitii, a corde nempe. Quænam sunt autem verba improbi- tatis? Multa et diversa. Nam et quæ insidias struunt, quæ Deum criminantur, quæ virtutem aversantur, quæ vitium sectantur, quæ de pravis dogmatibus et scelerata vita lu- benter audiuntur, et cætera hujusmodi, sunt verba impro- bitatis, et ex magna improbitate procedunt. Quemadmo- dum autem sunt cogitata et verba improbitatis, ita sunt etiam verba vitæ. Et ideo Christo dicebant Discipuli: « Verba » vitæ æternæ habes: et ad quem ibimus [3]? » Dicuntur au- tem verba vitæ, quæ vitam præbent. Dicuntur etiam verba salutis, quæ salutem acquirunt. Quocirca dicit quidam Sa- piens: « Ne prohibeas sermonem in tempore salutis [4]. » Verba improbitatis ea etiam sunt quæ faciunt dicentes improbos.

[1] Prov. x, 19. — [2] Psal. cxl, 4. — [3] Joan. vi, 68. — [4] Eccli. iv, 28.

VII. Quemadmodum enim est aër pestilens, et qui morbos procreat: ita etiam verba. Quod autem facit ille corpori, id ista faciunt animæ, quæ ipsa suscipit. Orat ergo per ea, quæ hic quoque subjunxit, et dicit: « Ne sinas ut cor meum verba hujusmodi suscipiat: ne permittas ut illuc inclinetur. » Vidisti quomodo ostendit liberum animi arbitrium, et naturam in se non habere vitium, sed a socordia inclinatam id suscipere? « Ad excusandas excusationes in » peccatis. » Hæc est via præcipua interitus, quando vel ipsa quæ peccavit anima, excusso timore, excogitat excusationes et prætextus quosdam ad ignaviam: vel quemadmodum, cum quispiam adulteravit, et volens alius ejus compunctionem excutere, dicit: « Numquid tu causa es? causa est cupiditas. » Malum est quidem peccare: hoc autem facit gravius, negare postquam peccaveris. Hæc sunt arma diaboli potissima. Hoc etiam in primis nostris parentibus evenit. Cum enim oporteret Adam peccata confiteri, ille in Evam confert culpam, et illa rursus in diabolum[1]. Cum oporteret dicere: « Peccavimus, iniquitatem fecimus: » illi non solum non confitentur, sed etiam defensionem parant. Cum enim sciret diabolus peccati confessionem esse peccati solutionem, persuadet animæ, ut sit egregie impudens. At tu, o dilecte, quando peccaveris, dic: « Peccavi, » nihil est hac defensione justius. Ita Deum reddis propitium: ita etiam facis, ut tardius in ea rursus incidas. Sed quando quæres obtentus qui non sunt, et animam voles metu liberare, reddes eam promptiorem ut rursus eisdem implicetur, Deumque magis irritabis. Nulli enim peccatori deest impudens prætextus. Homicida culpam confert in iram, et fur in paupertatem, et adulter in cupiditatem, et alius in principatum. Sed hi quidem sunt alieni a ratione obtentus, non rationi consentaneæ defensiones. Illa enim non faciunt pec-

[1] Gen. III.

cata, sed ipsi eorum qui peccant animi. Ita autem esse ostendam ex iis quæ sunt proxima et illis cohærentia. Quando enim videtur homo alius, qui et vitam agit in paupertate, teneturque cupiditate, et necessitati naturæ est obnoxius, neque tamen in his peccat, quanam illi poterunt uti defensione? Et ideo pulchre sic dixit quidam Sapiens : « Quis » dederit in mente mea flagella, ut ignorantiis meis non par- » cant [1] ? » Vide David nullam excusationem afferentem, quando peccavit, sed dicentem : « Peccavi Domino [2]. » Atqui potuisset dicere : « Cur nudabatur mulier? Cur lavabatur ante oculos meos? » Sed sciebat has esse frivolas excusationes, et quæ nihil haberent rationis, et ideo venit ad apertam defensionem, cum diceret : « Peccavi. » At Saül non ita, sed cum de ventriloqua seu Pythonissa reprehenderetur, dicebat : « Coarctor, et alienigenæ pugnant con- » tra me [3]. » Ideo autem grave dedit supplicium. Cum enim debuisset dicere : « Peccavi, et me inique gessi : » ille quidem hoc non dixit, sed abibat a ratione alienas quærens excusationes. « Cum hominibus operantibus iniquitatem. » Hoc subjunxit ostendens esse illorum maxime, afferre excusationes, et se impudenter gerere : et ideo David hoc assiduc instar virtutis proponit, fugere tales cœtus, atque adeo totum librum ab eo incipit : « Beatus vir, qui non » abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non ste- » tit, et in cathedra perniciosorum non sedit [4]. » Propterea autem ipsum semper invenies in peccatis culpam agnoscere. Quando ergo numeravit populum dicebat : « Ego peccavi, » et ego pastor male feci [5]. » Non dixit : « Quid tum si numeravi? » sed seipsum condemnat, et ideo veniam assequitur. Nihil enim Deum æque reddit propitium, ac peccatorum confessio. Hoc autem fiet, si fugiantur eorum

[1] Eccli. xxiii, 2. — [2] 2 Reg. xii, 13. — [3] 1 Reg. xxviii, 15. — [4] Psal. i, 1. — [5] 2 Reg. xxiv, 17.

cœtus, qui metum peccatorum solvunt, et ad socordiam impellunt. Et ideo Paulus et Jeremias de eo multa verba faciunt, et jubent utrique fugere malorum et eorum, qui sunt adeo ignavi, consuetudinem. Porro Job quoque hoc refert in numerum virtutis, dicens : « Si ambulavi cum ir- » risoribus [1]. » Hic autem ostendit se cum iis ne sedisse quidem, dicens : « Non sedi in consilio ludentium [2]. » Ideo Paulus quoque non sinit vesci cum improbis, imo nec ullam cum eis habere consuetudinem, dicens : « Si quis au- » tem non obedit sermoni nostro, per epistolam, eum no- » tate, et non conversemini cum eo [3]. Et non communicabo » cum electis eorum [4]. » Alius, « Neque una comedam dul- » cia eorum. » Alius, « Non congregabor in deliciis eorum. » Hic dicit illud apostolicum, fugiendas esse delicias illorum et convivia, ubi maxime crescit peccatum, ubi major est libertas et licentia.

VIII. Non est autem hoc parvum signum virtutis, non parva via correctionis, ejusmodi fugere convivia, et tales cœtus, neque revereri amicitiam, neque ventri servientes robur et constantiam animi dissolvere. Ita dum multi revererentur amicitiam, in ebrietatis fluctus devoluti sunt, ita capti sunt a fornicatione, et ignem voluptatis accenderunt, dum secuti sunt convivia, et theatra habentia multum iniquitatis. Hoc ipse quoque ostendit se fecisse, ut ne ejusmodi mensæ esset particeps. « Corripiet me justus in » misericordia, et increpabit me : oleum autem peccatoris » non impinguet caput meum [5]. » Alius : « Misereatur mei » justus misericordia, et increpet. » Hoc quoque cum priore non est parvum genus virtutis, non fugere reprehensiones et increpationes quæ fiunt a justis. Quod autem dicit, est ejusmodi : « Eorum quidem, qui ad gratiam loquuntur in

[1] Job. xxxi, 5. — [2] Psal. xxv, 4. — [3] 2 Thess. iii, 14. — [4] Psal. cxl, 4. — [5] Ibid. 5.

damnum, cœtus nunquam fuerim particeps : eos autem elegerim, qui sunt vehementes, qui corrigunt, qui peccatum aperiunt, qui reprehendunt. Hoc est enim maxime misericordiæ et clementiæ, mederi vulneribus. « Oleum autem » peccatoris non impinguet caput meum. » Vidisti animam virtute instructam, quæ fert lubenter justorum reprehensiones, ab iniquis autem, vel ad gratiam factas rejicit? Quare? Quia illi vel miserentes sæpe exitium attulerunt : hi autem acriter insectantes et increpantes correxerunt : et cum horum reprehensione conjuncta est misericordia, cum illorum misericordia mors. Et ideo dixit quispiam : « Fide- » liora amicorum vulnera, quam voluntaria oscula inimi- » corum [1]. » Considera autem quomodo hic significat illud apostolicum : « Redargue, increpa, exhortare [2]. » Talis est enim Sanctorum reprehensio. Ita etiam faciunt medici : non solum secant, sed etiam alligant. Quocirca Christus quoque efficiens ut grata esset et accepta reprehensio, non sinit reprehensionem ab initio publicari, dicens : « Vade » et reprehende ipsum inter te et ipsum solum [3] » Ita etiam faciebat Paulus ostendens reprehensionem cum misericordia, nunc quidem dicens : « O insensati Galatæ [4]; » nunc autem : « Filioli mei, quos iterum parturio [5]. » Oportet enim eum, qui reprehendit, multa excogitare, ut accepta sit et grata ejus reprehensio : et magna sapientia opus est ei, qui adhibuerit tale medicamentum : ac majore quidem sapientia opus est ei qui reprehendit, quam ei qui corpus scindit. Quomodo? Quoniam illic quidem aliud est quod scindit, et aliud quod dolorem suscipit : hic autem eadem est quæ scindit, et quæ dolore afficitur. « Oleum autem » peccatoris non impinguet caput meum : » quid hoc est? Ille, inquit, non quærit utilitatem auditoris, sed suam, ut

[1] Prov. xxvii, 6. — [2] 2 Tim. iv, 2. — [3] Matth. xviii, 15. — [4] Galat. iii, 1. — [5] Id. iv, 19.

videatur suavis, jucundus, et amicus : hic autem ante suam gratiam, considerat illius utilitatem. Unde etiam hac ratione inter se maxime differunt. Si autem vel miserantes sunt aversandi improbi, quando sunt admittendi? nunquam. Quamobrem etiamsi præbeat pecunias, etiamsi delicias promittat et honores, eum repelle et fuge. Justum autem, etiamsi te verbis ludificetur, etiamsi te increpet et insectetur, sequere. Ille enim est qui te diligit. « Quoniam » adhuc et oratio mea in beneplacitis eorum[1]. » Alius : « Adhuc enim et oratio mea intra vitia ipsorum. » Alius : « Quoniam adhuc et oratio mea in improbitatibus ipsorum. » Hæc quidem petiit, illa vero præbet a seipso : et hinc ostendit non oportere eos solum considere orationi, inertes nempe et dormientes, sed oportere etiam sua conferre. Quid hic autem ex se præbet? Non oves, boves, et pecunias, sed morum moderationem, et quod mirandum in modum eorum fugiat improbitatem. Non solum, inquit, illorum perniciosam fugiam gratiam, nec eligam horum reprehensionem, sed etiam stabo adversus eorum cupiditates : tantum abest ut eligam eorum misericordiam, ut precer contra eorum cupiditates. Hoc enim sibi vult illud : « In beneplacitis eorum. Absorpti sunt juxta petram judi» ces eorum[2]. » Alius : « Avellentur in manu petræ. » Ostendit hic quam sit peccatum expugnatu facile, et quam præceps vitium. Ipsi, inquit, principes, qui omnia devastabant, perierunt. Non dixit autem : « Perierunt : » sed, « Ab» sorpti sunt, » significans eos ita periisse, ut nullum sit reliquum eorum vestigium, quod etiam dicit de impio : « Transivi, et ecce non erat : quæsivi ipsum, et non est » inventus locus ejus[3]. » Quid est : « Juxta? » Prope. Quod autem dicit, est ejusmodi : « Quemadmodum petra aliqua quæ in mare projecta sit, non apparet : ita etiam demersæ

[1] Psal. cxl, 5. — [2] Ibid. 6. — [3] Id. xxxvi, 36.

illorum felicitates deinceps non amplius apparent, cum funditus interierint. » Vel hoc ergo dicit, deletum esse funditus eorum nomen et gloriam, vel id significat esse potens, robustum et validum. Illud enim significat, « Avellentur in » manu petræ. Audient verba mea, quoniam suavia facta » sunt[1]. » Alius, « Quoniam munita sunt satellitio. Alius, « Quoniam speciosa facta sunt. » Hoc est, scient per rerum experientiam, exhortationis et consilii mei jucunditatem. Et quomodo? Reprehensio justorum hunc producit fructum, et eorum disciplina magnam affert voluptatem.

IX. Talis est enim virtus, habet quidem brevis temporis laborem, perpetuam autem lætitiam. « Sicut crassitudo » terræ erupta est super terram. Dissipata sunt ossa nostra » secus infernum[2]. » Alius, « Quemadmodum agricola » quando scindit terram : ita dissipata sunt ossa nostra in » ore inferni. » Alius, « Perinde ac is qui confringit ac dissecat terram, dissipata sunt ossa nostra in inferno. » Alius, « Ut qui pulchre colit et fodit in terra, dissipata sunt ossa » nostra juxta infernum. » Postquam dixit verba sua habere plurimum voluptatis, dicit etiam veteres calamitates. Quamvis, inquit, extrema passi sumus, et tanquam proscissa, arata et fossa terra dispersi sumus omnes et periimus, et ad ipsas mortis portas devenimus : ita tamen affecti mallemus reprehensionem et correctionem justorum, quam misericordiam peccatorum. Etenim quodcumque acciderit, a tua spe pendemus ; neque quidquam nobis eveniet, quod possit cohibere quominus ad te respiciamus. Unde etiam subjunxit dicens : « Quia ad te, Domine, Domine, oculi » mei. In te speravi, non auferas animam meam[3]. » Etsi, inquit, innumerabiles irruant calamitates, licet bella, prælia, mortes, et portæ inferni, a sacra ancora non recedimus, sed firmam tui auxilii spem tenemus, armisque et acie

[1] Psal. CXL, 6. — [2] Ibid. 7. — [3] Ibid. 8.

dimissis, speramus fore ut hinc, nempe a tuo auxilio, liberemur. « In te speravi, non auferas animam meam. » Alius, « Ne evacues. » Hoc est, « Ne sinas me abire re infecta. « Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi, et a scandalis » operantium iniquitatem [1]. » Non hic dicit tantum insidias, sed quæ clam fiunt, et occultæ sunt, quæ sunt observatu et cognitu difficiles, et ad quas cavendas superno maxime auxilio opus est. Precatione autem ideo conclusit orationem, a qua exordium sumpserat in ea desinens : hæc quidem a se conferri ostendens, spem in Deum, perpetuo ad Deum respicere, malorum cœtus fugere, odio habere improbas eorum cupiditates. A Deo autem opem et auxilium, et iis, quæ sunt toleratu difficillima, reddere superiorem. Ita enim virtus contexitur, dum et nostrum studium adhibetur, et Deus nobis opitulatur. « Cadent in retiaculo » ejus peccatores. Singulariter sum ego donec transeam [2]. » In cujusnam cadent retiaculum? Dei. Hoc est, vincentur, capientur. Justorum enim est, ut corrigantur, et excitetur eorum philosophia : peccatorum autem, quorum sit morbus immedicabilis, ut usque ad pœnam et supplicium detineantur. « Singulariter sum ego, donec transeam. » Alius, « Simul ego sum donec transeam. » Alius, « In idipsum. » Hoc est, compactus, conjunctus, non dispersus : vel secundum Septuaginta, liberatus a malis, purus ab illorum congressione, et tanquam solus habitans : quod quidem est maximum genus virtutis. Non uno autem aut duobus tribusve diebus hoc facit, sed per totam vitam. Hoc est murus, hoc propugnaculum, hoc virtutis incrementum, malos fugere, et collectum apud se consistere toto vitæ tempore, et ab iis qui corrumpunt, sejunctum habitare. Solitudo enim non facit esse solum, sed mens quæ tenetur amore et studio sapientiæ. Ita etiam qui habitant in mediis urbi-

[1] Psal. cxl, 9. — [2] Ibid. 10.

bus, foris, et strepitibus, poterunt esse singulares homines, dum corruptos cœtus fugiant, et se justorum conciliis adjungant. Hæc est via secura. Qui ergo est ad alios corrigendos idoneus, cum iis versetur qui sunt suscepturi medicinam, et eos reddat meliores. Qui est autem imbecillior, fugiat improbos, ut ab illis damnum non accipiat. Ita et præsentem vitam tuto aget, et secure, et bona futura consequetur. Quæ detur nobis omnibus consequi gratia, et clementia Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXLI.

Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum[1].

I. Vides quomodo ubique hoc facit, et hinc ducit exordium, et bis hic dicit : « Voce » et « Voce? » Hoc autem non abs re facit, sed ut per illam repetitionem hæc duo nos doceat, et summam animi alacritatem, et attentam mentem. Præterea autem suam esse vocem. Non enim omnes voce clamant, nec ad Deum, nec voce propria. Oportet autem hæc omnia concurrere. Qui clamat adversus inimicos, non edit vocem hominis, sed feræ et serpentis. Qui est negligens, et non audit quæ dicit, non clamat ad Deum, sed nequidquam ac temere loquitur. Qui mentem non excitat,

[1] Psal. CXLI, 2.

etsi valde vociferetur, hic rursus non clamat. Vox enim, ut jam sæpe dixi, non significat spiritus tonum, sed mentem intensam. At hic non sic, sed hæc tria simul colligit, ostendit se et voce clamare, et ad Deum, et voce propria, et ideo bis dicit : « Voce mea, » et « Voce mea. Effundo in » conspectu ejus orationem meam, et tribulationem meam » ante ipsum annuntiabo [1]. » Vidisti animum liberum ab omnibus quæ ad hanc vitam pertinent. Neque enim confugit ad homines, nec ab eis petiit auxilium, sed supernam opem, quæ expugnari non potest, rogavit. Deinde intensum et vehementem animi fervorem, quem intus habuit absconditum, ostendit per hanc vocem : « Effundo, » inquit, abunde ac copiose. Hinc etiam discimus afflictiones non parum conferre ad philosophiam. Hic est enim fructus afflictionis : nemo ergo ipsam fugiat. Duo enim habet hæc commoda ; unum quidem quod reddat studiosiores, et attentiores ; alterum autem, quod ea quoque justa est causa, ut audiamur. Et ideo non dixit : « Justitiam meam, nec mea recte facta, sed meam afflictionem, » nempe quod ea non parvum afferat illi patrocinium. Quocirca dicit Esaïas : « Adhortamini, inquit Deus, populum meum sacerdotes, » loquimini ad cor Jerusalem, quoniam suscepit de manu » Domini duplicia peccata sua [2]. » Et Paulus : « Tradite » hunc hominem Satanæ ad interitum carnis, ut spiritus » sit salvus [3]. » Et ad Corinthios scribens, dicebat : « Propterea multi in vobis infirmi sunt et imbecilli, et dormiunt » multi. Si enim nos ipsos dijudicaremus, non judicaremur. » Judicati autem a Domino castigamur, ne cum mundo » condemnemur [4]. » Porro diviti dicebat Abraham : « Re» cepisti bona tua in vita tua, et Lazarus mala sua : et nunc » hic quidem consolationem accipit, tu vero cruciaris [5]. »

[1] Psal. CXLI, 3. — [2] Isaï. XL, 12. — [3] 1 Cor. V, 5. — [4] Id. XI, 30-32. — [5] Luc. XVI, 25.

Jam vero David quoque, cum ei malediceret Semeï, dicebat : « Sine eum mihi maledicere, quoniam Deus ei manda» vit, ut videret meam humilitatem [1]. » Et in Scripturis ubique invenimus eos, qui afflictiones ferunt grato et patienti animo, non solum multa peccata diluere, sed etiam non parvam apud Deum fiduciam, et loquendi libertatem obtinere. « In deficiendo ex me spiritum meum, et tu » cognovisti semitas meas [2]. » Quando qui sunt imprimis pusilli et abjecti animi, concidunt, et multi etiam mala verba loquuntur : is tunc maxime philosophatur, ut qui studii magistram habeat afflictionem. Quando ergo videris quempiam ex afflictione desperantem, aut verbum aliquod acerbum proloquentem, ne in causa esse existimes afflictionem, sed pusillum ejus, qui loquitur, animum. Afflictionis enim natura solet efficere contraria, attentionem, animi contritionem, intentam mentem, pietatis incrementum. Quocirca dicebat Paulus : « Afflictio patientiam operatur, patientia probationem [3]. » Si autem Judæi afflicti murmurabant, non afflictionis, sed illorum amentiæ erant verba murmurationis : quandoquidem Sancti, cum affliguntur, evadunt clariores, et sapientiæ studio magis dediti. Quocirca ipse quoque dicebat : « Bonum mihi, Domine, quod » humiliasti me, ut discam justificationes tuas [4]. » Et Paulus : « Et propter ingentem magnitudinem revelationum, ne » nimis extollerer, datus est mihi stimulus carnis, angelus » Satanæ qui me colaphizet. Pro eo ter Dominum rogavi, » et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea : virtus enim mea » in infirmitate perficitur. Et ideo mihi placeo in afflictioni» bus, in infirmitatibus, in persecutionibus. Quando enim » infirmor, tunc potens sum [5]. » Vides eum magis excitari in afflictione, et ad Deum confugere, et ei multo vehemen-

[1] 2 Reg. xvi, 11, 12. — [2] Psal. cxli, 4. — [3] Rom. v, 3, 4. — [4] Psal. cxviii, 71. — [5] 2 Cor. xii, 7-10.

tius adhærere in ipso profundo malorum; hoc enim sibi vult illud, « In deficiendo ex me spiritum meum; » et tunc diligentiorem et meliorem effici? Illud autem : « Et tu » cognovisti semitas meas, » alius interpres dixit : « Tu » enim scis. In via hac qua ambulabam, absconderunt la- » queum mihi. Considerabam ad dexteram, et videbam : et » non erat qui cognosceret me [1]. » Hic ostendit ingentem calamitatem, et mala amplificata, hostiumque insidias, quomodo prius accesserunt, volentes eum prosternere, et quod est omnium gravissimum, non modo nulli erant socii aut adjutores, sed ne eum quidem agnoscebant.

II. Hoc est maxima solitudo, summa derelictio; est enim paucorum, adesse in calamitatibus, et opem ferre, et maxime quando calamitates minantur pericula. Sed hoc non modo cum non læsit, sed etiam valde juvit, ita ut eum Deo familiarem fecerit. Et tu ergo, o dilecte, quando videris mala crescere, ne concidas, nec animum abjicias, sed sis gnavior et vigilantior. Deus enim ideo permittit ea oriri, ut tuam excutiat socordiam, ut te dormitantem excitet. Tunc enim excinduntur omnia supervacanea : tunc omnia quæ ad hanc nostram vitam pertinent expirant, tunc in oratione evadit quis diligentior, tunc ad eleemosynam et ad ventris despicientiam fit alacrior, et unumquodque animi vitium facile superatur, fugatum ab afflictione. Neque enim ab initio ut nos puniret, implicavit nos laboribus et ægritudinibus, etiamsi ita pronuntiarit, ut supplicii loco haberet, sed ut nos castigaret, et meliores redderet. Si enim cum et dolor immineat, et vita sit laboriosa, adeo invalescit vitium : si nihil esset horum, quo tandem non processisset? Et quid miraris si ita est in animo, cum etiam in corporibus sit bonum afflictio, et supra modum deliciis perfundi

[1] Psal. CXLI, 5.

carnem, sit valde noxium, et alioqui dum undique ponuntur insidiæ, id homines reddit cautos et circumspectos, et si attenderimus, nihil damni accipimus. Et ideo dicit quispiam: « Agnosce quod transis in medio laqueorum, »et supra civitatum pinnas ambulas[1]; » et hic : « In via »qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi. » Quod si quis hæc etiam sumpserit anagogice, videbit hoc ipsum facientem diabolum, et non procul, sed prope occultantem insidias. Quocirca magna nobis vigilantia opus est. Occultat enim laqueum, nempe in eleemosyna vanam gloriam, in jejunio arrogantiam; non in aliis, sed in ipsis viis in quibus ambulamus, quod est longe gravissimum. « Periit fuga a me[2]. » Vide rursus aliam malorum accessionem. Ostendit enim non solum esse in viis laqueos, nec ullum fuisse qui opem ferret et agnosceret; sed nec, quod reliquum quidem est ad evasionem, ut fuga saluti suæ consulat, id sibi esse promptum et expeditum. Ita in mediis malis interceptus fuerat, nec effugi poterat calamitas : et tamen ne sic quidem desperabat. « Et non »est qui requirat animam meam[3]. » Hoc est, qui defendat, qui opem ferat. Quid hic ergo? Numquid cum in tanta versaretur inopia, et tanta premeretur rerum difficultate, desperavit salutem? Nequaquam, sed ad Deum statim confugit, et dicit : « Clamavi ad te, Domine, dixi: »Tu es spes mea, portio mea in terra viventium[4].» Vidisti cautionem animi et vigilantiam. Mala eum minime obruerunt, sed magis erexerunt et extulerunt : et cum in summa esset inopia, et rerum omnium difficultate, agnovit manum invictam, et vires omnipotentes, et in rebus impeditis facilem evadendi rationem. « Dixi: Tu es spes mea. » Reprobata sunt, inquit, humana omnia, et tempestas adeo est omni auxilio superior, ut nulla arte possit vitari

[1] Eccli. IX, 13 in Græco. — [2] Psal. CXLI, 5. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 6.

naufragium, et tamen etiamsi hæc omnia desperata sint apud homines, omnesque defessi et malis exhausti simus, tibi tamen omnia sunt facilia : unde etiam in te sperantes minime languescimus. « Portio mea es in terra » viventium. » Hoc est : « Sors mea, thesaurus meus, divitiæ meæ, omnia ipse es. « In terra viventium. » Terram viventium hic vocat patriam suam. Captivitatem enim babylonicam, inferos et mortem sæpe vocat. Deinde quia cum in aliena esset regione, solitus non peragebatur cultus, illic autem omnia sacra et omnes implebantur ceremoniæ, propterea dicit : « Portio mea es » in terra viventium. » Semper mei curam gessisti, inquit, et me tibi familiarem fecisti in terra viventium, et magna mihi tecum intercessit conjunctio : « Intende ad » deprecationem meam, quia humiliatus sum nimis [1]. » Vides quomodo quod superius dixit, hoc etiam ponit hic pro sui defensione, quod humiliatus sit, inquam, quod peccatorum supra modum pœnas dederit. Hoc autem, « Nimis, » non est eorum quæ facta sunt, reprehensionis, sed ejus qui patitur, doloris et infirmitatis. Si enim quid peccata mereantur respexeris, non est nimia humiliatio : sin autem ejus, qui fert, imbecillitatem, nimia est, et supra modum. Deus enim nunquam pœnas sumit quantas merentur peccata. Quod si iis, qui patiuntur, videtur esse intolerabilis, id non ex eorum quæ fiunt natura proficiscitur, sed ex imbecillitate eorum qui illa sustinent. « Libera me a persequentibus me, quia confortati sunt » super me [2]. » Ecce rursus alia causa, nempe injustæ eorum, qui illum incessunt, insidiæ, et quod ipse sit valde imbecillus. « Educ de custodia animam meam, ad con- » fitendum nomini tuo [3]. » Confiteri, hic ponitur pro eo quod est gratias agere. Hoc est autem quod dicit : « Libera

[1] Psal. CXLI, 7. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 8.

mea malis. » Per custodiam enim, seu carcerem, significat summas calamitates.

III. « Ad confitendum nomini tuo. » Hoc quoque est non parvum, ut qui rebus utuntur secundis, acceptorum beneficiorum minime obliviscantur. Multi enim homines in afflictionibus quidem sunt diligentiores; in rebus autem prosperis, otio socordiores : alii rursus in quiete et rebus secundis sunt negligentes, et in rebus adversis de se desperant, et fiunt supiniores. Sed hic in utraque horum temporum differentia manet semper eamdem cautionem adhibens; neque enim afflictio, ut is animo concideret, efficit, sed ad orationem potius et supplicationem eum adducit; nec rerum prosperarum successus et otium eum supinum reddidit, sed tunc etiam paratus est ad gratiarum actionem. « Me expectabunt justi donec retribuas mihi [1]. » Alius, « Coronabunt justi, quando me beneficio affeceris. » Quid hoc est? Hoc quoque justis proderit. Illi enim gaudebunt, lætitia afficientur, exultabunt, cum me viderint liberatum a malis. Tales enim sunt Sanctorum animæ : eorum, cum quibus male agitur, miserentur : nec iis invident quibus res secundæ evenerint, sed gaudent et lætantur et iis qui beneficio affecti sunt gratulantur. Quod etiam jussit Paulus, « Gaudere, inquiens, » cum gaudentibus, et flere cum flentibus [2]. » Non est autem hæc parva virtus. Multi enim jacentibus lætabundi insultant, et se erigentibus invident, ex crudelitate et summa inhumanitate utrasque has perturbationes animi parientes. At non sic justi, sed ab hoc utroque vitio liberati, cum sint misericordes et clementes, has virtutes possident. Quemadmodum ergo illis ex crudelitate utraque eveniunt, ita his propter humanitatem et clementiam, quod et eorum qui dolent commisereantur, et iis, cum

[1] Psal. CXLI, 8. — [2] Rom. XII, 15.

quibus bene agitur, collætentur. Cur autem dixit : « Donec » retribuas mihi? » Alius quidem dicit : « Quando mihi » benefeceris. » Alii vero, « Quando retribues, et remune- » raberis me. » Atqui superius dixit afflictionem et humiliationem, non præclara facinora, nec ex recte factis fiduciam. Cujus autem rei mercedem petit? Pro diebus humiliationis. Non est enim pusillum hoc recte factum, ferre afflictionem cum gratiarum actione, et ideo vocat retributionem, eam, quæ illa sequitur, mercedem. Ne nos ergo angamur in afflictionibus, sed oremus ne intremus in tentationem[1]; quæ autem evenerint excipiamus. Ita enim et peccata nostra deponimus, et si qua est in nobis justitia, eam clariorem reddimus. Id autem Job ostendit, qui tunc magis claruit. Hoc bonum est etiam in corporibus. Hoc non solum est in hominibus, sed etiam in brutis; non in brutis solum, sed etiam in plantis. Et ideo ne in vitibus quidem permittunt agricolæ comas nimis luxuriare, nec in aliis arboribus, sed ne nimium crescant, falce prohibent, omnes earum vires in radices convertentes, ne eæ in foliis consumptæ, fructus inanes et inutiles producant. Quod quidem evenit etiam in hominibus. Studio enim in ea quæ sunt superflua consumpto, imbecillior fit animus ad ferendum fructum pietatis maturum et perfectum. Hoc etiam videri potest in aquis. Quæ enim consistit, et non meat, est noxia; sed quæ movetur, exhauritur, et per tubos et aquæductus transmittitur, non solum est salubris, sed et visu, et tactu, et potu est jucundior. Sæpe etiam vicit naturam afflictio. Quod enim flaccidum est, et deorsum fertur, si prematur, sursum erigitur. Quod etiam accidit in hominibus. Qui enim facile ferunt afflictiones, redduntur excelsiores, etiamsi sint valde abjecti, terreni, et humiles, et ex iis magna commoda accipiunt. Hæc ergo cum sciamus, cum gratiarum actione

[1] Matth. xxvi, 41.

feramus mala, quæ in nos immittuntur, ut et illa nobis fiant faciliora, et bona futura consequamur. Quæ detur nobis omnibus consequi gratia, et clementia Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXLII.

Domine, exaudi orationem meam [1].

I. Est quidem προσευχή, etprecatio quæ fit per verba, et est etiam promissum seu votum. Quercirca suadet etiam quidam Sapiens, dicens : « Ne iteraveris verbum in oratione » tua [2]. » Non autem hortatur et suadet ut non eadem bis dicamus, cum Deum rogamus et precamur; absit : jubemur enim perseverare in orationibus; sed ne differamus, quando Deo aliquid fuerimus polliciti, et id solvere properemus. Et ideo dicit alibi : « Ne differas reddere votum : » futurum enim est incertum [3]. » Vel enim morbus, vel quæ præter opinionem accidunt negotia, prohibuerint. Quod si enim mors adveniens te interruperit, non dabitur tibi venia. Orationem autem hic dicit precationem et supplicationem, et ideo subjunxit hoc ipsum significans, « Auri- » bus percipe obsecrationem meam in veritate tua [4]. » Alius, « In fide tua. » Alius, « In firmitate tua. » Hoc est, « Annue petitioni, et fac ut ea effectum consequatur, tua veritate confirmans : utere tua potentia ad ea implenda, quæ peto. »

[1] Psal. CXLII, 1. — [2] Eccli. VII, 15. — [3] Id. V, 8, 9. — [4] Psal. CXLII, 1.

Sed videamus cujusmodi sit postulatio. Apud homines, quando quis offert supplicationem, hoc considerant, qui eam suscipiunt; et si justa sit ac legitima, auditur. Sed apud homines quidem pro honoribus, dignitatibus, et pecuniis fit supplicatio, sæpe etiam ut prohibeatur injuria : hii autem ea petunt quæ sunt majora, quam ut fieri possint a judicibus : nos autem supplicamus pro peccatorum condonatione : et tunc venimus ad supplicationem, quando internus judex, non remiserit, conscientia, inquam, nostra, quæ nos urget ac vexat. Neque enim in ejus potestate situm est remittere, et quemadmodum ad imperatorem nemo pro veste discissa, nec pro decem obolis ereptis audet accedere : ita etiam tu, atque adeo longe amplius, cave ne ad Deum accedas pro rebus vilibus, et nihili : ut verbi gratia, si quis in pecunia tibi fecerit injuriam, aut si quis affecerit te contumelia : sed in iis in quibus diabolus te injuria afficit, tum superno maxime auxilio opus est. At non habes qui tui curam gerat, et tuam supplicationem offerat? Cum rex procedit, cum alloquere, et quære tempus opportunum. Quando ergo procedit rex? Semper et perpetuo. Quando est autem tempus opportunum? Quando tu volueris; quando, ut dignus sis, teipsum præparaveris. Jubebantur quidem Judæi in valle subsistere, cum Deo apparerent, et albas vestes induere, et cum uxore rem non habere [1]. Tu autem animam emunda pro vestibus, et cum moderatione, mansuetudine, et summa quiete accede, et ad regem proficiscere, si vis vere quod petis impetrare : non eget multis sumptibus peregrinatio : accipe virtutem viaticum. Et ubinam agit hic rex? Prope eos qui corde sunt contrito. Illa via ingredere. « Prope est Dominus omnibus » qui ipsum invocant in veritate [2], » illic eum invenies, illic alloqueris. Et prope eos, qui panem frangunt esurientibus,

[1] Exod. XIX, 12 et seqq. — [2] Psal. CXLIV, 18.

et erogant eleemosynam. Si hac via veneris, invenies eum paratum annuentem tuæ petitioni. « Te enim adhuc lo- »quente dicam : Ecce adsum [1] : » nec opus erit intercessore, sed per te ipsum quod petis assequeris. « Exaudi me in tua »justitia [2]. » Quid facis, o homo? Infra dicturus es : « Ne »intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur »in conspectu tuo omnis vivens [3] : »et hic rogas ut sicut justum est exaudiaris? Quid est ergo quod dicitur? Justitiam hic dicit clementiam, et in multis Scripturæ locis videri potest accipi justitiam pro clementia, idque jure profecto. Apud homines enim justitia privatur misericordia : apud Deum autem non item, sed justitiæ quoque admixta est misericordia, et tanta, ut ipsa etiam justitia vocetur clementia. Considera igitur quanta in diluvio fuerit misericordia, quanta rursus justitia. Etsi enim pœnas dederunt qui tunc peccabant, non tamen dederunt quas meruerant. Ne mihi enim molem aquarum respexeris, neque dierum multitudinem, quibus fuit diluvii naufragium, neque orbem terræ qui tunc erat abyssus. Quid hoc enim refert eorum qui perierunt? Hæc enim possunt quidem gravem timorem incutere : iis autem qui mortui sunt, nullum supplicium afferunt. Quomodo enim punirentur qui quæ fiunt non sentiunt? quorum etiam brevi temporis momento fuit interitus, brevemque et levissimam mortem passi sunt, et igne, et ense, et laqueo, et tormentis faciliorem, et longe minus molestam. Quare speciem potius supplicii, quam experientiam habebant quæ fiebant. Qui itaque toto vitæ tempore ad extremam usque senectutem talia commiserant, brevissimo temporis momento pœnas dederunt, siquidem naturæ debitum vocandum sit supplicium.

II. Vidisti quanta sit clementia : vis etiam eam aliunde videre? Non enim statim intulit, sed et semel, et bis, et

[1] Isaï. LVIII, 9. — [2] Psal. CXLII, 1. — [3] Ibid. 2.

sæpe eam prædixit. Per arcam enim eos allocutus est : illi vero ne sic quidem cessarunt, etsi non opus erat ut ulla denuntiatio fieret improbitati. Sed neque eos natura docuit, sed tanquam porci, imo vero quibusvis porcis obscœniores, cum et se inter se corrumperent, et naturæ leges funditus convellissent, nec ulli suasioni, ullive consilio paruissent, nec ex Justi vicinitate aliquid commodi cepissent, brevi solum temporis momento pœnas dederunt, vel potius ab interitu erepti, et a pœna liberati sunt. Ea enim facere multo est gravius, quam brevi temporis momento intercipi. Hoccine est ergo, dic mihi, supplicium, eos qui vitiis erant corrupti, et scelerate ac nefarie inter se conjungebantur, et alter alterum dedecore afficiebant et afficiebantur, ab ejusmodi exitio liberare? Ita-ne medicum quidem, qui membra putrida resecat, non dicemus punire corpus, sed tanquam benignum et humanum admittemus : Dei autem sapientiam et clementiam non multo magis admirabimur, qui suos ea ratione castigat? Eum quidem perpetuo oportet admirari, et gloria afficere : sed hoc nomine nunquam desistamus ejus stupere providentiam, nec eum cessemus ea de causa laudare, quod brevem sectionem adhibuerit, serpens malum resciderit, et medicinam quæ nullum dolorem afferret admoverit. Ne te ergo hoc conturbet, quod omnes repente et uno tempore obruti sint. Quid enim refert an sic, an paulatim? Quid eum, qui excessit, juvat quod per se et solus, aut lædit, quod cum omnibus excesserit? « Exaudi me in tua justitia, » hoc est, in benignitate et clementia. Quod enim id significet, subjunxit : « Et non intres in judicium cum servo tuo. » Hoc etiam petit Job, qui erat « Vir justus, et verax, et abstinens ab omni re mala [1], » dicens : « Utinam esset qui discerneret » et argueret inter utrumque [2]. » Cum Deus autem appa-

[1] Job. I, 1. — [2] Id. XXXIX, 35.

ruit : « Manum apponam ori meo [1], » licet Deus provocaret et diceret : « Non, sed accinge tanquam vir lumbos tuos [2]. » Hoc etiam Judæis exprobrat dicens ? « Quod invenerunt » patres vestri in me delictum, quia principes vestri in me » se inique gesserunt [3] ? » Hoc autem facit, non volens graviorem in eos reddere sententiam, sed volens eo adducere, ut sua peccata sentirent, eaque confiterentur, et tunc eis daret veniam, ut sic beneficii nossent magnitudinem. Et ideo dicit : « Dic tu prior iniquitates tuas, » non ut condemneris, sed « Ut justificeris [4]. » Ea de causa nec ipse eas dicit, sed illum ad eas dicendas comparat; si enim vellet punire, ipse eum accusasset. Nunc autem quoniam vult misereri, cedit ei qui peccavit, ut ipse grati et memoris animi coronam accipiat, et per confessionem misericordiam attrahat. Quid potest cum hac conferri clementia ? Nihil. « Dic, inquit, et nihil quæro amplius : confitere, et mihi sufficit : dic, et prorsus abstineo. « Ne intres in judi- » cium cum servo tuo. » Multi sunt qui in hoc se recte gerunt, ex eo quod sit Deus judicaturus. Qui enim pio sunt et grato animo, hoc ante norunt : qui secus, ex eo quod Prophetæ dicunt assidue : « Judicium Domino ad populum suum, et » cum Israël disseret [5] : » et rursus, « Audite valles et fun- » damenta terræ [6] : » et, « Audi cœlum, et auribus percipe » terra [7]. » Ex eo ergo quod ipse assidue dicatur judicare, etiam qui paulo minus sensus habebant, se in eo recte gerebant. Etenim dicebant nonnulli Judæi : « Quare jeju- » navimus, et non aspexisti [8] ? » et, « Quicumque facit ma- » lum, bonum coram Domino [9] : et ædificantur qui faciunt » scelera, et beatos ducimus alienos [10] : » et, « Non est recta » via Domini [11]. » Porro beatus quoque Job, postquam in

[1] Job. xxxix, 34. — [2] Id. xl, 2. — [3] Jer. ii, 5. — [4] Isaï. xliii, 26. — [5] Mich. vi, 2. — [6] Ibid — [7] Isaï. i, 1. — [8] Id. lviii, 3. — [9] Malach. ii, 17. — [10] Id. iii, 15. — [11] Ezech. xxxiii, 17.

illam tentationem incidit, non eo animo, nec ea dixit quæ Judæi. Absit. Dixit tamen : « Utinam esset intercessor, et » qui discerneret et argueret inter utrumque : avertat a me » virgam, et timor ejus ne me conturbet [1]. » Et ideo dicit ei : « Interrogabo ego te, tu vero mihi responde [2]. » Deinde quoniam obstupefactus fuerat, et dixerat : « Cur ego adhuc » judicor, dum corrigor, et arguo Dominum [3] ? » Et rursus : « Auditione quidem auris te prius audivi, nunc autem » etiam oculi mei te viderunt : quocirca meipsum vili- » pendi, et liquefactus sum : existimavi autem meipsum » terram et cinerem : ponam manum super os meum [4] : » dixit ei : « Nequaquam, sed accinge tanquam vir lumbos » tuos, » propemodum ejus verba in memoriam redigens et dicens : « Quoniam mecum voluisti judicio contendere, ecce adsum disceptaturus. » Vidisti Dei clementiam ineffabilem ? vidisti bonitatem infinitam ? Et ideo tres quoque pueri dicebant : « Peccavimus, inique egimus, nos injuste gessimus [5]. » Quoniam enim multi homines sensus plane expertes peccata sua in Deum conferunt, hoc procurante et machinante diabolo, hanc consuetudinem Deus evellens radicitus, frequenter dicit se cum eis judicio contendere.

III. Tale quid etiam peccavit is, qui primus creatus est Adam, et ideo dicebat : « Mulier quam dedisti mecum, ea » mihi dedit, et comedi [6]. » Judæi quoque multa ejusmodi peccabant. « Quia non justificabitur in conspectu tuo om- » nis vivens. » Quid de me dico, de hoc et de illo ? inquit. Non est homo super terram, qui, si de iis judicio contendat quæ illi a te præcepta sunt, possit justificari. Ita est apud te plenissima victoria. « Quia persecutus est inimi- » cus animam meam [7]. » Potest quidem hoc intelligi et de

[1] Job. IX, 33, 34. — [2] Id. XLII, 4. — [3] Id. X, 2. — [4] Id. XLII, 5, 6. — [5] Dan. III, 29. — [6] Genes. III, 12. — [7] Psal. CXLII, 3.

Saüle, qui erat tunc inimicus, et eum persequebatur. Potest etiam dici per anagogen inimicus diabolus. Ille enim non cessat eos, qui Dei sunt, persequi. Quomodo ergo liberabimur ab ejus persecutione? Si locum invenerimus, in quem non possit ingredi. Et quisnam est hic locus? Quis alius nisi cœlum? Quomodo autem nunc potest in cœlum ascendi? Audi Paulum dicentem, et ostendentem nos etiam carne implicatos posse illic versari. « Quæ sursum sunt » cogitate, ubi Christus est in dextera Dei sedens [1]. » Et rursus : « Nostra autem conversatio est in cœlis [2]. Humilia- » vit in terra vitam meam [3]. » Multa significat nomen humilitatis. Est enim et virtutis humilitas, ut quando dicit : « Cor contritum et humiliatum Deus non despiciet [4]. » Est et humilitas quæ procedit ex calamitatibus : est et quæ proficiscitur ex peccatis. Hic autem eam significat, quæ oritur ex calamitatibus. Quocirca subjungit hoc ostendens, « Humiliavit in terra vitam meam. » Est etiam humilitas, quæ procedit ex superbia, ut quando dicit : « Qui se » exaltat, humiliabitur [5]. » Est etiam alia humilitas, quæ proficiscitur ab insatiabili cupiditate. Quid est enim abjectius et humilius iis, qui seipsos infodiunt in divitias, potentiam et gloriam? Ii enim sunt duabus rationibus humiles, et quod humi serpant, et quod ea magna existiment, quemadmodum pueri pilas, talos, et hujusmodi ludicra magni faciunt. At hoc non est signum quod ea magna sint, sed quod qui ea admirantur, mentem habeant imperfectam et humilem. Sed hoc quidem est ætatis et naturæ defectus : illud vero est culpa voluntatis. Cum enim sit vir ac maturæ ætatis, mensas, luxum, et delicias res putat esse magnas : quo quid esse potest abjectius et humilius? Atqui multi eos esse magni et excelsi animi dicunt : sed hi sunt

[1] Col. III, 1. — [2] Philip., III, 20. — [3] Psal. CXLII, 3. — [4] Id. L, 19. — [5] Luc. XVIII, 14.

illis longe humiliores. Rursus ergo discamus quæ sit vera altitudo, et quid vilitatem et humilitatem efficiat. Nihil enim æque facit excelsum, atque ea despicere. Nunc ergo Propheta dicit humilitatem quæ oritur ex calamitatibus : « Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi [1]. » Duplicem dicit calamitatem, et quod in obscuris, et quod tanquam mortuos sæculi : per utraque significans eam, quæ tunc erat, captivitatem. Quoniam enim etiam qui est in obscuro, potest aliquid agere accensa lucerna, volens ostendere insignem malorum magnitudinem, addito mortuorum nomine auxit tragœdiam. Tales sunt qui in peccatis vivunt. Ita enim sunt tanquam mortui in tenebris : licet ergo lampades circumferant innumerabiles, licet ad solem respiciant, licet ex vestibus et alio vitæ cultu alacres et læti videantur, nihilo meliori, imo vero deteriori sunt conditione, quam qui sunt mortui, et agunt in tenebris : quatenus illa quidem res est naturalis, hæc vero est culpa voluntatis. Tenebræ quoque sunt eæ quæ futuræ sunt, de quibus dicit : « Tollite eum, et mittite in tenebras exterio» res [2]. » Sunt etiam vitii tenebræ. « Sedentes, inquit, in » tenebris, et umbra mortis [3]. » Et Paulus, « Non sumus » filii tenebrarum [4]. » Iterumque, « Evanuerunt in cogita» tionibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum [5]. » Et ideo quemadmodum qui versantur in tenebris, nesciunt rerum naturam : ita etiam qui sunt in peccatis, sunt obcæcati, et ea quæ apparent, non discernunt, sed ad umbras tanquam ad res veras, currunt, divitias, et delicias, et potentiam persequentes; nec amicos, nec inimicos noverunt, inimicis quidem tanquam amicis fidentes, cum amicis vero tanquam cum hostibus confligentes. Non vides pauperes quotidie clamantes, et ejulantes, a nemine tamen

[1] Psal. cxlii, 3. — [2] Matth. xxii, 13. — [3] Luc. i, 79. — [4] 1 Thess. v, 5. — [5] Rom. i, 21.

audiri? Quare non audiunt? « Quoniam collocavit eos dia-» bolus in obscuris, sicut mortuos sæculi. » Quod enim sunt aliis tenebræ et mortis conditio, hoc est eis inhumanitas. Est eorum qui sedent in tenebris, non videre mala quæ illos invadunt. Hoc etiam eis accidit, qui non vident eas quæ juxta ipsos sitæ sunt calamitates, et in voragines fossasque et præcipitia deturbantur. Est eorum qui sedent in tenebris, turpia secure audere admittere. Hoc etiam faciunt qui nequiter vivunt, tanquam qui sedent in tenebris, et perinde ac si nemo homo sit, qui, quæ fiunt, respiciat, omnia tam secure perpetrant, in mediis urbibus velut in solitudine scelera committentes.

IV. Qui sedent in tenebris, sunt in perpetuo metu : ita hi etiam. Nullus enim raptor et avarus est a metu alienus, quantumcumque se insolenter jactitet, et extrinsecus lætantis speciem præ se ferat. Talis est enim natura animi sibi male conscii. Et erant hi quidem antea omni venia privati, sed nunc magis, quod cum Sol justitiæ illuxerit, adhuc sedent in tenebris. Et quomodo cum illuxit sol, sedent in tenebris? Propter oculorum imbecillitatem. Cum enim se antris, cloacis et voraginibus vitii infoderint, ob oculorum imbecillitatem non possunt radios intueri. « Et » anxiatus est super me spiritus meus. In me turbatum est » cor meum [1]. » Alius, « Et circumagebatur in me anima » mea. » Ostendit rursus summam afflictionem per animi perturbationem. Quid est autem, « In me? » Ne aliis quidem poteram enuntiare, et consolationem ab eis accipere. Tales sunt animi improborum. Nunquam non conturbantur, non solum dum sunt præsentia, sed etiam dum expectantur mala. Nunquam est eis ulla tranquillitas, nulla animi securitas, sed perturbantur magis quam ullum pelagus : non nox, non dies eis concedit, ut sedetur tempes-

[1] Psal. CXLII, 4.

tas; sed undique vexantur, et si nullus sit qui eis molestiam exhibeat, bellum instestinum, ac domesticum habentes, nec iis quæ jam acceperunt, fruuntur : eorum quæ nondum advenerunt sollicitudine lacerati, laniati, de omnium negotiis solliciti, bona omnium curiose scrutantes, animo agitantes quomodo huic quidem persuadebunt, illum vero terrebunt, alium blandis verbis allicient, alium vero cogent, alium autem observabunt, calumnias, emptiones, venditiones, testamenta, fidejussiones, usuras, sortes, et horum malorum quisquilias et fæces apud se versantes; et quando eis omnia affluunt, tunc maxime perturbantur. Vide divitem illum qui tunc maxime turbatur, quando ejus ager fuit fertilissimus, dubitatque, et est animi perplexus, et dicit : « Quid faciam? Diruam horrea mea, et ædificabo » majora [1]. » Pauperi autem nihil tale accidit. « Memor fui » dierum antiquorum : meditatus sum in omnibus operibus » tuis [2]. » Non est hæc parva consolatio, priora nosse et præsentia. Quoniam enim, ut semel dicam, iisdem legibus Deus et ea quæ nunc sunt, et quæ prius fuerunt, administrat, maxima est ad præsentia consolatio memoria præteritorum. Et ideo in alio quoque Psalmo dicit : « Num in » sæcula repellet Dominus, aut in finem misericordiam » suam rescindet [3] ? » Et alius, « Respicite ad antiquas gene- » rationes, et videte quis speravit in Dominum, et dere- » lictus sit [4] ? » Et Paulus, « Hæc autem omnia in figura » eveniebant illis : scripta sunt autem ad admonitionem » nostram, ad quos fines sæculorum devenerunt [5]. » Non aliena autem solum, sed etiam nostra sæpe in memoriam revocantes, lucrifacimus. Hoc autem ostendit Apostolus dicens : « Recordamini priorum dierum, in quibus illumi- » nati magnum certamen sustinuistis passionum [6]. » Et a

[1] Luc. XII, 18. — [2] Psal. CXLII. 5. — [3] Id. LXXVI, 8, 9. — [4] Eccli. II, 11. — [5] I Cor. X, 11. — [6] Hebr. X, 31,

contrario : « Quemnam fructum tunc habuistis in iis, in » quibus nunc erubescitis [1] ? » Et alius Sapiens : « Recordare » novissima tua, et in æternum non peccabis [2]. » Hoc enim etsi est futurum, a præterito tamen ducit initium, nempe mors communis. Hoc etiam facit Paulus ex præteritis et futuris, et quando consolari, et quando corrigere oportet : « Nolo, inquit, vos ignorare, fratres, quod patres nostri » omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et » omnes eamdem escam spiritalem comederunt : sed non » in pluribus eorum complacuit Deo [3]. » Aliquando autem a futuris : « Qui pœnas dabunt, æternum exitium a facie Do- » mini, et a gloria virtutis ejus [4]. » Et rursus : « Pervenit » autem in eos ira in finem [5]. Dies enim indicabit, quod in » igne revelatur [6]. » Et rursus : « Propterea enim venit ira » Dei in filios inobedientiæ [7]. » Sed hæc quidem, quando oporteret corrigere : quando autem consolari, ab utrisque consolatur. A præteritis quidem dicens : « Benedictus Deus » et Pater Domini nostri Jesu Christi, Deus misericordia- » rum, et pater omnis consolationis, qui consolatur nos in » omni afflictione, per consolationem quam a Deo accipi- » mus [8]. » A futuris autem, « Non sunt condignæ passiones » hujus temporis ad futuram gloriam quæ est revelanda » in nobis [9]. » Quorcirca hic quoque dicit : « Memor fui die- » rum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis. » Non dixit tantum : « Memor fui, » sed, « Meditatus sum. » Hoc est, « Magnam operam et diligentiam adhibui in iis apud me revolvendis quæ antiquis evenerunt. » Ex Scripturarum enim cognitione adest nobis magna consolatio et philoso- phia. Et ideo dixit Paulus : « Per patientiam et consolatio- » nem Scripturarum spem habemus [10]. » Et rursus : « Omnis

[1] Rom. VI, 21. — [2] Eccli. VII, 40. — [3] 1 Cor. X, 1-5. — [4] 2 Thess. I, 9. — [5] 1 Thess. II, 16. — [6] 1 Cor. III, 13. — [7] Ephes. V, 6. — [8] 2 Cor. I, 3, 4. — [9] Rom. VIII, 18. — [10] Id. XV, 4.

» Scriptura divinitus inspirata est utilis ad doctrinam, ad » reprehensionem, ad correctionem [1]. »

V. Hinc ergo hic accipit consolationem, cum esset in tanta afflictione et perturbatione, quod vetera apud se revolveret, et quæ a Deo varie sunt gesta et administrata, in memoriam revocaret. Dicit itaque alius : « Et meditatus » sum omnes actiones tuas. In factis manuum tuarum medi- » tabar [2]. » Alius, « Opera manuum tuarum meditabar. » Per hoc ostendit se, dum hæc faceret, magnam accipere consolationem, et Deo evadebat familiariorem. Et ideo hoc ostendens subjunxit : « Expandi manus meas ad te [3]. » Non dixit : « Extendi, » sed, « Expandi, » ostendens magnam cordis affectionem, quod propemodum e corpore properat exilire, et ad ipsum recurrere. A memoria igitur rerum præclarissime gestarum veluti divino quodam furore afflatus, cum et omnem benignitatem reputassem, et ex calamitatibus perfectam disciplinam, et quæ a malis ereptionem secuta est libertatem, ad te rursus confugi. « Anima » mea sicut terra sine aqua tibi [4]. » Alius, « Tanquam terra » sitiens ad te semper. » Hoc est enim « Diapsalma. » In rebus, inquit, adversis et secundis et in omni temporum varietate ostendi semper æquale studium. Quid est autem, « Sicut terra sine aqua tibi? » Sicut terra sitiens pluviam desiderat, ita ego esse tibi assidue propinquus. Hoc autem desiderium magis auxit moles afflictionum, et ideo Deus eas permisit crescere, magnam suam ostendens providentiam. Non solum enim fecit creaturas, sed etiam factarum curam gerit, et hominum et aliorum omnium. Hoc itaque sciens Paulus, dicebat : « In ipso enim vivimus, et move- » mur, et sumus [5]. » Et rursus : « In ipso constant omnia [6]. » Et David : « Omnia a te expectant ut des illis cibum in tem-

[1] 2 Tim. III, 16. — [2] Psal. CXLIII, 5. — [3] Ibid. 6. — [4] Ibid. — [5] Act. XVII, 28. — [6] Coloss. I, 17.

» pore opportuno. Dante te illis, colligent; aperiente te manum, omnia implebuntur bonitate; avertente autem te »faciem, turbabuntur [1]. » Et rursus : « Qui respicit super »terram, et facit eam tremere [2]. » Et Esaïas : « Qui continet »gyrum terræ [3]. » Et de virtute, « Nisi Dominus, inquit, »ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam [4]. » Et rursus : « Qui habitare facit sterilem in »domo, matrem filiorum lætantem [5]. » Et ideo terram quatit, et montes tangens facit ut fumigent [6], suum ostendens dominium. Solem autem obscurat, ita ut deficiat, per hoc rursus indicans se esse opificem. Porro in Scripturis quoque vides solem retrocedentem, et lunam rursus cum eo stantem [7], et multa alia miracula. Quando enim ejus cognitio nondum extensa fuerat, hæc fiebant : nunc autem non est amplius opus hac doctrina, cum res ipsæ clament et ostendant Dominum. Vidisti in Ægypto tenebras, et mutationem elementorum. Si qui autem dicant defectum evenisse naturaliter, non autem Dei jussu, dicant quomodo factus sit eo tempore quo cruci est affixus. Non enim tempore tunc præstituto, sed quando minime erat consentaneum, nec cursui naturali conveniens tunc accidit, cum esset scilicet quartadecima luna, et plenilunium. Defectus autem non sic fiunt. Quare manifestum est sicut alia, ita etiam defectus omnes jussu Opificis fieri. « Velociter exaudi »me, Domine, defecit spiritus meus [8]. » Quid dicis? Urges medicum ad curationem? Nequaquam : sed hic quoque mos est animarum quæ affliguntur, quemadmodum et hominum laborantium, accersere medicos, etiamsi tempus non postulet, et liberationem celeriter providere. Quocirca ipse quoque causam adjiciens, dicebat : « Defecit spi»ritus meus. » Atqui Deus qui potest excitare a mor-

[1] Psal. CIII, 27-29. — [2] Ibid. 32. — [3] Isaï. XL, 22. — [4] Psal. CXXVI, 1. — [5] Id. CXII, 9. — [6] Id. CIII, 32. — [7] Jos. X, 13. — [8] Psal. CXLII, 7.

tuis, multo magis ante mortem. Sed quemadmodum dixi, hinc deprehenditur naturæ imbecillitas. Sciebat enim omnia ei esse facilia; sed ferre non potest mala quæ inferuntur. « Ne avertas faciem tuam a me, et similis ero » descendentibus in lacum [1]. » Alius, « Ne absconderis fa- » ciem tuam a me. » Et undenam sit aversio? Ipse Deus dicit per Esaïam : « Annon potens est manus mea? Sed » peccata vestra dividunt inter me et vos [2]. » Quando ergo mali quid fecerimus, averti tur : « Mundus est enim, » inquit, oculus tuus, ut non videat mala, et respicere su- » per labores non poteris [3]. » Et ideo aversatur etiam arro- gantes. Dicit itaque : « Super quem respiciam, nisi super » mansuetum et quietum, et trementem verba mea [4]? » Per- sequamur ergo hanc virtutem, ut ejus faciem attrahamus : ne in vitii barathrum incidamus, densis occupantibus tene- bris. Possunt etiam qui ceciderunt, iterum ascendere. Oportet ergo eos qui cadunt, non manere humi jacentes. Lacus autem, in quo sunt sævæ bestiæ, et qui est plenus tenebris, est natura peccati. Scripturarum ergo rudentes demittamus, et voluntatem alligemus : et si ceciderimus, velociter resurgemus. Quomodo autem incipiemus iter in- gredi? Si cum ceciderimus, non contemnamus, nec des- peremus, sed hæc prophetica carmina nobis canamus : « Numquid cadens non resurgit [5]? » Et rursus, « Hodie si » vocem ejus audieritis, ne obduretis corda vestra sicut in » exacerbatione [6], » et his cogitationibus vinctos nos attraha- mus. « Auditam fac mihi mane misericordiam tuam, quo- » niam in te speravi [7]. Alius, « Auditam fac mihi ex matu- » tino misericordiam tuam, » id est, celeriter.

VI. Vidisti afflictam et perturbatam animam? Vult enim audiri ante experientiam, ut spe erigatur et expectatione.

[1] Psal. CXLII, 7. — [2] Isaï. LIX, 2. — [3] Habac I, 13. — [4] Isaï. LXVI, 2. — [5] Jer. VIII, 4. — [6] Psal. XCIV, 8, 9. — [7] Id. CXLII, 8.

Hoc est autem quod dicit : « Fac me surgere, ut pollicitus es. » Justam deinde impetrandi causam adjicit : « Quia in » te speravi. » Deus enim nihil tam requirit, quam ut eum semper intueamur, et ab eo perpetuo pendeamus. « Notam » fac mihi viam in qua ambulem : quia ad te levavi ani- » mam meam [1]. » Quid dicis ? Cum et natura habeat legem ab initio a Deo impositam, et mosaïcæ leges eam renovent, quid tibi vis, rursus dicens : « Notam fac mihi, Domine, » viam in qua ambulem ? » Vel hoc ergo dici potest : « Quo- niam conscientia mea obruta est a vitio, rogo ut ea reno- vetur. » Vel hic viam ab hominibus, quemadmodum Paulus quoque ostendit, dicens : « Quid enim oremus sicut opor- » tet, nescimus [2]. » Si autem Paulus hoc ignorat post tan- tam cognitionem, quid miraris si hic quoque hoc dicat ? Vide autem eum nihil sensile hic quærere, sed viam quæ ad Deum deducit, et ipsum ex se principia conferre ? Non dixit enim absolute : « Notam fac mihi viam quæ ad te du- » cit. » Sed quid ? « Quia ad te levavi animam meam. » Hoc est, « A te pendeo, te intueor, te unum respicio. » Iis enim Deus maximam sui præbet notitiam. Quamobrem dicebat de Judæis, rogatus cur eis loqueretur in parabolis : « Viden- » tes non vident, et audientes non audiunt [3]. » Illud autem, « Levavi, » significat, « Ad te traduxi et transtuli animam meam. « Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi [4]. » Vide ubique afferri causas ab eo qui rogat. « Ne avertas, » inquit, faciem tuam a me, quoniam in te speravi. Notam » fac mihi viam tuam, quoniam ad te levavi animam meam. » Eripe me de inimicis meis, quoniam ad te confugi. Doce » me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu [5]. » Non dixit absolute : « Doce me voluntatem tuam, » sed, « Doce » me facere voluntatem, » hoc est, « Ad ipsa acta me deduc. »

[1] Psal. CXLII, 8. — [2] Rom. VIII, 26. — [3] Matth. XIII, 13. — [4] Psal. CXLII, 9. — [5] Ibid. 10.

Superna enim ope et cœlesti doctrina opus est ut incedamus via, quæ ducit ad virtutem, non nobis in otio degentibus, sed quæ sunt nostra conferentibus. « Quia Deus meus » es tu. » Vides spirituales ejus petitiones ? Non enim de pecuniis, potentia, et gloria, sed ut Dei faciat voluntatem, in ejus petitione agitur : quod quidem est omnium bonorum thesaurus, et opes quæ nunquam deficiunt, principiumque et radix felicitatis, et medium, et finis. « Spiritus » tuus bonus deducet me in terram rectam [1]. » Vides quomodo discimus, quomodo docemur viam perficere, nempe per Spiritum sanctum? Et ideo dicebat Paulus : « Nobis » autem Deus revelavit per Spiritum suum [2]. In terram rec» tam. » Si dictionem quidem spectes, dicit patriam suam : si accipiatur autem anagogice, viam quæ ducit ad virtutem. Alius autem dicit : « Per terram planam. » Nihil est enim virtute lævius ac planius, quæ est a turba et tumultu libera. « Propter nomen tuum vivificabis me, Domine [3]. » Vides eum rursus ad Deum confugere, non autem in vita sua collocare fiduciam? « In æquitate tua educes e tribu» latione animam meam [4]. » Alius, « In misericordia tua. » Vides quomodo verum sit, quod superius dicebam, eum justitiam sæpe vocare clementiam ? « Educes de tribulatio» ne animam meam. Orate enim, inquit, ne intretis in ten» tationem [5]. Et in misericordia tua disperdes omnes ini» micos meos [6]. » Non quoniam ego sum dignus, inquit, sed propter tuam clementiam libera me ab iis, qui in me bellum gerunt ; libera me ab iis qui mihi insidiantur ; da ut ab afflictione aliquantum respirem. « Et perdes omnes qui tri» bulant animam meam, quoniam ego servus tuus sum [7]. » Vide hic rursus adjectam causam. Neque enim possumus absolute nostra postulata consequi, sed oportet nos ita

[1] Psal. CXLII, 10. — [2] 1 Cor. II, 10. — [3] Psal. CXLII, 11. — [4] Ibid. — [5] Matc. XIV, 38. — [6] Psal. CXLII, 12. — [7] Ibid.

præparare, ut simus digni postulata consequamur, et quæ nostra sunt conferre, et ita accedere. Non sufficit enim sola natura orationis. Nam Judæi quoque orabant, et audiebant? « Si multiplicaveritis preces, non exaudiam vos [1]. » Et quid miraris si Judæi non exaudiebantur, cum etiam Jeremias pro eis orans reprehendatur, et semel ac bis audiat, « Ne ora pro hoc populo, quoniam non exaudiam te [2]. » Et quid miraris si Jeremias non exauditur? « Etiamsi Noë, » inquit, etiamsi Job, etiamsi Daniel steterint, filios et filias » suas non eripient [3]. » Hæc ergo cum sciamus, non solum oremus, sed cum precibus quoque nos ita comparemus, ut simus digni qui accipiamus, ut et præsentia et futura bona consequamur. Quæ detur nobis omnibus consequi gratia et clementia Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXLIII.

Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, digitos meos ad bellum [4].

I. Quid dicis? Deus-ne docet bellare, pugnare, et acie confligere? Maxime quidem : non peccaverit quispiam, qui victoriam, quæ his paratur, ei ascripserit. Hoc enim sibi

[1] Isaï. I, 15. — [2] Jer. VII, 16. — [3] Ezech. XIV, 14. — [4] Psal. CXLIII, 1.

vult illud. « Qui docet manus meas. » Hoc est, « Qui facit ut vincam hostes, ut tropæum erigam. » Quando enim prostravit Goliath, ille fuit causa victoriæ, et quando multa bella recte gessit, et tropæa erexit, et aliquot urbes hostium vi cepit, is fuit in causa ut vinceret. Et ideo canens dicebat : « Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio [1]. » Mosis quoque tempore multa fecit ejusmodi. Verum aliud quoque bellum est hoc gravius, ubi nobis maxime superno auxilio opus est, quod geritur contra potestates adversarias. Quod autem nos contra eas bellum geramus, audi Paulum dicentem : « Non est nobis lucta adversus carnem » et sanguinem, sed adversus principatus, adversus potes- » tates, adversus mundi principes tenebrarum sæculi hu- » jus [2], » et eo gravius, quod ex alia natura sit earum exercitus, et quæ sub aspectum non cadit, et quod non de rebus exiguis agitur, sed de salute et de pernicie. Non possunt hic videri homines qui occiduntur; non potest præsciri, nec tempus, nec difficultas, nec locus, nec aliquid aliud ejusmodi. Nam domi, in foro, ludentes, in otio nos invadunt hæ phalanges. Quare oportet nos esse perpetuo munitos. Bellum enim hoc nullas novit inducias : non habet legatos, nec fœciales, nec aliquid ejusmodi; bellum enim est implacabile, et ideo oportet se maxime undique munire, et convenienti alimento validum firmumque reddere. Hujus autem belli commeatus, et horum militum arma sunt divinarum Scripturarum auditio. Ea qui non fruitur, fame perit. « Dabo enim eis, inquit, non famem » panis, nec sitim aquæ, sed famem audiendi verbi Domi- » ni [3]. » Hic igitur, sicut et in bellis sensilibus, superno auxilio opus est. « Non servatur enim, inquit, rex per mul- » tam potentiam, et gigas non servabitur in multitudine » virium suarum. Fallax equus ad salutem, in multitudine

[1] Psal. xxiii, 8. — [2] Ephes. vi, 12. — [3] Amos viii, 11.

» virium suarum non servabitur [1]. » Multi itaque hostes sic sæpe fuderunt ac fugacium prius preces præcessissent, et eæ adversariorum phalanges repulissent. « Misericordia mea, » et refugium meum, susceptor meus et liberator meus [2]. » Vides eum rursus rogare ut servetur a clementia. Imo vero hic etiam aliquid aliud significat. Per hoc enim id ostendit, et dicit : « Ne essem quidem ipsa dignus misericordia, nisi ipse annuisset. » Ipse est ergo, inquit, « Misericordia » mea. » Eam enim ex factis meis non sum consecutus. Nam etsi est misericordia, non omnibus tamen indiscriminatim accidit. « Miserebor enim, inquit, cujus misertus » fuero, et miserabor, quem fuero miseratus [3]. » Oportet ergo, si misericordiam volumus consequi, ejus clementiæ occasionem ex nobis ipsis proferre. Hic autem dicit se hoc ipsum, quod sit misericordiam consecutus, ei acceptum ferre. Vidisti contritum animum, vidisti gratam mentem, et quomodo benigno Deo universum ascribit ? « Susceptor » meus, et liberator meus : protector meus, et in ipso spe- » ravi. » Spem in ipsum assidue versat, docens omnes ut nullis malis obruantur, sed vel in mediis ærumnis eum semper intueantur, ab eo pendeant, nec unquam desperent, animove concidant. Ipse est enim susceptor et liberator meus. Unde etsi non in ipsis malorum principiis suscipiat et liberet, bono oportet esse animo. Si enim ipse est susceptor ac defensor, omnino liberabit a malis. Tunc enim maxime spes est, quando iis, quæ videntur, nos dejicientibus in desperationem, ea efficit ut de futuro bene speremus. « Qui subdit populum meum sub me [4]. » Sic recte dixit. Nam hic quoque superno auxilio opus est, ut qui ditioni subjecti sunt, acquiescant, et nec seditionem agitent, nec insurgant. Non solum ergo in subjugandis inimicis,

[1] Psal. xxxii, 16, 17. — [2] Id. cxliii, 2. — [3] Rom. ix, 15. — [4] Psal. cxliii, 2.

sed etiam in domesticis suis subjiciendis superno nobis auxilio opus est. Nam hoc quoque magnum est, suos bene regere, nec minus est quam inimicos vincere. Multi quidem certe sæpenumero tropæa in bellis erexerunt : in pace autem cæsi sunt, cum eorum quibus præerant habenas non recte possent moderari. Non ergo in regni potestate situm est, ut castra subjiciantur, sed in Dei auxilio. Quemadmodum autem ab eo procedunt victoriæ de hostibus : ita etiam suorum obedientia. « Domine, quid est homo quia » innotuisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum [1]? » Alius, « Quid homo, et cognoscis ipsum? » Alius, « Quod » agnoscis ipsum? » Magnum ergo quempiam esse oportet, qui est Deum cogniturus, vel potius qui est ab ipso cognoscendus, non hunc autem solum, sed etiam illum cui Deus voluerit innotescere. Et ideo optime dixerunt Septuaginta illud, « Innotuisti ei : » ostendentes nos non eum invenisse, sed ipsum nobis fuisse inventum. Siquidem non dixit : « Quid est homo, qui te cognovit ? » sed, « Quid est » homo, quod cognitus es ab ipso ? »

II. Et ideo Paulus hoc susquedeque assidue versat dicens : « Tunc autem agnoscam sicut et agnitus sum [2]. » Porro ipse quoque Christus : « Non vos me elegistis, sed » ego elegi vos [3]. » Jam vero alibi quoque Paulus. « Si quis » autem diligit Deum, is cognitus est ab eo [4]. » Et ideo assidue seipsum susquedeque dicit vocatum, ostendens se non ultro accessisse, sed prius vocatum fuisse. Ita etiam dicit alibi : « Persequor autem, si etiam comprehendam, » propter quod et comprehensus sum [5]. » Non dixit : « Comprehendi, » sed, « Comprehensus sum. » Quomodo autem dicit hic : « Quid est homo? » Atqui alius dicit : « Magna res » homo, et pretiosa res vir misericors [6]. » Et alius : « Ad

[1] Psal. cxliii, 3.— [2] 1 Cor. xiii, 12.— [3] Joan. xv, 16.— [4] 1 Cor. viii, 3. — [5] Philip. iii, 12. — [6] Prov. xx, 6.

» imaginem Dei fecit ipsum [1]. » Sortitus est enim totius creaturæ præfecturam. Sunt autem nonnulli, quibus ne dignus quidem erat mundus. Sed illa quidem de virtute, et quando quidam homines eam ostenderint : hoc autem, « Quid est homo, » dictum est de natura. Magna est hominis natura. Magna quidem, sed si respicias cognitionem, qua donata fuit, longe est hac inferior. Audiant hæretici se hoc furore esse percitos, dum sui modum excedunt, et extrema laborare inscientia, dum dicunt se ea scire, quæ sunt ipsis superiora. Potest enim esse ignoratio in cognitione, et in ignoratione cognitio. Et si vis, hoc ipsum agitemus in rebus sensilibus. Dic mihi enim, si quis dicat se posse mare metiri, et scire quot habeat cyathos : annon est hic maxime qui ignorat quid sit mare? Qui autem dicit se nescire, sed asserit numerum ejus esse infinitum : is est qui maxime cognovit quid sit mare. Quod si quis de Deo dixerit : « Deum vidi, et meis oculis apprehendi, » annon est is qui maxime Deum non novit, qui eum qui sub aspectum non cadit, dicit esse aspectabilem, et in additamento cognitionis eam quoque, quæ haberi potest, eripit? Si quis autem dixerit eum sub visum non cadere, et neminem eum videre posse, annon is est qui scit maxime? Quid autem si quis dixerit eum comprehendi non posse, alius vero comprehendi : annon est hic quidem qui ignorat, ille vero qui novit? Annon vides Paulum quoque hac via ingredi, et dicere : « Ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus [2]? » Considera quot et quanta facta sunt, ut discceremus, non quæ sit Dei substantia, sed quod sit Deus. Hoc ergo Paulus quoque dicit : « Credere enim oportet, inquit, » accedentem ad Deum, quia est [3]. » Eum universa prædicat creatura. « Ex magnitudine enim, inquit, et pulchritudine creaturarum per proportionem consideratur crea-

[1] Gen. I, 27. — [2] 1 Cor. XIII, 9. — [3] Hebr. XI, 6.

» tor [1]; » Ipsa hominis constitutio, honores, qui a Deo dati sunt, supplicia, beneficia, varia in eo regendo consilia, quæ prædicta sunt per Prophetas, diversa miracula. Post hæc venit ipse Unigenitus, et admirabilem illam et stupendam peregit œconomiam, et tamen sunt nonnulli, qui quod manifestum est nondum didicerunt : et tu dicis te posse propria ratione comprehendere quanam is sit substantia? Deum ergo, inquit, ignoras? Absit, sed eum quidem esse scio : scio esse clementem, bonum, et misericordem, providentem, et omnium curam gerentem, et quæcumque alia dixerunt Scripturæ : quidnam sit autem substantia Dei, non novi. Adam quoque putavit se posse plus invenire, persuasus a diabolo, et id etiam, quod habuit, perdidit. Quod his quoque evenit, dum ducuntur humanis rationibus, et non audiunt Dominum dare sapientiam, et a facie ejus esse scientiam, et intelligentiam. Non audiunt Paulum dicentem : « Per Spiritum revelavit nobis et rationes expel» lentem [2]? Rationes, inquit, destruentes, et omnem altitu» dinem, quæ erigitur adversus scientiam Dei [3]. » Et alius Sapiens : « Rationes hominum timidæ : et labiles inventio» nes eorum [4]. Quid est homo, quia innotuisti ei? » Mente agita infinitam illam magnitudinem; imo vero ne cum eam quidem dico, loquor pro Dei dignitate : sed nescio quomodo loquar. Neque enim si magnitudinem in Deo dicamus, proprie loquimur. Sed quoniam non possumus aliter loqui, iis verbis quibus licuit, usus sum. Nam cum eum quoque voco altissimum, non eum loco circumscribo; sed ejus naturæ altitudinem et majestatem, quæ ubique diffusa est, et omnia pervadit, ostendo. Et ideo dicit : « Quid est homo, quia innotuisti ei? » Propterea enim eum quoque cit humilem, et magna ei largitus est, ne extolleretur,

[1] Sap. xiii, 5. — [2] 1 Cor. ii, 10. — [3] 2 Cor. x, 5. — [4] Sap. ix,

cum ut se moderate gerat, magnam necessitatem afferat naturæ vilitas. « Aut filius hominis, quia reputas eum? » Vidisti quanta sit Dei naturæ majestas? « Homo vanitati » similis factus est [1]. » Alius autem interpres, « Vanitati, » dixit « Vapori. » Nihil autem significat aliud, « Vanitati, » quam eum esse caducum, temporaneum, et vitæ brevis. In hoc loco tractatur de corpore. Et ideo dicebat Abraham: « Ego » autem terra et cinis [2]. » Esaïas autem, « Omnis caro fœ- » num, et gloria ejus quasi flos fœni [3]. » Quid est autem, « Vanitati similis factus est? » Nihilo, inquit : rerum enim humanarum nihil est firmum, nec stabile, sed omnia transeunt et prætercurrunt. « Dies ejus sicut umbra præter- » eunt [4]. » Hoc est, « Ne quando quidem adsunt, ullam vim habent, sed celeriter avolant. »

III. Id autem considera in rebus ipsis, eos apud te cogitans, qui sunt auctoritate prædili, qui curribus vehuntur, qui magistratus gerunt, qui in carcerem conjiciunt, et flagris cædunt. Quid enim illi ab umbra differunt, non solum tempore mortis, sed etiam ante mortem? Quando enim magistratus deposuerint, illa omnia omnino pereunt et avolant. Res autem veræ sunt postquam hinc excesserimus : vera tunc reddetur ratio, vera erunt supplicia, et bona similiter : et judex est qui minime falli potest. Quæ autem hic fiunt, sunt similia pueris ludentibus. Qui enim hodie judicat, die crastino judicatur : densæque et frequentes sunt rerum mutationes, et inæquales transitus. « Domine, » inclina cœlos tuos, et descende. Tange montes, et fumi- » gabunt [5]. » Alius, « Cum inclinasti cœlos tuos, et des- » cendisti, et tetigisti montes, fumigaverunt. » Et quænam est hæc verborum series? Magna certe, et quæ valde cohæret prioribus. Quoniam enim de vilitate humana locutus

[1] Psal. CXLIII, 4. — [2] Gen. XVIII, 27. — [3] Esaï. XL, 6. — [4] Psal. CXLIII, 4. — [5] Ibid. 5.

est, et ostendit quam sit natura nihili : hic rursus refrenat ac reprimit tumidorum arrogantiam per ea quæ subjunxit, hoc propemodum dicens : « Oportebat quidem ipsos ex seipsis perspicere naturæ vilitatem, et non sibi placere, magnosque spiritus sumere : sed quoniam nolunt, ex factis tuis ostende ad quantam humilitatem res eorum redierint. « Do » mine, inclina cœlos tuos, et descende. » Hoc dicit, non quod Deus descendat. Quomodo enim descenderet, qui ubique præsens est ? sed ut per hujusmodi humanas dictiones, crassiores auditores terreat : de his humano more loquitur. Nam contrectatio etsi magnum quid esse videtur, multo certe est Dei dignitate inferius. Non enim opus habet Deus contrectatione, ad id efficiendum, ut montes fumigent, imo vero ne nutu quidem, sed consilio tantum et voluntate. Postquam ergo dixit de vilitate hominis, dicit etiam de Dei potentia, quoad ejus potest fieri ab homine. Nam hæc quoque longe absunt ab illa majestate. « Fulgura » coruscationem, et dissipabis eos : emitte sagittas tuas, et » conturbabis eos [1]. » Fulgur hic et sagittas, non dicit hoc fulgur, nec has sagittas, sed ita vocat supplicia, ex iis quæ jam nota sunt, persuadens ei qui contemnit, et est piger ac negligens, ut tremat, revereatur, seque inclinet. Si enim fulgur ferri non potest, licet non mittatur ad supplicium, si suam puniendi potestatem voluerit movere, quis eam sustinebit ? Dei autem sagittæ sunt pestes, fames, fulgura, et multiplicia suppliciorum genera. « Emitte manum tuam » de alto : eripe me, et libera me de aquis multis, et de manu » filiorum alienorum [2]. » Non solum enim ad puniendum, sed etiam ad conservandum parata est Dei potentia. Magnum autem hic vocat opem auxilium : et ideo non dixit : « Extende, » sed « Emitte, » hoc significans : quod si etiam alicubi dicit : « Extende, » idem rursus significat. Aquas autem

[1] Psal. CXLIII, 6. — [2] Ibid. 7.

insolentem hostium irruptionem, et confusam, quæ magno impetu fertur. Quod enim de aquis non loquatur, ostendit id quod subjungitur : « De manu, inquit, filiorum alie-» norum. » Alienos autem filios mihi videtur hic dicere, eos qui a veritate sunt alienati. Quemadmodum enim fideles necessitudine conjunctos existimamus et fratres : ita etiam alienos, infideles : et hac maxime ratione, alienum a necessitudine conjuncto discernimus. Is enim mihi est propinquus et necessitudine conjunctus, qui eumdem sibi quem ego patrem ascribit, et est ejusdem mensæ particeps, potius quam is qui est mihi genere proximus : est enim hæc perfectior lex cognationis, quemadmodum etiam quæ ex contrariis fit alienatio, est apertior et evidentior ea quæ sit ex genere. Ne hoc ergo respexeris, quod sub eodem cœlo sumus, et in eodem orbe terrarum habitamus. Aliam enim communionem quæro, quæ cœlos superat. Illic nostra est conversatio et vita. « Vita enim nostra, in-» quit, abscondita est cum Christo in Deo. Neque enim » terram habitamus, sed commigravimus in supernam me-» tropolim [1]. » Aliam veram lucem habemus, aliam patriam, et cives alios et cognatos. Et ideo dicebat Paulus : « Non » estis utique hospites et advenæ, sed cives Sanctorum [2]. » Quomodo ergo dixit Christus Samaritanum esse proximum [3], etsi multo intervallo separatum. At non est, si spectetur naturæ ratio. Quando ergo beneficio afficere oportuerit, sit omnis homo tibi propinquus ; quando autem de veritate agetur, agnosce quis sit propinquus, et quis alienus. Etiamsi habeas fratrem eodem patre et eadem matre natum, et in lege veritatis tecum non communicaverit, sit tibi magis quam quivis Scytha barbarus. Sive autem sit Scytha, sive Sauromata, dogmata autem plene et perfecte sciverit, et idipsum quod tu crediderit, eo qui eodem utero

[1] Coloss. III, 3. — [2] Ephes. II, 19. — [3] Luc. X.

est editus, sit tibi propinquior, eaque ratione barbarum a non barbaro discernamus, non ex lingua, nec ex genere, sed ex anima, et ex mentis sententia. Ita enim maxime homo est, quando plene et perfecte tenet dogmata, et vi tam agit, quæ sapientiæ studio conveniat.

IV. Sed videamus deinceps quomodo hos descripsit alienos Propheta dicens : « Eripe me de manu filiorum alieno- » rum. Quorum os locutum est vanitatem, et dextera eorum » dextera iniquitatis [1]. » Vidisti quosnam dicat alienos : eos qui vivunt in scelere, eos qui amant iniquitatem, eos qui stulta loquuntur, eos qui nihil dicunt utile. Agnosce ergo alienos, ab ore, a factis : sicut Christus quoque dicit : « A » fructibus eorum cognoscetis eos [2]. » Sicut enim in castris multa dantur signa et symbola, ut si quando noctu prœliari contigerit, vel sublatus pulvis, ut nox videatur, effecerit, vel aliqua alia confusio et perturbatio evenerit, ne socium suum aspiciat tanquam hostem, nec hostem tanquam socium : etiam signa dat nobis hic Propheta : per quæ poteris discernere propinquum et alienum, nempe ex iis quæ loquitur, ex iis quæ facit dicens : « Quorum os » locutum est vanitatem, et dextera eorum dextera iniqui- » tatis. » Nunc enim est bellum, et pugna, et prælium nocturnum crudelissimum, dæmonibus ferientibus, desideriis insidiantibus, et ratiocinationibus insurgentibus. Sunt etiam eis, qui sunt mysteriis initiati, sua signa et symbola : et si dubitantes scire volumus, an quis sit profanus, an mysteriis initiatus, ea rogantes discamus : « Dextera eorum » dextera iniquitatis. » Quod igitur possit hoc esse gravius, quando quæ data est nobis ad auxilium, eam ad insidias convertimus? Ideo enim habemus dexteras, ut et nobis ipsis et aliis injuria affectis opem feramus, ut scelera de medio tollamus, ut iis quibus vis et damnum affertur, simus por-

[1] Psal. CXLIII, 8. — [2] Matth. VII, 16.

tus et refugium. Quomodo ergo eis venia dabitur, qui his armis utuntur non ad aliorum salutem, sed ad suam perniciem? « Deus canticum novum cantabo tibi [1]. » Quænam est rursus hæc consequentia? Maxima quoque hic est. Quoniam enim dixit : « Emitte manum tuam, » et eripe me, et disperge ipsos, » profitetur se quoque ei daturum mercedem auxilii, ex qua nihil quidem commodi accipiat cui datur, sed quæ ei qui illam offert, plurimum affert emolumenti. Quænam autem ea est? « Deus, canticum novum » cantabo tibi. » Si autem hoc est parvum, collatum cum magnitudine beneficii, atqui dedit id quod habuit. Nam nos quoque a pauperibus, et qui nihil possident, nihil aliud requirimus, quam laudem, et gratum animum. Sed nos quidem, ut evadamus clariores : Deus autem, non quod opus habeat, sed ut eos qui canunt, efficiat clariores, et ea ratione eos rursus beneficio afficiat. « In psalterio decachordo psallam tibi [2], » hoc est, « Agam tibi gratias. » Sed tunc quidem erant instrumenta per quæ cantica emittebant : nunc autem pro instrumentis possumus uti corpore. Possumus enim per oculos canere, non per linguam tantum, per manus, per pedes, et per aures. Quando enim unumquodque eorum ea facit quæ Deo gloriam et honorem afferunt, nempe quando oculus non impudice respexerit ; quando manus non ad rapinam, sed ad eleemosynam se extenderint ; quando ad Psalmos et conciones spiritales suscipiendas aures paratæ fuerint ; quando pedes ad Ecclesiam cucurrerint ; quando cor non dolos struit, sed charitate plenum est, fiunt membra corporis psalterium et cithara, et canunt novum canticum, non verbis solis, sed etiam rebus ipsis. « Qui dat salutem regibus [3]. » Neque enim castra, et multitudo militum, nec satellites, custodesque corporis, sed Dei auxilium servare solet. « Qui re-

[1] Psal. CXLIII, 9. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 10.

» dimit David servum suum [1]. » In communi locutus, jam de se loquitur, nec dicit : « Qui redemit : » sed, « Qui redimit, » ostendens perpetuam ejus providentiam.

V. Deinde rursus petit ea quæ prius petierat, assidue rogans et supplicans ut liberetur ab improbis hominibus, sic dicens : « De gladio maligno eripe me, et erue me de » manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vani- » tatem : et dextera eorum dextera iniquitatis. Quorum » filii sicut novellæ plantationes in juventute sua [2]. » Describit hic prosperitates mundanas et divitias : et ponit id quod est primum, habere filios florentes, et juveniliter exultantes, eosque utriusque sexus, subjunxit ergo : « Filiæ » eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi [3]. » Hic una cum juventute multum luxum ostendit, vittas earum mundumque muliebrem describit, quæ quidem oriuntur ex magna prosperitate. Deinde quod videtur esse secundum, fortasse autem nunc est primum, divitias rursus describit dicens : « Promptuaria eorum plena, eructan- » tia ex hoc in illud [4]. » Quid est : « Eructantia ex hoc in » illud? » Angusta promptuaria, inquit, non possunt capere divitias. « Oves eorum fœtosæ, abundantes in egressibus » suis. Boves eorum crassæ [5]. » Hæc quoque non videbatur parva felicitas. Apud antiquos enim in his sitæ erant divitiæ, in armentis, gregibus et seminibus, prius quam inventa esset hodierna inertia et mollities. « Non est ruina materiæ, » neque transitus, » hoc est : « In agris colendis magna adhibetur cura, diligentia et studium, cum fructus luxurient, sepes stent, vinea undique consita sit et munita. » « Neque clamor in plateis eorum [6]. » Alius : « In atriis » eorum. » Aliud genus prosperitatis ; sed non cum quibuscumque divitiis acquisitum ; nempe pax, tranquillitas, et

[1] Psal. CXLIII, 10. — [2] Ibid. 11, 12. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 13. — [5] Ibid. 14. — [6] Ibid. — [7] Ibid.

securitas ; nullus qui paret insidias, nullus qui bellum gerat, sed nec tumultus ullus, nec perturbatio. « Beatum dixerunt » populum, cui hæc sunt. Beatus populus, cujus Dominus » Deus ejus [1]. » Vidisti viri virtutem? Postquam omnes divitias adduxit, et eas verbis persecutus est, et deinde vulgi de eis sententiam attulit, ex his nihil ei humani accidit, nec eos esse beatos existimat qui hæc possident, sed his omnibus prætermissis, ad verum thesaurum suam extendit beatitudinem. Alii, inquit, eos qui hæc habent, beatos esse dixerunt : ego autem beatum existimo populum : « Cujus est Dominus Deus ejus : » hoc uno ostendens omnem felicitatem, omnes bonorum copias, omnes opes. Illa enim præterfluunt et prætereunt, hæc vero beatitudo manet perpetuo, cum pro ovibus, filiis, bobus, sepimento, et vinea, Dei beatitudo futura sit divitiæ, securitas, et murus inexpugnabilis. Cum ea ergo auditis, nullo eorum perturbemini ; sed umbras prætercurrentes, veritatem apprehendite. Prius enim dixit hominem similem esse vanitati, et dies ejus tanquam umbram præterire. Si videris ergo aliquos his omnibus affluentes, in scelere vitam agere, etiamsi universus terrarum orbis eos beatos judicet, tu eos esse infelices et miseros existima : eos autem qui se Deo dedicarunt, felices et beatos reputa. Nos vero omnes eas semper divitias quæramus, et hanc beatitudinem, ut et præsentia bona et futura consequamur gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Psal. CXLIII, 15.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXLIV.

Exaltabo te, Deus meus, rex meus : et benedicam nomini tuo in sæculum, et in sæculum sæculi[1].

I. Hic Psalmus diligenter attendendus est. Hic enim iis constat verbis, quæ qui sunt mysteriis nostris initiati, assidue succinunt dicentes : « Oculi omnium in te sperant, et » tu das cibum eorum in tempore opportuno[2]. » Qui enim filius factus est, et mensa spiritali fruitur, digne patrem gloria affecerit. « Filius enim, ait, glorificat Patrem, et » servus dominum suum timebit[3]. » Factus es filius, et mensa spirituali frueris, comedens carnem et sanguinem ejus, qui te regeneravit. Refer itaque gratiam pro tanto beneficio, et eum, qui hæc præbuit, gloria et honore affice : verbaque legens, compone mentem ad ea quæ dicuntur : et cum dicis : « Exaltabo te, Deus meus, rex meus, » ostende magnam familiaritatem et conjunctionem, ut de te etiam dicat Deus, sicut et de Abraham, Isaac, et Jacob : « Ego » sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob[4]. » Si dicas enim : « Deus meus et rex meus, » nec voce dicas tantum, sed hanc etiam ostendas charitatem, ipse quoque hæc de te dicet : « Servus meus et famulus meus. » Quod etiam de Mose dictum est. « Et benedicam nomini tuo in » sæculum, et in sæculum sæculi. » Vidisti quomodo osten-

[1] Psal. CXLIV, 1. — [2] Ibid. 15. — [3] Malach. 1, 6. — [4] Exod. III, 6.

dit vitæ futuræ proœmia? Benedictionem autem hic ostendit, non quæ fit per verba, sed quæ per res ipsas. Ita ergo exaltatur Deus, ita benedicitur. Ita etiam jubemur dicere in precatione : « Sanctificetur nomen tuum [1], » hoc est, glorificetur. « Per singulos dies benedicam tibi, et laudabo » nomen tuum in sæculum et in sæculum sæculi [2]. » Alius : « In sæculum, perpetuo. » Hoc est imprimis pii animi, a rebus, quæ ad victum pertinent, liberatum se hymnis dedicare. Turpe enim fuerit ut homo, qui est compos rationis, et omnibus, quæ videntur, præstantior, sit creatura in Dei laudibus inferior : non solum autem turpe, verum etiam absurdum. Quomodo autem non absurdum? siquidem ipsa quotidie atque adeo singulis horis emittit Domino glorificationem. « Cœli enim, inquit, enarrant gloriam Dei, et » opera manuum ejus annuntiat firmamentum. Dies diei » eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam [3]. » Sol, luna, varius astrorum chorus, et pulcherrimus ordo cæterorum omnium, suum prædicat opificem. Qui est ergo his omnibus præstantior, si hoc non faciat, sed etiam vitam agat quæ creatorem suum maledici procuret, quomodo erit is dignus ulla venia, aut quam poterit afferre sui defensionem, cum qui ideo factus est, ut Deo placeat, et regnum futurum consequatur, ejus quidem nullam ducat rationem, sed negotiis sæcularibus curisque mundanis se implicet? At hic non talis, sed per totam vitam offerebat Deo laudes, non solum verbis, sed rebus ipsis. Deo enim multa debemus, quod et cum non essemus fecerit, et quod tales creaverit, et factos regat et contineat, et quod quotidie tam privatim quam communiter provideat, nostrique curam gerat, idque clam et aperte, nobisque et scientibus et nescientibus. Quid enim opus est dicere quæ sub aspectum cadunt, quæ propter nos fecit? ministerium quod ipsa

[1] Matth. VI, 9. — [2] Psal. CXLIV, 2. — [3] Id. XVIII, 2, 3.

præbent, corporis constitutionem, animæ nobilitatem, quotidianam ejus œconomiam et administrationem, per miracula, per leges, per supplicia, variam, et quæ comprehendi non potest, ejus providentiam, bonorum omnium summam, quod ne Filio quidem suo pepercit propter nos, quæ jam data sunt per baptismum, per sacramenta, quæ danda sunt bona illa ineffabilia, regnum, resurrectionem, hæreditatem plenam omni beatitudine? Si quis enim unumquodque eorum enumeret, incidet in ineffabile pelagus beneficiorum, et videbit quot nominibus sit benigno Deo obnoxius. Non solum autem propter hæc, sed etiam propter majestatem ejus gloriæ, propter substantiam ab omni interitu alienam. Nam etiam propter eam debetur ei a nobis gloria et benedictio, et perpetua gratiarum actio, cultus et ministerium assiduum. Hoc ipsum ergo Propheta quoque significans dicebat : « Magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis[1]. » Quoniam enim dixit : « Benedicam et laudabo, » ostendit eum non egere nostris laudibus nec benedictionibus, nec ejus gloriæ aliquid accedere a laudibus eorum qui ministrant. Ejus enim substantia est ab interitu aliena, et eget nullo alio. Qui autem ipsum laudant, ipsi evadunt clariores. Non solum autem propter hoc, sed etiam propter excellentem ejus gloriam debetur ei a nobis laudatio, et ideo hoc significans dixit : « Magnus Dominus, et laudabilis nimis ; » hoc est, nullius indigens. Quid est : « Laudabilis ? » Dignus qui laudibus, encomiis et hymnis celebretur. Non est autem solum laudabilis, sed « Valde laudabilis : » et ideo hoc adjecit : cum autem quam sit laudabilis, verbis non posset exprimere, subjunxit : « Et magnitudinis ejus non est finis. » Quod quidam alius interpres dixit : « Inventio. » Quod autem dicit, est ejusmodi : « Quoniam magnum habes domi-

[1] Psal. CXLIV, 3.

num, sis quoque tu excelsus, et te expedi a rebus, quæ ad hanc vitam pertinent. Sume spiritus qui superent præsentium rerum humilitatem, non ut sis elato animo et insolens, sed magno et excelso animo. Aliud enim arrogantia, et aliud magnitudo animi. Est enim arrogans, qui propter res parvas se jactat, et conservos despicit; alto autem est animo, qui mente est humilis, et præsentis vitæ pompas nihil esse existimat.

II. Ubi nunc sunt qui dicunt se Deum ita nosse, sicut ipse seipsum novit? Audiant Prophetam dicentem : « Mag-» nitudinis ejus non est finis, » et erubescant de insania sua. « Generatio et generatio laudabit opera tua [1]. » Quod facere consuevit, hic quoque facit. Quando enim laudavit ejus magnitudinem et gloriam, venit etiam ad ejus celebranda opera. Hoc ipsum hic quoque facit, et dicit : « Ge-» neratio et generatio laudabit opera tua, » ostendens magnitudinem ejus ex operibus. Hoc est : « Non uno solum tempore facta sunt et præterierunt, neque in duobus aut tribus annis, sed per universum præsens sæculum extenduntur, ita ut unaquæque generatio ejus opera contempletur. » Hoc est enim : « Generatio et generatio : » Et quæ est, inquit, et quæ sequitur, et quæ post illam futura est, et quæ rursus post eam, et unaquæque earum quæ sequuntur : rursus creatura, quæ hoc omni tempore similiter extenditur, nempe cœlum, terra, mare, aër, lacus, fontes, fluvii, semina, plantæ, herbæ, et quæ ex iis capiuntur beneficia, naturæ cursus qui nunquam interrumpitur, imbres, et temporum vicissitudines certo ordine assidue procedentes, nox, dies, sol, luna, astra, alia omnia, et quæ præter hæc quotidie fiunt et privatim et communiter ad corrigendum et beneficio afficiendum universum genus hominum, quæ assidue Judæis eveniebant miracula, signa, providentia in

[1] Psal. CXLIV, 4.

frugum proventibus, providentia in victoria adversus hostes, providentia quæ est in aliis omnibus, qualia fuerunt in adventu Christi, qualia tempore Apostolorum, qualia tempore persecutionum, quæ quidem fuerunt antiquis longe plura et majora, qualia etiam nostra hac generatione. Nullum est enim tempus, quod etiam præter hæc communia non ferat signum ejus providentiæ. « Et potentiam » tuam annuntiabunt [1]. » Et per beneficia, inquit, et per supplicia. Non cessat enim omni ratione Deus omni tempore nostræ naturæ prospicere. « Magnificentiam gloriæ » sanctitatis tuæ loquentur, et mirabilia tua narrabunt [2]. » Alius : « Pulchritudinem laudis tuæ, et verba mirabilium » tuorum narrabunt. » Postquam dixit potentiam, ostendit etiam eam potentiam esse insignem et eximiam. Neque enim simpliciter, neque res vulgares fecit, sed omnia tam admirabilia et tam incredibilia perpetuo fecit, plus quam capere possit humana natura operans, ut quæ fiunt, sint plena miraculo et gloria. Considera ergo quæ in Ægypto, quæ in Palæstina facta sunt, tempore Abrahæ, Isaac, et Joseph; rursus quæ in Ægypto tempore Mosis, quæ in solitudine, quæ post ingressum; denuo quæ in captivitate, quæ sub Nabuchodonosor, quæ in fornace, quæ in leonibus, quæ in reditu, quæ in Prophetis. Hæc enim omnia prædicabant ejus, qui fecit, virtutem, gloriam, majestatem, afferentia magnum stuporem et admirationem. « Et virtu- » tem terribilium tuorum dicent, et magnitudinem tuam » narrabunt [3]. » Per hæc ostendit esse perfectam ejus potentiam ad benefaciendum, ad puniendum, et omnia quæ enumerata sunt, utrumque complecti. Hoc autem potest videri non solum in iis quæ tunc evenerunt, sed etiam in creaturis, et utriusque beneficii multa esse instrumenta, utpote rerum quidem terribilium, fulgura, tonitrua, fulmi-

[1] Psal. cxliv, 4. — [2] Ibid. 5. — [3] Ibid. 6.

na, igneos turbines, pestem, nives, grandinem, rubiginem, gelu, incendia, inundationes; in reptilibus, dracones, scorpios, serpentes; in volucribus, locustam; et in iis quæ sunt abjecta et vilia, cynomyiam, erucam : quæ ipsa quoque sunt providentiæ, et quæ homines convertant, a socordia liberent, a profundo somno excitent, a veterno ad vigilantiam traducant. Non solum autem in his, sed etiam in contrariis est virtus ejus perfecta. Et ideo cum nos hæc vellet docere, postquam dixit : « Virtutem terribilium tuo-» rum dicent, et magnificentiam tuam narrabunt, » subjunxit : « Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructa-» bunt. » Alius : « Bonitatis tuæ. Et justitia tua exultabunt [1]. » Quod alius dixit interpres : « Et misericordias tuas lauda-» bunt. » Nos autem quemadmodum terribilia enumeravimus, ita etiam necesse est dicamus eorum contraria ; nempe in iis quæ videntur, et quæ circa nos sunt, annuas temporum vicissitudines, dies, hortos, prata, flores varios, aquam dulcem et potabilem, commoda quæ capiuntur ex imbribus, terræ partus, varios fructus, diversas arbores, suaves ventos, solarem radium, lunarem lampadem, varium astrorum chorum, quietam et tranquillam noctem; et in brutis, oves, boves, et capras : et in agrestibus, capreas, cervos, lepores, et alia plurima : et in volucribus, aves indicas. In ipsis operibus videri potest non solum puniens, sed longe etiam amplius beneficio afficiens quam puniens. Et illa quidem terroris gratia, et si ea aliquando revera intentaverit, id facit propter eos qui adeo stupidi sunt, ut metu non corrigantur. In his autem est munificus et splendidus, hisque reipsa afficit non solum dignos, sed etiam indignos.

III. Varians ergo nostram salutem, modo hæc, modo illa facit, et hæc sæpius quam illa, quoniam hæc sola desi-

[1] Psal. CXLIV, 7.

derat. Propterea enim gehennam minatus est, non ut eam infligeret, sed ne infligeret : et illam quidem paravit diabolo : « Ite enim, inquit, in ignem, qui paratus est dia» bolo [1] : » regnum autem hominibus, ostendens se nolle hominem intrudere in gehennam. « Misericors et miserator » Dominus, patiens et multum misericors. Suavis Dominus » universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus [2]. » Vides Prophetam immorari in his melioribus, et prolixiori uti oratione. Novit enim Dei opes in his maxime consistere. Neque enim licuisset conservari, nisi magna fuisset ejus clementia : non licuisset manere, nisi ejus magnam essemus experti bonitatem. Et ideo dicebat : « Ego sum qui de» leo iniquitates tuas, et in tuis peccatis te defendi [3]. Mise» rator et misericors Dominus. » Vide quomodo ostendit ineffabilem ejus clementiam. Non solum enim miseretur eorum qui peccant, sed etiam aliud ostendit non parvum genus clementiæ, nempe lenitatem et patientiam, ut veniant ad pœnitentiam, et cum ejus clementia a suo quoque conserventur studio et diligentia, et ex suis factis fiduciam habeant. Non est autem solum misericors, sed etiam multum misericors, ostendens tantam misericordiam non posse mensura comprehendi, sed nec ullo explicari sermone. Sed tamen per ea quæ deinceps consequuntur, quoad ejus fieri potuit, ostendit, cum subjunxit : « Suavis Domi» nus universis, et miserationes ejus super omnia opera » ejus [4]. » Quid est, « Universis? » Etiam peccatoribus, inquit, et iis qui vivunt scelerate. Non solum enim justi, et ii qui se recte et ex virtute gerunt, aut qui ducuntur pœnitentia, sed etiam omnes, per ea quæ patiuntur, ejus misericordiam prædicant et bonitatem. Et si quis me roget, cuinam fuit bonus, dicam : « Non Abel soli, sed etiam

[1] Matth. xxv, 41.— [2] Psal. cxliv, 8, 9.— [3] Isaï. xliii, 25.— [4] Psal. cxliv, 9.

Caïno : non soli Noë et ejus liberis, sed iis etiam quos diluvium obruit. » Quæcumque enim facit, procedunt a misericordia, et clementia. Et ut scias, quomodo sit in omnes bonus et clemens, illud hinc considera. Quantæ fuit, quæso, benignitatis, illum fratricidam, qui cædem ejusmodi fecerat, qui dextram suam fœdaverat, et qui Dei leges conculcaverat, tali tradere supplicio, quod admonitio sit potius quam pœna? ut et per longitudinem temporis illum expiaret a peccato, et alios doceret et castigaret per ea quæ ille patiebatur. Quantæ erat, quæso, benignitatis, eos qui gravissimo et incurabili morbo laborabant tempore diluvii, et nec minis, nec rationibus, nec ullo alio correcti fuerant, a scelere cohibere, et communi naturæ debito uti pro medicamento, levissimumque mortis genus, nempe per aquam, infligere? Illud autem, « Universis, » non in his solum cernitur, sed etiam in omnibus quæ videntur, in animalibus, in brutis. Quinetiam si quis ad ipsos Angelos ascenderit et Archangelos, videbit plurimum benignitatis, et multam misericordiam : singulis enim in operibus multa relucet humanitas ; quod ipse quoque animadvertens, subjunxit : « Confiteantur tibi, Domine, opera tua, et Sancti tui bene» dicant tibi [1], » hoc est, « Gratias tibi agant, laudes emittant, et quibus sermonis decus datum est, et quæ vocem non habent. » Etenim unumquodque eorum quæ voce carent, ita factum est, ut per suam naturam benedictionem emittat, quamvis muta sint, per homines nempe qui ea vident, et iis fruuntur. Et illa quidem per suam substantiam, homines autem per vitæ suæ institutionem, et per actionem. Et ideo id significat per hoc quod subjungit, dicens : « Sancti tui » benedicant tibi. » Sanctos autem hic vocat, qui Dei jussa implent, ad quos peccatis et nequitiæ nullus datur aditus. « Gloriam regni tui dicent [2]. » Quid est, « Gloriam dicent ?»

[1] Psal. CXLIV, 10. — [2] Ibid. 11.

Quod nulla re indigeas; quod sis benignus et clemens; quod cum iis quibus præes nulla ex parte egeas, tantam ostendas in eos providentiam; quod ad tuam lucem accedi nequeat; quod sit substantia tua ineffabilis, et quæ comprehendi nequeat. « Et potentiam tuam loquentur [1], » hoc est, vires canent insuperabiles. Non quod tibi opus sit his hymnis et laudibus, sed propter ipsos qui dicunt, et ut alios doceant, ac laudum faciant participes: quam ob causam adjecit: « Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, » et gloriam magnificentiæ regni tui [2]. » Per hæc ostendit eum laudes admittere, ut alii ejus cognoscant potentiam. Magna est ergo potentia, magna gloria, magnum decus atque adeo ineffabile, quod non solum omnem superat orationem, sed etiam vincit omnem mentem. Sed cum tantum sit et tam ineffabile, opus habet iis quid id doceant propter multorum amentiam. Nam sol quoque est sidus longe clarissimum, et tamen qui oculis laborant, ejus lucem non vident: ita etiam Dei providentia est quidem quovis sole clarior, sed quibus perversa est ratio, et quibus obstructæ sunt aures, magna diligentia opus habent, ut mens eorum aperiatur.

IV. De his ergo doctrina est eorum auribus perpetuo infundenda. Deinde quoniam dixit regni gloriam et magnificentiam, et cum non satis eam explicasset, præteriit; rursus repetit, et quantum ei conceditur, dicit quid sit gloria, subjungens: « Regnum tuum, regnum omnium sæ» culorum [3]. » Non præsentium, inquit, solum, sed futurorum etiam: est enim interminatum, infinitum, et solum habet æternitatem. « Et dominatio tua in omnem genera» tionem et generationem [4]. » Ex hoc vide eam nullum habere finem. Per universum orbem terræ, per omnia sæcula, per omnia tempora est extensa. « Fidelis Dominus in

[1] Psal. CXLIV, 11. — [2] Ibid. 12. — [3] Ibid. 13. — [4] Ibid.

» omnibus operibus suis [1]. » Postquam dixit regnum esse infinitum, stabile, firmum, et immobile, dicit etiam quam sint ejus verba firma. Illud enim, « Fidelis, » est firmus et verus. Si est autem fidelis, erunt omnino quæ ab eo dicta sunt. Quemadmodum autem ejus regnum est immobile, et fine caret : ita etiam ejus verba sunt firma. Neque ergo illud unquam interrumpitur, nec hæc unquam excidunt. Si autem non excidunt, oportet ipsas res omnino consequi. Quod si etiam alicubi dixit aliquid quod non factum est, ipsum quoque ejus veritatem indicat. « Ad » summam enim loquar super gentes et regnum, ut diruam » et eradicem : et si pœnitentiam egerint de vitio, ego » quoque agam pœnitentiam de iis quæ locutus sum ut » facerem eis [2]. » Et de bonis similiter : « Bona loquar, » inquit, et si mutati fuerint, ego quoque mutabo ea quæ » de illis dicta sunt [3]. Et sanctus in omnibus operibus suis. » Quid est, « Sanctus? » Inculpatus, rectus, purus, mundus, ab omni reprehensione alienus, qui nullam ulli omnino præbet ansam. « Allevat Dominus omnes qui corruunt, et » erigit omnes elisos [4]. » Postquam de regno dixit id esse infinitum, de verbis ea esse vera, de factis ea non posse reprehendi, et de gloria et de magnificentia, dicit rursus de clementia, id quoque esse maximam regni sui gloriam, quod non stantes solum contineat, sed etiam qui sunt casuri, non permittat ut id eis accidat, et qui jacent, erigat : et quod est magis admirabile, non huic aut illi, sed omnibus id faciat, licet sint servi, licet pauperes, licet obscuri, licet ex obscuris orti. Est enim omnium Dominus, nec eos qui jacent prætercurrit, nec eos qui labant despicit. Hoc fecit simul in universa natura, hoc etiam facit in unoquoque. Quod si qui ex iis, qui jacent, non surgunt,

[1] Psal. CXLIV, 13. — [2] Jer. XVIII, 7, 8. — [3] Ibid. 10. — [4] Psal. CXLIV, 14.

non in causa est is qui vult erigere, sed qui nolunt surgere. Nam Judam quoque, cum cecidisset, voluit erigere : et ut surgeret, nihil non fecit, sed ille noluit. David, certe cum cecidisset, erexit, et firmum reddidit. Petrum, cum esset casurus, retinuit. Audi autem quomodo : « Simon, » Simon, inquit, ecce expetivit vos Satanas cribrare tanquam » triticum, et ego rogavi pro te, ne deficeret fides tua [1]. » Deinde dicit aliud quoque genus beneficii : est enim varia et multiplex ejus cura et providentia. « Oculi omnium in » te sperant, Domine, et tu das escam illorum in tempore » opportuno [2]. » Vidisti quomodo ostenderit cum esse bonum omnibus, et miserationes ejus esse super omnia opera ejus, ut dictum est in Evangeliis : « Qui solem suum oriri » facit super malos et bonos, et pluit super justos et in- » justos [3], » hic idipsum significat, cum dicit : « Et tu das » escam illorum in tempore opportuno. » Neque enim imbres, terra et aër, sed ejus jussus solet fructus producere. Illud, « In tempore opportuno, » hoc significat. Omnia sunt certis definita temporibus, et diversis vicissitudinibus producuntur. Hoc enim maxime ostendit ejus sapientiam, quod non omnia simul et eodem tempore, sed per totum annum alimenta dividat, ut quiescat agricola, et quæ gignuntur non intereant. Illud ergo, « In tempore » opportuno, » vel id significat quod ante diximus, fuisse singula suis dispertita temporibus : vel cum dare cibum iis qui indigent, et laborant inopia. Et quomodo dixit, inquies, « Oculi omnium in te sperant? » Atqui multi sunt qui dicunt ea, quæ sunt, esse casu, ut ii qui sunt impii. Dicit hic ipsius rei naturam, ut eam alibi, quando ait : « Pullis corvorum invocantibus ipsum [4], » etiamsi sint animantia rationis expertia. Et rursus, « Catuli leonum

[1] Luc. XXII, 31, 32. — [2] Psal. CXLIV, 15. — [3] Matth. V, 45. — [4] Psal. CXLVI, 9.

» rugientes ut rapiant et quærant a Deo escam sibi [1]. » Atqui hi quoque sunt a ratione alieni, nec ipsi quærunt. Sed hic quoque dicit rei naturam, nec ex illorum animi instituto, sed ex eorum quæ fiunt natura hoc dicendum est. « Aperis tu manum tuam, et imples omne animal » beneplacito [2]. » Manum dicit operationem, et suppeditatricem facultatem : per omnia te docens, non in elementis, sed in Dei providentia esse sitas fructuum generationes. Vel etiam ostendens facilitatem, dicit illud: « Aperis tu » manum tuam. » Quoniam enim qui tunc erant, principali causa relicta adorabant aërem et solem, et existimabant ea esse illa quæ fructus præbebant : extollens eos ad supernum principium, et eorum auctorem ac dominum, hæc frequenter adducit, ostendens ex illius manu, id est ex illius cura et providentia, omnia bona fluere.

V. Benedictione autem, hoc est beneplacito, implere hic dicit, quoniam implet unumquodque animal voluntate sua ei placente. Non enim dat absolute alimentum, sed prout est cuique utile, pro cujusque desiderio, quantum ad eum explendum satis est. Hoc est autem quod dicit : » Et brutis, et hominibus, atque adeo omnibus das, ut est cuique gratum, ut est cuique cordi : nec das solum, sed etiam imples, ita ut nihil desit ; propterea dicit : « Imples omne animal beneplacito. Justus Dominus in » omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis [3]. » Vias hic dicit ejus œconomiam, providentiam, curationem, per quam omnia finxit ac constituit. Omnia, inquit, opera ejus sunt encomia, plena miraculis, quæ nemini præbent ullam ansam reprehendendi, etsi nonnulli furant, et rabie agitentur. Opera ergo ejus tali sunt natura, ut fulgeant, ut resplendeant, ut ejus qui fecit, curam, providentiam, clementiam, justitiam, sanctitatem annuntient. « Prope

[1] Psal. cm, 21. — [2] Id. cxliv, 16. — [3] Ibid. 17.

» est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invo-» cantibus eum in veritate [1]. » Ecce etiam aliam providentiæ partem, quæ est caput bonorum. Postquam enim dixit quæ in commune data sunt etiam infidelibus, nempe alimenta et imbres, dicit etiam quæ privatim fidelibus data sunt. Quænam autem ea sunt? Prope eos esse, hoc est, defendere, curam gerere, amplius eis providere, esse eis benevolum, benignum, et propitium, et bona eis magis revelare. « Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem » eorum exaudiet, et salvos faciet eos [2]. » Atqui dicit quispiam: « Volebat Paulus angelum Satanæ ab se recedere, hoc est, tentationes, afflictiones, insidias, et non id fecit. » Imo vero fecit. Postquam enim cognovit se petere minime conducibilia, ut rursus vellet et vehementer vellet, Dei opus erat. Et ideo dicebat: « Mihi placeo in infirmitatibus, » in afflictionibus, in persecutionibus [3]. » Si autem prius volebat contraria, volebat propter ignorantiam. Postquam autem Deum hoc velle didicit, ipse deinceps lubenter acquiescit. Neque enim alia est Dei voluntas, et alia eorum qui ipsum timent, et si ipsi quoque aliqua volunt ut homines, postea corriguntur. « Custodit Dominus omnes di-» ligentes se, et omnes peccatores disperdet [4]. » Hæc quoque est non parva pars providentiæ, conservare, munire ac protegere, suam præbere providentiam. Peccatores autem dicit eos qui laborant morbo immedicabili, eos qui nolunt corrigi. Quod si etiam aliquos eorum, qui ipsum diligunt, sinit in mortem incidere, hæ quoque sunt partes custodientis: quod in Abel quoque accidit. Etsi enim eorum corpora interierint, animo tamen clariores evaserunt: recipient autem etiam corpora interitui non obnoxia. Postquam ergo dixit species ejus providentiæ, quantum

[1] Psal. CXLIV, 18. — [2] Ibid. 19. — [3] 2 Cor. XII, 10. — [4] Psal. CXLIV, 20.

ab eo dici poterant, communes, privatas, et quæ sunt Sanctorum, præcipue eorum qui vacillarunt, curam eorum qui jacent, providentiam, patientiam, peccatorum correctionem, Sanctorum custodiam, laude rursus concludit orationem, et universum orbem terræ vocat ad laudis communionem. « Laudationem Domini loquetur os meum, » et benedicat omnis caro nomini sancto ejus in sæculum, » et in sæculum sæculi [1]. » Vides quomodo ex bona affectione non eos solos vocat, qui beneficio afficiuntur, sed eos etiam qui puniuntur : nam hoc quoque est ejus providentiæ, non homines solum, sed etiam bruta, et elementa, et omnia insensilia ; omnia enim ejus bonitate plena sunt. Nec nos ergo intermittamus eum et verbis et factis assidue laudare, qui est adeo bonus, adeo benignus et clemens, et ubique suam extendit beneficentiam : ut et bona præsentia et futura consequamur gratia et clementia Domini nostri Jesu Christi : cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO I

IN PSALMUM CXLV.

Lauda anima mea Dominum. Laudabo Dominum in vita mea. Psallam Deo meo quandiu fuero [2].

I. Ubi desiit, inde rursus incipit, nempe a laudatione. Hoc enim non parum expurgat animum. Laudem autem dicit, ut frequenter dico, quæ factis exhibetur : quod etiam

[1] Psal. CXLIV, 21. — [2] Id. CXLV, 2.

dicit Christus : « Luceat lux vestra coram hominibus, ut » videant bona vestra opera, et glorificent Patrem vestrum » qui est in cœlis [1] : » et rursus Paulus : « Glorificate Deum » in corpore vestro, et in spiritu vestro [2] : » et quemadmodum dixit in præcedenti Psalmo, « Per singulos dies bene- » dicam tibi [3], » ita hic etiam, « Psallam Deo meo, quandiu » fuero. » Deinde cum vellet rursus habere homines ejus laudis socios, incidit in narrationem ejus benignitatis et clementiæ, desiderio incensus et inflammatus, universum orbem terræ percurrens, omnes homines in suum chorum cogens. Hoc est enim maxima laus, maxima Dei gloria, quando multos requirit futuros ejus salutis participes. « No- » lite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus » non est salus [4]. » Alius, « Ei qui non potest servare. » Audiant hoc consilium et hanc admonitionem, qui suspiciunt humana subsidia fluxa et caduca. Quid est autem : « In » quibus non est salus? » Ne propria quidem salus est in eorum potestate, nec se possunt defendere. Si enim mors advenerit, jacebunt magis muti quam lapides. Hoc enim est quod infert dicens : « Exibit spiritus ejus, et revertetur » in terram suam. In illa die peribunt omnes cogitationes » ejus [5]. » Alius, « Proposita ejus. » Quod autem dicit, est ejusmodi : « Qui seipsum non potest defendere, quomodo eripiet alios? » Nihil est enim æque infirmum et imbecillum, ut ea spes. Id autem ostendit ipsa rerum natura. Et ideo Paulus de spe in Deum disserens, dicebat : « Spes autem » non confundit [6]. » At non ita se habent res humanæ; sed sunt umbra imbecilliores. Ne mihi enim dixeris : « Est princeps : » princeps enim non est quolibet homine plebeio superior : est enim perinde incertæ conditionis, atque adeo si quid dicendum est admirabile, propter hoc ipsum maxi-

[1] Matth. v, 16. — [2] 1 Cor. vi, 20. — [3] Psal. cxlv, 2. — [4] Id. cxlv, 2, 3. — [5] Ibid. 4. — [6] Rom. v, 5.

me non est fidendum, quod sit princeps : sunt enim summopere lubrici et periculosi hi principatus : et si nullus ei casus accidat, est ad iram proclivis, et potestate ad nequitiam abutitur, ut rationem non redditurus ei qui promissionem accepit : et si probus gratusque fuerit, eo facilior esse poterit ejus casus quam privatorum, quo est pluribus et majoribus insidiis obnoxius, et eo facilius capi et expugnari poterit, quo plures habet insidiatores. Quid enim sibi volunt corporis custodes? Quid vero multa præsidia? Quomodo ergo, qui in civitate, quæ bonis legibus et institutis regitur, non est de corpore securus, sed in ea versatur tanquam in mediis hostibus, cui tot ostenduntur certamina et pericula, alios servare poterit? Qui cum sit pax, gravius timet, quam ii qui in bello versantur, quomodo poterit alios in tuto collocare, et liberare a periculis? Multis certe, qui poterant per se secure vivere, hoc exitii causa fuit, quod talibus confiderint, et cum illi cecidissent, hi quoque una sunt deturbati. Aliis autem custodes fuere proditores. His tamen omnibus prætermissis, quoniam multi evaserunt, id ponit Propheta de quo dubitari non potest, nempe mortem. Etsi enim omnia tibi recte successerint, et si sit, inquit, benevolus, gratoque animo, et sit gratiam relaturus; vita in mediis promissis finita, te in vana spe dimisit, quod vita ad exequendum promissum non sufficerit. Quando ergo ne vita quidem ei sufficit ad implendum promissum, sed ante eventum vita ejus interrumpitur, ad imbecillum et invalidum confugis auxilium. An nescitis hoc multis accidisse, et cum cecidisset adjutor, defensore nudatos, ex eo fuisse magis dejectos? Quanquam quid dico eorum promissa evanescere et interire, cum ne ipse quidem eorum Dominus et auctor maneat? « Revertetur » enim, inquit, in terram suam. » Si ille autem periit, multo magis hæc quoque. Et ideo subjunxit : « Peribunt in die

» illa omnes cogitationes ejus. » Ostendens non solum promissa non esse effectum sortitura, sed eum etiam, qui promittit, periturum. Quid ergo deinceps facit? Postquam a spe humana abduxit, ostendit deinceps tutum portum, et arcem inexpugnabilem, et consulit. Hic est enim optimus modus suasionis, abducere ab imbecillis, et ad valida deducere ; quæ vana sunt destruere, et quæ vera, stabilire ; refellere quæ decipiunt, et quæ juvant ostendere. « Beatus » cujus Deus Jacob adjutor ejus, spes ejus in Domino Deo » ipsius [1]. » Vidisti copiam consilii et adhortationis. Quando autem dicit beatitudinem, dicit omnia bona, et ostendit spei securitatem. Postquam ergo beatum dixit eum qui sperat in ipsum, dicit deinceps potentiam adjutoris, ostendens illum quidem esse hominem, hunc vero Deum : illum interire, hunc permanere : non eum autem solum, sed etiam ejus opera. Et ideo sic subjunxit : « Qui fecit cœlum et ter» ram, mare et omnia quæ in eis sunt [2]. »

II. Quod si ejus sunt opera perennia, multo magis ipse est et perennis et potens. Quod talis sit, ostendunt ea quæ ab eo facta sunt ejus vires. Quid tum autem si est et perennis, et potens, non vult autem? Multi enim stulti hæc dicunt. Sed vide quomodo hanc quoque aufert suspicionem. Cum enim dixisset : « Qui fecit cœlum et terram, » mare, et omnia quæ in eis sunt, » subjunxit. « Qui cus» todit veritatem in sæculum, facit judicium injuriam pa» tientibus [3]. » Quod autem dicit, est ejusmodi : « Hoc est ejus munus, hoc est ei familiare, hoc est maxime Dei proprium, non despicere eos quibus fit injuria, non eos contemptim præterire, qui aut probri aut damni aliquid accipiunt ; manum præbere iis quibus tenduntur insidiæ, idque in perpetuum. Et ideo dixit : « In sæculum, » hoc significans : non hoc autem solum, sed id etiam quod deinceps

[1] Psal. CXLV, 5. — [2] Ibid. 6. — [3] Ibid. 7.

sequitur. « Qui dat escam esurientibus. Dominus solvit » compeditos, Dominus sapientes facit cæcos. » Alius, « Illu» minat. Dominus erigit elisos. Dominus diligit justos. Do» minus custodit advenas, pupillum et viduam suscipiet : » et viam peccatorum disperdet [1]. » Vidisti quomodo ostenderit ejus providentiam esse per omnia extensam, et ejus esse partes, expedire a calamitatibus, fami afferre remedium, liberare e vinculis. Sed hæc quidem possunt etiam aliqua ex parte homines : quæ autem deinceps sequuntur, non itidem. Quod enim in natura est mancum, corrigit : erigit lapsos; eos, qui virtute clari sunt, laudat; eos, qui patrocinio carent, servat, et eos, qui orbitatem ac viduitatem ægre ferunt, consolatur et recreat. Deinde quoniam dixit: « Diligit justos, » ostendit eum multis opem tulisse propter solam calamitatem. Quos enim nutrit, nutrit eo quod esuriant, quod quidem non est virtutis; et eos, qui vincti sunt, absolvit propter vincula. Sed neque hoc est virtutis, sed calamitatis. Quinetiam illuminat cæcos propter cæcitatem : neque vero recte factorum est hoc, verum calamitatis. Ita etiam elisum esse, advenam, pupillum, et viduam. Quod si eos adjuvat, qui sunt in calamitatibus, multo magis eos qui student virtuti. Cum ergo et possit et velit, et sint apud Deum omnia perpetua, ac virtutem suscipiat misereaturque propter calamitates, cur non dimittis eum qui perit, eum qui est imbecillus, qui est interitui et morti obnoxius, et confugis ad eum qui est fortis et inexpugnabilis, qui non exprobrat calamitates, sed eis affert remedium, qui omnia quæ vult potest? Considera autem extremum quam accurate dixerit. Non dixit enim : « Disperdet peccatores, » sed « Viam ipsorum, » hoc est, eorum actionem. Non enim aversatur naturam, sed odio habet vitium. « Regnavit Dominus » in sæcula, Deus tuus Sion, in generationem et generatio-

[1] Psal. CXLV, 7-9.

» nem [1]. » Quod autem regnet perpetuo, et in æternum permaneat, minime est dubitandum : sed et si hic non dederit remunerationem, eam servat ad majora. Ne ergo conturbemur in tentationibus, si non e vestigio sequatur solutio, sed Domino permittamus tempus solutionis : nec si quid boni fecerimus, statim petamus remunerationem, sed ejus voluntatem rursus itidem expectemus. Quando enim differt, remuneratur uberius et plenius, et in omnibus gratias agamus, et eum laudare pergamus. Ita enim et præsentem vitam agemus securissime, et consequemur bona ineffabilia, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi : cui gloria et imperium cum principii experte ejus Patre et vivifico Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO II

IN PSALMUM CXLV.

Habita in magnam hebdomadam, in qua docetur cur ea magna hebdomada appelletur : et in illud, Landa anima mea Dominum [2]; *ac de custode carceris in Actis.*

1. Confecimus jejunii navigationem, et per Dei gratiam ad portum jam pervenimus ; sed ne ideo negligenter agamus, quod ad portum appulerimus ; imo ideo majorem curam adhibeamus, quia finem attigimus. Sic enim et gubernatores faciunt ; quando navem onerariam frumento atque immani mercium mole onustam ad portus ostium induc-

[1] Psal. CXLV, 10. — [2] Id. CXLV, 1.

turi sunt, anxie et sollicite curant, ne, post tanta transmissa maria, in scopulum impingens oneraria, cum totis mercibus demergatur. Ita et nos metuere et sollicitos esse par est, ne sub finem mercede laborum excidamus. Ideoque major adhibenda diligentia est : ita quoque se gerunt cursores : cum enim vident se prope bravia accessisse, tunc magis cursum accelerant; sic et athletæ, post mille certamina et mille victorias, quando coronarum tempus instat, tunc acrius insurgunt, ac nervos intendunt. Eodem modo et nos jam faciamus. Quod enim gubernatoribus est portus, quod cursoribus bravia, quod athletis coronæ, idipsum nobis est præsens hebdomada, caput bonorum, et jam de coronis certatur. Ideoque magnam illam vocamus, non quod illius dies majores sint aliis omnibus, sunt enim alii longiores; neque quod sint numero plures, pares quippe sunt : sed quod in ea a Domino res præclare gestæ sint. In hac quippe hebdomada, quæ magna dicitur, diuturna diaboli tyrannis soluta est, mors extincta est, fortis ille vinctus est, ejusque vasa direpta sunt, peccatum sublatum, maledictum solutum, paradisus apertus est, cœlum pervium factum, homines Angelis commixti sunt, medius paries maceriæ sublatus est, velum subductum, Deus pacis in cœlum et in terram pacem attulit. Ideo magna hebdomada vocatur : ac quemadmodum illa caput est cæterarum hebdomadarum, ita hujus caput est sabbatum magnum : ac quod in corpore caput, hoc in hebdomada sabbatum. Quamobrem in illa multi studia intendunt, alii jejunium augent, alii vigilias sacras, alii largiorem eleemosynam erogant, bonorum operum studio, et pie vivendi accuratione, beneficii in nos a Deo collati magnitudinem testificantes. Quemadmodum enim, quando Lazarum suscitavit Dominus, occurrebant illi omnes Jerosolymitani, ac multitudine sua testificabantur quod ille mortuum suscitavisset : nam

adventantium sollicitudo indicium erat miraculi; ita et nunc studium circa illam magnam hebdomadam, magnitudinis præclare in illa gestorum est indicium et argumentum. Neque enim ex una civitate egredimur, qui Christo hodie occurrimus, neque ex Jerosolymis solum; sed ex toto orbe populosissimæ Ecclesiæ undique egrediuntur Jesu occurrentes, non ramos palmarum tenentes et quatientes, sed eleemosynam, humanitatem, virtutem, jejunium, lacrymas, preces, vigilias, totumque pietatis genus Domino Christo offerentes. Non nos solum hanc hebdomadam veneramur; sed imperatores orbis nostri nec perfunctorie ipsam honorant, justitium indicentes omnibus publica urbium negotia tractantibus, ut curis vacui, hos omnes dies spirituali cultu prosequantur. Ideoque fori januas clauserunt. Cessent, inquiunt, lites, jurgia, omnisque concertationis ac supplicii genus. Quiescant tantisper carnificum manus. Communia sunt Domini præclara gesta: fiat etiam a nobis servis aliquid boni. Neque illo solo studio et honore ipsam venerantur, sed et alio non minore. Imperatoriæ enim litteræ mittuntur, quibus edicitur ut in carcere detentorum vincula solvantur. Quemadmodum enim Dominus noster, cum in inferis esset, eos, qui a morte detinebantur, omnes solvit; ita et servi, quæ in sua potestate sunt afferentes, ac Domini benignitatem imitantes, a sensilibus vinculis solvunt, cum non possint a spiritualibus.

II. Hanc et nos hebdomadam veneramur, et egressus ego vobiscum vice palmarum doctrinæ verbum proferens, duo minuta deposui instar illius viduæ. Egressi sunt tunc illi ramos palmarum gestantes, et clamabant his verbis: « Hosanna in excelsis: Benedictus qui venit in nomine » Domini [1]. » Egrediamur et nos, ac pro ramis palmarum propositum florentis animi exhibentes clamemus, quemad-

[1] Matth. XXI, 9.

modum hodie succinuimus : « Lauda anima mea Dominum : » laudabo Dominum in vita [1], » et illud verbum et hoc pariter davidicum est ; imo neque hoc neque illud est davidicum, sed utrumque divinæ gratiæ. Locutus quippe est Propheta, sed Prophetæ linguam excitavit Paracletus. Ideo inquit : « Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis [2]. » Quem admodum calamus non a seipso scribit, sed virtute manus ipsum moventis; sic et lingua Prophetarum non a seipsa loquebatur, sed ex Dei gratia. At cur non dixit : « Lingua mea ca» lamus scribæ, » tantum, sed, « Calamus scribæ velociter » scribentis? » ut discas spiritualem esse sapientiam : ideo magna facilitas, ingens cursus. Homines siquidem, cum a seipsis loquuntur, componunt, deliberant, cunctantur, multum temporis absumunt. Illic vero, quia tanquam a fonte verba scaturiebant, nihilque aderat impedimenti, sed cursum linguæ vincebant sententiarum fluenta, ideo dicit : « Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. » Manant inferius fluenta magna copia, inquit, idcirco multa celeritas. Non opus est nobis consideratione, non meditatione, non labore. Sed videamus quid dicat : « Lauda anima mea » Dominum. » Hæc et nos cum David psallamus hodie. Etsi enim ille corpore non adsit, sed adest spiritu. Quod autem Justi nobis adsint, et nobiscum psallant, audi quo pacto dicat Abraham ad divitem. Illo namque dicente : « Mitte Lazarum, ut fratres mei discentes ea quæ in inferno, » emendent sua gesta [3], » respondet illi, « Habent Moysen » et Prophetas [4]. » Atqui Moyses et Prophetæ jamdiu corpore mortui erant, sed per scripta sua illos habebant. Si enim posita filii aut amici inanimata imagine, ipsum adesse existimas, licet obierit, et per imaginem inanimatam ipsum tibi effingis; multo magis nos per divinas Scripturas, Sanc-

[1] Psal. CXLV, 1. — [2] Id. XLIV, 2. — [3] Luc. XVI, 24. — [4] Ibid. 29.

torum consortio fruimur, non corporum, sed animorum imagines habentes. Illorum quippe dicta, animarum ipsorum sunt imagines. Vis discere Sanctos illos vivere et adesse? Nemo mortuos testes advocat : sed Christus illos testes advocavit suæ Divinitatis, ac præ cæteris ipsum David, ut te doceret ipsum vivere. Judæis enim de se dubitantibus, dixit : « Quid vobis videtur de Christo? cujus » filius est? dicunt ei : David. Ille vero : Quomodo ergo Da» vid in Spiritu vocat eum, dicens : Dixit Dominus Domino » meo : Sede a dextris meis [1] ? » Vides quomodo vivat David? Nisi enim viveret, non vocavisset eum testem Divinitatis suæ. Nec dixit : « Quomodo David in Spiritu vocavit eum » Dominum; » sed « Vocat eum Dominum; » ut ostendat illum adhuc adesse, et per litteras loqui. Psallebat olim Psalmis, et nos hodie cum David. Ille citharam habuit ex nervis inanimatis : Ecclesia vero citharam habet ex nervis viventibus intensam. Linguæ nostræ sunt chordæ citharæ, quæ diversum sonum edunt, sed concordem pietatem. Nam mulieres, viri, senes, juvenes ætate quidem distincti sunt, sed hymnorum cantu non sunt distincti : cujusque enim vocem temperans Spiritus, unam in omnibus melodiam efficit, quemadmodum ipse David declaravit, omnem ætatem et utrumque sexum ad hunc concentum advocans : « Omnis spiritus laudet Dominum [2]. Lauda anima mea » Dominum. » Cur carnem reliquit? Cur corpus nullo modo alloquitur? Num animal in duo divisit? Nequaquam. Sed prius artificem excitat. Quod autem non sejunxerit corpus ab anima, audi quomodo alibi dicat : « Deus, Deus meus, » ad te de luce vigilo. Sitivit te anima mea, quam multi» pliciter tibi caro mea, in terra [3]. » Sed ostende mihi carnem ipsam ad hymnos advocari, ait ille : « Benedic anima » mea Domino, et omnia quæ intra me sunt nomini sancto

[1] Matth. XXII, 42-44. — [2] Psal. CL, 6. — [3] Id. LXII, 2.

» ejus [1]. » Vides etiam carnem concentus participem? Quid sibi vult illud : « Et omnia quæ intra me sunt nomini sancto » ejus? » nervi, inquit, ossa, venæ, arteriæ, et omnes internæ partes.

III. Quomodo possunt interiora nostra Deo benedicere, vocem non habent, os non habent, linguam non habent : anima quidem potest, interiora vero quomodo possint, cum nec vocem, nec os, nec linguam habeant, Deo benedicere? Quemadmodum « Cœli enarrant gloriam Dei [2]. » Quemadmodum enim cœli, non linguam, non os, non labia habent, sed aspectus pulchritudine obstupefacientes eos qui se contemplantur, ipso rei miraculo ad Opificem laudandum invitant; sic et interiora nostra, si ea animo percurreris : si videris differentiam qualitatum, operationis, virtutis, concentus, efformationis, positionis, numeri, harmoniæ, illud propheticum pronuntiabis : « Quam magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti [3]. Vides quomodo viscera, sine voce, sina lingua, Deum laudent? Cur ergo animam alloquitur? Ne lingua loquente, ipsa evagetur, quod sæpe in precando et hymnos cantando patimur, ut utrinque concentus sit. Cum enim inter orandum non audieris verba Dei, quomodo Deus audiet supplicationem tuam? Cum igitur dicit : « Lauda anima mea Dominum, » id significat, intus ex profundo cordis offerantur supplicationes : etenim Paulus ait : « Psallam spiritu, psallam et » mente [4]. » Musicus est quispiam optimus anima, artifex est : organum autem corpus, citharæ, tibiæ, et lyræ locum tenens. Alii igitur musici, non semper cum omnibus organis sunt; sed modo illa sumunt, modo deponunt : non enim perpetuo et omni tempore melodiæ vacant : quapropter non semper organa tractant. Deus autem docere

[1] Psal. ci, 1. — [2] Id. xviii, 2. — [3] Id. ciii, 24. — [4] 1 Cor. xiv, 15.

te volens, te eum semper debere et laudare et benedicere, artifici semper adjunctum instrumentum esse curavit. Quod enim semper laudare oporteat, audi quo pacto dicat Apostolus : « Sine intermissione orate, in omni gratias » agite [1]. » Quoniam igitur sine intermissione orandum est, sine intermissione instrumentum cum artifice est. « Lauda » anima mea Dominum. » Primo vox una id dicebat, nempe David; nunc vero quoniam mortuus est, innumeris linguis id loquitur, non nostris solum, sed etiam totius orbis. Vides-ne eum non mortuum esse, sed vivere? Quo pacto enim mortuus sit, qui tot linguas habet, et per tot ora loquitur? Magna plane res est laus : expurgat enim animam nostram, et multam nobis inserit religionem. Vis discere quanta sit erga Deum hymnorum vis? Hymnos canentes tres pueri, sic babylonicam fornacem restinxerunt; imo potius extinxerunt, sed quod longe mirabilius erat, flammam ardentem quasi lutum pedibus conculcabant. Hymnus iste in carcerem ingressus, vincula Pauli solvit, januas carceris aperuit, fundamenta concussit, terrore multo custodem carceris implevit. Nam media nocte, inquit, hymnos canebant Paulus et Silas [2]. Deinde vero quid factum est? Quid? novum plane quidpiam et inopinatum : vincula soluta sunt, vincti solutos alligarunt : atqui vinculorum natura est, ligatum firmiter stringere, et subditum tenere. Nunc vero custos carceris solutus ad pedes Pauli ligati venit. Vinculorum quidem sensilium natura est, vinctum detinere; vinculorum autem ob Christum tanta vis est, ut solutos vinctis subditos faciant. In custodiam interiorem ipsos conjecerat; et cum intus essent, exteriores portas aperuerunt. Pedes eorum ligno compediverat, et pedes eorum compediti aliorum manus solverunt. Deinde procubuit ante eum, inquit, custos carceris, metuens, tremens, gemens, anxius, lacry

[1] 1 Thess. v, 17, 18. — [2] Act. xvi, 25 et seqq.

mans. Quid actum est? Annon tu alligasti? annon tu in custodia tenuisti? Ecquid miraris, homo, si carcerem aperuit, quandoquidem potestatem accepit aperiendi cœlos? « Quæcumque ligaveritis, inquit, super terram, erunt li- » gata et in cœlis : et quæcumque solveritis super terram, » erunt soluta et in cœlis [1]. » Peccatorum vincula solvit; quid miraris si ferri vincula solvat? Dæmonum vincula solvit, animas ab illis vinctas liberavit, quid miraris si vinctorum catenas solvit? At vide duplex miraculum, solvit iterum et ligavit. Solvit enim vincula, ligavit autem cor illorum. Quod enim soluti essent ignorabant. Aperuit et clausit. Aperuit quidem carceris fores, clausit vero oculos cordis vinctorum, adeo ut non senserint januas esse apertas, nec libertate usi in fugam se darent. Vidisti ligantem et solventem, aperientem et claudentem?

IV. Ideo hæc noctu facta sunt, ut sine tumultu, et sine perturbatione res ageretur. Nihil enim per ostentationem vel per ambitionem faciebant Apostoli. Procubuit ante pedes ejus carceris custos. Quid igitur Paulus? Vidisti ejus miraculum? Vidisti ejus stupenda opera? Vide ejus sollicitudinem, vide humanitatem ; « Exclamavit et dixit : Nihil » tibi facias mali : omnes enim hic sumus [2]. » Eum qui se acerbe ligaverat, non sivit acerbe mori, immemor scilicet injuriæ. « Omnes enim hic sumus, » inquit. Vide quam esset a fastu alienus. Non dixit : « Hæc stupenda ego feci, » sed quid? « Omnes enim hic sumus. » Cum vinctis se connumeravit Paulus. Ille vero cum videret, quod gestum erat miratus est, de miraculo obstupuit, gratias egit Deo. Dignus vere erat multa sollicitudine et humanitate carceris custos. Non existimavit ea, quæ acta fuerant, esse præstigias : cur non existimavit esse præstigias? Audierat eos hymnos canentes Deo. Præstigiator autem nunquam celebrat Deum.

[1] Matth. xvii, 18. — [2] Act. xvi, 28.

Multos præstigiatores exceperat, quandoquidem custos carceris erat. Sed eorum nullus unquam talem rem perpetraverat, non solverat vincula, non ostenderat tantam sollicitudinem. Paulus enim vinciri optabat, nec fugit, ut eum a morte liberaret. Insiliit cum gladio præ manibus et face : volebatque diabolus eum nece a pœnitentia avertere ; sed sonora voce salutem ejus animæ prompte lucratus est Paulus. Non enim simpliciter clamavit, sed magna voce dicens : « Omnes hic sumus. » Admiratus est illius sollicitudinem carceris custos, procubuit ante vinctum solutus, et quid dicit? « Domini, quid me oportet facere, ut salvus fiam [1]? » Tu vinxisti, et tu in consilii inopia versaris? tu lignum firmavisti, et tu quæris pœnitentiæ et salutis modum? Vidisti fervorem? Vidisti sollicitudinem? Non distulit, sed quia metu solutus erat, non ideo solutus est erga beneficium; sed statim ad salutem accurrit animæ suæ. Nox erat, et media nox : non dixit : « Deliberemus, dies adveniat; » sed statim ad salutem cucurrit. « Magnus est hic vir, inquit, humanam transcendit naturam. Vidi illius miram potentiam, miratus sum humanitatem. Innumera a me passus mala, cum in extremis esset, me qui ligaveram in manus accipiens, cum necare posset, non modo nihil facit, sed cum me interficere, et gladium in jugulum adigere destinassem, me cohibuit. » Jure dicit : « Domini, quid me oportet facere, » ut salvus fiam? » Non enim miracula modo credentes ad Apostolos attrahebant, sed ante miracula vita. Ideo ait : « Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera » vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis » est [2]. » Vidisti fervorem custodis carceris? Vide Pauli fervorem : non distulit, non neglexit : sed in vinculis cum esset, et in ligneis compedibus, in plagis, statim cum mysteriis imbuit, et cum illo totam domum, ac post lavacrum

[1] Act. xvi, 30. — [2] Matth. v, 16.

spirituale, postque spiritualem mensam, carnalem (3) etiam ipsi apposuit. Verum qua de causa concussit carcerem? ut excitaret custodem carceris ad contemplationem actarum rerum. Solvit sensilia vincula vinctorum, ut solveret spiritualia vincula custodis carceris. Contrarium Christus fecit. Accessit ad eum homo paralyticus, duplici quadam paralysi affectus; aliam a peccatis, alteram a corpore. Primo paralysim peccatorum solvit, sic dicens : « Fili, remittuntur » tibi peccata [1]. » Deinde quia illi dubitabant, blasphemabant, dicebantque : « Nemo potest dimittere peccata, nisi » solus Deus [2], » volens ipsis ostendere se vere Deum esse, volens ipsos ex ore ipsorum judicare, ut dicere posset : « Ex ore tuo te judico [3]. » Tu dixisti, neminem posse dimittere peccata nisi solum Deum, ecce dimitto, inquit, peccata, et confitere Divinitatem meam. Ex tuo judicio calculum fero. Sed illic prior spiritualis, posterior sensilis; hic contra, primo sensilia vincula, deinde spiritualia sublata sunt. Vidisti-ne quanta sit vis hymnorum? quantum laus valeat? quantum precatio? Semper utique magna vis orationis. Quando autem cum jejunio emittitur precatio, potentiorem reddit animam. Nunc temperantia cogitationum magna apud nos est : nunc mens excitatur, supernaque omnia videt anima. Propterea semper Scriptura jejunio orationem adjunxit. Quomodo et quandonam? « Ne frau- » detis invicem, inquit, nisi quid ex consensu; ut vacetis » jejunio et orationi [4]. » Rursumque alibi, « Hoc genus dæ- » moniorum non egreditur, nisi in oratione et jejunio [5], » iterumque alibi : « Postquam orassent, inquit, et jejunas- » sent, imposuerunt illis manus [6]. »

V. Vides-ne ubique cum jejunio orationem? Tunc enim jucundior et probatior a lyra emittitur melodia. Non sunt

[1] Matth. IX, 2. — [2] Marc. II, 7. — [3] Luc. XIX, 22. — [4] 1 Cor. VII, 5. — [5] Matth. XVII, 20. — [6] Act. XIII, 3.

chordæ humidæ ebrietatis excessu solutæ, sed viget cogitatio, excitata est mens, vigil anima. Sic accedere ad Deum, et eum alloqui oportet solum cum solo. Nam si quando amicis rem necessariam aliquam dicere opus est, seorsim abstractos alloquimur; quanto magis erga Deum hoc præstandum est, ingressos scilicet in cubiculum cum multa quiete : et prorsus omnia consequemur, si utilia petamus. Etenim ingens bonum est oratio, quando cum grata et vigile anima emittitur Quomodo autem grata fuerit? si nos ita instituamus, ut non modo cum accipimus, sed etiam quando non auditi discedimus, gratias agamus Deo. Nam aliquando concedit Deus, aliquando minime. Utrumque autem utiliter agit; ita ut sive acceperis, sive non, etiam in non accipiendo accipias; sive voti compos sis, sive non, voti tamen compos fias. Est enim aliquando utilius non consequi quod petimus, quam consequi. Nam nisi nobis utile sæpe esset non accipere, semper ipse daret : non esse autem voti compotem utiliter, illud est esse voti compotem. Ideoque differt sæpe petita concedere, non ut nobis moras afferat, sed ut procrastinatione doni ad assiduam et perennem supplicationem sapienter inducat. Quia enim sæpe postquam accepimus ea quæ petiimus, precandi curam ponimus, ut nostram in precationibus vigilantiam adaugeat, donum differt. Sic et prolis amantes patres faciunt, qui segnitiei deditos pueros suos, qui ad pueriles lusus accurrunt, sæpe maximi doni pollicitatione apud se retinent. Ideoque aliquando differunt; aliquando penitus non dant. Accidit enim nonnunquam ut noxia petamus. Qui vero quæ nobis utilia sunt magis quam nos cognovit Deus, non annuit orationibus nostris, id quod in nostram vertit utilitatem, etiam nobis ignorantibus, procurans. Et quid mirum, si nos non audiamur, quando illud etiam Paulo accidit? Etenim ipse sæpe cum petiisset, voti compos fac-

tus non est : ac non modo non mœrore affectus est, sed etiam gratias Deo retulit. « Propter quod, inquit, ter Do- » minum rogavi [1] : » Illud vero, « Ter, » sæpe significat. Quod si Paulus, postquam sæpe petierat, non impetravit; multo magis nobis perseverandum est. Sed videamus, quia postquam sæpe petierat non accepit, quomodo affectus erat, quod voti compos factus non esset. Non modo non doluit, sed etiam gloriabatur, quod non accepisset. Cum dixisset enim : « Propter quod ter Dominum rogavi, et dixit mihi : » Sufficit tibi gratia mea : nam virtus mea in infirmitate » perficitur [2]; » sic pergit : « Libenter igitur gloriabor in in- » firmitatibus meis [3]. »

VI. Vidisti-ne gratum famuli animum? petiit ab infirmitatibus liberari, et non annuit Deus : ac non modo non doluit Paulus, sed etiam gloriatur in infirmitate. Eodem quoque modo et nos animas nostras disponamus, sive dederit Deus, sive non dederit ea quæ petimus, pro utroque gratias agamus Deo. Utrumque enim ad nostram utilitatem facit. Si dandi potestatem habet, igitur habet et dandi quando vult, et quod vult, atque etiam non dandi. Tu non nosti ea quæ tibi prosunt, ut ille clare novit. Sæpe postulas noxia et damnosa. Ille vero salutem tuam magis quam tu curans, non attendit petitioni; sed etiam ante quam preceris, quid tibi conducat ubique prospicit. Si enim carnales patres puellis suis petentibus non omnia largiuntur; non quod illos despiciant, sed quia maximam eorum curam gerunt; multo magis Deus, qui plus amat, et plus quam omnes quid sit utile novit, idipsum præstat. Precibus ergo vacemus assidue, non die solum, sed etiam noctu. Audi enim quid dicat ipse Propheta : « Media nocte surgebam » ad confitendum tibi super judicia justitiæ tuæ [4]. » Rex tot detentus curis, populorum, urbium, gentium imperio

[1] 2 Cor. xii, 8. — [2] Ibid. 9. — [3] Ibid. — [4] Psal. cxviii, 62.

potitus, pacem curans, bellis perfunctus, negotiorum immensam molem sibi astantem semper videns, qui ne tantillum quidem respirare poterat, non modo dies, sed etiam noctes orationibus insumebat. Quod si rex, qui in tantis deliciis vivebat, tot affectus curis, tot negotiis circumstantibus, ne noctu quidem quiescebat, sed diligentius quam ipsi monachi in montibus degentes, preces assidue fundebat : quam, quæso, veniam nos consequemur, qui in multa libertate vivimus, ac privatam negotiisque vacuam vitam elegimus, quique non modo tota nocte somno obruimur, sed ne in die quidem cum debita vigilantia consuetas orationes persolvimus? Magnum telum oratio : magnus ornatus precatio, tutela, portus, thesaurus bonorum, ac divitiæ quæ abripi nequeant. Quando homines precamur, sumptu pecuniarum opus habemus, adulatione servili, multis circuitionibus et negotiationibus. Sæpe enim non ipsos dominos recta adire, ab iisque gratiam petere licet; sed necesse est prius ministros et dispensatores, curatoresque illorum, pecuniis, verbis, omnique modo delinire, ut illorum opera postulata recipias. Apud Deum autem non ita res se habet : neque tam facile ab aliis rogatus, quam a nobis ipsis, gratiam concedit. Et hic quidem, tam cum qui accipit, quam cum qui non accipit lucrari contingit : apud homines autem in utroque plerumque lædimur. Quoniam igitur majus lucrum et major facilitas adest iis qui ad Deum accedunt; ne orationem despiciamus. Tunc enim tibi magis conciliabitur, tunc magis petita concedet, cum tu per teipsum rogaveris, cum puram adhibueris mentem, cum vigilem rationem, cum non perfunctorie oraveris, quod agunt multi, quorum lingua orationis verba profert, mens autem sæpe in domo, in foro, in viis pervagatur. Hoc vero totum est diaboli machinamentum. Quia enim novit nos illo tempore posse veniam peccatorum consequi, volens

nobis orationis portum obstruere, illo tempore insurgit, mentem a verbis depellens et amovens, ut damnum potius quam lucrum referentes abeamus. Hæc itaque cum scias, homo, cum ad Deum accesseris, cogita ad quem accedas. Sufficitque tibi ad vigilantiam, fides ejus a quo gratiam expectas. Respice in cœlum, et cogita quem alloquaris. Si enim quis hominem alloquens, humanis honoribus tantillum sublimem, etiamsi omnium negligentissimus sit, omnino tamen seipsum excitat, et mentem vigilare jubet; multo magis si cogitemus nos cum Angelorum domino colloqui, hinc idoneum attentionis argumentum sumemus. Quod si et alia methodus aperienda sit, qua poterimus hanc segnitiem depellere, hoc dixerim : sæpe completa oratione, nec auditis iis quæ dicebamus, discessimus : si ergo illud cogitemus, statim orationem resumamus; si illud ipsum iterum contingat, etiam ter et quater ipsam repetamus, neque prius ab oratione discedamus, donec illam totam vigili mente protulerimus. Si hoc senserit diabolus, nempe nos non prius discedere, quam illam studiose et vigili animo protulerimus, ab insidiis demum abscedet, sciens sibi nihil amplius per insidias suas profuturum, quam quod nos cogat sæpe eamdem orationem repetere. Multa, dilecti, quotidie vulnera accipimus, a domesticis, ab extraneis, in foro, domi, a publicis negotiis, a privatis, a vicinis, ab amicis. Omnibus illis vulneribus remedia adhibeamus orationis tempore. Potest enim Deus, si vigili mente, ardenti animo, ferventique conscientia accesserimus, et veniam petierimus, omnium nobis delictorum veniam concedere, quam utinam omnes consequamur gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria cum sancto Spiritu in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXLVI.

Laudate Dominum, quoniam bonus est Psalmus [1].

I. Superius quidem in centesimo quadragesimo quarto Psalmo dixit : « Magnus Dominus et laudabilis valde [2], » et multa illic de gloria disseruit : hic autem ostendit ipsum etiam laudare bonum esse, et Psalmum esse causam bonorum innumerabilium. Meniem enim a terra abducit, animumque erigit et in altum evehit, levesque et sublimes efficit. Et ideo dicit Paulus : « Canentes et psallentes in » cordibus vestris Domino [3]. Deo nostro jucunda sit lau- » datio [4]. » Alius, « Alleluia, quoniam bonum est canticum » Deo. » Quid est, « Deo nostro jucunda sit laudatio? » Sit, inquit, accepta. Non satis est enim tantummodo canere, ut sit Deo jucunda laudatio, sed opus est et vita, et precatione et accurata attentione canentis. Mihi autem videtur hic Psalmus esse reversionis. Ostendit autem id per hoc quod subjungit, dicens : « Ædificans Jerusalem Dominus, » dispersiones Israël congregabit [5]. » Etsi enim eos dimisit Cyrus, non ex illius sententia, sed ex Dei ope totum hoc profectum est. Alius autem interpres, pro eo quod est, « Ædificans, ædificabit. » Dispersiones vero, « Expulsos. » Quanam de causa? Quoniam non omnes simul reducti sunt, sed post reversionem paulatim coacti sunt. « Qui sanat

[1] Psal. CXLVI, 1. — [2] Id. CXLIV, 3. — [3] Ephes. V, 19. — [4] Psal. CXLVI, 1. — [5] Ibid. 2.

» contritos corde, et alligat contritiones eorum [1]. » Alius, « Confracta ipsorum. » Cum non haberet ex vita sua fiduciam, adducit rursus calamitatem, et Dei consuetudinem. Est enim ejus munus, et hoc ejus proprium, eos, qui sunt dejecti et afflicti, consolari : quemadmodum quando dicit Paulus : « Qui vivificat mortuos [2]. » Et rursus : « Qui vocat » quæ non sunt, tanquam quæ sunt [3] : » dicens proprium ejus munus : ita hic etiam, « Qui sanat contritos corde, » dicit, ostendens, etiamsi indigni simus, quoniam opus ejus sumus, eum facturam suam non relicturum, a sua consuetudine non recessurum. Ita etiam Paulus, « Sed qui » consolatur humiles, nos consolatus est [4]. » Et rursus : « Qui » dat iis, qui sunt pusillo animo, patientiam. » Quinetiam hic ipse quoque Propheta alibi, « Cor contritum et humi- » liatum Deus non despiciet [5]. » Quando volueris consolationem assequi, redde teipsum humilem, animum tuum contere. Hoc ergo dixit de ejus voluntate, benignitate, et clementia; ejus scilicet esse munus, illos consolari qui sunt in calamitatibus. Quod autem sequitur, de potentia. « Qui numerat multitudinem stellarum [6]. » Hoc est, qui novit. Quoniam enim agebatur de dispersa multitudine, et quæ tunc nusquam apparebat, jure hoc exemplum in medium adduxit, per hoc ostendens eum posse vel dispersos cogere. Contritos enim solet erigere et consolari, et innumerabilem astrorum multitudinem novit apprime : ergo nos quoque, quos pollicitus est eis futuros æquales, plenissime reducet. « Et omnibus eis nomina vocans. » Alius, « Omnibus nomina vocans. » Alius, « Omnibus eos nomina- » tim vocabit. » Existimo hoc dictum esse de Israëlitis, et idem dicere Prophetam, quod Esaïas quoque postea. « Ne » timeas Israël, ex speculis terræ vocavi te, et dixi : Filius

[1] Psal. CXLVI. 3. — [2] Rom. IV, 17. — [3] Ibid. — [4] 2 Cor. VII, 6. — [5] Psal. L, 19. — [6] Id. CXLVI, 4.

» meus es[1]. » Quid est, « Omnes eos nominatim vocabit? » Nullus, inquit, eorum peribit, sed quemadmodum qui nominatim vocant : ita etiam ipse omnes perfecte reducet. « Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus[2]. » Quoniam rem dixit maximam, se tot hominum millia, per universum orbem terræ dispersa, esse congregaturum, deinceps disserit de ejus potentia, Judæos, qui valde conturbabantur, ut crederent, inducens. « Et sapientiæ ejus non est nume» rus[3]. » Ne quære ergo quomodo et qua ratione : est enim ejus magnitudo infinita. Quocirca dixit etiam : « Magnitu» dinis ejus non est finis[4]. » Sed quemadmodum infinita est magnitudo, ita etiam sapientia. Et ideo cum dixisset : « Mag» nus Dominus noster, » subjunxit : « Et sapientiæ ejus non » est numerus. » Quinetiam admirabilis est ejus scientia, et ideo dicebat : « Mirabilis facta est scientia tua ex me. » Confortata est, non potero ad eam[5]. » Et sunt ejus judicia rursus inscrutabilia : et ideo dicebat : « Judicia tua abyssus » multa[6]. »

II. Cum sit ergo magnus, potens, et sapiens, ne nimis curiose inquiras quomodo hæc erunt. « Suscipiens mansue» tos Dominus, humilians autem peccatores usque ad ter» ram[7]. » Ne enim dicerent aliqui insipientes : « Quid ad nos, si perfecte novit astra omnia? » dicit etiam curam quam gerit hominum. Non dixit autem : « Opem ferens mansuetis Dominus : » sed quod est multo majus, « Suscipiens : » tanquam de amanti patre loquens. Quid est autem, « Susci» piens? » Recreans, ferens, bajulans. Vidisti rursus perfectam in utroque ejus potentiam? nempe in extollendis humilibus, et in dejiciendis deprimendisque arrogantibus. Non solum autem humiliat, sed etiam summopere humiliat. Hoc enim sibi vult illud, « Usque ad terram. Præcinite

[1] Isaï. XLI, 9. — [2] Psal. CXLVI, 5. — [3] Ibid. — [4] Id. CXLIV, 3. — [5] Id. CXXXVIII, 5. — [6] Id. XXXV, 6. — [7] Id. CXLVI, 6.

» Domino in confessione [1]. » Alius, « Enumerate. » Postquam igitur dixit præclara ejus facta, rursus eos ad hymnum vocat dicens : « Præcinite Domino in confessione. » Hoc est, in gratiarum actione, cum magno studio ac diligentia. « Psallite Deo nostro in cithara [2]. » Alius, « Per lyram. Qui » operit cœlum nubibus, et parat terræ pluviam [3]. » Ne quis autem plane sensus expers dicat : « Et quid ad me cœlestia? » subjunxit statim id quod opus est hominibus, ostendens, per id quod subjungit, cur cœlum operiat nubibus. « Propter te, inquit, ut tibi paret pluviam. Pluvia autem propter te, ut tibi fœnum producat. » Vide autem sapientiam, dicit bona generalia quæ dedit omnibus, ex redundanti copia ora eorum obstruens. Si enim infidelibus fuit adeo munificus, ut nubes cogeret, et pluviam moveret, et terram excitaret, multo magis vobis, qui appellati estis populus ejus peculiaris. « Qui producit in montibus fœnum » et herbam servituti hominum [4]. » Vide providentiæ amplitudinem, quando non solum in agris et cultis prædiis, sed etiam in montibus lautam dat mensam, nempe alimentum jumentorum, quæ ad hominibus serviendum facta sunt. Et ideo subjungit, « Qui dat jumentis escam ipsorum, et » pullis corvorum invocantibus eum [5]. » Aliam rursus dicit munificentiam, ut qui non solum jumentis, quæ serviunt hominibus, dat escam ipsorum, sed etiam aliis brutis. « Et » pullis enim, inquit, corvorum invocantibus eum. » Si autem brutis et brutis agrestibus, et quæ hominibus minime inserviunt, tanta adhibetur providentia : quanto magis hominibus, et hominibus qui eum hymnis et laudibus celebrant, quos etiam propterea vocavit populum peculiarem, et sui portionem? Deinde quoniam erant imbecilli, et inermes, et nudati omnibus, ne ex eo conturbarentur, vide quomodo hanc quoque eorum corrigit imbecillitatem, di-

[1] Psal. CXLVI, 7. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 8. — [4] Ibid. — [5] Ibid. 9.

cens : « Non in fortitudine equi voluntatem habebit, neque » in tibiis viri beneplacitum est ei. Beneplacitum est Do- » mino super timentes eum, et in eis qui sperant super mi- » sericordia ejus [1]. » Alius, « Qui expectant misericordiam » ejus. » Si hæc, inquit, habeatis, metum scilicet, et perfectam in eum spem, attrahetis ejus benevolentiam : et cum attraxeritis, iis qui equos et arma habent, eritis potentiores. Unum est ergo quod quæritur, ut non ægre feratis, neque perturbemini, sed expectetis ejus misericordiam : in hoc enim spes maxime consistit : ut etsi non statim acceperimus, minime desperemus, nec animum abjiciamus. Recte autem dixit : « In misericordia ejus. » Neque enim habebant in factis suis fiduciam. Sed tamen, inquit, etsi vos facta destituerint, speretis autem in ejus misericordia, assequemini providentiam et ejus auxilium : quæ detur nobis omnibus consequi gratia et clementia Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et potentia, in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXLVII.

Lauda Jerusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion .

1. Non ad civitatem, sed ad eos qui in illa habitant, dirigit orationem, quod per totum librum facit, hoc quoque hic faciens. Assidue autem hortatur et consulit ut gratiarum actionem Deo pro beneficiis offerant, et neque

[1] Psal. CXLVI, 10, 11. — [2] Id. CXLVII, 12.

in ædificiis, nec in validis propugnaculis, sed in ejus providentia fiduciam habeant. Hoc veluti prius jacto fundamento, subjungit, et dicit : « Quoniam confortavit seras » portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te[1]. » Quid est, « Seras confortavit? » In tuto, inquit, te collocavit, fecit inexpugnabilem. « Benedixit filiis tuis, » hoc est, auxit in magnam multitudinem. Hoc unum est genus beneficii : alterum vero est illud, « In te. » Hoc est autem quod dicit : « Non divisos, nec dispersos, sed in te congregatos auxit multitudine. » Deinde aliud quoque ostendens providentiæ genus dicit : « Qui ponit fines tuos pacem[2]. » Fieri enim potest ut et in tuto sint, et multi sint, et tamen bello vexentur : sed ab his quoque insidiis ostendit eos esse liberos, cum sic dixit, et indicavit non solum civitatem esse liberam ab insidiatoribus, sed ipsos etiam fines. Vidisti quot beneficia recenset? Primum quidem, et quod est omnium maximum, quod dixerit : « Deum tuum. » Per hoc enim verbum dicit hæc omnia, « Te effecit familiarem, te suum fecit hæredem, cum sit communis omnium Dominus, est præcipue tuus : quod quidem est primum caput bonorum. » Secundum autem, civitatem in tuto collocavit. Tertium, eos multiplicavit. Quartum, a bellis et tumultibus liberavit non solum civitatem, sed etiam universam gentem : atque non uno tantum, aut altero, aut tertio tempore hoc fecit, sed id fecit perpetuo. Non dicit enim : « Qui posuit, » sed « Qui ponit. » Quod si bella quandoque evenerunt, non quod ipse eos relinqueret, sed quod ipsi resilirent, id factum est. Hoc enim fuit perpetuum ejus opus, munire, in tuto collocare ; ut ab omni bello et tumultu liberi essent præstare. Deinde aliud quoque una cum hoc dicit beneficium, nempe magnam annuam fertilitatem, et bonum fructuum proventum, rursus hic ipsos docens non terræ nec aëris naturæ,

[1] Psal. CXLVII, 13. — [2] Ibid. 14.

sed ejus providentiæ omnia ascribere. Quam providentiam? Eam quam subjunxit dicens : « Et adipe frumenti satiat » te [1] ? » Vide, non dixit absolute : « Frumentum, » sed, « Adipe » frumenti, » magnam ostendens prosperitatem. Adeps enim frumenti, fructus florem et id quod est opimum significat. Talia sunt enim Dei dona, proba et florentia. Optimo ergo frumento eos hic dicit liberalissime expleri. Hoc enim significans non dixit : « Qui dat, » sed « Qui te satiat. « Qui emittit » eloquium suum terræ [2]. » Quod facere consuevit, ut a privatis ad communia, et a communibus rursus ad privata transferat orationem, hoc hic quoque facit. Postquam enim dixit : « Lauda Deum tuum, » ne quis insipiens existimaret eum esse Deum tantum Judæorum, ostendit quomodo sit universæ terræ communis Deus, et per totum orbem terræ extensa sit ejus providentia, a privatis ad id quod est commune deducens orationem, et ad generalem providentiam. Et ideo cum dixisset : « Qui emittit eloquium suum terræ, » subjunxit : « Velociter currit sermo ejus [3]. » Hoc autem dixit, ostendens eum non solum nostræ regionis, sed universi orbis terrarum curam gerere. Eloquium autem hic dicit jussum, operationem qua providet et prospicit. Deinde quam sit facilis, et quam in promptu ostendens non nomine solum sermonis, sed etiam appellatione cursus id significavit : et ne hoc quidem satis esse duxit, sed etiam adjecit, « Velociter. » Quod autem dicit, est ejusmodi, « Quodcumque jusserit, fit cum maxima celeritate. Per universum enim orbem terræ imperat. » Quid autem imperat? Ea quæ nostram vitam continent, quæ spectant ad aëris administrationem, temporumque mutationem et vicissitudinem. Et ideo subjungit dicens : « Qui dat nivem sicut lanam : nebu- » lam sicut cinerem spargit [4]. » Hoc alius quidam interpres dicit : « Rorem concretum. » Hebræus autem « Chephor

[1] Psal. CXLVII, 14. — [2] Ibid. 15. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 16.

» Chaepher. Mittit crystallum suam sicut buccellas : ante » faciem frigoris ejus quis sustinebit [1] ? » Alius autem, « In » faciem æstus ejus quis subsistet ? Emittet verbum suum, » et liquefaciet ea, flabit Spiritus ejus, et fluent aquæ [2]. » Hic mihi exponit inexpugnabilem et infinitam ejus potentiam, quod eas, quæ non sunt, producat substantias, et eas, quæ factæ sunt, transmutet, et ad id quod vult transformet.

II. Quod quidem alius quoque Propheta significans dicebat : « Qui omnia facit, et ea transformat [3]. » Etsi enim immobilibus naturæ terminis alligata sint, quando tamen ei visum fuerit, solvuntur hi termini. Ei enim omnia locum dant et concedunt. Aliquando quidem eas mutat substantias, aliquando vero manentes mutat in aliam operationem, et eam quidem, quæ est ei attributa, sinit quiescere, aliam vero inducit contrariam. Quod quidem fecit in fornace. Ignis enim erat, et non urebat : sed qui in eum injecti fuerant, sentiebant rorem longe jucundissimum. Mare erat cum Judæi trajicerent, et aquæ non obruebant, sed solidius quam in petra transibant : sub Dathan et Abiron terra erat, eorum tamen corpora non sustinuit, sed facilius quam mare obruit. Virga Aaron erat lignum aridum, et fructum quam ea, quæ in terra plantata erant, pulchriorem protulit. Balaami erat asina animal omnium hebetissimum, nec minus bene se defendit apud eum qui ipsum pulsabat, quam homo ratione præditus. Cum in lacum conjectus est Daniel, erant leones, et ostenderunt ovium mansuetudinem : non ipsorum quidem deleta natura, sed mutata eorum operatione. Multa alia possunt videri miracula, etiam in creaturis. Ne ergo quoniam fit singulis annis, et sub aspectum nostrum cadit, id parvum esse miraculum existimes. Considera enim quantum sit, nunc quidem videri

[1] Psal. CXLVII, 17. — [2] Ibid. 18. — [3] Amos V, 8.

nivem, nunc vero aquam, et brevi momento temporis tantas fieri mutationes. Ne quis enim minus sapiens, naturali elementorum operatione hæc fieri, et ea absolute illorum causas esse putaret, sed sciret quisnam sit qui imperat, ad jussum ejus totam de his rebus deducit orationem, et dicit : « Emittet verbum suum, et liquefaciet ea. » Hoc est, jussum : non enim vis ventorum hoc facit præcipue, sed Deus qui fecit ventos. Orationem autem deduxit ad elementa, et ad mutationes quæ sunt in elementis, persuadens crasso et vix ullo sensu prædito Judæo, ex iis quæ fiunt singulis annis, nosse Dei potentiam, et facile ei esse res ejus, ut vult administrare, et a contrariis in contrarias mutare. Quemadmodum enim si fuerit tempestas et glacies intolerabilis, facile est illi invecta tranquillitate omnia dissolvere : ita etiam eos qui in captivitatem abducti fuerant, et bellis vexati erant, facile ei ad pacem et ad suam patriam reducere, et restituere priori prosperitati. Non hoc solum autem significat, sed etiam aliud latenter innuit. Quidnam? Quemadmodum hæc, licet molestiam afferant, sæpe fiunt utiliter : ita etiam quæ eis evenerunt, ipsis fuerunt utilia, et multum commodi attulerunt. Ne esset autem eis amplius molestus, ad placidiorem rursus traduxit mutationem. Quid hæc autem sibi volunt exempla? Non dixit enim solummodo, « Qui dat nivem, » sed adjunxit, « Tan» quam lanam : » neque, « Qui nebulam spargit, » sed subjunxit, « Sicut cinerem : » neque, « Qui mittit crystallum, » sed adjecit, « Sicut buccellas. » Mihi videtur voluisse ex his significare quam sint ei omnia facilia et explicata. « Qui an» nuntiat verbum suum Jacob. » Alius, « Statuta. » Alius, « Jussa. Justitias et judicia sua Israël. Non fecit taliter » omni nationi. » Alius, « Similia. Et judicia sua non mani» festavit eis [1]. » Vide quomodo rursus a generalibus transit

[1] Psal. CXLVII, 19, 20.

ad singularia, et quæ erant Judæorum præcipua, volens eos ad majus studium excitare. Atque in principio quidem Psalmi disseruit de sensilibus, et quæ prosunt corpori, nempe de securitate, de anni fertilitate, de pace : hic autem orationem ad altiora erigit, de lege quæ ei data est tractans, quod quidem est maximum genus beneficii, a vitio abducere, deducere ad virtutem, animum illustrare. Et ideo Moses hoc susquedeque versans dicebat : « Quis » est ut is populus? gens magna, cui Deus est eis appropin- » quans, ut Dominus Deus noster, in omnibus quibus eum » invocaverimus [1] ? » Et David rursus : « Faciens misericor- » dias Dominus, et judicium omnibus injuriam patientibus. » Notas fecit vias suas Mosi, filius Israël voluntates suas [2]. » Et Jeremias. « Hic est Deus noster, non reputabitur alius » præter ipsum. Invenit omnem viam scientiæ, et dedit eam » Jacob filio suo, et Israël dilecto suo [3]. » Sed dixerit fortasse quispiam : « Cum reliquis hominibus non significaverit, quomodo eos punit? » Quod quidem eos puniat qui fuerunt ante legem, et eos qui peccant per universum orbem terræ, clarum est ex iis, quæ dicit Christus : « Regina Austri » surget, et condemnabit hanc generationem [4]. » Et rursus : « Viri Ninivitæ surgent, et condemnabunt hanc generatio- » nem [5]. » Omnino enim ideo ita dictum est, quod illi quoque rationem redderent : et illi quidem laudarentur, hi vero punirentur. Si autem non fuerat eis ostensum quid sibi esset agendum, quomodo hos condemnaturi erant? Quomodo autem rursus dixit : « Vindicabitur sanguis a san- » guine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ [6] ? » Quomodo autem rursus, « Tolerabilius erit terræ Sodomorum » et Gomorrhæ [7] ? » Cum enim dixit : « Tolerabilius, » non perfectam liberationem, sed eos pro suis peccatis dare le-

[1] Deut. IV, 7. — [2] Psal. CII, 6, 7. — [3] Baruch. III, 36, 37. — [4] Matth. XII, 42. — [5] Ibid. 41. — [6] Id. XXIII, 35. — [7] Id. XI, 24.

vius supplicium significat. Quod si qui puniti sunt, tam graves rursus dant pœnas, quis ex aliis effugiet?

III. Videmus autem eos quoque qui pœnas dederunt in diluvio, et multos alios, et ipsum Caïn. Paulus quoque dicit hoc ipsum significans : « Revelatur ira Dei de cœlo » super omnem impietatem et injustitiam hominum, qui » veritatem in injustitia detinent; propterea quod id quod » de Deo cognosci potest, manifestum est in ipsis, Deus » enim illis manifestavit. Invisibilia enim ejus a creatione » mundi operibus intellecta conspiciuntur, et æterna ejus » potentia et divinitas, ut sint ipsi inexcusabiles [1]. » Deinde de vita quoque verba faciens, ne hic quidem eos relinquit rationi reddendæ non obnoxios, ita dicens : « Qui cum » justitiam Dei cognovissent, quod qui talia agunt, digni » morte sunt : non solum ea faciunt, sed etiam facien- » tibus consentiunt [2]. Existimas autem hoc, o homo, qui » judicas eos, qui talia faciunt, et facis ea, quod tu Dei » judicium effugies? An divitias benignitatis ejus, patientiæ, » et longanimitatis contemnis, nesciens quod benignitas » Dei te ad pœnitentiam adducit? Secundum duritiam au- » tem tuam et cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die » iræ et revelationis et justi judicii Dei, qui reddet uni- » cuique secundum opera sua, iis quidem qui secundum » patientiam boni operis, gloriam et honorem, et incor- » ruptionem quærunt, vitam æternam : iis vero qui ex » contentione veritati quidem non parent, parent autem » injustitiæ, ira et indignatio, afflictio et angustia super » omnem animam hominis operantis malum, Judæi pri- » mum, et Græci [3]. » Vides per hæc omnia, quomodo omnes, quotquot fuerunt homines, etiam ante legem, dant peccatorum pœnas : et quicumque virtutis curam gesserunt, et ab impietate recesserunt, fruuntur bonis?

[1] Rom. I, 18-20. — [2] Ibid. I, 32. — [3] Id. II, 3-9.

Quomodo ergo erit aut hoc aut illud, si quid esset agendum nesciebant? Sin autem sciebant, inquit, quid esset agendum, quomodo dicit : « Non fecit taliter omni na» tioni, et judicia sua non manifestavit eis? » Quid ergo sit quod scriptum est, et quid sibi velit significare? audi. Scriptam legem nulli alii dedit : naturalem enim intus habebant omnes, personantem quid sit bonum, quid secus. Cum enim hominem Deus fingeret, simul etiam hoc illi indidit incorruptum judicium : nempe uniuscujusque suum conscientiæ calculum. Judæis autem hoc procuravit eximium, ut quæ erant justa ac legitima, per scripta cognoscerent. Et ideo non dixit ipse : « Non fecit in omni gente, » sed : « Non fecit taliter. » Hoc est, « Non misit eis tabulas, non scripta, non Mosen legislatorem, non alia quæ fuerunt in monte Sina, sed Judæi soli peculiari quodam privilegio hæc omnia consecuti sunt. » Verum universa humana natura habuit sufficientem legem conscientiæ. Quæ quidem Paulus quoque significans dicebat. « Quando enim gentes legem » non habentes, natura quæ legis sunt, faciunt : ii legem » non habentes sibi ipsis sunt lex [1]. » Et ideo Judæi digni sunt majori condemnatione, quod cum una cum lege naturali scriptam quoque legem acceperint, tam scelerate et tam nefarie se gesserunt. Quamobrem magnum Dei beneficium eis negligentibus evadit occasio majoris condemnationis. Quod ad verba quidem scripta attinet, sufficiunt quæ dicta sunt. Si quis autem desiderat Psalmum quoque sumere anagogice, non recusabimus hac quoque via ingredi, non historiam labefactantes, absit; sed cum illa hæc quoque studiosis adjicientes, quoad ejus fieri poterit. « Lauda Jerusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion. » Novit Paulus cœlestem Jerusalem, de qua dicit : « Quæ » sursum est autem Jerusalem, libera est, quæ est mater

[1] Rom. II, 14.

» nostra [1] : » quemadmodum Sion quoque novit Ecclesiam, quando dicit : « Non enim accessistis ad montem qui pal- » patur, qui incensus est igne, et turbine, et caligine, et » procella, sed accessistis ad Sion civitatem et ecclesiam » primogenitorum descriptorum in cœlis [2]. » Potest ergo de ea quoque dici anagogice illud : « Lauda Jerusalem Domi- » num, lauda Deum tuum Sion : quoniam confortavit seras » portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te. » Eam enim muniit validius quam Jerusalem, non vectibus et portis, sed cruce circumseptam, et denuntiatione propriæ potestatis, per quam ubique ejus excitavit ambitum, cum dixit : « Portæ inferorum non prævalebunt adversus eam [3]. »

IV. In principio itaque imperatores, et reges omnes, et populi, et civitates, et dæmonum phalanges, et ipsa diaboli tyrannis, et alia innumera invaserunt Ecclesiam : illa tamen omnia fracta et dissoluta sunt et interierunt : ipsa autem crevit, et in tantam provecta est altitudinem, ut ipsos etiam cœlos superaverit. « Benedixit filiis tuis in te. » Quemodmodum cum dixisset in principio. « Crescite, et » multiplicamini et replete terram [4], » universam terram sermo pervasit : ita et postea, « Ite et docete omnes gentes [5], » et, « Prædicabitur Evangelium hoc in toto mundo [6] : » atque ipsos etiam fines orbis terræ brevi momento temporis jussus ejus occupavit. Quocirca ipse quoque dicebat : « Si granum » frumenti in terram cadens mortuum non fuerit, ipsum so- » lum manet : si autem mortuum fuerit, multum fructum af- » fert [7]. » Et rursus. « Quando exaltatus fuero, omnes traham » ad meipsum [8]. » Atque in principio quidem ex uno multi nati sunt, cum lege naturæ cresceret multitudo, et ideo res tardius processit : tempore autem Apostolorum, non lege

[1] Gal. IV, 26. — [2] Hebr. XII, 18 et 22, 23. — [3] Matth. XVI, 18. — [4] Gen. IX, 2. — [5] Matth. XXVIII, 19. — [6] Id. XXVI, 13. — [7] Joan. XII, 24, 25. — [8] Ibid. 32.

naturæ, sed gratia crescebat multitudo : et ideo uno statim die tria millia, deinde quinque millia, deinde innumerabiles, deinde universus orbis terræ per pulchram hanc regenerationem editi, aucti sunt, et multiplicati sunt, et quam acceperant benedictionem, factis ipsis ostenderunt. « Non » enim ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis [1], » sed ex Dei gratia nati sunt. « Qui posuit fines tuos pacem. » Hoc valde proprie dici potest de Ecclesia : nam quod est admirabilius, cum ea peteretur bello, pace fruebatur, et cum ei omnes ponerent insidias, in summa securitate maximam capiebat voluptatem. Et ideo dixit ipse : « Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis [2]. » Et adipe frumenti satiat te. » Potest hoc etiam aliter accipi in Ecclesia de alimento spirituali, quod nobis scilicet panem vitæ dederit. « Qui emittit eloquium suum terræ : » velociter curret sermo ejus. » Quisnam sermo, dic, quæso? Qui prolatus per Apostolos quavis penna levius omnia pervolabat. Quocirca David quoque alibi hoc significans dicit : « Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute » multa [3]. » Si quis autem insipiens dubitet, ex iis quæ fiunt in elementis sumat probationem, et discat quomodo nix simul et acervatim et repente advenit, et momento temporis totam terram operit, non longo temporis curriculo ejus faciem invadens, sed repente totam eam complens. Quoniam ergo erat Propheta, et consentaneum erat futura prædicentem, et per anagogen significantem hæc dicere, par fuit ut immoraretur in eo, quod dicebatur de elementis. Quod autem dicit, est ejusmodi : « Futurum est ut universa terra Dei verbo instruatur, idque cum maxima celeritate, et brevissimo tempore. » Deinde ne quis dubitaret, si Judæi, gens una, in quam tanto tempore tantum studii et diligentiæ collatum est, non fuit proba, quomodo ii

[1] Joan. I, 13. — [2] Id. XIV, 27. — [3] Psal. LXVII, 12.

qui universum orbem terræ habitant, poterunt brevi tempore componi, bonique et moderati effici, ad confirmandum id quod dicit, sumit exempla ex elementis, nivem nempe, nebulam, glaciem, quæ breviter fiunt uno momento temporis. Ne ergo ideo non credas : etsi enim mens eorum sit facile mutanda : at multi sunt qui resistunt? Sed ii quoque concedent, et locum dabunt. Si enim parum frigoris, cum vehementius fuerit, nemo ferre potest, sed omnes ei cedunt, et locum dant : multo magis ejus verbo et jussui cedent omnia, quæ adversantur. Potest enim mutare substantias, et quæ non sunt producere, et ad tantas vires provehere, ut hæc sint omnibus intolerabilia. « Qui annuntiat verbum suum Jacob, justitias et judicia » sua Israël. » Hic quoque non aberraveris, si Jacob spiritualem dixeris, et Israëlem, quem Paulus quoque novit dicens : « Pax vobis et super Israël Dei [1] : » cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXLVIII.

Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes Angeli ejus [2].

I. Est [3] hoc Sanctis in more positum propter pium et gratum suum animum, ut cum Deo sint acturi gratias, accersant multos laudationis socios, et hortentur ut hoc

[1] Gal. VI, 16. — [2] Psal. CXLVIII, 1, 2. — [3] Vide D. Guillon, t. XI, pag. 327-332.

pulchrum munus secum obeant. Hoc etiam fecerunt tres pueri, qui, quando erant in fornace [1], omnem creaturam ad laudibus celebrandum, quod acceperant, beneficium, et hymnos Deo dicendos, invitarunt. Hoc ipsum facit hic quoque, utrumque mundum vocans supernum, et infernum, sensilem, et eum qui percipitur sola intelligentia. Hoc etiam facit Propheta Esaïas, ut quando dicit : « Lætentur » cœli, et exultet terra : quoniam misertus est Dominus » populi sui [2]. » Quinetiam hic ipse quoque, quando dicit : « In exitu Israël de Ægypto, domus Jacob de populo » barbaro : Montes exultaverunt ut arietes, et colles sicut » agni ovium [3]. » Et rursus alibi Esaïas : « Nubes pluant » justitiam [4]. « Ut qui enim soli non sufficiant ad Deum laudibus celebrandum, quoquo versus obeunt, ut omnes in dicendis hymnis socios accipiant. Hic autem hoc crebro facit, ut quando dicit : « Et adorent eum omnes Angeli » ejus [5]. » Et rursus, « Potentes virtute, facientes verbum » ejus [6]. » Porro aliud quoque ex his confirmat. Quodnam? Ne quis eorum, qui minus sunt rationis compotes, existimet esse duos opifices. Quoniam enim diversæ sunt creaturæ, et inter se substantiis differunt, hæc sensibilis, illa spiritualis; hæc visibilis, illa invisibilis; hæc quidem plena est corporibus, illa vero est incorporea : ne quis ex operum differentia diversos induceret opifices, unum constituit chorum, unum ex omnibus ei canticum offerens, et eumdem Deum dicens debere laudari a superna creatura et inferna : hinc quoque ostendens esse unum utriusque opificem. A supernis autem prius incipit, dicens : « Laudate » eum omnes Angeli ejus : Laudate eum omnes Virtutes » ejus [7]. » Alius : « Omnes exercitus ejus. » Dicens Cherubim, Seraphim, Dominationes, Principatus, Potestates.

[1] Dan. III. — [2] Isaï. XLIX, 13. — [3] Psal. CXIII, 1 et 4. — [4] Isaï. XLV, 8. — [5] Psal. XCVI, 8. — [6] Id. CII, 20. — [7] Id. CXLVIII, 2.

Hoc est animi valde incensi, hoc ardentis amoris, omnes excitare ad laudandum eum qui amatur; hoc animi, qui magnam assidue capit voluptatem in cogitatione de Deo, qui stupet et miratur ejus gloriam. « Laudate eum sol et » luna, laudate eum omnes stellæ et lumen. » Alius, « Stellæ » lucis. Laudate eum cœli cœlorum : et aquæ quæ super » cœlos sunt laudent nomen Domini. Quoniam ipse dixit, » et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt. Statuit ea in » sæculum, et in sæculum sæculi. » Alius, « Statuit eo ma- » nere perpetuo. Præceptum posuit et non præteribit [1]. » Quænam causa est, quod dum de cœlestibus potestatibus pauca dixerit, illinc celeriter resilierit, et cum ad ea, quæ videntur, orationem deduxerit, de illis prolixius disserit, omnia sigillatim persequens, quæ inferius sunt, et quæ superius? Quoniam ea erant manifestiora iis, qui audiebant, ut quæ videbantur, et posita erant ob oculos. Et ideo Moses quoque de opificio et creatione incipiens, cum de Supernis nihil nec magnum nec parvum dixisset, a cælo et terra ducit exordium, et per solem, lunam, herbas, natantia, et quadrupedes transiens, in homine desinit. Cœlos autem cœlorum hic dicens non ostendit multitudinem, sed idem etiam dicit cœlum cœli. Hebræorum enim lingua cœlum consuevit cœli appellari, sicut etiam alibi dicit : « Cœlum cœli Domino : terram autem dedit filiis homi- » num [2]. Et aquæ quæ super cœlos sunt. » Audisti Mosen quoque dicentem ex aquis quidem eum has reliquisse inferius : illas vero statuisse sublimes super terga cœlestia, cum in medio abyssi firmamentum stabiliisset, et aquas manere super terga sivisset. Quomodo autem poterunt, dixerit quispiam, ea laudare, quæ neque vocem habent, nec linguam, nec animam, nec rationem, nec organum vocis, nec mentem? Quoniam duo sunt modi laudandi,

[1] Psal. CXLVIII, 3-6. — [2] Id. CXIII, 16.

gloriaque et honore afficiendi : unus quidem per verba, alius vero per visum : his accedit etiam tertius, qui est per vitam et recte facta. Nam hominibus non solum loquentibus, sed etiam tacentibus, gloria Deo offertur : quemadmodum Christus quoque dicit : « Luceat lux vestra » coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glo» rificent Patrem vestrum qui est in cœlis [1]. » Et rursus, « Glorificantes me glorificabo [2]. » Est etiam quæ fit per linguam glorificatio, sicut etiam Moses glorificavit cum Maria, dicens : « Cantemus Domino : gloriose enim glo» rificatus est [3]. » Est etiam quæ fit per ipsam creaturam, ut hic ipse dicit : « Cœli enarrant gloriam Dei ; opera ma» nuum ejus annuntiat firmamentum [4]. » Ita hic etiam laudat eum creatura, pulchritudine, positione, magnitudine, natura, usu, ministerio, perseverantia, utilitate quæ ex ea proficiscitur. Quando ergo dicit : « Laudate Dominum, Angeli, Virtutes, cœli, luna, sol, stellæ, aqua quæ est super cœlos : » hoc dicit, unumquodque eorum quæ facta sunt, dignum esse sapientia Opificis, et esse plenum magno miraculo Quod quidem Moses breviter dixit in principio, « Et vidit Deus quæcumque fecit, et ecce valde bona [5] : » adeo bona, ut eum, qui fecit, gloria afficerent, et spectatorem ducerent ad eum laudandum qui erat fabricatus.

II. Hanc ergo dicit laudem, pulchritudinem eorum, quæ facta sunt, quæ ei, qui illa fecit, laudes et hymnos comparat. Quod Paulus quoque significat, dicens : « Invisibilia » enim ejus a creatione mundi operibus intellecta conspi» ciuntur, et æterna ejus potentia et divinitas [6]. » Quinetiam hic quoque Propheta, cum dixisset creaturas, et ex eorum quæ videntur aspectu, illorum pulchritudinem reliquisset discendam, magnitudinemque et eorum utilitatem,

[1] Matth. v, 16. — [2] 1 Reg. II, 30. — [3] Exod. XV, 1. — [4] Psal. XVIII, 2. — [5] Gen. I, 31. — [6] Rom. I, 20.

ipse aliam adducit causam, dicens : « Ipse dixit, et facta »sunt : ipse mandavit, et creata sunt. Statuit ea in sæcu»lum et in sæculum sæculi. Præceptum posuit, et non præ»teribit. Quod itaque sint quidem pulchra et admirabilia, vel ipse visus indicat. Quod autem habeant opificem, et nec casu sint, nec increata, potest quidem vel ex ipsa interpretatione perspici. Si quis autem dubitet, a me discat habere illa creatorem et opificem, et qui illis providet, earumque curam gerit. Duo enim hic ponit, vel potius tria, atque adeo si quis recte perpendat, etiam quatuor : quod id quod est fecerit, et ex iis quæ non erant fecerit, et facile fecerit, et a se facta regat et administret. Dicendo enim : « Dixit, » ostendit facilitatem : ut etiam Paulus significans, dicebat : « Qui vivificat mortuos, et vocat quæ non sunt, »tanquam quæ sunt [1], » nomine vocationis nobis facilitatem indicans. Quod autem quæ facta sunt regat et contineat, ipse Propheta rursus ostendit, subjungens : « Statuit ea in »æternum in sæculum sæculi. Præceptum posuit, et non »præteribit. » Vide quomodo hic quoque rursus ostenderit potestatem, auctoritatem, non solum quod statuerit, sed etiam quod præceptum dixerit, humanis dictionibus ejus operationem indicans. Sicut enim tibi dicere et præcipere est facile : ita Deo facere quæ non sunt, regere et continere : imo vero non ita habet, sed est longe facilius. Neque enim verbis potest explicari summa facilitas cum qua fecit omnia. Neque vero est solum admirabile quod regit et continet, nec quod termini naturæ stant fixi et immobiles, sed quod tempore adeo infinito. Considera quantum est ævi spatium, et eorum quæ sunt nihil est omnino confusum. Non mare terram inundavit, non sol ea quæ videntur exussit, non cœlum labefactum est, non noctis, nec diei termini confusi sunt, non temporum conversio-

[1] Rom. IV, 17.

nes, nec aliquid aliud ejusmodi, sed unumquodque eorum quæ sunt et superne et inferne stetit, diligentissime impositos sibi ab initio fines ad unguem servans. Postquam ergo dixit de supernis creaturis, et de iis quæ sunt in cœlo, descendit in terram. Quod autem fecit in supernis creaturis, ut inciperet quidem a supercœlestibus, descenderet autem ad cœlestia, hoc etiam hic facit, a cœlestibus ad terram transiliens. Quoniam enim sunt nonnulli qui dicunt ea quidem quæ sunt in cœlis, esse digna Dei opificio : quæ sunt autem in terris, reprehendunt, quoniam ibi sunt scorpii, leones, viperæ, dracones, et reliqua belluarum genera, et arbores infrugiferæ, eis veluti respondens, alia rursus ratione orationem aggreditur. Vide autem quid facit : bonis quæ sunt in confesso prætermissis, ovibus, bobus, quorum usum ostendit ipsa experientia, asinis, camelis, et quæcumque apta sunt nobis ad onera vehenda : in iis quæ videntur esse inutilia, versat orationem, dracones in medium adducens, partem maris innavigabilem, et quæ videntur afferre molestiam, ut ignem, grandinem, nivem, glaciem, deinde arbores infrugiferas, montes : deinde rursus latis campis relictis et aptis ad agriculturam, atque ad utilium mitiumque fructuum proventum, transit ad montes, colles, et loca deserta, et serpentum meminit : ut hæc sciamus apertius, ipsa verba audiamus. Postquam dixit : « Præ» ceptum posuit, et non præteribit, » subjunxit, « Laudate » Dominum de terra dracones et omnes abyssi. Ignis, grando » nix, glacies, spiritus procellarum quæ faciunt verbum » ejus. » Alius, » Ventus Typhonis. Montes et omnes colles, » ligna fructifera, et omnes cedri. Bestiæ, et universa pecora, » serpentes, et volucres pennatæ [1]. » Quanam ergo de causa tractat hoc modo orationem? Ex redundanti copia ostendens Dei providentiam. Si enim quæ videntur esse inutilia,

[1] Psal. CXLVIII, 7-10.

et generi hominum infesta, adeo sunt bona, adeo utilia, ut ipsa quoque laudem Deo offerant, et cum gloria honoreque afficiant propter suum opificium, cogita apud te qualia sunt alia, et si videtur, persequamur unumquodque eorum quæ dicta sunt : « Dracones, inquit, et omnes abyssi. » Dracones hic dicit cete : sicut etiam alibi quando dicit : « Draco hic quem formasti, ad illudendum ei [1]. » Multis autem in locis videri potest hoc animal ita vocari.

III. Et quomodo, inquiet quispiam, laudat hoc eum qui ipsum fecit? Quomodo autem non laudat? Quando enim videris magnitudinem, corporis compositionem, quam apertissime Scriptura narrat in Job [2] : quomodo non admiraberis Opificem, qui tantum animal produxit? Neque vero propter solam magnitudinem, sed etiam quod pars maris innavigabilis in quo ageret, ei attributa sit. Est autem jure mirandum quod proprios limites non transiliat, cum sit efferum ac sævum animal, et longe maximum, sed in suis degens locis se contineat, et non solum in terram non egrediatur, neque in locum habitabilem, sed ne in partem quidem maris quæ apta sit ad navigationem; non consumat genera piscium, sed intra suam regionem vitam degat. Nec hæc solum miranda sunt, sed abyssi etiam profunditas. Quod autem in animali, hoc etiam cerni potest in mari. Nam cum ventorum flatibus sit intolerabile, et tantam habeat aquarum copiam, non erumpit ex propriis terminis, non inundat terram vicinam, sed ipsum quoque est alligatum vinculis immobilibus, licet sit alioqui natura aquarum insolens. Cum autem tanta sit magnitudine, et a tantis spiritibus impellatur : considera quanti sit miraculi, nec per inconditam molem, nec per magnitudinem, nec per vim intolerabilem suo loco excedere, sed in tanta perturbatione ordinem et modum pulchre servare. Hæc ergo apud te re-

[1] Psal. CIII, 26. — [2] Job. XL, 21 et seqq.

putans poteris hinc quoque Deo laudem et hymnum texere, et ejus admirari potentiam, sapientiam, virtutem, potestatem. Sunt etiam ineffabiles aliæ horum rationes: Quas ipse novit qui fecit. Et ideo dixit quispiam: « Ne dixeris, quare » hoc? Ad quid hoc? Omnia enim au usum ipsius facta » sunt [1]; Ignis, grando, nix, glacies, Spiritus procellarum, » quæ faciunt verbum ejus. » Adjicit hic quoque aliud iis quæ dicta sunt. Hoc enim in priori Psalmo admirabatur, quod brevi momento temporis totam terram pervadat nix, glacies, quod concrescat, quod mutetur, quod in contraria convertatur. Hic autem, quod et quæ non erant, facta sint; quod quæ facta sunt, maneant, et quod manentia fungantur munere ministrorum, licet sint expertia rationis, et jussum ejus educat in opus cum maxima obedientia. Imo vero unum sæpe jussum ea perfecit quæ sunt suapte natura contraria, quemadmodum in fornace babylonica ignis et urens et irrorans simul factus est. Hoc ergo, inquit, meretur gratiarum actionem, eamque certe maximam. Deus enim æque est laudandus et cum punit, et cum a supplicio eximit. Utraque enim sunt curationis, utraque sunt bonitatis. Homines enim hoc quidem faciunt propter bonitatem, illud vero per iram et improbitatem: Deus autem utraque propter clementiam. Oportet ergo eum æque laudare, et quod posuerit Adam in paradiso, et quod eum expulerit, et agere gratias non solum pro regno, sed etiam pro gehenna. Eam enim et fecit et minatus est, ut a vitio liberaret. Quemadmodum ergo medicum non solum nutrientem, sed etiam fame excruciantem: non solum in forum educentem, sed etiam domi alicubi includentem: non solum ungentem, sed etiam urentem et secantem admiramur; etsi enim sunt contraria quæ fiunt, unum tamen finem respiciunt; ita etiam oportet Deum laudare pro omni-

[1] Eccli. xxxix, 26.

bus, atque adeo multo magis, quatenus hic quidem Deus, ille vero homo, et quod res quidem eorum sæpe aliter eveniunt; quæ autem Deus facit, fiunt cum summa sapientia et cura. Grando autem et ignis non solum punivit, sed etiam liberavit a supplicio, et bellis finem imposuit, et invadentes inimicos repulit. An nescis quænam in Ægypto per hæc elementa miracula facta sunt, et in Judæis, et in hac nostra generatione? Tanta est autem potentia jubentis, ut quæ per Angelos illos, qui in solam cadunt intelligentiam, et magnas potestates faciebat, et sæpe etiam per elementa faciat admirabiliter; ut quando hæc Angelus quoque fecerit, nemo paulo insipientior id illi attribuat, sed ei qui imperavit. Angelus bello finem imposuit? imposuit quoque grando. Interemit primogenita Angelus? maris quoque procella populum interemit. Pro omnibus ergo elementi Deo age gratias. « Montes et omnes colles, ligna » fructifera, et omnes cedri. Bestiæ, et universa pecora, » serpentes et volucres pennatæ. » Vide quomodo lubentius immoratur in iis quæ sunt inutiliora, montibus, saltibus, collibus, animalibus, serpentibus, et lignis infrugiferis. Quæ enim sunt frugifera, ex seipsis apertam ostendunt utilitatem, sicut et plani campi, et mansueta animalia. Feræ autem et serpentes, montes et infrugiferæ arbores, quamnam, inquit, putas utilitatem afferunt? Multam certe, et quæ nostram vitam valde contineat. Nam et ad ædificia, montes et colles et ligna infructifera sunt nobis valde apta: et nisi ea nobis suppeterent, nihil vetaret quominus nostrum genus interiret. Quemadmodum ergo cultis agris opus habemus ad hoc ut alamur: ita etiam lignis infrugiferis et lapidibus egemus ad hoc ut domos ædificemus, et alia innumerabilia ex eis componamus.

IV. At serpentes, inquies, scorpii, dracones, et leones, quid ad vitam utile afferunt? et quidnam commodi ex eis

percipitur? Plurimum, idque inenarrabile, nec minus certe quam ex mansuetis et cicuribus. Illa enim sunt apta ad usum corporis; hæc vero et tibi metum afferunt, et ut sis modestus et temperatus efficiunt, et ad certamen instruunt, et peccatum primi parentis tibi in memoriam redigunt, et ostendunt quantorum malorum causa sit inobedientia. Neque enim ejusmodi feræ antea homini terribiles, nec ab eo fugiendæ, sed cicures et mansuetæ. Eas itaque deduxit Deus ad Adam, et ipse eis nomina imposuit. Serpens Evam alloquitur, et Eva non refugit. Postquam autem præteritum est mandatum, et Deo non est obeditum, plurimum honori detractum est. Quando ergo videris leonem, quando videris serpentem, in mentem revoca quæ in sacra narrantur historia, et hæc exhibebunt tibi non parvum philosophiæ argumentum. Fac quoque in mentem tibi redeat Daniel, quomodo postquam ad antiquam reversus est imaginem, contemptui illi erant terribiles bestiæ, quemadmodum et Paulo vipera: nec parvum hinc colliges animi studium, curam et diligentiam. Cum his autem aliunde quoque possumus in his admirari providum Dei consilium et dispensationem. Quonam? Quod his assignavit loca remota ab urbibus, nempe solitudines: et cum sint adeo terribiles, non versantur in civitatibus, nec irruunt in eos qui in illis habitant, sed eis placet solitudo, et ea contenti sunt, cum Deus ab initio hoc eis assignaverit, ut locum aptum in quo degerent. Quando enim tu dormis, illa pervadunt solitudinem. Quod etiam Propheta alibi ostendit, sic dicens: « Posuisti tenebras, et facta est nox: in ea pertransibunt omnes » bestiæ sylvæ[1], » Vidisti quomodo nunc quoque tibi manent tui vestigia imperii, quæ etsi sint concisa et mutila, habent tamen aliquam speciem veteris honoris? Tanquam enim servæ relegatæ sunt, et tempore et loco a nobis pro-

[1] Psal. ciii, 20.

cul remotæ: ac nisi tu eas invaseris, eæ te non invadunt, sed versantur in solitudinibus. Quod si angeris et afflictaris cur feræ factæ sunt, valde desipis. Si enim te recte gesseris, nullum damnum ex eis accipies. Si autem a feris damnum accipis, cogita te sæpe multo majus accepisse ab hominibus. Est enim homo quavis fera deterior. Ea enim ipsam præ se fert feritatem; hic autem sub persona humanitatis celat improbitatem: unde etiam fit ut sæpe difficile caveatur. Sed si sapueris, nec fera, nec homo aliquid mali faciet, sed etiam maxime te juvabit. Quid dico, fera et homo, cum ipse quoque diabolus non modo non læserit Job, sed etiam mille coronarum occasio fuerit? Quid dico, fera et homo, cum etiam ab iis quæ in te sunt elementis, si fueris negligens, longe sis graviora passurus, nempe a bile vel pituita, si immoderatione aliqua redundantem eorum copiam despexeris? Adeo sobria et vigilanti mente ubique opus est. Sed quemadmodum si fueris negligens, maximum inde damnum accipies: ita si attentus sis et vigilans, non leve nec contemnendum accipiet commodum. Universum enim in libero tui animi arbitrio situm est. Quod est ergo nix in universo, et ignis, et spiritus procellarum, hoc est in corpore pituita, sanguis, et bilis, et ea oportet sapientissime regere et administrare, ut ex eis aliqua capiatur utilitas, non autem detrimentum. Et quid dico de corpore, cum anima quoque habeat nonnulla, quæ, si siveris pervenire ad immoderationem, morbi fiunt, sed si ea castiges et modereris, fiunt adminicula? Ira enim, si ea ut oportet utaris, est salutare pharmacum: sed si immoderate, causa est exitii. Et cupiditas, si moderate eam regas, te patrem efficit, est enim ad filios procreandos utilis; sed si eam erumpere sinas, in stupra et adulteria te sæpe conjicit. Ne culpam ergo in res conferas, sed semper in tuam mentem. Si eam enim neglexeris, a teipso quoque

læderis, et a proprio corpore perderis: sed si ejus curam gesseris, nec a dæmonibus quidem, nec a diabolo, tantum abest ut a feris, aliquid grave aut molestum patiaris. « Reges terræ, et omnes populi. » Alius, « Et omnes tribus. » Principes et omnes judices terræ. Juvenes et virgines, » Alius, « Electi. Senes cum junioribus. » Alius, « Cum juvenibus. Laudent nomen Domini [1]. » Hic rursus loquitur de alio genere providentiæ, nempe de principibus; quod Paulus quoque in Epistola ad Romanos ponit, sapientissime ostendens hoc fuisse opus Dei providentiæ, in eos qui magistratus gerunt, et in eos qui illis parent, universum divisisse. « Dei enim minister est tibi, inquit, in bonum [2]. » Si hoc autem sustuleris, universum interit. Si enim cum nunc sunt principes et magistratus, multique sunt in eis corrupti ac depravati, tantus tamen rei est usus, ut etiam cum mali sint, magna ex eis capiatur utilitas, cogita apud te si ii, quibus sunt crediti magistratus, eos recte gererent, quam bene cum genere humano ageretur. Sed magistratus quidem constituere, fuit Dei opus: quod autem improbi ad eos provehantur, et eis non ut decet utantur, est hominum improbitatis.

V. Dicit ergo oportere magnas Deo gratias agere, quod sint et reges, et judices. Certo enim ordine et modo constitutæ hominum administrationis curam gerens, et ne plus quam ferino ritu multi viverent, providens, veluti quamdam currus regendi artem, et navis gubernandæ scientiam, magistratus et regna largitus est. Si ergo sis princeps, aut magistratum geras, benigno Deo age gratias, quod tantæ curæ et diligentiæ tibi data sit occasio. Si privatus, rursus age gratias, quod habeas qui tui curam gerat, nec permittat ut te improbi insidiis circumventum opprimant. Seu ad senectutem perveneris, seu sis juvenis, Deo age gratias. Hoc enim maxime probat hic Psalmus per omnia, quod

[1] Psal. CXLVIII, 11, 12. — [2] Rom. XIII, 4.

oporteat Deum laudare pro omnibus, seu sis magistratus, seu privatus : et ideo hoc significans dixit : « Et omnes po- » puli. » Seu fueris, inquit, senex, seu juvenis, seu vir, seu mulier. « Quia exaltatum est nomen ejus solius. » Alius : « Quia supereminens. Confessio ejus super terram et cœ- » lum. » Alius : « Et hymnus ejus. Et exaltabit cornu populi » sui. Hymnus omnibus Sanctis ejus, filiis Israël, populo » appropinquanti sibi [1]. » Quod autem dicit, est ejusmodi : « Ostendi ex iis, quæ videntur, omnibus ejus providentiam, gloriam, majestatem : » oportet autem ipsum laudare non ob hæc solum, sed etiam absque his : nam ante hæc, et sine his ei obtigit altitudo, gloria, et ab omnibus gratiarum actio. Illud autem : « Ejus solius, » dixit, ut ab iis, qui vere dii non sunt, distingueretur. Deinde evehens rursus audi- torem ad altiorem contemplationem, a terra rursus eum in cœlum transfert. Quemadmodum enim in principio e cœlo in terram descendit : ita ab omnibus, quæ videntur, effert rursus hominem supra cœlum, dicens : « Confessio » ejus super cœlum et terram ; » hoc est, « Etiamsi supernæ potestates, quæ sub aspectum non cadunt, et intelligentia sola comprehenduntur, non cessant Deo gratias agere et laudare, Deus tamen, qui talis est, et tantus, nos quoque dignatus est suum populum vocare : nec solum vocare, sed etiam erigere et extollere. Et ideo subjunxit : « Et exalta- » bit cornu populi sui, » hac rursus ratione ad majorem ejus cultum attrahens, et ostendens se non eorum cultu et veneratione indigentem : quomodo enim, cui natura est attributa gloria, et tot et tantæ subjectæ sunt creaturæ? sed propter solam bonitatem eos sibi peculiares effecisse et familiares, clarosque et insignes reddidisse per universum orbem terræ. Quod quidem significans dixit : « Hymnus » omnibus Sanctis ejus, filiis Israël, populo appropinquanti

[1] Psal. CXLVIII, 13, 14.

» sibi. » Ne eos enim ideo socordiores et supiniores redderet, quod eos populum ejus diceret : et in hoc solo nomine fiduciam collocantes, animæ virtutem negligerent, postquam dixit : « Hymnus omnibus : » non dixit absolute : « Hominibus, » sed : « Sanctis ejus : » et rursus postquam dixit : « Filiis Israël, » adjecit, « Populo appropinquanti sibi. » Alius autem interpres pro eo quod est « Hymnus, » dixit « Laus : » quod ergo dicit, est ejusmodi : « Si sancti sitis, si ei appropinquetis, magnam gloriam consequemini. Sunt enim ejus omnia perennia et perpetua, ut qui sit tam dives, et tantam gloriam habeat. Oportet autem nostra quoque deinceps consequi, et nos etiam insignem splendorem assequemur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CXLIX.

Cantate Domino canticum novum [1].

I. Si spectetur quidem anagoge, dictum est Novi Testamenti novum canticum. Facta sunt enim tunc nova omnia. Testamentum : « Statuam enim, inquit, vobis testamentum » novum [2]; » creatura : « Si qua enim, inquit, in Christo » nova creatura [3]; » homo : « Exuentes, inquit, veterem » hominem, et induentes novum qui renovatur in agnitio- » nem secundum imaginem ejus qui creavit ipsum [4]. » Propter novam ergo vitam, et alia omnia, dicitur Novum

[1] Psal. CXLIX, 1. — [2] Jer. XXXI, 31. — [3] 2 Cor. V, 17. — [4] Coloss. III, 9, 10.

Testamentum, et novum ejus canticum adhortatur nunc canere Propheta. Si autem spectetur historia, novum est canticum, quod pro victoriis, pro rebus recte gestis, pro successu prospero, pro tropæis, ac triumphis clarum et insigne erant decantaturi. « Laus ejus in Ecclesia Sancto-» rum[1]. » Vides quomodo ante verba requirit gratiarum actionem, quæ fit per vitam et bona opera, et hos deducit in chorum laudantium? Non sufficit enim verbis solum gratias agere, nisi etiam factorum virtus concurrat. « Laus » ejus in Ecclesia Sanctorum. » Aliud quoque hic docet. Ostendit enim oportere simul et cum omni concentu laudes offerre. Ecclesia enim est nomen conventus et congregationis. « Lætetur Israël in eo qui fecit eum[2]. » Ante singularia beneficia ponit generale, per ea quæ subjunxit propemodum adhortans et dicens : « Age Deo gratias, quod cum non esses, te produxerit, et tibi animam inspiraverit. Non est enim hoc quoque parvum genus beneficii. Hic autem aliquid etiam ostendit amplius. Non solum enim ostendit creationem, sed etiam familiaritatem et conjunctionem demonstrat sic dicendo, et jubet gratias agere, non solum quod ipsum fecerit, sed etiam quod suum populum. Vides quomodo eum uniens et conjungens Deo, non vult eum solummodo gratias agere, sed cum gaudio, cum lætitia, ardentique et incitato animo. Hæc enim omnia significavit per illud, « Lætetur. » Ejus ergo, qui agit gratias, requirit affectionem, ut ardeat desiderio, ut excitetur amore, ut Deo qui laudatur, totus omnino dedicetur; sicut hoc ipsum quoque alibi significans, dicebat : « Quemadmodum » desiderat cervus ad fontes aquarum : ita desiderat anima » mea ad te, Deus[3]. » Et rursus : « Sitivit anima mea ad » Deum fortem, vivum[4]. » Et rursus : « Sitivit te anima » mea : quam multipliciter tibi caro mea, in terra deserta,

[1] Psal. CXLIX, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Id. XLI, 2. — [4] Ibid. 3.

» invia et inaquosa[1] : » quod quidem alius interpres dixit : « Sicut in terra sitibunda. » Volens enim sui animi affectionem et desiderium ostendere, eum comparat terræ sitibundæ, et cervo sitienti. Rursus quoque verbis ostendit idem desiderium, dicens : « Quando veniam et apparebo » ante faciem Dei[2] ? » Tales enim sunt Sanctorum animæ, sicut anima Pauli, quæ, quod excessus ex hac vita differretur, ingemiscebat[3]. « Et filii Sion exultent in rege suo[4]. » Vides eum significare, id quod antea dixi, per familiaritatem et conjunctionem esse electum ejus populum ? Et ideo subjunxit illud : « In rege suo. » Non erat enim solum rex ratione opificii, sed etiam ratione conjunctionis. « Laudent nomen ejus in choro[5]. » Vide rursus et hunc resplendere concentum. Ideo enim instituti sunt chori, ut omnes simul concordibus animis laudes offerant. Hoc enim significat Paulus, per hoc quod dicit : « Non relinquentes » congregationem suam[6]. » Hoc autem significat etiam precatio, quæ simul affertur ab omnibus : « Pater noster » qui es in cœlis, » et, « Dimitte nobis debita nostra, » et, « Ne nos inducas in tentationem, » et, « Libera nos a malo[7],» nomine plurali ubique utentes. Ita etiam docebantur antiquitus cum numeroso concentu Deo canere et psallere, omni ratione instituti ad charitatem et concordiam. « In » tympano et psalterio psallant ei[8]. »

II. Nonnulli quidem horum instrumentorum rationem sumentes anagogice, dicunt tympanum quidem requirere carnis nostræ mortificationem, psalterium autem, ut in cœlum aspiciatur. Hoc enim instrumentum a superna parte movetur, non ab inferna, ut cithara. Ego autem illud dixerim, eos per hæc instrumenta olim sic ductos fuisse, propter

[1] Psal. LXII, 2, 3. — [2] Id. XLI, 1. — [3] 2 Cor. V, 7. — [4] Psal. CXIIX, 2. — [5] Ibid. 3. — [6] Hebr. X, 25. — [7] Matth. VI, 9 et 12, 13, et Luc. XI, 2-4. — [8] Psal. CXLIX, 3.

ingenii eorum hebetudinem, et quod paulo ante avulsi essent a simulacris. Quemadmodum ergo concessit sacrificia, ita etiam hæc permisit, ad imbecillitatem eorum se accommodans. Ab eis ergo hic exigit ut canant cum gaudio. Hoc enim sibi vult illud : « Laudent nomen ejus in choro, » cum modulato concentu, cum vita pura. Deinde eos rursus ad majorem animi alacritatem excitans, dicit ejus, qui canitur, in eos benevolentiam ; subjungit enim : « Quia bene» placitum est Domino in populo suo [1]. » Quid cum hac possit prosperitate conferri, quando Deus fuerit clemens et propitius? « Et exaltabit mansuetos in salute [2]. » Vide rursus quomodo ponat et quæ Dei sunt, et quæ hominum. Quemadmodum ergo superius ab eis gratiarum actionem exigens, quæ Dei sunt intulit dicens : « Quia beneplacitum est Do» mino in populo suo : » ita etiam hic rursus quæ Dei sunt promittens, ea etiam exigit quæ sunt hominum, dicens : « Et exaltabit mansuetos in salute. » Exaltare enim est Dei : mansuetum autem esse, hominum. Quæ enim a Deo proficiscuntur, non fiunt nisi præcesserint ea quæ sunt hominum. Vide autem doni magnitudinem. Non dixit : Salvabit quoquo modo, » sed, « Exaltabit in salute. » Hoc est : « Non solum liberabit a malis : sed faciet etiam claros et conspicuos, cum salute eis quoque præbens gloriam. » Hoc itaque explanans rursus subjunxit dicens : « Exultabunt » Sancti in gloria [3]. » Quemadmodum illic requirit mansuetos : ita hic etiam Sanctos. Deus enim ubique sua omnia ostendit cum miraculis. Ita eos liberavit ab Ægypto, ita eos reduxit a Babylone, non solum in liberatione, sed etiam in rerum gestarum miraculo eos clariores efficiens. « Lætabuntur in cubilibus suis [4]. » Magnam ostendit securitatem, quando hæc subjungit, magnam quietem, magnam lætitiam, magnam voluptatem. Hæc autem dicit, ut sciant non

[1] Psal. CXLIX, 4. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 5. — [4] Ibid.

suis armis, nec suis viribus, sed Dei auxilio id totum factum esse, et oportere id attrahere per humilitatem et mensuetudinem. « Exaltationes Dei in gutture eorum, et » gladii ancipites in manibus eorum. Ad faciendam vin- » dictam in nationibus, increpationes in populis [1]. » Ostendit hic bellum cum chorea gerendum, et ipsos, si canant et laudent, superaturos esse. Exaltationes enim dicit hymnos, Psalmos, gratiarum actiones. Et ideo « Exaltationes » alius dicit « Hymnos. Ad faciendam vindictam in nationibus, » increpationes in populis. » Quid hoc est? Quoniam qui vicerant, assidue probra in eos ingerebant, pollicetur se rebus ipsis eos redarguturum, et ostensurum non Dei imbecillitatem, sed ipsorum peccata dedisse eis victoriam. Cum itaque satis pœnarum dedissent, solum annuit benignus et clemens Deus, et res eorum in admirabilem venere mutationem. Vide autem insignem victoriam. Subjungit enim et dicit : « Ad alligandos reges eorum in compe- » dibus, et nobiles eorum in manicis ferreis [2]. » Vidisti vires ingentes? Non solum enim expulerunt hostes ac rejecerunt, sed, iis etiam captis, reversi sunt, Dei potentiam » omnibus ostendentes. Ut faciant in eis judicium conscrip- » tum [3]. » Quid est, « Judicium conscriptum? » Apertum, manifestum, quod est in confesso, quod non potest dari oblivioni. Quæ enim Dei sunt, sunt ejusmodi, ut et rerum gestarum magnitudine et miraculorum excellentia in omne tempus extendantur. Talis ergo erit, inquit, victoria, et tale tropæum, ut sit omnibus manifestum, æque apertum ac si esset in columna scriptum, et nunquam delebitur. « Gloria hæc est omnibus Sanctis ejus [4]. » Quænam ea est? Vicisse, vel potius non absolute vicisse, sed ita vicisse per Dei opem, per supernum auxilium. Vide autem quomodo rursus assidue meminit Sanctorum, eos ad bene instituendæ

[1] Psal. CXLIX, 6, 7. — [2] Ibid. 8. — [3] Ibid. 9. — [4] Ibid.

vitæ et virtutis studium excitans. Mihi autem videtur non victoriam tantum dicere gloriam, sed laudes, hymnos, et cantica, docens per omnia, quod qui Deum laudant, magnam gloriæ accessionem suscipient, et se clariores efficient, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

EXPOSITIO

IN PSALMUM CL.

Laudate Deum in Sanctis ejus [1]. *Alius,* In Sancto suo. *Alius,* In Sanctificato suo.

I. Vel hoc hic dicit de populo, vel de vita sancta, et de sanctis viris. Vide autem quomodo librum rursus concluserit gratiarum actione, docens nos oportere hoc esse principium et finem eorum, quæ et facimus et dicimus. Et ideo dicit Paulus : « Omne quodcumque facitis in sermone et » opere, semper gratias agite Deo et Patri per ipsum [2]. » Ita etiam precationis nostræ proœmium hinc capit initium. Dicere enim. « Pater noster, » est eorum qui agunt gratias propter dona quæ acceperunt, et ea omnia per hoc nomen ostendunt. Qui enim dixit patrem, confessus est filiorum adoptionem. Qui autem confessus est adoptionem, justitiam, sanctificationem, redemptionem, peccatorum remissionem, suppeditationem sancti Spiritus prædicavit. Oportet enim hæc omnia prius extitisse, ut nos filiorum adop-

[1] Psal. CL, 1. — [2] 1 Cor. III, 17.

tione sic fruamur, et qui patrem vocemus, digni habeamur. Mihi autem videtur aliud quoque innuere dicens : « In Sanctis » enim suis, » id est, per Sanctos suos. Gratias ergo agite quod talem vivendi formam in vitam introduxerit, vel etiam homines Angelos effecerit. Et ideo cum prius dixisset : « In » Sanctis, » subjunxit : « Laudate eum in firmamento virtutis » ejus [1] : » id quod jam dixi, indicans. Hoc est enim Deo magis curæ quam illud. Cœlum enim propter hominem, non propter cœlum homo factus est. Alius autem pro eo quod est, « In firmamento, » dixit, « Indelebili. » Alius, « In » firmamento imperii ejus. » Porro aliud quoque mihi videtur significare, sicut in priori Psalmo. Quemadmodum enim illic dixit : « Laudate eum Angeli ejus : » ita etiam hic dicit: « Laudate eum in firmamento ejus. » Hoc est, « Qui estis in firmamento ejus. » Non cessat enim assidue supernas quoque potestates assumere socias laudationis. « Laudate » eum in virtutibus ejus [4]. » Alius, « Per potentias ejus. » Hebræus autem dicit: « Begeburothau. » Hoc est autem quod dicit: « Laudate eum propter vires ejus, propter potentiam ejus, propter miracula ejus, propter virtutem, quam ostendit per omnia, quæ sunt infra, quæ sunt supra, quæ communiter fiunt, et quæ privatim, quæ sigillatim et quæ perpetuo. « Laudate eum secundum multitudinem magni- » tudinis ejus [3]. » Et quomodo fieri potest ut laudem emittat, quæ ejus magnitudinis multitudini respondeat? Non dicit laudem quæ respondeat, sed quantam, inquit, potes animo comprehendere multitudinem ejus magnitudinis, tantam et talem offer : quantum tibi conceditur, qualem par est offerre magno Deo et supra modum magno, eum qui homo est. Nemo enim potest dignam offerre. Vidisti desiderium animi? vidisti inflammatam mentem, quæ urget, invitat, et contendit, ut et propriam imbecillitatem

[1] Psal. cl, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Ibid.

superet, et ad ipsum deinceps cœlum evolet, quæ Deo est colligata, et ei magno desiderio addicta? « Laudate eum in » sono tubæ. » Alius, « Per sonum cornæ. Laudate eum in » psalterio et cithara. » Alius, « Per nablum et lyram. Lau- » date eum in tympano et choro, laudate eum in chordis » et organo. » Alius, « Per chordas et citharam. Laudate eum » in cymbalis bene sonantibus : laudate eum in cymbalis » jubilationis. » Alius, « In cymbalis significationis. Omnis » spiritus laudet Dominum [1]. » Alius, « Respiratio. » Movet omnia instrumenta, et jubet per omnia offerri Deo modu- lationem, eorum animum accendens et excitans. Quemad- modum ergo Judæis per omnia instrumenta : ita nobis præcipitur laudare Deum per omnia membra, per oculos, per linguam, per aures, et per manus. Quod quidem Pau- lus quoque significat dicens : « Exhibete corpora vestra hos- » tiam vivam, sanctam, Deo bene placentem, rationalem » cultum vestrum [2]. » Laudat enim oculus, quando non in- tuetur impudice : et lingua, quando psallit : et auris, quando improbas cantilenas et accusationem proximi non suscipit : et mens, quando dolos non struit, sed plena est charitate : et pedes, quando non currunt in vitium, sed ad res bonas gerendas : et manus, quando non ad furta et rapinas, nec ad pulsandum et verberandum, sed ad eleemosynam, et ad eos defendendos quibus fit injuria, extenduntur. Tunc enim fit homo numerosa cithara, numerosam et spiritualem modulationem Deo offerens. Illa autem instrumenta tunc illis permissa fuerant, et propter eorum imbecillitatem, et quod eos in charitate et concordia contemperarent, et mentem eorum excitarent, ut lubenter facerent quæ eis erant utilia, et quod per talem animi delectationem vellet eos ad majus studium adducere. Cum enim Deus intelli- geret quam essent illiberales, socordes et supini, eos hac

[1] Psal. CL, 3-6. — [2] Rom. XII, 1.

ratione excitare voluit, eorum in assidendo laborem et assiduitatem jucunda modulatione temperans. Quid est autem « In cymbalis significationis? » Psalmos ita dicit. Neque enim temere cymbalum pulsabant, nec temere cithara sonabant, sed quantum fieri poterat, per cymbala, per tubas et per citharam ostendebant significationem Psalmorum, et labor studiumque quod in hæc conferebant, afferebat eis magnam utilitatem. « Omnis spiritus lau- » det Dominum [1]. » Postquam enim vocavit eos, qui sunt in cœlis, postquam populum excitavit, postquam omnia instrumenta commovit, ad omnem deinceps naturam egreditur, omnem deinceps ætatem vocans ad modulationem, senes, viros, juvenes, impuberes, mulieres, et omnes qui orbem terræ habitant : ex hoc loco Novi Testamenti jam semina dejiciens, iis, qui per universum orbem terræ extensi sunt. Deum ergo perpetuo laudemus, nec pro omnibus gratias agere et verbis et factis intermittamus. Hoc est enim nostrum sacrificium, et oblatio. Hoc est optimum ministerium, quod decet angelicam vitæ institutionem : et si Deum ita laudare perseveremus, et præsentem vitam absque ulla offensione peragemus, et bona futura consequemur. Quæ detur nobis omnibus consequi gratia et miserationibus Domini nostri Jesu Christi : cum quo Patri cum sancto Spiritu gloria, honor, imperium, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Psal. CL, 6.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

CONSTANTINOPOLITANI

ARCHIEPISCOPI,

INTERPRETATIO IN ESAIAM.

PROLEGOMENA.

Hujus Prophetæ excellentiam ex ipso maxime ejus opere percipere licet. Illam vero perfectius declarat Paulus, qui accuratius omnibus ejus virtutes noverat, utpote qui tanta cum plenitudine Spiritus loqueretur. Ejus enim loquendi libertatem, animum minime servilem, excelsam mentem, magnamque in prophetia de Christo perspicuitatem ostendens, hæc omnia uno verbo complexus est dicens : « Isaïas » autem audet, et dicit : Inventus sum a non quærentibus » me : palam apparui iis, qui me non interrogabant [1]. » Multa item commiseratione plenus erat. Non modo enim contra populi amentiam insurgebat, neque tantum libera lingua, et animo sublimiore imminentes illis ærumnas cum multa fiducia prænuntiabat; sed etiam in ipsis calamitatibus, non minus quam ii, qui in ipsas inciderant, dolebat et cruciabatur, acerbiusque lugebat, quam ii ipsi qui malis premebantur. Atque omnium, ut ita dicam, Prophetarum

[1] Rom. x, 20.

Sanctorumque talis mos erat, ut vel patrum amorem affectu erga contribules (4), quos regebant, superarent, et naturæ tyrannidem longo spatio anteirent. Nemo enim, nemo utique tanto amoris affectu erga prolem flagrabat, quanto illi ad mortem usque erga eos, quos moderabantur, lacrymantes, lugentes, pro illis dira patientibus Deum obsecrantes, simul abducti in miseriarum consortium; nihil non agentes et patientes, ut illos a superna ira et ab ingruentibus rebus tristibus eriperent. Etenim nihil ad suscipiendam rempublicam aptius, quam anima philosophiæ plena, misericordiæ addicta. Ideo Moysem illum magnum in administrationis publicæ solium Deus evexit, quia ille prius suum erga populum amorem operibus exhibuerat : posteaque dicebat : « Si quidem dimittis illis peccatum, dimitte; » sin minus, et me dele de libro quem scripsisti [1]. » Et ille ipse [Esaïas] illos cernens pereuntes, dicebat : « Dimittite » me, amare flebo. Ne contendatis consolari me super con- » tritione filiæ generis mei [2]. » Jeremias vero, post urbis excidium, longas edidit lamentationes. Ezechiel porro, cum illis profectus est, tolerabiliusque putabat in aliena, quam in propria terra degere, e re maxime fore existimans, si calamitate oppressis ad consolationem præsens esset, aliorumque res curaret ac dirigeret. Daniel autem pro reditu illorum, viginti et plures dies jejunus mansit, nullamque non sollicitudinem adhibuit in supplicando Deo, ut illos ab amara servitute redimeret. Singuli quoque Sancti hoc splendoris genere fulgent. Sic et David immissam in populum iram Dei cernens, in se vindictam revocabat dicens : « Ego pastor peccavi, et ego pastor malum perpetravi, et » isti, qui grex sunt, quid fecerunt? Fiat manus tua super » me, et domum patris mei [3]. » Abraham vero patriarcha, cum procul esset a malis, et nihil commune haberet cum

[1] Exod. xxxii, 31, 32. — [2] Isaï. xxii, 4. — [3] 2 Reg. xxiv, 17.

pernicie illa Sodomitas invasura, quasi ipse in mediis calamitatibus consisteret, ita Deum precabatur et rogabat, neque finem facturus erat supplicandi ut dirum incendium averteret, nisi Deus, illo dimisso, abiisset. Sancti porro Novi Testamenti majorem exhibuere virtutem, utpote majori gratia donati, et ad diuturniora certamina vocati. Ideo Petrus Christum audiens dicentem divitibus difficillimum esse cœlorum ingressum, angebatur et tremebat, atque ita sciscitatus est : « Quis ergo potest salvari [1] ? » etiamsi circa res suas confideret. Non enim de rebus suis, sed de orbe solliciti erant. Paulus certe per omnes Epistolas suas illud indicat, qui prius habebat hominum salutem, quam Christum videre, ita dicens : « Resolvi et cum Christo esse me» lius est, manere autem in carne magis necessarium prop» ter vos [2]. » Talem nobis servat formam hic Propheta. Dei namque sententias cum magna fiducia profert, peccatores increpat; ipsumque contra illos exasperatum longis frequenter sermonibus placat : quod in fine maxime prophetiæ videre est. Tandem ipsum adeundum est prophetiæ exordium.

CAPUT I.

Visio, quam vidit Esaïas [3].

I. Visionem vocat prophetiam, vel sic loquitur, quod multa eorum, quæ eventura erant, sub aspectu haberet : quemadmodum Michæas vidit populum dispersum [4] : et

[1] Luc. xviii, 26. — [2] Philip. i, 23, 24. — [3] Isaï. i, 1. — [4] 3 Reg. xxii, 17.

Ezechiel captivitatem ac prævaricationem eorum, qui solem et Thamuzem adorabant [1] : vel quia, id quod Prophetæ a Deo audiebant, ipso rerum conspectu nihil minus haberet; sed perinde fidem faceret, secus quam in rebus hujus mundi. Quod enim alio audirent modo, quam reliqui homines, id ille ait : « Addidit mihi aurem ad audiendum [2]. » Sermonem autem fide dignum reddit, cum ait : « Visio, » auditoremque excitat, et ad eum, qui res exhibuit, transmittit. Mos enim erat omnibus, qui Dei dicta in alios transmittebant, illud ante alia constituere, se nihil a semetipsis loqui : sed divina ab se proferri oracula et scripta ex cœlis delata. Sic David aiebat : « Lingua mea calamus scribæ ve» lociter scribentis [3]. » Ne putes igitur litteras ex calamo prodire, sed ex dextera tenentis eum; id est, non ex lingua David, sed ex gratia ipsam movente. Alius vero Propheta idipsum declarans dicebat : « Caprarius eram syco» moros evellens [4]; » ne quis dicta humanæ sapientiæ ascriberet. Neque hoc dicto contentus fuit, sed aliud addidit his verbis : « Sed ego repletus sum fortitudine in Spi» ritu Domini, et judicio et potentia [5]. » Gratia quippe illos non modo sapientes, sed etiam fortes efficiebat, non corporis constitutione, sed mente. Quia enim cum populo rem habebant audace, et impudente, ac sanguini Prophetarum inhiante, Sanctorumque cædem moliente; multa certe illi egebant fortitudine, ut ne eorum impetum formidarent. Ideo Jeremiæ dicitur : « Posui te ut columnam ferream et » ut murum æreum [6]. » Ezechieli autem : « In medio scor» piorum tu habitas, ne timeas a facie eorum, neque for» mides [7]. » Moyses quoque cum mitteretur, non Pharaonem tantum, sed et populum judaïcum metuens, recusasse

[1] Ezech. VIII, 14. — [2] Isaï. L, 4. — [3] Psal. XLIV, 22. — [4] Amos VII, 14. — [5] Mich. III, 8. — [6] Jer. I, 18, et VI, 27. — [7] Ezech. II, 6.

mihi videtur [1]. Deum igitur alloquens, barbaro dimisso, ediscere ingenti studio peroptabat, quid dicendum ipsis esset non credentibus, se a Deo missum accedere. Signaque accepit ad illorum mentem subigendam opportuna : et merito quidem. Nam si unus illorum ipsum ita exterruit, et quidem beneficio affectus, quid passum esse verisimile est turbulentum illum populum mente revolventem? Ideo non sapientiæ modo, sed etiam fortitudinis spiritum accepit, et ideo dicebat ille : « Repletus sum fortitudine in Spiritu » Domini, et judicio, et potentia. » Aliusque iterum : « Ver» bum Dei factum est ad Jeremiam filium Chelciæ [2]. » Et alius rursum : « Assumptio Ninives : Liber visionis Nahum » Elcesæi [3]. » Hic ipse quoque Esaïas, altero verbo idipsum quod prius declarat, Spiritus participationem vocans assumptionem. Quoniam enim a Spiritu assumpti sic loquebantur, operationem gratiæ ita vocavit. Idcirco Paulus omnibus Epistolis apostolatus nomen præmittit : quod etiam Prophetæ faciebant, cum dicerent : « Visio, et verbum et assumptio, et sermo; » idipsum ille per apostolatus nomen efficiebat. Sicut enim is, qui dicit visionem et sermonem Dei, non propria effert; sic et qui seipsum Apostolum vocat, non sua docet, sed ea quæ jussit is qui misit. Apostoli namque dignitas est per se nihil offerre. Idcirco dicebat Christus : « Ne vocetis magistrum super terram : unus enim est ma» gister vester, qui est in cœlis [4]; » ostendens omne dogmatum nostrorum principium, radicem desuper ex cœlorum Domino accepisse, etiamsi homines sint qui ad illa ministrant. « Quam vidit Esaïas. » Quomodo hæc, quæ vident Prophetæ, videant dicere non nostrum est; visionis quippe modum non possumus interpretari; sed ille solum clare novit, qui experientia didicit. Etenim si naturæ opera

[1] Exod. IV, 10. — [2] Jer. I, 1. — [3] Nahum. I, 1. — [4] Matth. XXIII, 8-10.

et affectus sæpe nemo explicare potest; multo minus modum operationis Spiritus. Quod si obscuris imaginibus audacter quis id aggredi possit, non certe ita poterit ut clarum id reddat; sed in ænigmate id efferet. Mihi quidem videtur id ita factum esse in Prophetis; ut cum aquæ limpidæ natura radios solares excepit, tota illustratur; sic et Prophetarum animas, propria virtute prius expurgatas, donum Spiritus accipere, et ad fulgorem illum concinnatas, ita futurorum notitiam admittere. « Filius Amos [1]. » Cur patrem commemorat? Aut ad tollendum æquivocum, aut ut addiscamus patris vilitatem filii virtutem non obscurare: nobilitatemque esse, non ex præclaris majoribus oriri, sed ex propria magnitudine. Hic certe ex ignobili patre natus, omnibus illustrior evasit, propriæ virtutis excellentia fulgens. « Quam vidit contra Judæam et contra Jerusa-» lem [2]. »

II. Cur distincte utrumque locum commemorat? Quia pœnæ divisim inflictæ sunt, diversisque temporibus: Deo id sapienter dispensante, ne omnes una perirent, sed sensim et paulatim, ut abductorum supplicio cæteri resipiscerent. Quod si pharmaco non fuerint, ut par erat, usi, non medici, sed ægrotorum culpa erit. Id autem facit semper et in singulis generationibus, non omnes simul in eadem peccata lapsos plectens; nam alias totum genus nostrum jam olim sublatum esset, sed ab aliis hic pœnas repetit, leviorem hinc illis parans in alia vita cruciatum, atque æqualibus ipsorum mutationis in melius magnam occasionem suppeditat: illos autem qui neque ex proprio motu, neque ex tali dispensatione quidpiam lucrari volunt, ad inevitabilem et tremendum judicii diem reservat. « In regno Oziæ, » et Joathan, et Achaz et Ezechiæ, qui regnarunt in Judæa [3]. » Opportune tempus adjicit, studiosum auditorem remittens

[1] Isaï. 1, 1. — [2] Ibid. — [3] Ibid.

ad historiam rerum gestarum. Ita enim prophetia facilius intelligetur clariorque erit, si discamus qua rerum conditione, et quo in statu judaïcarum plagarum, Prophetæ pharmaca concinnarent. « Audi cœlum, et auribus percipe » terra, quia Dominus locutus est [1]. » Multa plenum est ira hoc exordium. Nisi enim ingens esset et ineffabilis indignatio, nequaquam missis hominibus, ad elementa sermonem vertisset Illud vero facit non modo iræ declarandæ causa, sed ut eos qui audituri erant, ingenti pudore suffunderet, ostendens eos qui ratione decorati essent, pejus se habere, quam elementa sensu carentia. Id quod etiam cæteris Prophetis in more est. Idcirco is qui ad Jeroboam missus fuerat, omisso rege ad quem mittebatur, altare alloquitur [2]. Et Jeremias terram vocabat dicens : « Terra, terra, terra : » Scribe hunc virum, virum proscriptum [3]. » Aliusque rursum dicebat : « Audite valles, fundamenta terræ [4]. Filios » genui [5]. » Non commune omnibus hominibus hic ponit beneficium, quod nempe facti essent, sed insigne quodpiam, quod filii effecti essent. Semper enim beneficia inferre incipit Deus. Ac quemadmodum cum hominem crearet, qui non ante fuerat, cum in principio honoravit dicens, « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nos- » tram [6]; » in nova autem lege majori nos ornavit beneficio ; non solum enim nihildum operatos, sed etiam innumeris malis onustos honoravit per lavacrum regenerationis; ita et hic videre est : nam eos,qui non modo in adoptione nihil boni egerant, sed etiam lapsi fuerant, honoravit. Nec vero quia ante labores honorare solet, post labores mercede privat; sed tunc majora confert præmia. « Et exal- » tavi [7]. » Quæ in Ægypto, quæ in deserto, quæ in Palæstina gessit, uno verbo carptim tetigit. Mos enim Deo est ob

[1] Isaï. I, 2. — [2] 3 Reg. XIII, 1. — [3] Jer XXII, 29, 30. — [4] Mich. VI, 2. — [5] Isaï. I, 2. — [6] Gen. I, 26. — [7] Isaï. I, 2.

beneficiorum copiam, in narratione gestorum non minutatim insistere. « Ipsi autem spreverunt me [1]. » Transgressi sunt, inquit, legem meam, mandata dereliquerunt. « Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini » sui [2]. » Comparationes accusationi accessionem parant, maxime vero, cum ex inæqualibus concinnantur : quemadmodum et Christus ait : « Viri Ninivitæ surgent in judicio » cum generatione hac, et condemnabunt eam [3], » ac rursum : « Regina Austri surget in judicio, et condemnabit » generationem hanc; quia venit ex finibus terræ audire » sapientiam Salomonis [4]. » Rursusque Jeremias ait : « Ite » ad insulas Chetiim, et videte in Cedar. Mittite et cognos- » cite, si mutabunt gentes deos suos : populus vero meus » mutavit gloriam suam, ex quo nihil proficiet [5]. » Docet legem non duram esse, et quantam mensuram exigat ab hominibus, quam bruta, et bruta omnium stupidissima implere possint. Sed dixerit quispiam : « Illa in natura habent quod cognoscant. » Sed possumus ea, quæ bruta ex natura sua faciunt, ex proposito voluntatis implere. « Cognovit bos » possessorem. » Non ex doni excellentia in medium adducit, sed ex nequitiæ redundantia illorum auget reprehensionem. Quemadmodum enim ad illorum pudorem elementa evocat; ita non hominibus, sed brutis ipsos comparat, ac brutorum stupidissimis, illisque pejores esse ostendit.

III. Idem facit et Jeremias, turturem et hirundinem in medium evocans [6]; et Salomon, nunc ad formicam [7], nunc ad apem [8] mittens eum qui otiose vivit. « Israël autem me » non cognovit [9]. » Accessio malitiæ est, cum ii, qui familiares erant, post tot honores, omnes confertim ad malitiam

[1] Isaï. I, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Luc. XI, 32. — [4] Ibid. 31. — [5] Jer. II, 10, 11. — [6] Id. VIII, 7. — [7] Prov. VI, 6. — [8] Eccli. XI, 3. — [9] Isaï. I, 3.

sponte confugiunt. Non dixit: « Jacob, » sed « Israël, » ut ex virtute progenitoris ingratum nepotum animum magis ostenderet. Ille enim animi virtute benedictionem in nomine expressam promeruit : illi vero ob iniquitatem ipsam prodiderunt. « Et populus meus me non intellexit [2] : » me, inquit, sole clariorem. « Væ genti peccatrici [3]. » Hoc etiam Prophetis in more fuit, ut eos lugerent, qui incurabili morbo laborarent. Sic et Jeremias multis in locis ; sic et Christus cum dicit : « Væ tibi Chorazi, væ tibi Bethsaïda [3]. » Nam hoc etiam doctrinæ species est. Quem enim sermo non potuit reformare, luctus persæpe emendavit. « Populo pleno » peccatis [4]. » Alia accusationis accessio, quod omnes, quod admodum [peccatores sint.] « Semini nequam [5]. » Non originem eorum vituperat, sed ostendit eos a prima ætate improbos fuisse. Sicut enim Joannes cum dicit : « Serpen- » tes, genimina viperarum [6], » non naturam vituperat : non enim dixisset : « Facite igitur fructus dignos pœnitentiæ [7], » si ex natura et ab ortu tales fuissent ; sic et hoc loco cum dicit : « Semini nequam, » non ortum probro dat illis. « Filiis exlegibus [8]. » Non dixit : « Prævaricatoribus, » sed « Ex- » legibus, » qui non meliori essent affectu, quam si legem nunquam excepissent. Sed propositi differentiam significat. « Dereliquistis Dominum, et ad iracundiam provocastis [9]. » Per emphasim hoc dixit. Sufficiebat enim nomen Dei ad accusationem : qua de re Jeremias expostulat dicens : « Quia ab illo defecerunt, et dæmonibus adhæserunt [10]. » Sanctum Israël [11]. » Hæc quoque criminationis accessio est, quia cum communis omnium Dominus sit, ipsis tunc (proprie) notus erat. « Abalienati sunt retrorsum. Quid ultra » percutiemini addentes prævaricationes [12] ? » Maxima dam-

[1] Isaï. I, 3. — [2] Ibid. 4. — [3] Matth. XI, 21. — [4] Isaï. I, 4. — [5] Ibid. — [6] Matth. III, 7, et XXIII, 33. — [7] Id. III, 8. — [8] Isaï. I, 4. [9] Ibid. — [10] Jer. I, 16. — [11] Isaï. I, 4. — [12] Ibid. 5.

natio, cum ne ex suppliciis quidem meliores fiunt. Illudque species beneficii erat, quod punirentur. Neque enim dicere possent Deum honorasse tantum et beneficiis affecisse, peccantes autem dimisisse; sed ille honoribus attrahebat, et suppliciorum timore ad meliorem frugem revocabat, et inter utraque illi incurabili morbo detenti manebant. Omne genus medicinæ exhibuit, secans, urens : morbus tamen non cessit, quod maxime signum est incurabilis ægritudinis, cum non potest quis remedium accipere. « Omne ca» put ad laborem, et omne cor ad tristitiam. A pedibus » usque ad caput non est in eo integritas, neque vulnus, » neque vibex, neque plaga tumens [1]. » Deinde narrat cruciatus et supplicia : neque enim minor hæc est species beneficii et honoris ipsis collati. Omnes enim, inquit, afflixi, eosque in dolorem conjeci. Si omne caput in laborem, quomodo non est vulnus, neque vibex? Vulnus, reliquo corpore sano, tunc apparet vulnus. Quod si totum exulceratum fuerit, non ultra vulnus apparebit. Hoc igitur significat totum corpus fuisse ulceribus plenum : neque aliud sanum, aliud ulceratum fuisse, sed totum intumuisse ; totum ulcus unum fuisse. « Non est malagma apponere. » Hoc priore gravius est. Morbo enim laborare non ita grave est, ut ægrum non posse sanari : præsertim cum talis sit medicus. « Neque oleum, neque lig amina. » Ut cum emphasi loquatur, perstat in eadem metaphora : in hoc enim sita est metaphoræ præstantia. « Terra vestra deserta [2]. » Hæc non ut jam facta annuntiat, sed ut futura prædicit. Hoc utuntur more Prophetæ, simul auditorem terrentes, et suæ veritatis vim ostendentes. Ut enim quæ præterierunt, non possunt non facta esse; sic quæ futura a Prophetis prænuntiata sunt, fieri nequit ut non contingant, nisi pœnitentiam agant illi qui supplicio sunt plectendi. « Civitates

[1] Isaï. 1, 6. — [2] Ibid. 7.

» vestræ succensæ igni [1]. » Non enim illas omnino delevit, sed permisit ut incendii barbarici reliquiæ superessent, quæ magis ad intuentium aspectum pertingere possent. « Regionem vestram coram vobis alieni devorant, et deso-» lata est subversa a populis alienis [2]. » Calamitatis accessio est, cum propriæ miseriæ spectatores sunt, nec solo auditu illam discunt. « Derelinquetur filia Sion, quasi tentorium » in vinea, et sicut tugurium in cucumerario [3]. »

IV. Magnum quidpiam in se continent illæ imagines, maximeque in Scriptura, ad amplificationem sermonis. Jerusalem autem vocat filiam Sion, quod ei monti subjecta sit. « Sicut tentorium in vinea, et sicut tugurium in cucu-» merario. » Sublato namque fructu, summotisque colonis, superflua deinceps fuerit structura urbis. « Sicut urbs » quæ obsidetur [4]. » Hoc ænigmatice dicitur ad infirmitatem et derelictionem ejus declarandam. Cum enim nullus est qui auxilietur, tunc necesse est obsideri eos, quibus una superest murorum tutela. « Et nisi Dominus Sabaoth dere-» liquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, et quasi » Gomorrha similes essemus [5]. » Mos est semper Prophetis non illa solum prædicere mala, quæ passuri sunt prævaricatores, sed etiam ea quæ digni sunt perpeti; ut in ipso supplicii tempore, multas habeant Deo gratias, quod non pro merito scelerum, sed multo leviores luant pœnas. Hoc etiam dicit hoc loco, peccata nempe eorum, non ea solum quæ dicta sunt, sed etiam internecionem expetiisse, universæque gentis exitium : quæ etiam in Sodomitis contigerunt. Dei autem benignitas hæc fieri non sivit, sed pœnam peccato longe leviorem inflixit. Quia vero multa est affinitas Vetus inter et Novum Testamentum; jure illa Paulus est usus : et convenientius quam Propheta dixit. Quemad-

[1] Isaï. 1, 7. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 8. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Ibid. 9.

modum enim illo tempore, nisi magna fuisset Dei misericordia, omnes abrepti fuissent, sic in tempore Christi adventus, nisi gratia apparuisset, graviora his omnes passi essent. Dereliquit autem nobis semen : de iis qui a captivitate servati sunt, loquitur. « Audite verbum Domini prin» cipes Sodomorum, attendite legem Dei nostri populus » Gomorrhæ [1]. » Quando dixit illos esse dignos qui eadem paterentur, quæ Sodomitæ, ostendit eos eadem ausos esse quæ Sodomitas. Ideo illos a communi appellatione nominat. Nisi enim hoc esset, non opportuna fuisset locutus. Quod enim nunc non in Sodomitas invehatur, sed in Judæos, illos sic appellans ob nominis convenientiam, quæ sequuntur indicant. Nam sacrificia commemorat, oblationes, aliumque legalem cultum, cujus ne vestigium quidem erat apud Sodomitas. « Legem Dei nostri » in argumentum profert. « Quid mihi multitudo sacrificiorum vestro» rum? dicit Dominus. Plenus sum holocaustis arietum, et » adipem agnorum sanguinemque taurorum et hircorum » nolo [2]. » Psalmus quadragesimus nonus totus huic loco similis est; aliis quidem verbis, eadem vero contextus sententia : illis enim, « Advocabit cœlum desursum et terram » discernere populum suum [3], » simile est hoc dictum : « Audi » cœlum, et auribus percipe terra, quia Dominus locutus » est, » et cætera cum his consentiunt. Quemadmodum enim David dicit : « Non in sacrificiis tuis arguam te, holo» causta autem tua in conspectu meo sunt semper [4]; » sic et Esaïas ait : « Quid mihi multitudo sacrificiorum vestro» rum, dicit Dominus. » Ac rursus David dicit : « Non acci» piam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos [5]; » Esaïas vero; « Holocausta arietum, et adipem agnorum, et » sanguinem taurorum et hircorum nolo. » Nam quia accu-

[1] Isaï. 1, 10. — [2] Ibid. 11. — [3] Psal. xlix, 4. — [4] Ibid. 8. — [5] Ibid. 9.

sati frequenter quod cæteris virtutibus vacui essent, pro maxima defensione sacrificia obtendebant, ut quæ frequenter persolvebant; merito uterque Propheta, imo potius cæteri omnes ab hac defensione illos exturbant. Unde planum est ea non esse per se præcipue constituta, sed ut ad rectum vitæ institutum cæterasque virtutes illos deducerent. Quia vero illi, cæteris quæ necessaria erant neglectis, his incumbebant, se illa demum non admittere dicit Deus. « Neque veneritis ut appareatis mihi [1]. » Si accesseritis, inquit, ad templum. « Quis enim quæsivit hæc de manibus vestris [2] ? » Certe totus ille liber, qui Leviticus dicitur, de sacrificiorum accuratione leges exhibet. In Deuteronomio quoque et in aliis plurimis locis multæ de sacrificiis sparsæ sunt leges. Quare igitur dicit : « Quis requisivit hæc » de manibus vestris ? » Ut discas illam non fuisse præcipuam Dei voluntatem, ut talia sancirentur; sed ab eorum infirmitate initium illas leges duxisse. Quemadmodum enim nolebat mulierem semel viro conjunctam repudiari; graviora tamen mala succidens, ne, repudiare vetiti, illas invisas uxores intus jugularent, minus malum permisit [3] : sic et circa rem hanc fecit, ut dæmonibus immolare prohiberet, id quod minime volebat admisit, ut quod volebat assequeretur. Hoc ipsum rursus Amos propheta declarans dicebat : « Num victimas et hostias obtulis- » tis mihi quadraginta annis, dicit Deminus [4] ? » Jeremias quoque ait : « Non sunt hæc quæ mandavi patribus » vestris [5] ? »

V. Quoniam enim dæmones hoc culti sunt modo, ipse, ne quæpiam hinc infirmioribus perniciei occasio oriretur, hæc frequenter per Prophetas omnes denuntiat. Hæc cum

[1] Isaï. I, 12. — [2] Ibid. — [3] Deut. XXIV, 1. — [4] Amos V, 25. — [5] Jer. VII, 21.

non darentur, illi indignabantur, ac frequenter instabant, nidorem et fumum exigentes, dicentesque :

« Hunc enim honorem nos sortiti sumus. »

Ipse vero id neque ab initio petiit, et quando jussit, ostendit se non libentem hæc permittere; neque hoc tantum hinc patet, sed etiam quia cito solvit, et quia cum illa persolverent non admisit, atque uno verbo per omnia significavit hujusmodi cultum et ritum majestate sua longe indignum esse. Hoc itaque ait : « Propter vos hæc toleravi, neque his opus habui. « Calcare atrium meum non appo» netis [1]. » Aut captivitatem prædicit, aut etiam hoc vetat, quia non cum recto animo ingrediebantur. « Si offeratis » mihi similam, vanum [2]. » Mandatorum enim alia propter se ipsa, alia aliam ob causam constituebantur; ut Deum nosse, non occidere, non mœchari, et quæcumque talia, propter utilitatem inde provenientem sanciebantur; sacrificare autem, incensum offerre, sabbatum servare, et similia rursum, non ut hæc fierent simpliciter, sed ut ex eorum exercitio a dæmonum cultu abducerentur. Quia igitur hæc quidem persolvebant, sed nullam inde utilitatem percipiebant, sed adhuc dæmonibus addicti erant, jure hæc quoque ejiciuntur : quandoquidem merito quis arborem excidat, foliis et ramis ornatam, sed fructu vacuam. Nam colonus omnem curam circa arborem adhibet, non corticis aut trunci causa, sed ut fructum decerpat. « Incen» sum abominatio mihi est [3]. » Vides-ne eum non de natura eorum, quæ sibi offerebantur, gavisum esse, sed offerentium mentem exploravisse? Ideo fumum et nidorem ex sacrificio Noë surgentem, odorem suavitatis vocavit, incensum vero, abominationem. Nam, ut dicebam, non naturam do-

[1] Isaï. 1, 12. — [2] Ibid. 13. — [3] Ibid.

norum, sed affectum offerentium requirit. « Neomenias » vestras, et sabbata [1]. » Observandum est eum nihil eorum, quæ necessaria sunt, excludere, sed hæc, quæ etiam Christus adveniens abrogavit. Quamobrem Paulus vehementiore usus sermone, cum contra Judæos pugnaret, non hæc solum, sed et alia his plurima afferens, eos, qui nihil ex se (virtutis) exhiberent, nihil inde lucri referre dixit, his verbis; « Si autem tu Judæus cognominaris, et requies- » cis in lege, et gloriaris in Deo, et nosti voluntatem ejus, » et probas utiliora, instructus per legem [2]. » Et rursus : « Circumcisio quidem prodest, si legem observes; si au- » tem prævaricator sis, circumcisio tua præputium facta » est [3]. » Nec quidpiam fructus eos inde percipere dicit, quod lex eis concredita sit, quia non crediderunt; id quod alio modo David subindicans dicebat : « Peccatori autem » dixit Deus : Quare tu enarras justitias meas [4]. » Quia enim de audita lectione legis supra modum alte sentiebant, cum operibus vacui essent, ex hac jactantia etiam Paulus illos deturbavit dicens : « Qui ergo altum doces, teipsum non » doces? qui prædicas non furandum, furaris [5]? » Et David similiter dicens : « Si videbas furem, currebas cum eo, et » cum adulteris portionem tuam ponebas [6]. Et diem mag- » num non admitto [7]. » Pentecosten dicit, scenopegiam, Pascha, et reliquas celebritates. « Jejunium et vacationem » ab opere, et festivitates vestras odit anima mea [8]. » Humano more ipsos alloquitur. « Facti estis mihi ad satieta- » tem [9], » ad fastidium, ad odium. Id ejus ineffabilem patientiam ostendit, quod sæpe peccantes tulerit, nec prius vindictam sumpserit, quam nequitiæ magnitudine ipsum scelesti evocarint. « Non ultra remittant peccata vestra [10]. » Non

[1] Isaï. I, 14. — [2] Rom. II, 17, 18. — [3] Ibid. 25. — [4] Psal. XLIX, 16. — [5] Rom. II, 21. — [6] Psal. XLIX, 18. — [7] Isaï. I, 14. — [8] Ibid. — [9] Ibid. — [10] Ibid.

ultra patiar. Idipsum est id quod ait David : « Hæc fecisti, » et tacui [1]. Cum extenderitis manus vestras ad me, aver- » tam oculos meos a vobis : et si multiplicaveritis depreca- » tionem, non exaudiam [2]. » Inde liquet nullam esse ora- tionis utilitatem, quantumlibet longa sit, quando is, qui pre- catur, in peccatis perseverat. Nihil enim virtuti par est, necnon voci quæ per opera comprobatur. « Manus enim » vestræ sanguine plenæ sunt [3]. » Hoc est, homicidæ : at non di- xit : « Homicidæ, » sed, « Plenæ sanguine, » indicans illos me- ditate peccatis addictos fuisse, et ubique cum vehementia.

VI. Estque illud mansuetudinis ejus indicium, quod cum comminatur, rationem afferat. Causas enim addit, cur non admittat orationem. « Lavamini, mundi estote [4]. » Cur, cum dixerit : « Non ultra remittam peccata vestra, » consilium dat, et cum ostenderit ipsos incurabili morbo laborare, emendationem inducit? Mos est Deo, etiam cum commi- natur, de salute desperationem efferre, ut augeat metum, neque hic loquendi finem facere, ut bonam spem subji- ciat, et sic rursum ad pœnitentiam revocet. Idque ubique fieri videre est. Erga Ninivitas certe id non verbis, sed ope- ribus fecit. Verbis enim nihil boni pollicitus, sed solum supplicium post comminationem adesse monstrans; quia barbari omnes, quæ suarum partium erant, præstiterunt, iram cito sedavit. Sic et rursus in Psalmo David; jam enim dixi ipsum iis prorsus similia loqui, quæ in hoc proœmio habentur. Ac sicut hic ait : « Lavamini, mundi estote, » post comminationes; sic et ille postquam dixerat : « Arguam » te, et statuam contra faciem tuam iniquitates tuas [5], » ad- didit : « Sacrificium laudis honorificavit me, et illic iter » quo ostendam eis salutare Dei [6]; » laudem vocans eam, qua per opera gloria Deo refertur, et cognitionem divinorum.

[1] Psal. XLIX, 21. — [2] Isaï. I, 15. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 16. — [5] Psal. XLIX, 21. — [6] Ibid. 23.

Ut vero, cum audirent, « Lavamini, mundi estote, » non solitas illas purificationes cogitarent, subjecit : « Auferte » malitias ab animabus vestris a conspectu oculorum meorum, cessate a nequitiis vestris [1] ; » virtutis facilitatem ostendit, et potestatis arbitrium, quia penes ipsos erat ut mutarentur. « Discite bonum facere [2]. » Usque adeo ex ingenti malitia virtutis cognitionem abjecerant. Sic et Propheta David dicit : « Venite, filii, audite me : timorem Do- » mini docebo vos [3]. » Omni quipe scientia hæc superior est, quæ eo majori eget studio, quod plura habeat impedimenta, naturæ nempe tyrannidem, liberi arbitrii ignaviam, dæmonum insidias, negotiorum turbam. Sic et Baruch : « Hic Deus noster, non reputabitur alius ad eum : invenit » omnem viam scientiæ. Exquirite judicium [4]. » Hoc est injuriis affectos ulcisci, qua in re multo labore et vigili animo est opus. Ideo dixit : « Exquirite. » Multa enim sunt, quæ justitiam obscurent, et nempe dona, ignorantia, potentia, pudor, timor, personarum cultus, ac multa opus est vigilantia. « Liberate eum qui injuria afficitur [5]. » Hoc majus est priore : non enim exigit ut justa decernantur, sed ut ad exitum etiam perducantur. « Judicate pupillum, et jus- » tificate viduam [6]. » Multam habet rationem Deus, ne quispiam male patiatur ; majorem vero, cum ii, qui male patiuntur, alia circumdati sunt calamitate. Viduitas enim et pupillaris ætas per se sunt intolerabiles. Cum autem ab aliis damno afficiuntur, tunc duplex est naufragium. « Et venite, » et disceptemus, dicit Dominus [7]. » Observandum est ubique apud Prophetas nihil Deum ita requirere, quam ut injuria affecti vindicentur. Sic et alibi ut apud Michæam, dicentibus Judæis : « Si dabo primogenita mea pro impie- » tate mea, fructum uteri mei pro peccato animæ meæ [8], »

[1] Isaï. I, 16. — [2] Ibid. 17. — [3] Psal. XXXIII, 12. — [4] Baruch. III, 36, 37. — [5] Isaï. I, 17. — [6] Ibid. — [7] Ibid. 18. — [8] Mich. VI, 7.

subjunxit : « Annuntiabo tibi, homo, quid sit bonum, »et quid Dominus requirat a te, nisi ut facias judicium, » et diligas misericordiam, et paratus sis ad ambulandum » post Dominum Deum tuum [1]. « Ac rursus propheta David dicebat : « Misericordiam et judicium cantabo tibi, Do- » mine [2]. Et venite. » Postquam justificationibus communivit, tunc ad tribunal trahit, et postquam docuit quomodo crimina exuant, tunc rationes exposuit, ne illos defensione destitutos deprehendens condemnet. « Et dis- » ceptemus. » Judicio contendamus, ait. Qui judicio contendit, fit patronus et medicus. Deinde cum declarasset nos, etiamsi magna opera fecerimus, adhuc ejus clementia opus habere, ut a peccatis liberemur, ait : « Si fuerint peccata vestra sicut vermiculus, quasi nivem dealbabo [3], » ex diametro oppositas qualitates assumens, pollicitusque se in contrarium id mutaturum. « Si autem ut coccinum, quasi » lanam dealbabo [4]. » Magna vis præsidii erga viduas exhibiti; siquidem animam ita sordidam, ut nequitiæ tinctura acceperit, non modo liberat a malitia, sed etiam ita splendidam efficit. « Et si volueritis, et exaudieritis me, bona » terræ comedetis. Si autem nolueritis, nec exaudieritis » me, gladius devorabit vos. Os enim Domini locutum est » hæc [5]. » Quia enim crassioribus non ita optabile et jucundum videtur liberari a peccatis, quam iis frui bonis, quæ in præsenti vita talia esse videntur, cum illis hæc etiam promittit; nam hoc ex illo pendet.

VII. Deinde ostendens quam facilis sit virtus, in voluntate tantum illam ponit. Ut ne autem ex bonorum commemoratione animos solveret, rursus in terribilibus sermonem concludens, fidem facit ejus virtuti, qui hæc pronuntiavit. « Quomodo facta est meretrix civitas fidelis Sion [6]? » Hu-

[1] Mich. VI, 8. — [2] Psal. C, 1. — [3] Isaï. I, 18. — [4] Ibid. — [5] Ibid. 19, 20. — [6] Ibid. 21.

jusmodi quæstio et dicentis dolorem, et ingentem Judæorum stupiditatem declarat, remque præter spem accidisse innuit. Similiter Paulus circa Galatas dubius exquirit: « Miror quod tam cito transferimini [1]. » Id quod accusandi et hortandi species est, ut ad virtutem revocet. Etiamsi enim mirum est id quod dicitur, laude tamen mixtum est, sic accusationem graviorem faciens. Non enim ita exagitamus eos qui nullius sunt pretii, vitamque ignave agunt, ut eos qui prius virtutis studiosi videbantur, et improborum deinceps morem secuti sunt. Meretricem autem hic vocat, non corpoream subindicans lasciviam, sed ingratum erga Deum animum, quæ fornicatio gravior est illa. Illic enim homo contumelia afficitur, hic Deus contemnitur. Id autem et hic et alii omnes Prophetæ faciunt: « Quia Deus mariti loco huic civitati dignatus est haberi, ineffabilem suam erga illos dilectionem commonstrans: » illique ut de viro et uxore sæpe loquebantur; non ut in humanam crassitiem deprimerent, sed ut illos per res sibi familiares ad cognitionem amoris Dei deducerent. Simul vero turpitudinis appellatione illos incessere volebant. « Fidelis, » hoc est, pia, et omni virtute plena: unde etiam palam est eum non de fornicatione corporea loqui; alias enim dixisset: « Civitas casta; » id enim fuisset meretrici oppositum. Nunc autem ostendens se per fornicationem subindicare impietatem, fidem ipsi adversariam posuit. « Plena judicii [2], » id est, plena justitiæ. Rursus maximum crimen, non quod ad universam nequitiam defecissent, sed quod universam virtutem prodidissent, et omnes bonorum divitias confertim e manibus abjecissent, ad extremam malorum paupertatem dejecti. « In qua justitia requievit in ea [3]. » Misit, inquit, habitavit, id est, plantata est, radices posuit, cum alacritate ab omnibus civibus exercebatur. In prioribus laudibus

[1] Gal. 1, 6. — [2] Isaï. 1, 21. — [3] Ibid.

immoratur, simul augens accusationem de mutatione, et bonam spem subjiciens, ostendensque facile ipsos posse in pristinum statum restitui. « Nunc autem interfectores. » Homicidæ ait. « Argentum vestrum reprobum [1]. » Id est, male signatum, illegitimum, falsum. « Caupones tui mis- » cent vinum aqua [2]. » Quia in exordio eorum nequitiam non speciatim recensuit; sed ait illos contempsisse, semen improbum esse, et filios iniquos : quod convitium videbatur esse potius, quam accusatio; hic accusationes speciatim enuntiat, et primo, quod est et primum malorum, et medium et extremum, avaritiam, et circa pacta cauponariam artem. At quidam ineffabilem Dei sapientiam non intelligentes, hoc per anagogem dictum acceperunt. « Neque enim, aiunt, magnus ille et sublimis Esaïas de nummulariorum vafritie, et de cauponum corruptela locutus fuisset. » Sed argentum hic dicit eloquia Dei, et vinum doctrinam, quam permiscebant suas addentes disciplinas. Ego vero hanc explicationem non improbo, sed aliam veriorem esse dico. Non modo enim non indignum Propheta et de talibus loqui; sed valde dignum et illo et Dei benignitate. Et quid opus est multa dicere? Cum enim unigenitus Dei Filius sublimem afferens doctrinam advenit, cumque angelicum vitæ institutum disseminaturus esset, non pauca et ipse de mensuris disseruit, deque iis quæ viliora videbantur esse, de salutationibus, de medio loco, de primo accubitu. Nam hæc, quæ exigua videntur esse, si negligantur, magni peccatorum fomites sunt. Quod si in Novo Testamento hæc dirigenda erant, multo magis in Veteri, quando crassiores auditores erant, et tota illorum vitæ ratio hinc regebatur, cum populus his magis erudiretur, ut procul omni nequitia esset, et in nullo proximum fraudaret, neque per malam illam cauponariam pauperiores opprimeret.

[1] Isaï. I, 22. — [2] Ibid.

VIII. His namque neglectis, sæpe civitates subversæ, et principes de solio deturbati sunt, bellaque inexpiabilia suscitata ; quemadmodum his observatis, pax multa et tranquillitas fuit, necnon securitas ad virtutem deducens. « Principes » tui inobsequentes sunt[1]. » Maximæ ægritudinis et perversitatis signum est, quando medici morbos adaugent. Principum enim est populi dissolutos mores compescere, recte ordinare, ipsumque legibus obtemperantem reddere. Cum autem ipsi primi leges transgrediuntur, quomodo aliis doctores fuerint ? Illud enim, « Inobsequentes sunt, » id est, « Non obsequuntur legi, præcepta non servant : » id quod etiam Paulus ipsis crimini dat dicens : « Qui ergo alium doces, teipsum non doces[2] ? » Quando ergo radix corrupta fuerit, de ramis quid boni conjicias ? « Socii furum. » Accessio criminis, quod non solum mala non coërceant, sed conatus in contrarium vertant ; non modo fures non oppugnent, sed et ipsis jungantur, ex diametro oppositam virtuti principum nequitiam adeuntes. « Diligentes munera. » Altera gravis species famis auri, quæ fucatum quidem habet argumentum, sed benevolentiæ obtentu extremam avaritiam prodit. « Persequentes retri- » butionem. » Memoriam injuriarum erga inimicos servantes, mala retribuere conantur iis, qui se injuria affecerunt, quæ est ingens malitiæ species : quamobrem non in Novo tantum Testamento, sed etiam in Veteri, magno studio coërcetur. « Malitiam enim, inquit, proximi sui ne revocet » quisque vestrum in corde suo [3]. » Ab hoc enim nequitiæ genere purum esse oportet populum, multoque magis principem, qui subditis in judicio præcipere debet, ut ponant inimicitias, ne portus in scopulum vertatur. « Pupillis non » judicantes. » Id est, iis non patrocinantes, ut jus suum obtineant. « Et judicio viduarum non attendentes[4] » Ob-

[1] Isaï. I, 23. — [2] Rom. II, 21. — [3] Zach. VII, 10. — [4] Isaï. I, 23.

servandum non modo malum perpetrare, sed etiam bonum non agere, crimini dari, quemadmodum etiam in Novo Testamento. Nam qui esurientem non alunt, non quia aliena rapuerunt, sed quia sua egenis non erogarunt, in gehennæ ignem mittuntur [1]. Sic igitur hi nunc incusantur, non quod alienis bonis inhient, non quod injuste potentia utantur, sed quod egenis officiosam manum non tendant. « Propter hoc hæc dicit dominator Dominus Sabbaoth, » potens Israël [2]; » id est, populi. Non sine causa illud « Po- » tens, » posuit; sed in memoriam revocans illis ea, quæ præter spem consecuti sunt, beneficia, gravesque, quas passi sunt, pœnas. Quia enim, cum sæpe et multa peccassent, et magnam Dei patientiam experti essent, in ignaviam inciderunt; id certe vult declarare, quod videlicet possit, quando vult, vindictam sumere, sine ulla servata temporis vel opportunitatis occasione, sed omnia sibi semper parata et ad manum esse. « Væ fortibus Israël : non » enim cessabit furor meus contra inimicos meos [3]. » Quid enim miserius iis, qui Deum habent inimicum? « Non ces- » sabit, » inquit, non ut in desperationem conjiciat, sed ut timorem augens ad pœnitentiam vocet. Nam illo, « Non ces- » sabit furor, » terribilius est illud, « Contra inimicos meos. » Nihil enim ita Deum ad iram concitare solet, ut injuria pauperibus facta. Væ autem fortibus dicebat, non quod potentiam, sed quod potentiam ad malum adhibitam criminaretur. Fortitudinem vero hic non corporis dicit, sed eam potentiam, quæ ex rebus circumstantibus paritur. « Et » judicium faciam de inimicis meis. » Plectam inimicos meos, inimicos suos vocans inimicos pauperum, qui illis damnum inferunt : id vero dicebat ut discas injustitiæ magnitudinem. « Et inducam manum meam super te, et exco- » quam te ad purum [4]. » Ut discas qualiscumque sit ira

[1] Matth. xxv, 41. — [2] Isaï. 1, 24. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 25.

Dei et vindicta, eam non in malum, et ut pœnæ inferantur solum infligi, sed ut ii, qui puniuntur, ad meliorem frugem revocentur. « Et excoquam te, inquit, ad purum. » Non ergo cum castigamur, sed cum peccamus nos dolere par est : illud enim sordes, hoc purgationem parit. Quid autem est, « Ad purum? » Ut ne vestigium quidem sordis in te maneat. Quod enim auro ignis est, hoc ignavis supplicium. « Inobedientes vero perdam, et auferam omnes ini- » micos a te, et omnes superbos humiliabo [1]. » Qui enim, inquit, insanabiliter ægrotant, nec suppliciis cedunt, hi peribunt. Nam quæ utilitas ex eorum vita, quando, dum vivunt, et sibi et aliis insidiantur? Qui autem ex eorum supplicio meliores fieri possunt, ii manebunt. Hic porro mihi videtur captivitatem subindicare. « Et præficiam judices » tuos, sicut prius, et consiliarios tuos, sicut ab initio [2]. »

IX. Hic reditum annuntiat. Iis enim, qui insanabiliter ægrotabant, sublatis, et iis, qui resipiscentiam exhibere poterant emendatis, opportune reliquam curationis speciem adhibet : ea probatorum principum dominatus, et consiliariorum bonorum copia, ut corpore remediis cedente, medicisque optimis astantibus, urbis partes undique ad sanitatem revocarentur. Non enim parvum beneficii genus est, principes nancisci bonos. « Et post hæc vocaberis civitas » justitiæ, metropolis Sion fidelis [3]. » Atqui nusquam reperimus hoc nomen urbi Jerosolymorum inditum. Quid ergo dixerimus? Hanc appellationem ex rebus ipsis illi attribuit. Illud vero nobis non parum utile erit, cum Judæi a nobis petent vocis Emmanuël interpretationem. Esaïas namque dixit Christum sic vocandum fore, et tamen nunquam sic vocatus est; respondeamus ipsis eum dixisse rerum significationem ipsius nomen esse. Sic etiam hic faciendum. « Cum judicio enim salvabitur captivitas ejus, et cum mi-

[1] Isaï. 1, 25. — [2] Ibid. 26. — [3] Ibid.

» sericordia [1]. Cum judicio, » id est, cum vindicta, cruciatu et supplicio inimicorum. « Cum misericordia, » hoc est, cum multa benignitate. Duo hic ipsis maxima dona pollicetur, scilicet tunc pœnas daturos eos qui se abduxerant, tuncque se multa fruituros esse felicitate, quorum utrumque seorsim magnam potest afferre voluptatem ; cum autem ambo concurrerint, inenarrabilis lætitia fuerit. Aliunde vero ostendere volens, post longam captivitatem eos, non quod dignas pœnas dederint, nec quod peccata sua expiaverint, sed propter benignitatem Dei, in suam reduci terram, quæ salus magis est misericordiæ, quam retributionis vel præmii, ideo subjunxit : « Et cum misericordia. Et » conterentur iniqui et peccatores simul [2]. » Tertia hæc est species beneficii, quod nemo sit qui abducat et in fraudem trahat, sed nequitiæ doctores de medio sublati sint. « Et » qui dereliquerunt Dominum, consummabuntur [3]. » Impii autem, inquit, peribunt. « Quia nunc confundentur in ido» lis suis, quæ ipsi voluerunt [4]. » Quidam hæc dicta huic tempori aptare conantur. At nos non confutabimus illos, sed seriem sequemur. Hæc quippe sunt quæ eventura dicit in hostium incursu. Cum enim, barbaro terram incursante, urbem obsidente, et omnes quasi retibus inclusos tenente, nemo fuerit qui defendat, et nubem illam depellat, eo quod a Deo derelicti fuerint, jure ex ipsa rerum experientia, tunc magno pudore suffundentur ii qui coluerunt idola. « Quæ voluerunt, » inquit, in quibus studia sua collocarunt. « Et erubescent in sculptilibus suis, quæ fecerunt [5]. » Narrantis more accusationem instituit. Sufficiebat enim, etiam ante inflictum vulnus, vel ipse idola conficiendi modus ad eos pudore afficiendos. Quid enim turpius, quam sibi ipsi Deum facere ? « Et confundentur super hortis suis, quæ

[1] Isaï. I, 27. — [2] Ibid. 28. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 29. — [5] Ibid.

» concupiverunt[1]. » Non solum enim sculptilia adorabant, sed etiam arbores in hortis colebant. « Erunt enim quasi » terebinthus, quæ folia sua amisit[2]. » Scilicet idola, vel etiam eos, qui urbem incolebant. Imaginem porro arboris hujus induxit, quia in illa regione nascebatur et frequens erat, et quia admodum floret et densa foliis est, dum viret, et extremam deformitatem præ se ferat, cum folia amiserit. « Et sicut hortus non habens aquam[3]. » Secunda imago priore clarior est, et fidem facit iis, quæ in priore dicta sunt. Nihil enim est horto virente jucundius, nihil horto his destituto injucundius, quæ ambo illi metropoli contigerunt. Semper enim optima erat et splendidissima, innumeris decorata ornamentis, et omnium vilissima turpissimaque facta est, cum tantas derepente ornamentorum divitias amisisset. « Et erit fortitudo eorum quasi stipula » stuppæ[4]. » Priores quidem imagines ad injucundum spectaculum captæ sunt; hæc vero ad infirmitatem declarandam. Omnes autem admodum perspicuæ sunt, multaque gaudent claritate et emphasi. « Quasi stipula stuppæ, » id est, imbecilles. « Et opera eorum quasi scintilla ignis[5]. » Hic ostendit ex seipsis mala prodiisse, ipsosque sibi captivitatem peperisse, et fornacem succendisse. Quemadmodum enim scintillæ illapsæ ignem excitant, ita peccata eorum congesta Dei iram accenderunt. « Et igne consumen- » tur iniqui, et peccatores simul, et non erit qui extin- » guat[6]. » Rursus denegat salutem ob eamdem ipsam causam; non ut desperent, sed ut hinc valido timore perculsi, ingentem ignaviam excutiant. Aliud quoque hic subindicat, ipsius nempe inexpugnabilem potentiam, quodque ipso puniente et vindictam sumente, nemo possit resistere et mala solvere.

[1] Isaï. 1, 29. — [2] Ibid. 30. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 31. — [5] Ibid. — [6] Ibid.

CAPUT II.

Verbum, quod factum est ad Esaïam filium Amos [1].

I. Hinc liquet Prophetas non uno tempore prophetias dixisse, sed diversis afflatos temporibus, partes quasdam annuntiasse, quæ demum simul collectæ, totum librum effecerunt. Ideo sic incipit. Neque hinc tantum id palam nobis est et liquidum, sed quia in sequentibus tempora significat; nunc dicens : « Anno, quo ingressus est Nathan » Azotum [2] ; » nunc vero : « Et factum est, in anno in quo » mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super » solium excelsum et elevatum [3]. » Non enim quemadmodum Pauli Epistolæ et Evangelia in unum collecta sunt, ita et prophetiæ; sed, quod dixi, diversis temporibus. Unde ab alio exordio præsentem sermonem incipit. Neque ideo tantum, sed quia argumentum, de quo locuturus est, longo spatio distat a præcedentibus, sublimiusque est. Agit enim de gentium vocatione, de prædicationis adventu, de cognitione per totum orbem extensa, et de pace orbem occupatura. Quod si de talibus tractaturus dogmatibus, Judæam et Jerusalem memorat, nihil mirum. Quod enim dicebatur prophetia erat, his nominum appellationibus adumbrata. Quandoquidem David Psalmum septuagesimum primum compositurus, illum Salomoni inscripsit, et progressus longe majora Salomonis dignitate, imo potius tota hominum natura vidit. Illud enim : « Ante solem per-

[1] Isaï. II, 1. — [2] Id. XX, 1. — [3] Id. VI, 1.

» manet nomen ejus [1], » et, « Ante lunam thronus ejus [2], » similiaque, nemo, etiam ex insipientioribus, dixerit de humana natura pronuntiata fuisse. Jacob quoque, cum hæc, quæ nunc dicturus est Esaïas, imo his plura prænuntiabat [3]; nam cum gentium vocatione mortem etiam et resurrectionem dixit, tempusque, quo (Christus) adventurus erat, non tamen ille hæc nude protulit; sed persona et nomine filii sui illa obtegens quæ dicturus erat, sic prænuntiavit, quasi ea quæ Judæ eventura erant memorans; ut autem rerum eventus testificatur, quæ Christus egregie facturus erat prædicebat. Neque enim Judas fuit expectatio gentium; neque tunc tribus resplenduit, cum eorum respublica defecit; sed hæc omnia tunc gesta sunt, cum Christus advenit. Quod si impudenter agant Judæi, hanc prophetiæ legem perperam explicantes, ex iis maxime quæ dicta sunt facile confutaverit, si quis accurate prophetias explicans, et omnia verba cum debita attentione examinans, dicta factis accommodet. Ex abundanti itaque ipsorum ora obturans, non ex iis quæ de Christo dicta sunt, sed ex iis quæ sunt de Patriarchis ipsorum prænuntiata, hoc ipsum clare demonstrare conabor, ostendens ex prophetiis multas dictas fuisse de tribuum progenitoribus, in eorumque nepotibus impletas esse. Et exempli causa una alterave allata historia, rem propositam attingam. Etenim cum Symeonem et Levi vocasset Jacob, prænuntians ea, quæ ipsis eventura erant, sic dicebat : « Symeon et Levi fratres [4], » et incusata illorum iniquitate, injustaque Sicemitarum cæde, in sequentibus ait : « Dividam eos in Jacob, et dispergam » illos in Israël [5]. » Hoc autem nemo dixerit in Levi et Symeone factum esse, sed in tribubus ex eis progenitis. Nam tribus Levi dispersa est, ita ut decimam partem ejus una-

[1] Psal. LXXI, 5. — [2] Ibid. — [3] Gen. XLIX. — [4] Ibid. 5. — [5] Ibid. 7.

quæque tribus haberet. Tribus item Symeonis, quæ idipsum fere experta est, per omnes illas extensa per sortem, non quemadmodum aliæ, conjunctam et simul conglobatam habuit hæreditatem. Jacob etiam ex acceptis a patre benedictionibus, nullam ipse consecutus est. Pater enim ipsius longam prosperitatem ipsi prædixerat, et perpetuum in Esaü dominatum. Is vero in rerum necessariarum penuria erat, mercenariusque alebatur, tantumque aberat ut imperium haberet in fratrem, ut de vita periclitaretur, et semel illi obvius cum multo timore factus, bene secum actum putarit quod potuerit manus ejus effugere. Quid igitur ad hæc dicamus? An mendacem esse prophetiam? Absit. Sed ejus morem hunc sæpe esse, ut ea, quæ sunt aliis eventura, aliis personis ascribat, et alia pro aliis nominibus usurpet : id quod etiam in Chanaano factum est; neque enim videmus illum servivisse fratribus suis, neque etiam maledictionem excidisse, sed in Gabaonitis ex Chanaano ortis finem accepisse. Nam id quod dicebatur prophetia erat, maledictionis forma prolata.

II. Cum tot ergo taliaque habeamus exempla, quibus probatur multa, quæ dicuntur, de aliis proferri, et in aliis accidere, et nominibus sic usos esse Prophetas, quid mirum si nunc nomen Judææ et Jerusalem Propheta usurpans, de Ecclesia vaticinetur? Nam quia ingratis loquebatur, Prophetas occidentibus, libros comburentibus, aras suffodientibus, jure velamen ipsis impositum erat in lectione Veteris Testamenti, secundum beatum Paulum. Alioquin libros sustulissent, si prophetiæ de Christo vim intellexissent. Cum enim præsentem ipsum, miracula edentem, perfectamque potentiæ suæ, et consensus concordiæque cum Patre demonstrationem exhibentem, non reveriti sint, neque quieverint donec eum crucifixissent, vix pepercissent iis, qui de ipso loculi essent, quos nihilo minus

frequenter lapidabant. Ideo propriis et notis sibi nominibus libenter utentes, hac persona prophetias adumbrabant. Quod enim non de Judæa et de Jerusalem sermo esset, singula dicta in medium adducentes, accurate demonstrabimus. « Erit in novissimis diebus manifestus mons Do-» mini [1]. » Vide Prophetæ accurationem, qui non solum rem dicit, sed tempus etiam significat : quod enim dicit Paulus : « Cum autem venit plenitudo temporum [2], » et alibi rursum : « In dispensationem plenitudinis temporum [3];» hoc sic exprimit Propheta : « In novissimis diebus. » Montem autem vocat Ecclesiam, et inexpugnabilia dogmata. Quemadmodum enim, si quis adversus montes innumeros objiciat exercitus, arcus tendentes, hastas vibrantes, machinas admoventes, illos quidem nullo damno afficere poterunt, sed consumpta propria fortitudine recedent; sic et quicumque Ecclesiam impugnaverunt, hanc quidem non læserunt, sed sua amissa potentia pudore sunt affecti dum terrent soluti, dum telis impeterent infirmati, dum agerent a patientibus devicti. Qui est sane inopinatus victoriæ modus, quem non homines assequi, sed Deus solus potest. Nam certe in Ecclesia mirabile est, non quod vicerit, sed quod ita vicerit : impulsa enim, vexata, innumeris concussa modis, non modo non minuebatur, sed major evadebat : et eos, qui id facere tentabant, patiendo tantum profligabat : id quod adamas ferro impetitus facit, dum percussus tantum, solvit percutientis robur, stimulique calcitrantibus objecti, non obtusiores inde redduntur, sed calcitrantium pedes cruentant. Ideo sane montem vocavit. Quod si metaphoram non admittat Judæus, domesticam accipiat confutationem. Ipse Propheta dicit lupos et agnos communia pascua habituros, et muscis apibusque Deum sibilaturum, fluviumque vehementem adducturum in Judæos, eo quod

[1] Isaï. II, 2. — [2] Gal. IV, 4. — [3] Ephes. I, 10.

ipsi habere noluerint aquam Siloam. Quæ si quis ad verbum acceperit, sane intelligibilia non sunt. Verum oportet ea, quæ his significantur, accipere, sicque sententiarum seriem varie intelligere. Quænam igitur his significantur? Per lupos et agnos, hominum mores cum ferinos, tum mansuetos indicat : per muscas, impudentiam Ægyptiorum : per fluvium, violentiam exercitus barbari : per Siloam, mansuetudinem moderationemque ejus, qui tunc imperabat, regis Judæorum. Nemoque vel ex insipientioribus circa hæc nobis contradicet. Quemadmodum igitur illa aliis sunt expressa nominibus, sic ille Ecclesiæ firmitatem, immobilitatem, sublimitatem, inexpugnabile robur, montis nomine subindicavit. Et alius Propheta illos qui confidunt in Domino, monti comparat, invictam eorum fortitudinem ostendens. « Manifestus : » id nulla deinceps interpretatione indiget. Sic ipsa rerum natura tuba clariorem emittit vocem, splendorem ostendens Ecclesiæ. Etenim neque sol ita splendidus, neque ejus lux ita clara est, ut sunt res ad Ecclesiam spectantes. « Nam domus Dei supra verticem » montium [1]. »

III. Quomodo hæc interpretatus fuerit Judæus? Templum enim non est supra verticem montium. Ecclesiæ autem potestas ipsos attingit cœlos. Et quasi domus supra verticem montium posita, omnibus est manifesta, sic et multo magis omnibus conspicua hominibus illa evasit. « Et exaltabitur super colles [2]. » Hoc ipsum rursus interpretatus est : quod templo illo nunquam contigit, neque cum maxime florere videretur. Quomodo enim de templo intelligeretur, quod ab ipsis Judæis sæpe inhonorabatur, barbarorumque manibus diruebatur? Ecclesiæ autem fortitudo vehementius sæpiusque quam templum impugnata fuit : nunquam vero cessit se oppugnantium manibus, sed

[1] Isaï. II, 2. — [2] Ibid.

excelsior illustriorque maxime ab hostibus facta est. Tunc Martyrum cœtus, tunc Confessorum multitudo, tunc ferro firmiores animæ ostendebantur, ipsisque stellis splendidiores erant, concisis corporibus, animis minime victis, sed vincentibus et coronatis. Quis vidit, quis audivit cædem gestare coronam? jugulationem victoriam reportantem, tuncque exercitum splendidiorem effectum, cum plures visi sunt ab hostibus jugulari? « Et venient ad eam » omnes gentes[1]. Progressu clarior efficitur Propheta, sermonem magis retegit, dilucidioremque exhibet prophetiam, accuratiusque Judæorum consuit ora. Hoc enim, etiamsi admodum impudentes sint, non poterunt ad templum suum referre. At enim prohibitum erat, idque accuratissime observabatur, ne gentes in templum introirent. Ecquid dico in templum introire, quando ipsis lex cum gravi interminatione prohibebat ne cum gentibus commiscerentur, et extremas de his exigebat pœnas? Certe propheta Aggæus, totam hac in re suam consumpsit prophetiam, incusans, comminans, pœnas repetens de illicita affinitate. At nostra talia non sunt; sed Ecclesia cum omni facilitate sinum suum expandens supinis manibus omnes orbis totius gentes quotidie suscipit. Hoc enim primi illi dogmatum doctores ab Unigenito mandatum acceperunt, hac statim audita voce : « Euntes docete omnes gentes[2]. » Adverte autem quomodo non tantum vocationem gentium subindicavit Propheta, sed etiam earum promptam et alacrem obsequentiam. Non enim dixit : « Adducentur, » sed « Venient : » id quod alius Propheta clarius ostendens dicebat. « Et non doce- » bunt unusquisque concivem suum et unusquisque fratrem » suum dicens : Cognosce Dominum, quia omnes scient me » a parvo usque ad magnum[3]. » Quod ad Judæos (5) enim spectabat creaturæ ordinem suum mutabant, aderant fre-

[1] Isaï. II, 2. — [2] Matth. XXVIII, 19. — [3] Jer. XXXI, 34.

quentes minæ, supplicia assidua, crebra miracula, Prophetarum discursus, legislatoris timor, interminationes bellorum, barbarorum incursiones, a Deo immissæ vindictæ, castigationes ex cœlis invectæ : manebantque illi dura cervice et incircumcisi, ut ait Stephanus, præfracti, et difficile cedentes [1]. Ad gentium vero (vocationem) satis fuit unicum tenuesque verbum audivisse, et omnes confestim accurrerunt. Quod subindicans David dicebat : « Populus, » quem non cognovi, servivit mihi [2], » et modum obedientiæ admirans, subjiciebat : « In auditu auris obedivit mihi [3]. » Hoc ipsum et Jacob ænigmatico more declarans aiebat : « Ligans ad vineam pullum suum, et ad surculum pullum » asinæ suæ [4]. » At quis vidit pullum asinæ surculo alligatum et vineæ astantem, et fructum non pessumdantem? In brutis quidem minime, in hominibus autem id vere et reipsa contingit. Judæi namque innumeris colligati vinculis, jugum confregerunt, vinculum disruperunt, ut ait Propheta; gentes autem nulla simili colligatæ necessitate, prompte obedierunt, quasi pullus surculo alligatus, ex præceptis nihil pessumdederunt, sed astiterunt multam exhibentes obsequentiam. « Et ibunt populi multi, et dicent : Venite, » et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei » Jacob [5]. » Vide choreas agentes, et festa celebrantes, et alter alterum hortantes, omnesque in doctores conversos : neque unam vel duas, vel tres, sed multas gentes concurrentes. Venient enim, inquit, populi multi et ex diversis locis, quod apud Judæos nunquam contigit. Sed si qui accesserunt, hi pauci erant proselyti, et hi cum multo negotio, et nunquam gentes vocati sunt, sed proselyti. « Proselyti enim ad te transibunt, et erunt tibi servi, » inquit. Quod si in metaphora persistat Propheta, montem

[1] Act. VII, 51. — [2] Psal. XVII, 45. — [3] Ibid. — [4] Gen. XLIX, 11. — [5] Isai. II, 3.

appellans, et domum Dei Jacob, ne mireris. Quod enim jam dixi, modo fere aperit, modo adumbrat prophetiam; illud quidem, quo prudentioribus occasionem præbeat, ut quæ dicuntur intelligant; hoc autem, ut ingratorum tumultuosum impetum coërceat, et ubique sermonem variat.

IV. Si autem dixit : « Domum Dei Jacob ne turberis, dilecte : » etenim Unigenitus Dei Filius, Deus Jacob erat. Ipse enim et legem dedit, et omnia apud eos miracula edidit : id quod ex ipso maxime Veteri Testamento videre est, Novi quippe Testamenti nulla ratio est apud Judæos. Jeremias igitur ait : « Disponam vobis testamentum novum, non se» cundum testamentum, quod disposui patribus vestris [1] ; » ostendens ipsum esse utriusque legis latorem. Quia vero ipse ex Ægypto illos eripuit, addidit : « In die, qua appre» hendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti [2]. » Quod si ipse eduxit, etiam ipse illa omnia in Ægypto et in deserto miracula patravit. « Et annuntiabit nobis viam suam, » et ambulabimus in ea [3]. » Vides-ne ut aliam requirunt legem? Viam enim Scriptura præcepta Dei solet appellare : si de priore Testamento loqueretur, non dixisset : « Annuntiabit » nobis. » Illud enim erat omnibus manifestum, planum et notum. Quod autem hæc non captiose dicamus, quæ dicta sunt vel impudentioribus fidem facere possunt. Quia enim viam tantum memoravit, dicit quænam illa sit via, ejusque multa ponit insignia. Subjungit ergo : « Nam de Sion » exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem [4]. » Ad hæc Judæi supra modum impudentes ne hiscere quidem poterunt. Quod enim hæc de Novo Testamento dicta sint, et ex loco, et ex tempore, et ex iis, qui legem receperunt, et ex gestis post legem, et ex omni parte demum videre est. Primo ex loco, ex monte Sion nempe. Lex enim per Moy-

[1] Jer. xxxi, 31, 32. — [2] Ibid. — [3] Isaï. ii, 3. — [4] Ibid.

sem lata in monte Sinaï majoribus ipsorum data fuit. Cur ergo hic dicit : « De Sion ? » Neque hoc satis habuit, sed etiam tempus adjecit. Non enim dixit : « Exivit lex, » sed « Exibit lex, » quod est futuri temporis, rei nondum gestæ. Cum autem hæc Propheta diceret, a multis jam annis lex data fuerat, Novi vero Testamenti lex post plurimos annos danda erat. Ideo non dixit : « Exivit, » sed, « Exibit, » id est postea. Ac rursum ad locum ipsum confugit dicens : « Et » verbum Domini de Jerusalem. » Accurate nobis hic Novi Testamenti insigne ponit. Nam modo in monte sedens, sublimia et cœlis digna præcepta lege sanciebat, modo in Jerusalem versans idipsum agebat. Cum dixisset ergo et locum et tempus, adjicit et eos qui illam accepturi erant legem, undique contradicentium ora consuens. Quinam ergo illum suscepturi erant ? Num Hebræorum potius populus et Judæi ? Nequaquam ; sed qui ex gentibus. Ideo intulit. « Et judicabit inter gentes [1]. » Illud enim maxime ad legem pertinet, judicare de illis qui ipsam impugnant. Quod autem hic non sermo sit de Veteri Testamento, ex ipsis rebus palam est. Non enim sabbatum observamus, circumcisionem non admisimus, non festa illorum, non aliud quidpiam ex veteribus. Audivimus enim Paulum dicentem : « Si circumcidamini, Christus vobis nihil prode- » rit [2] : » et, « Dies observatis, et menses, et tempora, et an- » nos. Timeo ne forte frustra laboraverim in vobis [3]. » Unde liquet hunc sermonem de Novo esse ; quia inter gentes judicavit quemadmodum et Paulus ait : « In die quando » judicabit Deus occulta hominum [4]. » Quomodo judicabit ? dic mihi. An secundum Vetus Testamentum ? Nullo modo, sed, « Secundum Evangelium meum [5]. » Vides-ne verba diversa, sententias autem inter se consentientes ? Esaïas di-

[1] Isaï. II, 4. — [2] Gal. V, 2. — [3] Id. IV, 10. — [4] Rom. II, 16. — [5] Ibid.

cit : « Judicabit inter gentes ; » Paulus ait : « Judicabit secun-» dum Evangelium meum. Et arguet populum multum[1] : » bella gerentes et transgressores. Et hoc declarans Christus dicebat : « Non ego judicabo vos, sed sermo, quem locutus » sum, ipse vos judicabit[2]. Et concident gladios suos in » aratra, et lanceas suas in falces. Et non accipiet gens » contra gentem gladium, et non ultra discent prœliari[3]. » Non satis fuere Prophetæ priora signa. Multa quippe est veritatis facultas. Ideo aliud posuit Novi Testamenti indicium per totum orbem refulgens. Quodnam illud est? Pax et bellorum abrogatio. Quando hæc contingent, inquit, tanta orbem excipiet tranquillitas, ut etiam bellica arma in agriculturæ instrumenta cudantur. Quod in Judæorum temporibus accidisse non comperies : imo res in contrarium abiit. Non cessarunt enim per totum reipublicæ suæ tempus bella inferre et bellis impeti, hostibus illos modo diutius, modo remissius invadentibus. Etenim qui e vicino habitabant, imo etiam qui in Palæstina, gravia ipsis sæpe negotia facessebant, ita ut de extremis periclitarentur.

V. Et hæc perspicue declarat Regnorum historia, tota bellis contexta : ostendunt item Prophetæ omnes, qui hæc gesta narrabant, et antequam fierent prænuntiabant : et ex illa, ut ita dicam, die qua erepti sunt ex Ægypti tyrannide, totam vitam in bellis transegerunt. Verum nunc non ita se res habet : sed magna pax per orbem. Et si bella quædam oriuntur, non perinde ut prius. Tunc enim civitates contra civitates, regiones contra regiones, populi contra populos confligebant : gens una in multas partes scindebatur. Ac si quis librum Josuë et Judicum legerit, sciet quot bella Palæstina brevi tempore susceperit. Neque id solum incommodi erat, sed quod lex omnes arma sumere

[1] Isaï. II, 4. — [2] Joan. XII, 48. — [3] Isaï. II, 4.

juberet, nemoque immunis esset a tali officio. Neque tantum apud Judæos hæc lex invaluerat, sed et ubique terrarum : quandoquidem et rhetores et philosophi, qui nihil præter abollam habebant, ad bellum accersiti, clipeum tractabant, et in acie stabant. Nam Socrates Sophronisci filius, qui ob vitæ tranquillitatem et philosophiam apud Athenienses maxime florebat, semel et bis in acie stetit. Et rhetorum apud illos princeps Demosthenes, ex suggestu ad bellum sæpe prodiit. Quod si rhetores et philosophos nulla lex eximebat a bello, vix quis alius e populo tali immunitate gaudebat. At nihil horum jam conspicere est. Quoniam enim Sol justitiæ refulsit, ac civitates, populi et gentes omnes, tantum abest ut in talibus periculis vivant, ut neque bellica arma tractare sciant, sed intra urbes et muros sedentes, bella procul gesta audiant narrari, totusque populus in libertate vivat, et in acerbi hujus ministerii immunitate. Quod si alicubi nunc bella gerantur, ea procul sunt et in extremis imperii romani limitibus, non per singulas urbes et regiones, ut olim. Tunc enim, ut jam dixi, vel in una gente innumeræ sæpe seditiones oriebantur, et diversa bella : nunc autem quantum terræ spatium sol respicit a Tigride usque ad Britannicas insulas, ipsa tota, et cum illa Africa, Ægyptus et gens Palæstinorum, imo quodcumque romano imperio subjacet, in pace degit. Scitis autem omnes urbes plena frui tranquillitate, solo auditu bella scientes. Poterat certe Christus bellorum reliquias tollere, sed permisit ad castigationem ignavorum, qui pacis occasione segniores evaserint, ut barbarorum adhuc incursiones essent. Propheta certe iis, qui probe intelligere possent, id subindicavit, ut dixi, non ultra fore illas frequentes irruptiones. Non enim dixit : « Non erit omnino bellum; » sed quid ? « Non accipiet gens contra » gentem gladium : » et populorum libertatem adjecit di-

cens : « Non discent amplius præliari, » quibusdam exceptis militibus ad hoc destinatis. « Et nunc tu, domus Jacob, » venite, et ambulemus in lumine Domini. Dimisit enim » populum suum, domum Jacob [1]. » Prophetia de Ecclesia jam absoluta, rursus ad historiam transit, quasi verborum seriem resumens. Talis enim illis mos erat, non dictorum firmitate tantum, sed etiam seriei ratione prophetiam adumbrare. Quapropter non absolutum explet sermonem, sed quasi aliquam trahat catenam, sic ad Judæorum admonitionem rursum transit, et ait : « Et nunc tu, domus » Jacob, venite, et ambulemus in lumine Domini; » id est, in præceptis ejus, in lege ejus : nam præceptum legis est lucerna, et lux et vita, reprehensio et disciplina. Davidque rursum ait : « Præceptum Domini lucidum, illuminans » oculos [2] : » et, « Lucerna pedibus meis lex tua, et lumen » semitis mei [3]. » Et ubique legem ita vocari perspicias. Sic et Paulus ait : « Confidis teipsum esse ducem cæ- » corum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem » insipientium [4]. » Non enim ita solares radii corporeos nostros oculos regunt, ut præcepta legis animæ oculos illustrant.

VI. Propheta igitur ut ostendat, etiam ante præmium et ante mercedem, præcepta, dum implentur, suam afferre mercedem, lumen ipsa vocavit. Quemadmodum enim oculus, dum illuminatur, lucrum refert; sic et anima, cum legi obtemperat, maximum fructum accipit, expurgata, et a nequitia liberata, et ad ipsam ascendens virtutem. Quemadmodum e contrario prævaricatores ante supplicium in ipsa transgressione pœnas dant, miserioreque conditione sunt, quam ii qui sedent in tenebris, timore, tremore et mala onerati conscientia; in meridie etiam

[1] Isaï. II, 5, 6. — [2] Psal. XVIII, 9. — [3] Id. CXVIII, 105. — [4] Rom. II, 19.

ab omnibus metuentes et trementes, sive consciis sibi, sive non consciis. «Dimisit enim populum suum, domum »Jacob;» id est, sivit, dimisit, contempsit, suaque providentia spoliavit. Deinde iis perterrefactis, causam affert, ut illi gesta sua emendent. Quæ igitur causa est? « Quia impleta est terra eorum auguriis, ut terra alienigena»rum[1]. » Prius illos de cauponaria, de avaritia et de viduarum contemptu accusabat : hic vero ipsis exprobrat prava dogmata, et impietatis reliquias, quæ paulatim ipsos ad dæmonum erroneum cultum pertrahebant. Mox illos incessens, non modo dicit eos auguriis operam dare, sed repletam iis esse terram eorum. Supra modum, inquit, accrevit nequitia eorum; quemadmodum supra dicebat populum, non utcumque peccatorem, sed plenum peccatis; sic et hoc loco, « Repleta est. » Exinde rursus probrum amplificans addidit: « Sicut a principio[2]. » A principio, quandonam? Quando Deum nondum noverant, quando legem nondum acceperant, quando beneficiorum ejus experientiam nondum habebant, quando cum gentibus vivebant, quod extremæ damnationis erat, quod non melius tunc se haberent post tantam providentiam et tantam sollicitudinem, quam ii qui nihil eorum consecuti erant. Sed non hic stetit, verum denuo perterrefaciens eos adjecit : « Quasi »terra alienigenarum : » hac comparatione graviorem accusationem parans. Quod et Paulus frequenter facere solet, ut et quando dicit : « De dormientibus autem nolo vos »ignorare, fratres, ut non contristemini, sicut et cæteri »qui spem non habent[3], » ac rursum : « Ut sciat unusquis»que vestrum vas suum possidere in sanctificatione et ho»nore, non in passione desiderii[4]. » Neque hoc contentus fuit, sed adjecit : « Quemadmodum et reliquæ gentes quæ »ignorant Deum[5]. » Hic quippe modus sermonis mordere

[1] Isaï. II, 6. — [2] Ibid. — [3] 1 Thess. IV, 12. — [4] Ibid. 5. — [5] Ibid.

solet etiam eos qui admodum lapsi sunt. Quod si Judæi (6) de talibus accusantur, quam nos veniam consequemur, quam defensionem, qui post tantam gratiam et ineffabilem honorem, spemque immortalem, in parem, quam illi, decidimus inopiam? Multi namque jam sunt, qui hoc morbo laborant, qui vitam suam labefactant, qui augurum insaniæ se dedunt, Deumque offendunt, et superfluos dolores sibi lucrantur, atque in laboribus pro virtute suscipiendis dissolvuntur. Hoc enim omnino curat diabolus, ut insipientioribus suadeat non penes se esse aut virtutem aut improbitatem adire, nempe se libertate quadam arbitrii honoratos esse, hæc duo turpissima perficere volens, ut labores pro virtute suscipiendos solvat, et maximum illud libertatis donum auferat. Hoc per auguria, hoc per omina, hoc per observationem dierum, hoc per pravum fati dogma; hunc gravem morbum per alia multa in vitam invexit, nullam ad hoc non machinam movens. Quamobrem Propheta vehementer instat incusans, ut morbum radicitus evellat. «Et filii multi alienigenæ nati sunt eis[1].»

VII. Quid est, «Filii alienigenæ?» Lex illis erat olim lata propter animi fragilitatem, et mentem fraudi opportunam, ut cum nullo reliquorum hominum affinitatem contraherent, ne hujusmodi affinitates, impietatis ipsis occasio essent. Quia enim non modo alios corrigere non poterant; sed neque detrimentum ab aliis, quicumque essent, sibi importatum depellere, lege ipsos vallans, et ab affinitate cum aliis abducens, seorsim illos efformabat et instituebat: optabile enim difficileque erat ut, vel sic ducti, possent servare disciplinam a Deo sibi traditam. Sed quemadmodum alia præcepta transgressi sunt, sic et hoc contempto, transierunt ad affinitatem cum vicinis contrahendam, et uxoribus inde ductis, a Moabitis videlicet, ab Ammonitis,

[1] Isaï. II, 6.

et ab aliis impiis gentibus, aliasque cognationes amplexi, doctores nequitiæ admiserunt, et nobilitatis decorem labefactarunt. Hoc itaque cum aliis Propheta crimen intentat. «Impleta est enim regio eorum, inquit, argento et auro, »et non erat numerus thesaurorum eorum. Et impleta est »terra eorum equis, et non erat numerus curruum eorum [1].» Ecquod crimen hoc, dixerit forte quispiam, divitias habere, et equos possidere, ea potissimum ætate, quando non tantum erat philosophiæ studium? Quid ergo dixerimus? Scilicet, non usum improbabat, sed animum non iis ut oportebat utentem. Quemadmodum enim dicit; «Væ qui potentes estis [2],» non utique potentiam dat crimini, sed eos qui potentia male utuntur; sic et hoc loco, non quod pecunias possiderent, sed quod cum ingenti copia, et ultra necessitatem illas congererent. «Non erat, inquit, numerus thesaurorum eorum.» Neque hoc solum, sed quod de divitiis et de equorum copia inflati, paulatim a spe in Deum abstraherentur, quod ipsis etiam alibi Propheta dicebat: «Væ qui »confidunt in virtute sua, et in multitudine divitiarum suarum gloriantur [3].» Ac rursum alibi: «Non salvatur rex »per multam virtutem, et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ [4].» Iterumque in alio Psalmo: «Non in »fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei; beneplacitum est Domino super timentes eum [5].» Et impleta est terra abominationibus operum manuum suarum, et adoraverunt quæ fecerunt digiti »eorum [6].» Ut sapiens medicus Propheta morbi causam dicit, et fontem morbi. Cum enim eorum impietatem accusaturus esset, occasiones morbi prius dixit, avaritiam, arrogantiam, connubiorum affinitates non licitas: declarans eos hinc paulatim supplantatos in perniciei barathrum

[1] Isaï. II, 7, 8. — [2] Id. V, 22. — [3] Psal. XLVIII, 7. — [4] Id. XXXII, 16. — [5] Id. CXLVI, 10, 11. — [6] Isaï. II, 8.

corruisse, et idola adorasse. Deinde illorum cultum traducens subjungit: « Operum manuum eorum. » Quid enim risu dignius fuerit, quam cum homo Dei creator efficitur? Abominationem vero Scriptura vocare solet idola : indeque abominatio desolationis vocatur statua in templo erecta. « Cum enim videritis, inquit, abominationem desolationis » stantem in loco sancto, qui legit, intelligat [1]. » Quoniam enim ipsos abduxerat, nec sensilia admirarentur, prohibuit ipsis ne quamvis imaginem facerent; illudque abominationem vocavit, procul illos avocans ab impietate. Nam abominari, supra modum odisse est, quasi impurum, quasi execrandum. Abominabile igitur, perosum et aversione dignum in Scriptura dicitur. Idolum autem quodvis hujusmodi est. « Et adoraverunt quæ fecerunt digiti eorum, » et incurvavit se homo, et humiliatus est vir [2]. » Quemadmodum enim adoratio Dei hominem in altum evehit, sic adoratio eorum deprimit dejicitque. Quid enim abjectius homine, qui a salute decidit, universorumque Deum inimicum sibi reddidit, qui inanimatis se submittit, et lapides colit? Deus quippe in tantum nos honorem evexit, ut cœlis etiam nos sublimiores redderet; diabolus eos, qui sibi obsequebantur, in tantam vilitatem deduxit, ut insensilibus insensiliores faceret. Ideo ait Propheta : « Humiliatus est » vir. » Sufficiebat certe hæc accusatio, ut mente præditum ab hoc morbo abduceret. Verum quia plerique homines, non tam peccata, quam supplicia formidant, ille supplicium adjunxit, dicens : « Non dimittam eos [3]. » Non condonabo, inquit, non dimittam, non negligam ; sed rationes pœnasque repetam scelerum. « Et nunc introite in petras, » et abscondimini in terra a facie timoris Domini [4]. » Postquam illorum insipientiam, qui idola adorant, satis tradu-

[1] Matth. XXIV, 15, et Dan. IX, 27. — [2] Isaï. II, 9. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 10.

xit, et a modo fabricandi eorum amentiam ostendit, necnon idolorum imbecillitatem, rursus verbis concertat, et dictorum inquisitionem rerum experientiæ permittit, aitque : « Sufficiebat mihi per hoc ipsum quod hæc facta sunt ab hominibus, eorum qui decepti sunt insipientiam ostendisse : » quia vero impietate ceu ebrietate quadam aggravati, circa res claras et manifestas cæcutiunt, tales urbem excipient calamitates, ut vel eos qui admodum stupidi sunt doceant, quanta sit illorum imbecillitas, et quanta Dei potentia.

VIII. Idcirco antequam de bello loquatur, quæ ex illo consecutura sint aperit, præcipiens ut in petras ingrediantur, et sub ipsa terra delitescant, non ut id agant, sed ut hinc ediscant quam intoleranda sit ira Dei tunc illos invasura : nam ait : « Abscondimini in terra a facie timoris » Domini, et a gloria fortitudinis ejus, cum surrexerit » percutere terram [1]. » Non ait tantum : « A fortitudine ejus; » sed, « A gloria fortitudinis. » Talia namque sunt ejus præclara gesta, talia tropæa, multum splendorem, multam dignitatem præ se ferentia. Hic mihi videtur victoriam illam significare quæ sub Ezechia contigit, terram vocans multitudinem hominum, et percussionem, illorum ruinam, resurrectionem vero, ejus egressum ad auxiliandum, Quandoquidem et David dicit : « Exurgat Deus, et dissi» pentur inimici ejus [2]; » ac rursus : « Surge Deus, judica » terram [3], » ab humanis gestis et modis Dei operationes exprimens. « Oculi enim Domini sublimes, homo autem » humilis [4]. » Deinde ne quispiam audientium dictis negaret fidem; multis enim contra spem et expectationem erat id quod eventurum dicebat; confugiebat ad potentiam Opificis, et ad eorum, qui patiebantur, imbecillitatem. Neque

[1] Isaï. II, 19. — [2] Psal. LXVII, 2. — [3] Id. LXXXI, 8. — [4] Isaï. II, 11.

enim, ait, Deo est quidpiam sublimius, neque hominibus vilius. Ne ergo dubites num possit ille magnus et fortis imbecillos sic confestim deprimere. Et apposite dixit : «Oculi Domini sublimes.» Non dixit : « Potentia, » sed, Oculi » Domini, » quasi solus aspectus possit omnia sibi reluctantia prosternere : id quod etiam David alibi dicebat : « Qui » respicit terram, et facit eam tremere [1]. » Et alius iterum Propheta : « Respiciam ad eum, et prævalebo ei [2]. Et humi- » liabitur altitudo hominum, et exaltabitur Dominus solus » in die illa [3]. » Conspecta enim illa inopinata victoria, illisque conspicuis admirandisque tropæis, dæmones devicti sunt, idola dedecore affecta, pseudoprophetarum ora obturata, barbarorum tyrannis soluta, et os omne, quod Deo aversabatur, obstuctum est. Ideo ait : Exaltabitur Do- » minus solus. » Nullus erit deinceps qui contradicat, nec qui de Dei potentia dubitet, cum rerum gestarum demonstratio evidentissima fuerit. Naturæ quippe divinæ celsitudo perpetua est, ac nunquam incœpit, sed semper est. Exaltari autem dicitur in mente hominum, quando ii qui contradicebant et reluctabantur, ipsa rerum demonstratione suadente cedunt, ac competentem benedictionem referunt. « Dies enim Domini Sabaoth advenit super omnem » contumeliosum et superbum, et super omnem excelsum » et sublimem, et humiliabuntur ; et super omnem cedrum » Libani excelsam et sublimem, et super omnem arborem » glandis Basan ; et super omnem montem excelsum, et » super omnem murum sublimem ; et super omnem turrim » sublimem ; et super omne navigium maris, et super » omnem aspectum pulchritudinis navium. Et humiliabitur » altitudo hominum, et exaltabitur Dominus solus in die » illa [4]. » Murum hic, cedrum, collem, quercum potentes

[1] Psal. cm, 32. — [2] Osee xi, 5. — [3] Isaï. ii, 11. — [4] Ibid. 12-17.

homines vocat, altitudine hujusmodi arborum eorum potentiam metaphorice significans : ac cum navigium et aspectum pulchritudinis navium dicit, eos subindicat qui sunt opulentiores.

IX. Hoc autem vult significare, nempe fortem quemlibet, potentem ducem exercitus, quemque divitiis circumfluentem, totumque, ut ita dicam, hominum decorem ac totam fortitudinem, tunc abituram et solvendam esse; nihilque patrocinii profuturum esse, ad effugiendam iram Dei, non virtutem corporis, non experientiam belli, non pecuniarum copiam, non potentiæ clientelam, non exercitus magnitudinem, non aliud quidpiam simile. Cedros autem Libani memorat, quia ibi maxime nascitur hæc arbor; vel quia res jam proximæ sunt. Aspectum vero ait pulchritudinis navium, decorem ducum exercitus, qui divitiis, armis et satellitibus stipandi forent. Videtur autem mihi subindicare longinquam barbarorum expeditionem. « Et manufacta omnia abscondent, inferentes ea in caver» nas et scissuras petrarum, et in foveas terræ, a facie timo» ris Domini et a gloria fortitudinis ejus, cum surrexerit ad » percutiendam terram [1]. » Tantum, inquit, aberit ut eorum dii aliquid opis afferre possint, ut illi hominum auxilio opus habituri sint, necnon locorum tutela, ut ne capiantur, « A facie timoris Domini, et a gloria fortitudinis » ejus, cum surrexerit percutere terram. » Ne quis enim barbarorum irruptioni hæc imputet, neve existimet timorem ex eorum potentia provenire, sermonem refert ad universorum Deum, dicens eum belli hujusque ducem futurum, et ab eo potestatem esse in tanto periculo vindicandi scelera jam admissa. « Die enim illa ejiciet homo » abominationes suas argenteas et aureas, quas fecerunt » sibi ipsis ut adorarent inania sua et vespertiliones. Ad

[1] Isaï. II, 18, 19.

» ingrediendum in solidas petras, et in scissuras petrarum a » facie timoris Domini, et a gloria fortitudinis ejus, cum » resurrexerit ad percutiendam terram [1]. » Satis traduxit eos, ostendens ipsos cum diis suis delituisse, et in terram se abdidisse, neque materiæ pretium aliquid opis conferre potuisse, imminente calamitate. Idola porro vespertiliones vocavit, sive ob imbecillitatem, sive ob erroris tenebras, et quia omnia a dæmonibus clam geruntur. Quemadmodum enim vespertilionibus sol inimicus est et lux quoque, nox autem et tenebræ amicæ sunt : sic et dæmonibus, et iis quos in errorem deduxerunt, nequitia et iniqua omnia familiaria sunt et amica; virtus autem et opera lucis inimica sunt, iisque splendentibus, statim illi obtenebrantur; cum contra is, qui virtute præditus vivit, nullo labore vel sudore egeat. Sufficit enim ut ille appareat, omniaque illa dissolvuntur. « Quiescite vobis ab homine, cujus est respiratio in naribus ejus, quia in quo ipsis reputatus est hic [2] ? » Hic mihi videtur Ezechiam subindicare, qui præ timore et angore extremos halitus afflabat. Quia igitur barbari eum quasi retibus interceptum habentes, paratam sibi prædam tenere putabant, neque sibi labore opus esse ad urbem capiendam, et eum captivum abducendum, contrarium barbaris accidit. Ideo ait : « Quiescite ab homine, cujus est respiratio in naribus ejus, quia in quo » ipsis reputatus est hic? » id est, in nullo reputatus est. Etenim quasi per excursionem se omnia sublaturos esse sperabant. Sed contrarium prorsus accidit. Et qui a vobis pro nihilo reputabatur expugnatuque facilis, Dei auxilio fretus, omnium splendidissimus apparebit.

[1] Isaï. II, 20, 21. — [2] Ibid. 22.

CAPUT III.

Ecce dominator Dominus Sabbaoth auferet de Judæa et de Jerusalem validum et validam [1].

I. Quemadmodum optimus medicus, modo urens, modo secans, modo amara afferens remedia, ægrotorum sanitati arte prospicit; sic et benignus Deus, variis et diversis suppliciis, quod diffluebat et lapsum erat apud Judæos constringens, modo barbarorum incursione ingratos terrefacit; modo ante illorum invasionem aliis illos interminationibus reprimit, minarum varietate imminenti formidine continuo percellens. Nunc itaque infirmitatem ipsis interminatur, et famem et siccitatem, non quidem rerum necessariarum, sed earum quæ non minus aptæ sunt ad vitam conservandam. Non enim fames solum gravis est, sed grave etiam est cum nullus adest qui rempublicam administret; id quod rerum copiam fame molestiorem reddere solet. Quid enim utilitatis est cum ceu ex fontibus omnia fluunt, si civilia bella oriantur, et mare intumescat, insanientibusque fluctibus, neque gubernator, neque ad proram sedens, neque alius quispiam adsit qui possit negotiorum tempestatem dirigere, et tranquillitatem conciliare? Quando autem cum his fames etiam adest, cogita quanta sit malorum moles. Hæc itaque omnia comminatur Deus : primumque est omnium gravissimum. « Ecce enim, inquit, dominator » Dominus Sabbaoth. » Hac voce, « Ecce, » sæpe Prophetæ utuntur, quando auditorem de rebus quæ dicunt, certio-

[1] Isaï. III, 1.

rem facere volunt. Non hic tantum, sed etiam superius et a principio videre est, peccata corpoream infirmitatem sæpe præcessisse, ut in Caïn : quia enim robore corporis non recte usus est, jure in paralysim incidit. Sic etiam ei, qui ad piscinam sedebat ; quia paralysis origo peccata erant, ait Christus: « Ecce sanus factus es, noli amplius »peccare [1]. » Paulus quoque ait : « Ideo apud vos multi »infirmi [2]. » Quia peccabant, quod non pura conscientia mysteriorum participes essent. Fornicarium quoque infirmitati corporis tradit, has de peccatis pœnas repetens. Neque tamen semper infirmitas est peccatorum ultio, sed aliquando coronæ materia est, ut in Lazaro et in Job. Nec infirmitates tantum, sed et alia corporis incommoda a peccatis orta sunt, ut Oziæ lepra, ob animi impudentiam, ut Jeroboami regis manus ariditatem perpessa est, ob arrogantiam et superbiam ejus. Lingua quoque Zachariæ non aliunde ligata est, quam ob animæ peccatum[3]. Quoniam igitur Judæis bona valetudo et robur corporis, resque prosperæ, arrogantiæ occasio fuerant, arrogantiæ radicem subtraxit Deus, commonefaciens illos et ad meliorem frugem reducens, majoraque dans, quam ipsis auferebat. Quid enim detrimenti erat corpore ægrotare, si hinc institueretur anima? Deinde ne putarent id ex naturæ infirmitate procedere, id eventurum Propheta prædixit; neque viros tantum minis terruit, sed pœnam mulieribus quoque transmisit, quia uterque sexus corruptus erat, et in progressu ad ipsas mulieres sermonem dirigit, et ob absurda admodum gesta, crimina ipsis offert, quæ urbem ipsam a fundamentis diruerunt. Ideo illas pestilentia affligit : pestilentiam enim mihi subindicare videtur cum dicit : « Auferam robustum et robustam, » vel alium corporeum morbum medicorum arti non sedentem. Tales

[1] Joan. v, 14. — [2] 1 Cor. xi, 30. — [3] Luc. 1, 20.

enim sunt Dei plagæ. « Robur panis et robur aquæ [1]. » Gravissima hæc vindicta est, quando non ipsam tollit substantiam, sed vim ex ea aufert innatam, ita ut vel ex ipso aspectu crucientur nunquam satiati, et hinc intelligant a Deo immisam fuisse iram. « Gigantem et potentem [2]. » Gigantem semper Scriptura fortem solet vocare vel cum qui proportione membrorum multis antecellat. Etenim in creatione cum dicit : « Hi erant gigantes, homines nominati [3], » non aliud genus fuisse dicit ; sed fortes, robustos, et vegetos nobis subindicat. « Et hominem bellatorem et judicem [4]. » Intolerabile supplicium, et illa quæ dicta sunt extremæ pernicici sunt argumentum, quæ stantibus muris et turribus, urbem possint cum civibus inimicis dedere. Tutamen quippe urbis non in lapidibus, lignis et septis situm est, sed in prudentia civium, qui cum tales adsunt, etiam præsente hoste, tutius quam cætera omnia ipsam muniunt : cum autem ii absunt, etiam nemine urgente, miseriorem illam exhibent, quam si obsideretur.

II. Itaque et illos et auditores omnes non parvo philosophiæ documento imbuit Propheta, suadens ut ne unquam in magnitudine urbium spem ponant, nec in vallis et machinis, sed in frugi virorum virtute. Illos igitur territans, ait ipsum eam tutela omni destituturum esse, non modo bellicæ rei peritos auferendo, sed etiam judices, qui non minus juvant civitates quam bellatores, dum pacem curant, imo sæpe imminentia bella propulsant. Hi enim cum frequenter a radice peccatorum oriantur, fieri potest ut legum custodes, eosque qui juri dicundo cum æquitate præsident, plurima peccata reprimentes, belli causam auferant. Cur ergo Deus eos amovet ? Quia illis præsentibus non ut oportebat usi sunt. Quemadmodum enim salutaria

[1] Isaï. III, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Gen. VI, 4. — [4] Isaï. III, 2.

ejus dogmata multam afferebant audientibus utilitatem, Judæis autem concionans, dicta sua obscuritate multa involvebat, quia illi dictis non attendebant; ita hæc dona sua magna, quæ multam nobis salutem conferunt, de medio sæpe tollit, cum ii qui accipiunt nihil hinc fructus percipere volunt. « Et Prophetam et conjectorem [1]. » Non parvum autem iræ genus est cum prophetiæ deficiunt. Quando igitur judaïcum populum Deus ob peccata filiorum Heli aversatus est, obque multitudinis nequitiam, defecit prophetia : « Verbum enim, inquit, pretiosum erat, » et non erat visio distinguens [2]; » pretiosum, id est, rarum erat. Et sub Ozia idipsum accidit : neque enim hinc exiguum fructum cepissent, si voluissent. Nam divina ediscere, et ad futura mala præparari, de incertis rebus responsa accipere, quandonam inimicos invadere oporteat, quando quiescere, quomodo tristia omnia depellere, multam ipsis ad salutem afferebat facilitatem. Verum quia quæ didicerant non explebant, ideo disciplinam hanc ipsis ademit : quod erat ingentis Dei clementiæ argumentum; quod cum futura prævideret, sciretque eos non recte donis usuros, tamen quæ sua erant omnia exhiberet. Cum Propheta vero conjectorem se dicit ablaturum esse. Conjectorem hic mihi videtur dicere eum, qui ex multa intelligentia, et ex ipsa rerum experientia futura conjicere poterat. Aliud enim est conjectura, aliud prophetia. Propheta enim ex divino Spiritu loquitur, ex se nihil afferens; ille vero occasione capta ex iis quæ jam contigerunt, intelligentiam exercens suam, futurorum multa prospicit, ut par est virum prudentem prospicere. At multum hunc inter et illum discrimen; tantumque, quantum est intervallum inter prudentiam humanam, et divinam gratiam. Ut autem exemplo sermonem dilucidiorem reddam, cogitemus Salo-

[1] Isaï. III, 2. — [2] 1 Reg. III, 1.

monem et Eliseum : ambo enim res occultas in medium adducebant, et abscondita revelabant : sed non ambo eadem virtute ; sed ille quidem ex prudentia humana, a natura sumens occasionem circa meretrices illas mulieres (7); hic vero ratiocinio nullo usus. Quod enim ratiocinium Giezi furtum revelare potuisset? sed ex divina gratia ea quæ procul facta erant prævidit. « Et senem, et principem » super quinquaginta [1]. » Cum iis etiam senem et principem super quinquaginta se sublaturum esse dicit. Senem non simpliciter cum, qui consenuerit, dicit, sed eum qui cum canitie prudentiam canitiei consentaneam servat. Cum vero dicit principem super quinquaginta, non quempiam hujusmodi principem memorat, sed hoc nomine principes omnes subindicat. Nihil enim, nihil certe miserabilius, quam nullo magistratu regi, ut nihil periculosius navi suo destituta gubernatore. Neque hic gradum sistit, sed et aliam magnam tutelam se ablaturum comminatur, eos qui bona dare consilia possint, qui non minus quam arma civitatibus afferunt auxilium : Nam ait : « Auferam » admirabilem consiliarium, et sapientem architectum [2], » non structorem dicens, sed in negotiis peritum, multa doctum, et cum prudentia omnia civitatis negotia administrare scientem.

III. Cum his etiam, « Et prudentem auditorem. » Si enim hoc abfuerit, etsi alia omnia adsint, nihilo plus accedit civitatibus ; etsi Prophetæ, etsi consiliarii, etsi magistratus adsint, si nullus sit qui audiat, omnia frustra et in nihilum abeunt. Videtur autem mihi hic « Auferam » dici, quasi sinam, permittam, quemadmodum Paulus ait : « Tra» didit eos in reprobum sensum [3]; » non hoc sensu, quasi in amentiam ipsos conjecerit, sed quia insipientes cum essent, ipsos dimisit et reliquit. « Et instituam adolescen-

[1] Isaï. III, 3. — [2] Ibid. [3] Rom. I, 28.

» tulos principes eorum [1]. » Hoc defectu etiam magistratuum pejus et multo gravius est. Nam qui principem non habet, duce privatur : qui vero malum nactus est ducem, habet qui se in præcipitia conjiciat. Adolescentulos autem hic memorat, non ut ætatem culpet, sed ut illorum insipientiam aptius ostendat. Contingit enim juvenes esse prudentes, et senes in insipientia vixisse. Verum quia id rarius accidere solet, sed contrarium plerumque contingit, ideo illos insipientes nominavit. Nam et Timotheus juvenis erat : is tamen sapientius, quam innumeri senes, Ecclesias administravit. Et Salomon (8), annos natus duodecim, cum Deo loquebatur, multaque erat dicendi fiducia instructus, ac rex declaratus coronatusque est, barbarosque habuit sapientiæ suæ spectatores ; neque viri solum, sed et mulieres ex longinquis regionibus venientes, hanc solam peregrinationis causam habebant, nempe ut ex ejus voce quidpiam ediscerent et audirent : sed ut ad senium pervenit, multum de virtute detraxit. Hujus vero pater beatus David, grave illud peccatum, non cum juvenis et puer esset, sed cum illam ætatem prætergressus esset, tunc peccavit. Cum autem puerulus esset, mirabile tropæum erexit, barbarum prostravit, omnemque exhibuit philosophiam, neque impedimento juventus fuit, quominus hæc præclara gesta ederet. Jeremiam quoque, qui ætatis obicem objiciebat ut recusaret, non admisit Deus, sed eduxit ad populum judaïcum, ipsum nihil inde impediri dicens, si mente firma præditus esset. Hac, imo multo minore ætate, senes Daniel judicavit. Et Josias, ne decem quidem annos natus, in solium regni ascendit, tuncque florebat ; sed postea tantillum delapsus in ignaviam, virtutem animi labefactavit. Quid vero Joseph ? Annon juvenis, et admodum juvenis, grave illud bellum suscepit, non

[1] Isaï. III, 4.

adversus homines, sed adversus ipsam naturæ tyrannidem decertans, et ex media fornace flammaque multo, quam illa persica (9), graviore, illæsus exiliit, non minus, quam tres illi pueri, sine damno manens? Quemadmodum enim illi corpora cum ipsis capillis illæsa tunc egressi ostenderunt, ex fonte potius quam ex fornace exeuntes; sic et iste in certamine, ex Ægyptiæ manibus elapsus, exiit, neque a tactu, neque a verbis, neque ab aspectu, neque a vestimentis, neque ab unguentis, quæ sarmentis et pice ardentiorem concupiscentiæ flammam accendebant, neque ab ætate, ejusmodi quidpiam passus est, quale ut homo pati posse videbatur. Ac tres illi pueri, in ipso juventutis flore, et ventrem superarunt, et mortis formidinem calcarunt, tantumque exercitum, furoremque regis ipsa fornace ardentiorem vicerunt : nihilque illos exterruit, sed constanter manserunt animo minime servili instructi. Non igitur ætatem traducens hæc dicit. Quandoquidem et Paulus cum ait : « Non neophytum, ne in superbiam elatus, in judicium indicat diaboli [1], » non ætate juvenem dicit, sed recens plantatum, id est, institutum; plantare quippe dicit catechesi instituere, et docere; ut cum ait : « Ego plantavi, Apollo rigavit [2]. » Christus quoque id plantationem vocat dicens : « Omnis plantatio, quam non » plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur [3]. » Nam si neophytum dixisset juvenem, Timotheum certe, qui juvenis erat, et ita juvenis, ut ille diceret : « Nemo juventutem » tuam contemnat [4], » ad tantum culmen dignitatis non evexisset, nec tot Ecclesiarum ferre curam permisisset. « Et illusores dominabuntur eis [5]. » Vides ipsum non simpliciter ætatem traducere, sed corruptum animum? Hac enim additione id clarius efficit. Illusores enim hic vocat,

[1] 1 Tim. III, 6. — [2] 1 Cor. III, 6. — [3] Matth. XV, 13. — [4] 1 Tim. IV, 12. — [5] Isaï. III, 4.

deceptores, cavillatores, adulatores, eos qui verbis gratiam captantes ipsos diabolo propinarent. « Et corruet populus, » homo ad hominem, et homo ad proximum suum [1]. » Quemadmodum enim lignis, quæ ædificia continebant, corruptis, aut sublatis, necesse est etiam muros perrumpi, nullo ultra retinente; sic illis sublatis, qui supra dicti sunt, principibus, consiliariis, judicibus, Prophetis, nihil prohibebat quin populus in factiones se scinderet, et magna perturbatio oriretur.

IV. « Irruet puerulus adversus senem, et ignobilis adversus nobilem [2]. » Adversabitur, inquit, juvenis seni, despiciet, contemnet illum. Hæc etiam antequam bellum instaret, quovis bello graviora erant. Quando enim senectus a juventute inhonoratur, vilesque et abjecti homines honorabiles prius viros calcant, non meliori in statu versatur hujusmodi civitas, quam si hariolos haberet. « Quia » apprehendet homo fratrem suum, aut domesticum patris » sui, dicens : Vestimentum habes, princeps noster esto, et » cibus meus sub te sit. Et respondens in die illa dicet : » Non ero princeps : non enim est in domo mea panis, neque vestimentum. Non ero princeps populi hujus [3]. » Hic mihi videtur, aut obsidionem aliquam gravissimam subindicare, quæ ipsos in extremam necessitatem redegerit; aut sine obsidione famem quamdam intolerabilem, multamque rerum necessariarum penuriam. Usus est autem communi loquendi consuetudine, et sicut multi dicunt : « Si contingeret urbem totam obolo venumdari, non possem illam emere, » extremam sic paupertatem ostendens; sic et Propheta dicit; « Si principatus veneat vestimento uno, aut pane solo, nemo erit qui emat, tanta rerum necessariarum penuria erit. « Quia dissoluta est Jerusalem [4]. » Hoc est, derelicta et deserta est, Dei providentia denudata. « Et

[1] Isaï. III, 5. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 6, 7. — [4] Ibid. 8.

» Judæa concidit [1]. » Perturbatione, inquit, et tumultu repleta est, confusione et seditione. « Et linguæ eorum » cum iniquitate, his quæ Domini sunt non obtemperant [2]. » Deinde causa malorum subnectitur, linguæ intemperantia. Id quod Osee coarguit dicens : « Ephraïm in interitum » abierunt in diebus redargutionis, in tribubus Israël os- » tendi fide digna [3]. » Et Malachias eadem iterum dicit : « Prophetæ exprobrantes iis qui provocaverunt Deum in » sermonibus. Et dixistis : In quo provocavimus eum? In » eo quod dicitis : Omnis qui facit malum, bonus est in » conspectu Domini, et in eis ipse sibi bene complacuit. Et » ubi est Deus justitiæ [4]? » De hoc certe et ipse accusat, duplex proferens crimen, quod non solum non obtemperent, nec solum transgrediantur legem; cum debeant hac de re pudore suffundi atque erubescere, sese abdere et caput inclinare; illi priora accumulare contendunt, nec satis habentes præcepta transgredi, onerosa quoque proferunt verba. Velut famulus quispiam improbus, qui heri mandata prætermittens, ad hæc etiam insolenter agit. « Idcirco nunc humiliata est gloria ejus, et confusio facici » ejus resistit eis [5]. » Rursus futura quasi præterita dixit, consueta usus prophetiæ lege. Humiliationem autem gloriæ, captivitatem vocat. Non enim vulgaris infamiæ erat, eos, qui regum orbis ordinem tenerent, hominibus profanis et barbaris subjici. Confusionem vero vultus hic vocat eam, quæ a peccatis oritur. Talis quippe erat eorum vita. Cum enim se prius dedecorassent per gesta sua, ideo Deus a gloria sua illos dejecit, leviori tradens supplicio, quam id quod ipsi sibi inflixerant. Non enim ita vituperabiles erant, cum alienam terram incolerent, quam cum metropolim suam habentes prævaricarentur. Tunc enim eorum

[1] Isai. III, 8. — [2] Ibid. — [3] Osee V, 9. — [4] Malach. II, 17. — [5] Isaï. III, 9.

nequitia comprimebatur ; in patria vero magis ac magis augebatur. Magnum igitur illis Propheta documentum tradit, ubique suadens ut ante supplicium nequitiam fugiant, ac pudore ruboreque coërceant : non postquam barbari illos captos abducent, sed cum peccati tyrannis illos captivos tenebit. « Peccatum autem suum, ut in Sodomis an-» nuntiarunt et ostenderunt [1]. » Quod sæpe dixi, nunc etiam dico, quod Propheta nempe Dei clementiam ostendens, non ea quæ passuri sunt prædicat, sed ea quæ digni fuerant ut paterentur. Peccata quippe ipsorum Sodomitarum flagitiis paria erant, supplicium autem levius. Non enim ipsos radicitus evulsit, neque a fundamentis urbem diruit, neque reliquias generis delevit. Illud autem, « Annuntiarunt et ostenderunt, » humaniori more dictum fuit. Neque enim Deus quæ facta sunt tunc discit, cum illa fiunt. Quomodo enim, cum omnia sciat antequam fiant? Sed ut calamitatis magnitudinem ostendat, ita locutus est.

V. Quemadmodum enim alibi dicit : « Ascendit clamor » malitiæ eorum ad me [2], » non Deum procul habitantem constituens, et in cœlo circumscribens, hæc dicit, sed peccati magnitudinem declarans. Sic et hoc loco, « An-» nuntiarunt, » nequitiæ gravitatem ostendens dicit. Leviora enim peccata latere possunt ; gravissima autem et maxima omnibus sunt nota et conspicua, etsi nemo accuset vel arguat. Ipsa enim sese annuntiant et declarant. Volens ergo Propheta magnitudinem malorum ostendere, dixit : « Annuntiaverunt et declararunt ; » id est, cum audacia, cum superbia magna, mala perpetrabant sine ullo pudore vel rubore ; sed de industria nequitiam operabantur. « Væ » animæ eorum, quia inierunt consilium malignum contra » semetipsos dicentes : Alligemus Justum, quia noxius est

[1] Isaï. III, 9. — [2] Gen. XVIII, 20.

» nobis [1]. » Exuperantia nequitiæ, cum non solum peccant, neque solum cum audacia peccant, sed etiam eos, qui talia, emendare possunt rejiciunt. Quemadmodum enim phrenitide correpti sæpe medicum verberarunt; sic et hi incurabilis morbi maximum hoc argumentum exhibebant, quod justos ejicerent. Talis quippe virtus est, vel solum se monstrans, in nequitia viventem dolore afficit : talis est nequitia, ne reprehensa quidem sæpe, vel præsentiam eorum, qui in æquitate vivunt, moleste fert. Duplex autem hic est accusatio, et quod Justum alligent, et quod eum quasi nóxium alligent. Quando igitur quis utilia non modo non admittit, sed noxia sibi putat, quænam demum relinquitur emendationis occasio? Quamobrem Propheta videns eos ad extrema prorupisse, a lamentatione iterum incipit, non ab accusatione et increpatione, dicens : « Væ animæ » eorum : » quod sequitur cum multa prudentia additur, « Quia inierunt consilium malignum contra semetipsos. » Atqui ea quæ facta sunt, videntur contra Justum suscepta esse. Sed si quis accurate exploraverit, non contra patientem, sed contra eos, qui id aggrediebantur, consilium vertitur. Hic discimus virum probum, etsi sexcenta mala patiatur, in nullo ab iis, qui se adoriuntur, lædendum esse; sed eos, qui ipsi insidiantur, potius in seipsos gladium impulsuros esse, ut et hi faciebant. Justum enim nihil lædebant, cum alligarent, sed seipsos in majori caligine et solitudine constituebant, dum lucernam ab se removerent. « Igitur fructus operum suorum comedent [2]. » Talis quippe est nequitia : in seipsa supplicium habet; quod autem hic dicit, hoc sibi vult : « Fructibus suis donabuntur, in majori se solitudine constituentes, multaque sibi præcipitia adornantes. « Væ iniquo : mala enim contingent ei secundum » opera manuum ejus [3]. » Vides-ne a nobis semper men-

[1] Isaï. III, 9, 10. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 11.

suram et initia supplicii oriri? Ideo Propheta rursum luget, lamentatur, seseque macerat, quia Judæi sibimetipsis insidiabantur, et atrocius quam quilibet hostis salutem suam pessumdabant, quo quid miserabilius fuerit? « Populе mi, exactores vestri demetunt vos [1]. » Optimi doctoris est sermonis varietatem afferre, neque exasperare tantum, neque etiam semper mansuetum reddere; sed nunc illud, nunc aliud tractare loquendi genus, ut ex hac mixtione multa exurgat utilitas. Idcirco Propheta non modo incusat, sed etiam luget, quod gravius est ipsa criminatione, sed minorem parit dolorem : quodque mirabile est, in graviore incisione moderatior est dolor. Neque solum luget, sed etiam sanat, aliumque rursum mirabilem doctrinæ ingerit modum. Quis ille est? Quod non simul omnes increpet, sed populum a principibus dividat, et in illorum caput crimina convertat. Tantum enim est in hac arguendi specie lucrum, ut id Moyses maxime frequentarit. Is enim, cum omnes essent criminibus obnoxii, ad principes sermonem vertit : ipse vero Moyses, cum vidit populum maxime prævaricationis fuisse auctorem, Aaronem vero non tanta increpatione dignum esse, dimissis iis qui admodum rei erant, ad minus reum accusationem vertit, per crimina ipsi objecta, conscientiæ ipsorum relinquens, ut se majore supplicio dignos judicarent : quod etiam evenit. Neque enim opus habuit aliis deinceps sermonibus populum alloqui; sed satis fuerunt pauca illa verba Aaroni dicta, ut tot millia quasi unum hominem comprimerent, et a tali ferocitate audaciaque in extremum timorem angoremque deducerent. Quod cum prævideret Moyses, statim descendens tabulas projecit, et Aaroni dixit : « Quid fecit tibi populus hic, quia fecisti eum gaudium inimicis [2]? »

[1] Isaï. III, 12. — [2] Exod. XXXII, 21.

VI. Hoc et hic Propheta facit, Sanctumque illum duplici modo imitatur. Non enim solum tunc accusavit Moyses, imo etiam dolentis personam assumpsit, sicque accusationem instituit. Ita et hic utrumque imitatus est dicens : « Populе mi, exactores vestri demetunt vos. » Nam et illos incusavit, et quasi cum populo dolens hæc dixit. Exactores autem hic vocare videtur eos, qui repetunt. Ego vero puto ipsum raptores et avaros eorum subindicare : sin minus hoc, certe tributorum collectores. Hic ejus vide prudentiam. Non enim rem improbat, sed immoderatam rationem. Non quippe dixit : « Exigunt ; » sed, « Demetunt ; » id est, vos a facultatibus denudant, exactionis obtentu vos ab omnibus spoliant. Hoc autem protulit verbum ex metaphora demetentium. Demetere enim dicitur post messem lapsas e manibus metentium spicas colligere, et nihil omnino in arvo relinquere. Quod hi tunc faciebant, universas facultates abripientes, ac nudos ipsos relinquentes. « Et » exactores dominantur vestri [1]. » Quodque gravius erat, neque hic avaritiæ termini erant, sed tyrannidem ultra promovebant, servituti subjicientes eos qui liberi erant. « Populе mi, qui vos dicunt beatos, decipiunt vos [2]. » Hic mihi videtur pseudoprophetas subindicare, vel eos qui ad gratiam ipsis loquebantur, quod extremæ corruptelæ ubique causa est. Nocumentum igitur inde proveniens ut declararet subjunxit : « Et semitam pedum vestrorum tur- » bant [3] : » hoc est, « Non sinunt recte progredi, subvertentes, dissolventes, segniores vos reddentes. « Sed nunc » constituetur in judicium Dominus : et statuet populum » suum ad judicium : ipse Dominus ad judicium veniet » cum senioribus populi, et cum principibus ipsorum [4]. » Adhuc in eadem perstat correctionis specie, a populo ad seniores et ad principes increpationem vertens, ac sermo-

[1] Isaï. III, 12. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 13, 14.

nem reddens terribiliorem. Ipsum vero Deum inducit jus dicentem et condemnantem, ac de peccatis contra populum perpetratis accusantem eos qui populum lædebant. Quamobrem dicebat : « Et nunc constituetur ad judicium » Dominus. » Quia enim accusando sermonem consumpsit, iis vero, qui animo sunt stupido, accusari non admodum grave est, puniri vero terribile, ait, res non in accusatione tantum consistet, sed ultio peccata sequetur, illo qui damnaturus est pœnas demum exigente, et adversus prævaricatores jus dicente. Quod certe attemperationem Dei multam ostendit, qui velit etiam cum iis subire judicium, ac sermonem vertit ad excitandum pudorem, id quod certe intelligentia præditos in summum angorem conjicere solet. Neque solum ob eam, quam supra dixi, causam, ad principes et seniores sermonem convertit : sed ut omnes doceat graviores daturos esse pœnas principes, quam subditos. Subditus enim pro se tantum, princeps vero pro seipso et pro populo, in quem ipsi imperium traditum est, dat rationem, et a senioribus quoque non immerito tanta requiritur diligentia. Quod enim illis est imperium, idipsum istis ætas. Dignus enim est etiam junior correptione, si graviter peccet : sed ille, qui per ætatem immunitatem est adeptus, neque tot affectuum fluctibus obsidetur, cui temperate vivere facilius est, et ab aliis sæcularibus rebus nullo negotio abstinere potest, et rerum experientia majorem adeptus prudentiam, jure majore quam alii omnes damnatione dignus est, utpote qui juvenum lasciviam in provecta ætate exhibuerit. « Vos autem cur » incendistis vineam meam, et rapina pauperis est in domi- » bus vestris [1] ? » Ubique Deo magna providentia est erga eos, qui injuria afficiuntur; ac non minus, imo aliquando plus indignatur de peccatis erga conservos, quam de pec-

[1] Isaï. III, 14.

catis in ipsum. Etenim permisit ut is, qui fornicariam haberet uxorem, illam expelleret, gentilem vero uxorem secus. Licet hoc peccatum contra ipsum esset, aliud vero contra hominem. Et hostia præsente, jussit relinquere munus, nec ante illud offerre, quam cum fratre reconciliaretur is, qui proximum offenderat [1]. » Et cum de illo judicavit qui decies mille talenta devoraverat, cum de peccatis contra se commissis illum accusaret, non ipsum nequam appellavit, sed cito cum illo reconciliatus est, totumque debitum dimisit ei : at cum de centum denariis ageretur, et servum nequam vocat, et tortoribus tradit : nec prius eum se dimissurum dixit, quam totum redderet debitum.

VII. Ipse quoque Christus, cum colaphis cæderetur, nihil servo percutienti malum retulit, sed etiam mansuete respondit : « Si male locutus sum, testimonium perhibe de » malo ; si autem bene, quid me cædis [2]. » Cum autem Jeroboam manum extendens Prophetam, qui se tunc arguebat, apprehendere conabatur, manum ejus aridam reddidit [3] ; te erudiens, ut injurias tibi illatas mansuete feras, eas vero, quæ Domino inferuntur, vehementissime ulciscaris. Ideo etsi cum legem ferret secundo loco posuerit amorem erga proximum, tamen similem dixit priori : « Ac sicut illum accuratissime exigit, sic et hunc quoque. » De illo enim ait : « Ex toto corde tuo, et ex tota anima tua [5] : » de hoc autem, « Sicut teipsum. » Et alibi quoque sæpe videre quisque possit quantam Deus a nobis exigat diligentiam circa ea quæ nobis mutuo debemus officia. Observa igitur hic acriter instantem, et accusationem acerrimis verbis augentem, dicens : « Vos autem cur incendistis vi- » neam meam ? » Quod immanes quidam hostes et barbari

[1] Matth. v, 23, 24. — [2] Joan. xviii, 23. — [3] 3 Reg. xiii, 4. — [4] Matth. xxii, 37.

fecerint, hoc vos erga familiares vestros admittitis. Vineam porro vocat populum, quod eum multo studio et superna providentia conservet. Et augens accusationem, non dixit: «Cur conservos, proximos, fratres,» sed, «Quid mea, inquit, perdidistis, mea labefactastis? Deinde incendii speciem ostendens ait: «Rapina pauperis est in domibus vestris.» Non enim ita solet grando vineas vastare, ut iniquitas pauperis et inopis animum succendere, morte graviorem ipsi mœrorem inferens. Ubique igitur rapina malum est; maxime vero cum is, cui damnum infertur, in extremam redactus est paupertatem. Neque tantum increpat hæc dicendo, sed etiam corrigit, mittens eos ad rapinæ spectaculum. Post hujusmodi dictum enim, aspectus rei sub oculis positæ compungere potest eum, qui non impudentissimo fuerit animo. «Cur vos injurias afficitis populum meum[1]?» In eodem rursus perseverat dicendi genere. Sicut illic vineam meam, ita hic populum meum dicit. «Et facies humilium »confunditis[2]?» Quos corrigere oportebat, hos impellitis; quos erigere, hos confringitis. «Nam post rapinam, viliores respuebant, et indignius quam mancipiis illis utebantur, præter avaritiam arrogantiam quoque augentes, et per divitias inique partas, multa insuper sese efferentes arrogantia. Avaritiæ enim superbiæ morbus adjungitur, et quanto plus divitias quis cumularit, tanto magis morbus hic increverit. «Hoc dicit Dominus, Dominus, Dominus exercituum[3].» Quid est, «Exercituum?» Angelorum dicit, Archangelorum, supernarum Virtutum, a terra ad cœlum auditorem adducens, ut ipsi cogitationem magni illius regni injiciat. Ut ergo illum sic stupefactum temperatiorem redderet, ostenderetque tantam patientiam non infirmitatis, sed maximi animi esse. «Hæc dicit Dominus: Pro eo »quod exaltatæ sunt filiæ Sion, et egressæ sunt elato collo,

[1] Isaï. III, 15. — [2] Ibid. — [3] Ibid.

» et nutibus oculorum, et incessu pedum trahentes simul » tunicas, simulque pedibus ludentes. Et humiliabit Deus » dominatrices filias sion, et Dominus revelabit habitum » earum in die illa. Et auferet Dominus gloriam vestimenti » earum, et ornatum earum et cincinnos earum, et corym- » bos, et lunulas, et monile earum, et ornatum faciei ea- » rum, et compositionem ornamenti gloriæ, et armillas, » et torques, et reticulum, et annulos, et collaria, et in au- » res, et purpura prætextas, et pannos per domum, et pers- » picua laconica, et byssina, et hyacinthina. Coccinea, et » byssum cum auro et hyacintho contextam, et theristra » auro astricta. Et erit pro suavi odore, pulvis, et pro » zona, funiculo cingeris, et pro ornamento capitis tui, cal- » vitiem habebis propter opera tua, et pro tunica purpura » clavata, circumcingeris sacco. Hæc tibi pro ornatu. Et » filius tuus pulcherrimus, quem diligis, gladio cadet, et » fortes vestri gladio cadent, et humiliabuntur. Et luge- » bunt thecæ ornatus vestri, et relinqueris sola, et in ter- » ram prosterneris[1]. » Insolitam rem Propheta fecit, longum ad mulieres dirigens sermonem, quod nusquam in Scripturis factum videmus. Quæ igitur causa est insolitæ rei?

VIII. Videtur mihi tunc temporis magnam fuisse mulierum mollitiem, multumque contulisse illas ad virorum nequitiam. Ideo illas speciatim redarguit, gravissima illis offerens crimina, sermonemque ad principium revocat, ex persona Dei iterum loquens. « Hæc dicit Dominus : Pro eo » quod exaltatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt elato collo. » Caput malorum ipsis crimini dat superbiam et arrogantiam. Hoc enim ubique grave est, maxime vero cum in muliebri sexu exoritur. Alto enim spiritu plena mulier, utpote levior et irrationabilior, facile pervertitur, submergitur,

[1] Isaï. III, 16-26.

naufragium patitur, ab omni maligno spiritu impulsa, fastu et arrogantia ipsam submergente. Videtur porro Jerosolymitanas mulieres alloqui : ideoque filias Sion vocavit. « Et ambulaverunt elato collo. » Hic illas traducit, ac muliebrem ostendit fastum, qui non potest in animo se continere, sed erumpit, ac per corporeos motus sese prodit, nec in arrogantiam modo, sed etiam in lasciviam illas dejicit ; hoc in sequentibus dicit et declarat. Pergit igitur : « Et nu» tibus oculorum, » id quod amasiarum proprium est pupillas vertere, mollitiemque multam et lasciviam hinc exprimere, mollitici autem ac lasciviæ nullum hoc majus indicium habetur. « Et incessu pedum trahentes simul tu» nicas. » Non exigua hæc est criminatio ; etiamsi parva videatur esse, sed extremæ est corruptionis argumentum, mollities nempe, lascivia, dissolutio, tunica diffluens. Hoc exterorum quispiam adversarium suum traducens sic expressit : « Pallium demittens usque ad talos. Simulque pe» dibus ludentes. » Et hoc rursum ejusdem turpitudinis demonstratio est. Per hæc enim omnia, per oculos, per vestimenta, per pedes, per incessum, seu castitas seu lascivia sese prodit. Nam intus sedentis animæ sensuum motus quasi præcones quidam sunt. Ac quemadmodum pictores colores quosdam miscentes, imagines quas volunt exprimunt ; sic et motus membrorum corporis, animi characteres foras expromunt, et ante oculos nostros ponunt. Quamobrem alius quispiam Sapiens dicebat : « Amictus » viri, et risus dentium, et incessus pedis annuntiant quæ » ad ipsum spectant [1]. Et humiliabit Deus dominatrices fi» lias Sion, et Dominus revelabit habitum eorum in die » illa. Et auferet Dominus gloriam vestimenti earum. » Duobus positis criminibus, arrogantia et lascivia, singulis congruentem adhibet medicinam, primo primam ; secundo se-

[1] Eccli. XIX, 27.

quentem: arrogantiæ, humiliationem; ornatui habitus, ipsius abreptionem. Bello, inquit, tunc urgente, omnia auferentur. Quæ enim tumebant et superbiebant, metu compressæ, ab hoc morbo liberabuntur: quæ mollitie et luxu omnino diffluebant, in captivitatis jugum incidentes, ab omni illa mollitie eruentur. Ut autem onerosiorem ipsis texeret sermonem, et auditorum mentem perstringeret, ornamentum vestium mulierum illarum minutatim recenset, puta aureorum; quod in oculis, quod in reliquo corpore: hinc procedit ad domus ornatum. Non solum enim corpora ornamentis decorabant, sed hanc contumeliam usque ad parietes extendebant, superfluis sumptibus; et calamistro capillos torquentes, alas hujusmodi fallaciæ ubique extendebant. Hanc itaque intentat accusationem cum dicit: « Auferet gloriam vestimenti earum, et ornatum ea» rum, et cincinnos earum, et corymbos. » Corymbos autem dicit, vel ornatum quempiam capitis, vel vittæ caput stringentis formam. « Et lunulas: » ornamentum scilicet circa collum lunari forma. « Et Cathema. » Forte theristrum dicit. « Et ornatum facici earum. » Hic mihi videtur fucum et pigmenta subindicare. « Et compositionem orna» menti gloriæ. » Hoc auro circumdatum dicit. « Et ar» millas, » aurei nempe ornatus circa brachia; « Et dextro» cheria, » circa manuum juncturas. « Et reticulum, » ornamentum aureum circa caput. « Et annulos, dextroche» ria, et prætexta purpura, et clavata purpura, et pannos » per domum et pellucida laconica. » Tantum enim ipsis inerat lasciviæ studium, ut non modo iis uterentur, quæ in sua regione erant, sed etiam ex aliena terra procul illas advehi curarent, per transmarinos commeatus. Multum enim spatium et pelagus immensum est Palæstinam inter et Lacedæmonem.

IX. Non sine causa igitur regionem posuit, misso vesti-

mentorum nomine, sed ut ingentem earum luxum demonstraret. « Et byssina, et hyacinthina, et coccinea, et » byssum cum auro et hyacintho contextam, et theristra » auro astricta. » Nullam enim speciem vel in vestimentis vel in alio ornatu reliquerunt ; sed omnem luxus viam tentarunt, ex lasciviæ tyrannide lymphatis similes. Porro si hæ tunc criminationes offerebantur ante gratiam, et ante tantam philosophiam ; quam veniam consequantur illæ, quæ nunc in cœlum vocantur, et ad longiora certamina, quæque ad Angelorum imitationem trahuntur, et longe magis hanc superare possunt lasciviam, et tamen eas quæ in scenis et theatris versantur lascivia vincunt ? Quodque gravius est, ne peccare quidem se putant. Ideo adversus illas vox Prophetæ opponenda est. Non solum enim adversus illas olim, sed etiam adversus has pronuntiabitur id quod sequitur. « Erit pro suavi odore pulvis. » Vides-ne quomodo unctiones etiam unguentorum reprobet, magnumque ipsi ascribat supplicium ? Pulverem enim hic dicit eum, qui excitatur post urbem eversam et barbarorum incursionem. Nam illam igni et ferro tunc diruerunt, aliud diruentes, aliud igni tradentes. Hæc itaque prænuntians dicebat : « Pro suavi » odore pulvis erit, pro zona, funiculo cingeris. » Sub oculos ponens captivitatis formam, et abductionem in barbarorum terram. « Et pro ornamento capitis tui, calvitiem » habebis ; » sive capillis ob miseriam defluentibus, sive id agentibus hostibus, sive ipsis seipsas tondentibus. Mos enim erat olim in luctu et calamitate sese tondere et radere. Etenim Job, audita liberorum calamitate, caput totondit [1]. Et in sequentibus ait Propheta, cum sacco et luctu, etiam tonsionem futuram. Aliusque rursum ait : « Et radere et » tondere super filios tuos delicatos. Et pro tunica purpura » clavata præcingeris sacco [2]. » Annon hæc terribilia et in-

[1] Job. I, 20. — [2] Mich. I, 16.

toleranda esse videntur? Verum apud nos non hic gradum sistet ultio; sed vermis venenatus, sed tenebræ interminabiles excipient. Si enim illos captivitas, servitus, et extrema mala exceperunt, idque pro ornatu: quod enim hujus pœnas exigeret, et hoc proprie peccatum puniret, audi quomodo, his enumeratis, causam subjunxit. « Hæc tibi pro or» natu (10). » Si igitur Judææ mulieres ob talem ornatum tantas subiere pœnas, patria a fundamentis excisa, et post tantam voluptatem, servæ, captivæ, et extorres, in alienam regionem abductæ sunt, ac fami, pesti milleque mortibus traditæ, annon perspicuum est nos graviora passuros esse, qui in eadem peccata incidimus? Quemadmodum enim honores majores, ita graviora supplicia. Quod si nulla mulier talem ornatum affectans hactenus aliquid tale passa est, ne ideo confidat. Mos enim est Deo pœnas definire uni et alteri, et per illos commonefacere cæteros omnes de pœnis quæ ipsos excepturæ sunt. Ut autem id clarius evadat, peccatum grave admiserunt olim ii qui Sodoma incolebant, extremas dederunt pœnas, iis immissis fulminibus, et urbibus, populis terraque ipsa cum corporibus simul combustis. Quid igitur? Nullus-ne post illos similia ausus est? Multi certe, et in multis per orbem locis. Cur ergo nihil hujuscemodi passi sunt? Quia longe graviori reservantur supplicio. Ideo namque Deus postquam id semel fecit, destitit, ut qui talia auderent, etiamsi hic pœnas non darent, certo scirent se nunquam effugituros esse. Quomodo enim consentaneum rationi fuerit, ante gratiam et ante legem, eos qui neque Prophetas, neque alium quempiam audivissent, pro admissis peccatis talia passos esse; eos autem, qui post illos tantam providentiam nacti sunt, neque exemplo temperatiores evaserunt, id quod peccatum reddit longe gravius, pœnam ipsis destinatam effugere? Cur ergo hac-

[1] Gen. XIX, 5.

tenus pœnas non dederunt? Ut ediscas illos longe graviori reservari supplicio.

X. Quod enim possint atrociora infligi, quam Sodomitis, audi Christum dicentem: « Tolerabilius erit terræ Sodomorum et Gomorrhæ in die judicii, quam civitati huic[1]. » Ita ut etiam si quæ hoc ornatu fulgent mulieres non paria patiantur iis, quæ tunc ornabantur, ne confidant. Nam tolerantia patientiaque graviorem accumulat ignis fornacem, majoremque flammam efficit. Hoc Ananiæ et Sapphiræ contigit[2]. Nam illi in principio et exordio prædicationis, cum ex pecuniis illis quidpiam suffurati essent, confestim abrepti sunt. Post illos autem multi qui talia ausi fuerant, nihil perpessi sunt. Quî igitur rationi consentaneum esse possit justum Judicem, qui paria omnibus distribuit, eos, qui minus peccaverint, ulcisci; eos autem, qui graviora admisere scelera, dimittere? Annon palam est, quia diem statuit, in qua judicaturus est orbem, ideo supplicium differre, ut aut patientia ejus meliores reddantur; aut si in iisdem persistant, atrociora patiantur? Cum igitur eadem scelera admittimus, quæ admiserunt illi qui supplicio affecti sunt, nec eadem quæ illi patimur, ne confidamus, sed magis timeamus. Sicut enim legem tulit Deus per illorum supplicium, omnes admonens, dicensque: « Ideo eum, qui ab initio peccavit, supplicio affeci, ut et tu, qui post illos scelera admittis, eadem ipsa expectes, et convertaris et melior evadas. » Similibus enim criminibus similes pœnæ constitutæ sunt, etiamsi non statim veniant. In his porro non sine causa sum immoratus, sed quia noxius ille morbus in hominum ædes ingressus est ob mulierum mollitiem, amor videlicet ornamentorum, qui pecuniarum impensas auxit, in sumptus intempestivos homines conjiciens, ac belli, dissensionis, et quotidiana litis causa est, pauperum-

[1] Matth. x, 15. — [2] Act. v.

que ventres atterit. Cum enim totas facultates, aut sæpe ultra facultates, mulier in contumeliam corporis sui virum cogat impendere; nam certe contumelia corporis est aurum circumpositum, necesse prorsus est manum retrahere ab eleemosyna eroganda, multaque alia hinc orta peccata videre est. Verum his dimissis, ut ea experientia discant ii, qui hæc patientur, ea quæ sequuntur attingamus. Postquam captivitatis formam declaravit, et dixit: « Pro ornatu » ipsam inducam, » auget calamitates dicens: « Et filius tuus » pulcherrimus, quem diligis, gladio cadet, et fortes vestri » gladio cadent. » Hoc quippe est vel captivitate gravius: est enim vita quædam morte acerbior. Nam quando cum servitute intempestivos luctus prosequi coguntur, cogita quanta sit calamitatis magnitudo, cum continuata serie ærumnæ sibi mutuo succedunt. Nam etsi captivitas sola adesset, ea tamen esset intolerandum malum. Et si in libertate viventibus tales luctus contingerent, morte acerbior vita esset. Sed nunc hæc ambo erunt, inquit, mutuo conjuncta. Imo potius hanc calamitatem duplicem appellare par est, etiamque triplicem et quadruplicem, quando et filius, et pulcherrimus, et dilectus, et a barbaris cæsus; sed neque ex communi naturæ lege vitam clausit, et cum illo omnes qui in ætatis flore erant, ita ut nullam spem bonam haberent, quantum attinebat ad humanum auxilium et commilitium. « Et humiliabitur: et lugebunt thecæ ornatus vestri, et » derelinqueris sola et ad terram prosterneris. » Per hæc omnia luctum amplificat, auget timorem, angorem reddit majorem. Sub aspectum ducit ærumnas, extendit calamitatis narrationem, quoquoversum circumcurrens, undique tristia colligens ob auditorum stoliditatem. Nam optabile fuisset illas tot minis exagitatas sese erigere, et in sensum futurarum calamitatum venire. Ideo subjunxit id quod miserabile prorsus esse videbatur, quod auri thecam evacua-

tam visuræ essent, in monumentum pristinæ prosperitatis, ut per oculos mœrorem vigentem servarent. Etenim tunc nos magis angere solent calamitates, cum illas cum pristina felicitate comparamus; comparatio quippe gravius ulcus efficit. Hoc igitur et Job olim dicebat: « Quis me po- » nat secundum mensem dierum pristinorum [1]. » Narratque divitias omnes, et bona sibi quasi ex fontibus affluentia, honores, proventus, splendorem omnem; ita ut illorum comparatione multo graviores ostendat ærumnas præsentes, quæ ipsum exceperant. Quod etiam nunc Propheta fecit, thecas commemorans, neque his contentus, illa inducens lugentes. Hæc enim dicendi formula emphasi plenior est, cum tales prosopopœias efficit. Jam ergo et vineas lugentes inducit et vinum, ut auditores magis pungat, et illorum crassitiem attingat. Quid autem est, « Derelin- » queris sola? » Et auxiliatoribus, inquit, et Dei providentia eris vacua, et omni alio splendore spoliata, hostibusque undique cincta, in mediisque conclusa barbaris. Sub hæc volens humiliationis magnitudinem ostendere, ait: « Et ad » terram prosterneris. » Non ait: « Cades, » vel « Dejicieris: » sed alia usus est dictione, quæ vilitatem ejus omnem clarius exprimeret.

[1] Job. XXIX, 2.

CAPUT IV.

Et apprehendent septem mulieres in die illa virum unum dicentes : Panem nostrum comedemus, et vestimentis nostris operiemur. Cæterum nomen tuum invocetur super nos : aufer opprobrium nostrum [1].

Paucitatem virorum ex bello residuorum vult ostendere, et quomodo ad minimum numerum redactus sit populus Judæorum. Neque enim sibi subsidio opus esse dixerunt, quod mulieribus a viris ferri par est, sed se illum a tali officio immunem complecti et amare, si utcumque solum a viduitatis nomine liberentur. Id enim sibi vult illud : « Aufer opprobrium nostrum : » quoniam olim id vituperio esse videbatur. « In die illa splendebit Deus in consilio cum »gloria super terram, ut exaltet et glorificet quod relictum »est Israëlis [2]. » Quia ex tristium comminatione animum illorum admodum concussit, et calamitatem satis traduxit, longoque sermone terribilia enarravit, ad meliora demum se convertit. Illa enim medicinæ optima ratio est, non solum secare et urere, sed dolores inde partos dulcioribus pharmacis lenire ; id ipse nunc facit. Neque enim in tristia totum desiturum esse ait, sed malis de medio sublatis, meliora eventura esse. Neque tantum ærumnarum solutionem fore ait, sed etiam multum splendorem magnamque claritatem. Hoc enim illustrationem Dei vocat, quæ tristitiæ tenebras solvat, lætamque diem pariat, ipsosque illustriores reddat. Illud autem, « In consilio, » significat eum

[1] Isaï. IV, 1. — [2] Ibid. 2.

prudenter omnia facere, et cum sapientia sibi competenti. « Et erit quod residuum fuerit Israëlis in Sion, et quod » relictum fuerit in Jerusalem; sancti vocabuntur omnes qui » scripti sunt ad vitam in Jerusalem [1]. » Ut scias non fortuito casu salutem nactos esse eos qui periculum effugerunt, sed cœlestis sententiæ decreto munitos, etiam in mediis malis non captos fuisse, ideo ait : « Sancti vocabuntur » omnes qui scripti sunt ad vitam in Jerusalem. » Qui segregati sunt, inquit, qui probati, qui signati, ut nihil mali paterentur. Jure autem illos Sanctos vocat, ostendens segregationem non temere, nec sine causa Dei decretum illos servasse; sed aliquid illi rei contulisse virtutem, sive ea præcesserit, sive post subsecuta sit. Etiamsi enim boni quidam fuerint et æqui, attamen ex iis quæ contigerunt, meliores ac diligentiores evaserunt. Quemadmodum enim aurum igni traditum omnem scoriam deponit; sic et probi in tentationibus probiores fiunt, omnem abluentes socordiam. « Quia abluet Dominus sordem filiorum et filiarum Sion, » et sanguinem expurgabit de medio eorum spiritu judicii, » et spiritu ardoris [2]. » Duplicem hic mihi videtur dicere expurgationem, et quod dent peccatorum pœnas, et quod exhinc in futurum diligentiores evadant. Sanguinem vero Jerusalem cædes vocat, cædesque injustas. Deinde augens accusationem ait : « De medio eorum. » Non enim clam homicidia aggressi sunt, sed pejus quam latrones, et ii qui in publicis viis insidias locant. Illi namque in tenebris latentes et in solitudinibus, consueta facinora aggrediuntur; hi autem medio in foro, in media urbe et in ipsis tribunalibus eadem quæ illi scelera perpetrabant. Sed et maculam inde ortam bellum ingruens consumet. Etenim in tempore bonorum de ærumnis prius illatis se defendit, quod scilicet illæ ideo acciderint, ut abluerentur, ac sordes ponerent,

[1] Isaï. IV, 3. — [2] Ibid. 4.

ut igne purgarentur, ut omnem maculam abstergerent, ut probrum ex peccatis et cædibus partum eluerent. Quid vero est quod ait : « Spiritu judicii et spiritu ardoris? » In metaphora conflatæ metallicæ materiæ substitit. Quemadmodum enim illic spiritus in conflatoriam fornacem immissus et flammam afflans, ardentioresque prunas reddens, omnem absumit scoriam; ita et hic immissa a Deo ira, et incidens hostium incursus, instar ignis urbis factus est, ignis non perniciem inferentis, sed urentis, purgantis, punientis et emendantis. Hunc enim sensum habet illud, « Spiritu » judicii; » hoc est, punitionis, vindictæ, ultionis. « Et veniet » Dominus; » adventum, ejus operationem vocat. « Et erit om- » nis locus montis Sion, et omnia quæ in circuitu ejus sunt, » obumbrabit nubes per diem, et quasi fumo et quasi luce ig- » nis ardentis per noctem, omni gloria protegetur. Et erit in » umbraculum diei ab æstu, et in tegumento et in abscondito » ab asperitate et pluvia [1]. » Nubem hic vocat consolationem in malis datam, rogum vero adventum ejus cum consolatione adjunctum. Quod enim in æstu est nubes, hoc in tenebris et profunda nocte rogus splendidi ignis accensus. Illa enim æstum depellit, hic vero caliginem discutit. Adventum ergo ejus pyræ splendori, remissionem vero et recreationem, umbræ nubis comparavit. Deinde ostendens non paulatim solutis tristibus hæc eventura esse, sed derepente in ipsaque ærumnarum vi fore mutationem; ut et inde discant non ex revolutione quadam et fortuito mutationem in melius esse factam, sed ex superna virtute totum esse confectum, « Sicut igne ardente in nocte, » inquit, sic fiet mutatio, « Et erit in umbram per diem. » Quænam hæc umbra? Dei auxilium, inquit, et subsidium, quasi umbra in æstu, et quasi tectum vel cavernæ latibulum, imbre vehementi cadente, in tuto servat eum qui illo confugit; sic

[1] Isaï. IV, 5, 6.

et Dei commilitium nihil sinet pati detrimenti, tanto ingruente bello, eos quos a principio servare voluerit.

CAPUT V.

Cantabo dilecto canticum dilecti mei vineæ meæ [1].

I. Postquam tristium comminatione exterruit, et bonorum promissione exhilaravit, variamque medelam adhibuit, in aliud denuo principium sermonem reducit, principium, inquam, quod prophetiæ exordium videatur. Quemadmodum enim a principio statim beneficia ipsis a Deo collata recensuit dicens : « Filios genui et exaltavi, » adductis propositisque sceleribus, quæ illi patraverant, nempe, « Ipsi » spreverunt me; » et, « Israël autem me non cognovit, et » populus meus me non intellexit [2]; » sic et hoc loco aliis dictis, sed eadem sententia, ea ipsa quæ prius exhibet. Verum qua de causa reprehensurus, reprehensionem canticum vocat? Moyses enim id jure fecit cum Maria, utpote triumphale canticum modulaturus, meritoque sic incipit : « Cantemus Domino : gloriose enim magnificatus est, equum » et ascensorem projecit in mare [3]. » Et Debora post illud admirabile tropæum, et insperatam victoriam, jure canticum illud triumphale contexuit, laudem referens Deo [4]. Hic autem criminaturus, cum vehementi sermone egeat, et animo non remisso, sed concitato, se cantaturum nobis promittit, et accusationes canticum vocat. At non ipse so-

[1] Isaï. v, 1. — [2] Id. I, 2, 3. — [3] Exod. xv, 1. — [4] Judic. v, 3, et seqq.

lus, sed et magnus ille Moyses, qui tunc triumphale illud canticum cecinerat; dum Judæos reprehendit, longum illud canticum fecit reprehensionibus plenum, dicens : « Hæc-» cine Domino redditis? Hic populus stultus et insipiens [1]; » et multis collectis accusationibus, hæc ipsos canere lege præcepit, et nos hodieque canentes hæc dicimus. Cur ergo criminationes ut canticum concinnant? Sapientia certe usi spirituali, et multum emolumenti auditorum animis inferre volentes. Quia enim nihil sic utile est, ut scelerum assidue recordari, nihilque memoriam ita firmam parit, ut melodia; ne ob criminationum magnitudinem tæderet eos, et assiduam peccatorum memoriam subterfugerent, cantici modulatione pudorem subripiens ex memoria partum, et intolerabilem mœrorem leniens, hæc cantica fecit, ut melodiæ amore coacti ad ea frequenter pronuntianda, sæpe illorum recordarentur, assidueque doctrinam de colenda virtute haberent, nempe assiduam peccatorum recordationem. Scitis igitur alios Scripturæ libros multis hodieque ne de nomine quidem notos esse; Psalmorum autem opus omnes in ore ferre, et hæc etiam cantica : sicque ex rebus ipsis ostenditur quantum ex cantu lucrum accedat. Idcirco ipse ait : « Cantabo dilecto meo canticum dilecti mei » vineæ meæ. » Canticum dilecto, ait, vineæ. Cantabo circa ipsum dilectum. Et ipsi canto, inquit, et argumentum cantici circa illum et res ad eum spectantes versatur. Quod si objurgaturus et dilectum vocat et amatum, ne mireris; nam et hoc magnum est ad criminationem viaticum, quod scilicet cum diligerentur, et tanta fruerentur Dei benevolentia, neque sic meliores effecti sint. Hoc et alius Propheta subindicans dicebat : « Quasi uvam in deserto inveni Israël, » quasi scopum in ficu præcocem vidi patres eorum [2] : » optabiles illos amabilesque esse per hos fructus indicans;

[1] Deut. xxxii, 6. — [2] Osee ix, 10.

optabiles, inquam, amabilesque non ex sua virtute, sed ex Dei benignitate. Quod autem dicit, hujusmodi est : « Ego ita dilexi, ut si quis uvam invenerit in deserto, aut si quis scopum repererit in ficu. » Etiamsi enim hæc exempla indigna sint Deo, at illorum ingluvici consentanea sunt. Ipsi vero, ait, cum tanta dilectione fruerentur, abalienati sunt, ingressique sunt ad Beelphegor. Sic sane illum hic vocat dilectum et amatum, ostendens Deum omnia, quæ a seipso erant, exhibuisse, non quod ipsi cœperint, sed quod Deus prior amarit. Illi vero neque postea dignos sese beneficio exhibuerunt; sed opere ipso omnia exhibuere contraria. « Vinea facta est dilecto in cornu, in loco pingui [1]. » Vineæ nomine omnem subindicavit providentiam, suamque circa illos sollicitudinem.

II. Neque hic gradum sistit, sed alia etiam beneficia enumerat : primoque id præstat a situ loci; illud enim, « In cornu, in loco pingui, » tum naturam terræ, tum situm laudans dicit : id quod et David psallendo dixit de Jerusalem : « Montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu » populi sui [2]. » Namque cinxit eam, inquit, vel ex situ loci : cæterum hoc contentus non fuit, sed maximus ipse murus illi factus est : quod hic subindicat dicens : « In » cornu, » inexpugnabilem nempe esse locum; at quod majus est, Dei subsidium declarat ex metaphora bovini cornu. Etenim tale adagium in vulgus exiit de iis, qui in tutum aliquem locum confugiunt. Quia enim omnium fortissimus est taurus, quod vero fortius in eo, est cornu, quo ceu armis utitur; quia captu difficile est, id solent multi dicere : ac Scriptura sæpe cornu unicornis vocat eos, qui in tuto positi sunt. « In cornu » itaque hic dicit, quasi in tuto, in alto loco, id quod initio dicebat : « Filios genui et exal- » tavi. In loco pingui : » quod Moyses dicebat : « Terram

[1] Isaï. v, 1. — [2] Psal. cxxiv, 2.

» fluentem lac et mel [1]. Et sepem circumposui, et circum-» vallavi [2]. » Sepem aut murum dicit, aut legem, aut providentiam suam. Etenim lex tutius quam murus illos circumcingebat. « Et circumvallavi; » tutam posui custodiam. Quia enim sepes solet esse superatu facilis, aliud ipsis præsidium circumposui. « Et plantavi vineam Sorec. » In metaphora persistit, quæ non est ad litteram explicanda, sed cum scopum attigimus, hoc satis esse debet. Sorec autem hic significat, veram, generosam, non malis nec inferioris notæ propaginibus instructam, sed probatis et præcipuis. Multa namque vitium genera sunt. « Et ædificavi turrim, et » torcular in medio ejus [3]. » Quidam turrim interpretantur templum, et torcular altare : quia illic fructus virtutis cujusque congregabantur, necnon oblationes et hostiæ omnes. Ego utique quod dicere cœperam, nunc etiam dicam, animum nempe metaphoræ scopo adhibendum esse. Per hæc enim omnia hoc significare vult : « Quæ mea erant implevi omnia, omnem exhibui diligentiam. Non attrivi laboribus, non fregi sudoribus, non ipsos jussi ædificare, non fodere, non plantare; sed absolutum ipsis opus tradidi. Neque huc desii benignitatem exhibere; « Sed expectavi ut faceret » uvam [4], » et expectavi tempus opportunum ut fructum ferret, multa usus patientia. » Illud enim, « Expectavi, » id significat. « Fecit autem spinas [5]. » Infructuosam illorum vitam ostendit, asperam, duram. Qua ergo venia digni fuerint ii, qui post tantam agricolæ curam, tales fructus ipsi reddunt? « Et nunc, homo Juda et habitantes Jerusalem, » judicate inter me et vineam meam [6]. » Magna juris copia, cum ipsos reos constituit judices inter ea quæ ipse, et inter ea quæ illi fecerunt. « Et nunc. » Non commemoro vetera, inquit, sed hodie paratus sum judicium subire. Sic nun-

[1] Exod. III, 8. — [2] Isaï. V, 2. — [3] Ibid. — [4] Ibid. — [5] Ibid. — [6] Ibid. 3.

quam cesso implere mea, vos vestra non impletis. « Quid » faciam amplius vineæ meæ? quoniam expectavi ut faceret » uvam, fecit autem spinas [1]. » Orationis structura videtur esse obscurior : quocirca necesse est illam dilucidiorem reddamus. Quod dicit, hoc sibi vult : « Quid oportebat facere, et non feci? » nimirum, ut talia peccata admitterent. Quid autem objicere possunt? an quod, quibusdam prætermissis, ipsi sic deliquerint? « Quid faciam ultra vineæ » meæ, et non feci ipsi [2]? » Quæ feci, inquit, hæc sunt. Verum jam factis non contentus sum, neque dico me multa beneficia contulisse. Sed si non omnia feci, post quæ nihil faciendum relinquebatur, id rogo dicatis mihi, vos qui hæc consecuti, et gestorum testes estis, ex experientia hæc didicistis; non alienos et peregrinos interrogo. « Nunc autem » annuntiabo vobis, quid faciam vineæ meæ [3]. » Quia victoriam reportavit, ingratumque illorum animum demonstravit, tunc demum profert sententiam, et quæ facturus sit dicit, non ut condemnet, sed ut ex metu per minas incusso moderatiores reddat. « Auferam sepem ejus, et erit » in direptionem, et destruam murum ejus, et erit in con» culcationem [4]. »

III. Auferam, inquit, auxilium meum, præsidio nudabo, tali providentia vacuos reddam, et adversorum experientia scient quantis ante bonis fruerentur, cum fuerint omnibus ad direptionem exposiți. « Et dimittam vineam meam, et non » putabitur, neque fodietur [5]. » Rursus dico eum metaphora uti. Si quis tamen id accuratius explorare voluerit, de doctrinæ et mandatorum sollicitudine loquitur. Non enim iisdem fruentur quibus antea, non doctores habebunt, non principes, non Prophetas sicut olim, qui ipsos corrigant, qui ipsorum curam gerant. Sicut enim qui vineas colunt, fodiunt, putant, sic qui animas emendant,

[1] Isaï. v, 4. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 5. — [4] Ibid. — [5] Ibid. 6.

comminantur, exterrent, docent, reprehendunt. Verum iis destituti erunt, inquit, in alienam abducti terram. « Et as-» cendet per eam, quasi per incultam terram, spina : et » nubibus mandabo ne pluant in eam imbrem [1]. » Aut desolationem urbis memorat, aut desolationem eorum et uniuscujusque animæ eorum. Nubes autem hic quidam dicunt esse Prophetas, quippe qui pluviam desuper acciperent, et sibi dicta ad populum transmitterent. Verum ne hi quidem quæ consueverant facient. Etiamsi enim unus vel alter Propheta cum ipsis commigrarat, Prophetarum tamen turba tunc silebat. « Vinea enim Domini Sabaoth » domus Israël est, et homo Juda novella plantatio dilecta. » Expectavi ut faceret judicium, fecit autem iniquitatem, et » non justitiam, sed clamorem [2]. » Quoniam multa nominum metaphora usus est, vineam, turrim, torcular, sepem, fossionem, et putationem vineæ commemorans; ne quis insipientium de vinea hæc dici putaret, sub finem repente totum interpretatus est. « Vinea enim Domini Sabaoth domus » Israël est. » Non enim de plantis mihi sermo est, neque de natura inanimata, neque de lapidibus et muris; sed de populo nostro. Ideo subjunxit : « Et homo Juda, novella » plantatio dilecta. » Quia scilicet Juda plus obtineret quam cæteræ tribus, eratque illic e vicino situm templum, et reliquus cultus, atque illa magis quam cæteræ omnes florebat, ad regiamque magis accedens, potentior erat. Dilectum autem dixit, rursus illos perstringens, quod tales erga se valde amantem sese exhibuissent. Ea quippe lex est diligentium, ne in oblatis quidem criminationibus magnum suum amorem occultare. Hinc aliud quidpiam non spernendum ediscimus. Quale illud? Nempe quando et quæ Scripturæ loca allegorice interpretari oporteat. Neque penes nostram esse facultatem has leges pro lubito ex-

[1] Isaï. v, 6. — [2] Ibid. 7.

plicare, sed ipsam Scripturæ mentem sequi oportere, sicque allegoria uti. Quod autem dico, sic intelligendum. Scriptura nunc vineam dixit, sepem, torcular : nec penes auditorem reliquit, ut pro lubito hæc quibusdam rebus aut personis aptaret; sed in sequentibus sese interpretata est, dicens : « Vinea enim Domini Sabaoth, domus Israël » est. » Ezechiel vero rursum, cum aquilam magnam et magnarum alarum ingredientem in Libanum, et avellentem summum verticem cedri commemorat [1], non relinquit penes arbitrium auditorum hujus allegoriæ interpretationem; sed explicat ille, quam aquilam dicat, quam cedrum. Et hic rursum in sequentibus, ubi fluvium quemdam violentum inducit in Judæam, ne liceret auditori cuivis personæ pro arbitrio hæc aptare, dixit regem esse eum, quem fluvium nominasset. Hæc vero lex ubique locorum in Scriptura servatur, ut cum allegorice loquitur, allegoriæ interpretationem afferat, ut ne eorum, qui allegorias amant, cupidus animus temere et fortuito erret, et quocumque feratur. Et quid miraris, si id Prophetæ faciant? Proverbiorum certe auctor id observat. Cum enim dixisset : « Cervus amicitiæ, et pullus gratiarum tuarum conversetur » tecum, et fons aquæ tuæ tibi soli sit [2]; » interpretatus est, cur hæc diceret, nempe de uxore legitima et libera, ut averteret a meretrice et aliena. Pari modo hic explicavit hoc loco quam diceret esse vineam. Deinde cum eorum crimina enuntiasset, suppliciaque dixisset, rursus in fine defensionem parat, dicens : « Expectavi ut faceret judicium, » fecit autem iniquitatem, et non justitiam, sed clamo- » rem [3]. » Juste, inquit, pœnam exigo. Expectavi enim ut facerent judicium, id est, justitiam; ipsi vero contraria exhibuerunt, iniquitatem, injustitiam et clamorem : » clamorem hic vocat, acquirendi cupiditatem, injustum furorem,

[1] Ezech. xvii, 3, — [2] Prov. v, 19. — [3] Isaï. v, 7.

irrationabilem iram, pugnas, contentiones. « Væ qui con-» jungunt domum ad domum, agrum ad agrum aptantes, » ut a proximo auferant aliquid [1]. » Cum dixisset ipsum clamorem fecisse, id est, acquirendi cupiditatem, et rapinas, subjicit iniquitatis speciem multa plenam nequitia; ac rursus a lamentis initium ducit, magnitudinem peccatorum ostendens, eosque insinuans qui incurabili morbo laborabant.

IV. Hæc etiam nunc tentari videre est ab iis, qui male divitiis utuntur, qui vicina loca invadere cogitant, non ut securitatem pariant, sed ut insidias proximis moliantur, qui ut ignis grassans, ita vicinos omnes spoliant. « Numquid » habitabitis soli super terram? Audita sunt enim nunc in » auribus Domini Sabaoth hæc [2]. » Ostendit illos frustra laborare et nullo fructu. Quia enim non ita supplicia et cruciatus hujusmodi homines abducere solent, ut cum probe didicerint se rapinæ fructum non percepturos, hanc in eos fert comminationem, dicens ipsos laboraturos et miseriis affectos peccatum admissuros, sed ab ejus usu et fructu lapsuros esse. Non enim insomnis ille oculus, talibus visis facinoribus, quiescet. Illud vero, « Audita sunt nunc, » non dicit quasi tunc res gestæ notæ sibi essent, sed quasi ultio e vestigio sequeretur, retributioque instaret. « Si enim fuerint » domus multæ, in solitudinem erunt magnæ et pulchræ, nec » erunt qui habitent in eis [3]. » Hujusmodi est avaritia: cum plura possessoribus addit, ipsos etiam ex prius possessis dejicit. Quod etiam hic subindicat dicens: « Cum splendide ædificaveritis et omnium bona vobis corraseritis, tunc etiam ab iis, quæ prius habebatis, excidetis. Et stabunt ædes nullos habitatores habentes, sed tuba clariorem emittentes vocem contra eos, qui illas prius rapuerant, vastitate illa tanta tropæi instar exhibita. « Ubi enim operantur decem juga

[1] Isaï, v, 8. — [2] Ibid. 9. — [3] Ibid.

» boum, faciet lagunculam unam ; et qui seminat artabas » sex, faciet mensuras tres [1]. » Ab urbe in agri vastitatem sermonem educit, ita ut undique auditorem percellat. Neque enim domus, inquit, habitatores detinebunt, neque terra suam ostendet nativam virtutem. Etenim ab initio ob Adæ peccatum spinas et tribulos protulit. Ac post illum propter Caïni iniquitatem, multo minorem quam labores ejus exigebant, et quam vis nativa terræ postulabat, proventum tulit. Sæpeque alibi videre est terram ob peccata hominum plecti. Et quid miraris, si iniquitas terræ fertilitatem obtundat hominumque fœcunditatem, quando etiam propter nos corruptibilis facta est, et propter nos rursum incorruptibilis efficitur? Quia enim propter nos omnino et propter ministerium nostrum existentiam accepit; hinc etiam accipit ut hac vel illa conditione sint ejus principium et radix. Sic etiam tempore Noë factum. Quia in extremam nequitiam natura hominum deflexerat, res omnes miscebantur, semina, plantæ, brutorum genera, terra, mare, aër, montes, saltus, colles, urbes, muri, domus, turres; omniaque prorsus terribili illo pelago obruebantur. Quia vero rursum necesse erat ut humanum genus accresceret, terra nativum suum ordinem accepit, et in priorem elegantiam restituta est. Id autem videas ex parte factum in hominum honorem. Etenim pelagus se summovit, et iterum apparuit; sol refrenatus est cum luna, solitumque cursum deseruit; ignis quæ ad aquam pertinebant præstitit; terra quæ ad pelagus, pelagus quæ ad terram; omniaque, ut semel dicam, in utilitatem hominum se transformant. Et quia omnia honore præcedit homo, propterque ipsum omnia facta sunt, ideo et nunc quia judaïcus populus peccavit, terræ partus Deus cohibet, ac post multos labores sudoresque non sinit ejus viscera solitum pro-

[1] Isaï. v, 10.

ventum referre; ut inde discant non agriculturæ artem, nec boves et aratrum, neque terræ naturam, nec aliud simile quidpiam, sed horum omnium Dominum esse, qui liberali manu omnia effundit, et iterum, cum vult, omnia cohibet. « Væ qui surgunt mane, et siceram persequuntur, » qui manent ad vesperam. Vinum enim succendet eos. » Nam cum cithara, et psalterio, et tympanis, et tibiis vinum » bibunt : opera autem Dei non respiciunt, et opera ma- » nuum ejus non considerant [1]. » Postquam ingentem illorum avaritiam redarguit, mali radicem hic ponit. Hæc vero erat ebrietas sexcentorum causa malorum : cum maxime illa modum omnem excedit.

V. Observa igitur quam accurate illos traducat. Totum enim diem in hæc insumi dicit. Neque enim cum prandendum est id faciunt, inquit, sed omne tempus in ebrietatis tempus vertentes, ab ortu diei, quando maxime sibi attendere debebant, multo mero se dedentes, vellent nollent deinceps usque ad vesperam in morbo perseverabant. Quando enim semel in voraginem intemperantiæ sese demerserant, ac de naturali mentis statu deciderant, animamque captivam pravæ ebrietatis tyrannidi tradiderant; quemadmodum navis non saburrata, gubernatoreque et nautis destituta, fortuito et quoquoversus fertur, temerario aquarum impetu exagitata, eumdem in modum hi ebrietate demersi feruntur. Ideo ait : « Væ qui surgunt » mane, et siceram persequuntur. » Non enim necessitatem explebant, neque appetitum expectabant ut illi facerent satis; sed in hoc toti incumbebant, hoc curabant, ut perpetuo temulenti essent. Idcirco ait : « Qui siceram perse- » quuntur. » Siceram enim hic dicit palmarum succum, quam conficiebant fructum conterentes et contundentes, ut in vini transformarent naturam. Soporificum autem est

[1] Isaï. v, 11, 12.

illud, ebrietatemque parit. At illi nihil horum observabant, voluptatem ubique persequentes, et usque ad vesperam manentes. « Vinum enim succendet eos. » Talis quippe est ebrietatis natura, progressa augetur, et graviorem sitim excitat. Deinde aliud non minus priore crimen objicit dicens : « Nam cum cithara, et psalterio, et tympanis, et » tibiis vinum bibunt. » Hanc criminationem profert alter Propheta dicens : « Qui bibunt defæcatum vinum, et pri- » mis unguentis uncti, qui plaudunt ad vocem organorum. » Quasi stantia reputaverunt, et non quasi fugientia [1]. » Etenim extremæ stoliditatis signum est, animique dissoluti, domum suam in theatrum vertere, et hujusmodi canticis se dedere. Quod et ebrietas facit tenebris offundens, hoc et musica operatur vigorem mentis emolliens, roburque animi frangens, et ad majorem alliciens lasciviam. « Opera » autem Dei non respiciunt, et opera manuum ejus non » considerant. » Vel miracula ejus dicit, vel naturæ contemplationem. Quomodo autem possint horum spectatores esse, cum diem in noctem vertant, noctu vero nihilo melius sint affecti, quam mortui? Quomodo poterunt solem orientem videre, cœli splendentem pulchritudinem, vespereque varium illum stellarum chorum, cæterarumque creaturarum ordinem et ministerium, exterioribus interioribusque oculis privati? Non parum ergo in hoc læsi sunt, quod nunquam contemplati Dei mirabilia ex hac vita discedant, cum omni tempore ebrietatis tenebris obruti fuerint. « Igitur captivus factus est populus meus, eo quod » non cognoverint Dominum [2]. » Rursus quod futurum erat ut præteritum annuntiat, et pœnam infert delicto huic. Siquidem vel ipsa ebrietas quodvis supplicium exæquat, tumultum in anima pariens, caligine mentem replens, captivam ipsam constituens, innumeris illos interius et exte-

[1] Amos VI, 6. — [2] Isaï. V, 13.

rius obruens morbis. Hoc noverat Paulus, nempe malitiam pro supplicio esse; ideo ait : « Et mercedem, quam opor-» tuit, erroris sui in semetipsis recipientes [1]. » Verum quando id etiam stoliditatis eorum proprium est, quod puniantur, nec se puniri sentiant : quod ægrotent, nec sciant se ægrotare, ab exteris etiam supplicium inducit, aitque : « Igitur captivus factus est populus meus, eo quod » non cognoverint Dominum. Et multitudo facta est mor-» tuorum propter famem et sitim aquæ [2]. » Vide multam insertam in supplicio monitionem, neque gravissimam statim induci sectionem. Neque enim subito captivitatem intulit, sed famem prius et sitim, ut domi manentes meliores evaderent, neque ob incurabilem morbum barbarorum exercitum attraherent. Quia vero non cesserunt, nihilque inde lucrati sunt, extremum denique ipsis inducit supplicium. Attamen ante illa, verbis extollit et amplificat famis calamitatem, dicens : « Dilatavit infernus animam » suam [3]. » Non quod infernus animam habeat, sed personæ forma minas intentat, ut majore cum empha-i loquatur, ingentique timore auditorum animos perculiat, ideo in prosopopœia persistit dicens : « Et aperuit os suum, ut » non cesset [4] : » quasi de fera verba faciens, et imaginem rerum prope ipsos adducens. Quod-que gravius est, non modo aperuit os suum, sed hianti ore manet, nec ex jam absorptis satiatur. « Et descendent ad eum gloriosi, et » magnates et divites, et pestes ejus [5]. » Ex hinc, ut scias non secundum naturæ ordinem hæc fieri, sed a Deo immissam esse plagam, et decretum ex cœlo delatum, in dignitate et potentia constitutos, qui omnia miscebant, resque Judæorum subvertebant, eo descensuros esse ait.

VI. Pestes autem illos jure vocat, utpote qui nequitiam

[1] Rom. v, 27. — [2] Isaï. v, 13. — [3] Ibid. 14. — [4] Ibid. — [5] Ibid.

non penes se servarent, sed etiam ad alios morbum transmitterent. Talis quippe est pestilentiæ natura : cum ab uno corpore cœperit, gradatim in multitudinem grassatur. « Et » exultans in ea. » Qui deliciis vacat, qui exultat, qui putat se immobilia possidere bona, ipse quoque cadet et capietur. « Et humiliabitur homo, et inhonorabitur vir, et oculi » sublimes humiliabuntur. Et exaltabitur Dominus solus » Sabaoth in judicio [1]. » Vide rursus Dei providentiam. Non enim internecionem adducit, neque totum e medio abripi populum permittit, sed quosdam relinquit, ut ex abeuntium supplicio resipiscant. Hoc ergo subindicans ait: « Humiliabuntur, » id est, qui manent, qui relicti sunt. « Et » exaltabitur Dominus Sabaoth in judicio, et Deus sanctus » glorificabitur in justitia [2]. » Duo ponit bona, et illos nempe tumorem deposituros esse, melioresque futuros, et Deum admirationi fore apud omnes; id enim sibi vult illud, « Exal- » tabitur et glorificabitur, » per supplicium nempe, ac per ipsam ultionem. Quid autem est, « In judicio? » Per ultionem. « Et pascent dispersi quasi tauri, et deserta eorum, » qui assumpti sunt, agni comedent [3]. » Relictorum paucitatem his subindicat, et ingentem regionis solitudinem. « Væ qui attrahunt peccata sua ut funiculo longo, et quasi » jugi corrigia vitulæ iniquitates suas. Qui dicunt : Cito ap- » propinquent quæ faciet Deus, ut videamus : et veniat con- » silium sancti Israël, ut sciamus [4]. » Prophetis frequenter comminantibus, et terribilia prænuntiantibus, pseudoprophetæ ad gratiam loquentes, populique vigorem dissolventes, illorum dicta falsa, sua vera esse dictitabant. Multi ergo seducti, illorum verbis non credebant. Deinde quia prophetiæ non statim atque pronuntiatæ erant, eveniebant; prophetiæ namque natura erat, multo ante tempore ea pronuntiare quæ eventura erant. Quoniam ergo frequenter

[1] Isaï. v, 15, 16. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 17. — [4] Ibid. 18, 19.

Prophetæ famem, pestem, bellaque prædicebant ; nec tamen ea reipsa ostendebant, interim multi ex iis, qui decepti erant, ex cunctatione ad non credendum occasionem accipientes, dicebant : « Veniant quæ dicuntur ; » si vero dicitis : « Accedant res ipsæ : » exhibete nobis ex operibus ipsis consilium Dei. Quia igitur ejus patientiam incredulitatis occasionem efficiebant, et peccatis suis hoc adjiciebant, tum quod non crederent, tum quod ob incredulitatem segniores evaderent, jure ipsos Propheta luget dicens : « Quasi funiculo longo, sic contra vos trahitis iram Dei, et nequitiam vestram augetis. » Quia enim dictis non creditis, id relinquitur demum, ut rerum vobis experientia afferatur. Ita ut vos ipsi mala vobis attrahatis, qui verbis fidem non habetis. Ideo ait : « Væ qui attrahunt peccata » sua ; » id est, « Retributionem peccatorum, quasi longo funiculo e longinquo trahitis, inquit, definitam peccatis vestris ultionem, et quasi jugi corrigia vitulæ subjugalis, » ut exprimat illorum studium et curam in peccando. Ut si quis loro forti quid pertraxerit, sic vos per incredulitatem Dei iram contra vos trahitis. Deinde dicit quomodo trahant : « Qui dicunt : Cito appropinquent quæ facturus est » Deus, ut videamus. » Id quod et alius Propheta eis vitio vertit dicens : « Væ desiderantibus diem Domini : et quid » vobis hæc dies ? et hæc est tenebræ, non lux, et caligo » non habens splendorem suum[1]. » Etenim i li quoque increduli dicebant : « Quando veniet dies supplicii et ultionis ? « Væ qui dicunt malum bonum, et bonum malum ; » qui ponunt lucem tenebras, et tenebras lucem : qui po- » nunt dulce amarum, et amarum dulce[2]. » Rursum de iisdem loquitur. Quoniam Prophetas contumeliis onerabant et deceptores vocabant ; pseudoprophetas vero honorabant, rerumque ordinem invertebant, ipsos miseros præ-

[1] Amos v, 18. — [2] Isaï. v, 20.

dicat ob corruptum judicium. « Væ, inquit, qui dicunt » malum bonum ; » id est, pseudoprophetiam ; « Et bonum » malum, » prophetiam : « Qui ponunt lucem tenebras, et » tenebras lucem : qui ponunt dulce amarum, et amarum » dulce. » Etiamsi enim molesta sint verba, sed nihil dulcius est Prophetis, qui verborum interminationibus rerum experimentum depellunt. Etsi dulcia sint verba pseudoprophetarum, sed nihil illis amarius, qui per gratiam verborum, minas in rem et opera vertunt.

VII. En Prophetæ sapientiam, quomodo illorum opinionem invertat. Quia enim illis ut acerbiora narrantibus non attendebant ; his secus ut mitioribus, multamque dulcedinem exhibentibus, dixit rem contrario se habere modo, multamque esse Prophetarum dulcedinem, multam pseudoprophetarum amaritudinem. Sic etiam de luce et de tenebris sermo nobis habendus est. Nam illi ad errorem, hi ad veritatem deducebant. Et illi quidem captivitatis caligini manus ferme ligantes tradebant ; hi autem nihil non agebant, ut in libertatis lucem adducerent. Quoniam ergo oppositam et non consentaneam de ipsis sententiam habebant, jure illos corrigit dicens : « Qui ponunt lucem tene» bras, et tenebras lucem. Væ qui intelligentes sunt apud » semetipsos, et coram se scientes [1]. » Non parvum et hoc vitium, cum quispiam se sapientem putat, et cogitationibus suis omnia permittit. Nam hinc illud oritur ; nimirum quod dicant malum bonum, et bonum malum, et cætera. Hoc etiam Paulus externis philosophis crimini dans dicebat : « Dicentes se sapientes esse, stulti facti sunt [2]. » Proverbialisque sermo rursum sic habet : « Vidi hominem qui sibi » sapiens videbatur esse apud semetipsum, majorem quam » ille spem habet stultus [3]. » Hoc ipsum iterum arguit Paulus his verbis : « Ne sitis prudentes apud vosmetipsos [4] ; »

[1] Isaï. v, 21. — [2] Rom. I, 22. — [3] Prov. xxvi, 12. — [4] Rom. xii, 16.

ac rursum : « Si quis in vobis videatur sapiens esse in hoc » sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens [1]. » Ne propriæ sapientiæ, inquit, neque cogitationibus suis fidat, sed illas reprimens, spiritus doctrinæ animum tradat. Quia igitur apud Judæos quidem erant hujusmodi, Prophetas despicientes, quasi pastores et mercenarios, volentesque sapientes in semetipsis videri, quod tam arrogantiæ ipsis occasio erat, tum ut sibi dicta contemnerent; jure illos luget dicens : « Væ » qui intelligentes sunt apud semetipsos, et in conspectu » suo scientes. Væ qui fortes sunt inter vos, qui vinum bi- » bunt, qui potentes sunt, qui miscent siceram [2]. » Ne mireris si, cum paulo ante tanta dixerit contra ebrietatem, rursus eumdem resumat sermonem. Quia enim grave ulcus erat, nec cedebat, ideo illud frequenter abstergere oportebat. Grave et curatu difficile illud est, cum id quod multis videtur non esse peccatum, gravissimum tamen omnium est peccatum, quod sexcentos ingeneret morbos. Ideo ait : « Qui vinum bibunt, et potentes qui miscent siceram [3]. » Duplex præcipitium, tyrannis ebrietatis, et potentiæ magnitudo. Omnibus quippe hominibus ratiocinio est opus, maxime vero iis, qui in dignitate et in potentia sunt, ne principatus tumore, ceu inundantium aquarum impetu, præcipites agantur. « Qui justificant impium propter mu- » nera, et jus Justi tollunt ab illo [3]. » Duplex rursus crimen offert, quod reum dimittant, et quod innoxium condemnent. Utriusque peccati radix sunt accepta munera. « Ideo » quemadmodum succendetur stipula a carbone ignis, et » succendetur a flamma accensa [4]. » Celeritatem ultionis et facilitatem sumendi supplicii exhibet, extremam illorum perniciem imagine exprimens.

VIII. Hæc quippe omnia, flamma, carbones, stipula et quæ sequuntur nobis indicant. « Radix eorum quasi pulvis

[1] 1 Cor. III, 18. — [2] Isaï. V, 22. — [3] Ibid. 23. — [4] Ibid. 24.

» erit, et flos eorum quasi pulvis ascendet [1]. » Quæ fixa sunt et firma peribunt, quæ splendida effundentur, quæ læta abibunt et diffluent. « Non enim voluerunt legem Domini » Sabaoth facere, sed eloquium Sancti exasperaverunt [2]. » Eloquium vocat legem. « Et iratus est furore Dominus Sa- » baoth, in populum suum, et rejecit manum suam in eos, » et percussit eos, et exacerbatus est adversus montes. Et » facta sunt morticina eorum quasi stercus in medio viæ. » Et in omnibus his non est aversus furor ejus : sed adhuc » manus ejus excelsa [3]. » Hoc loco bellum grave subindicat, in quo ne corpora quidem sepeliri poterunt, non ut illi pœnas dent, sed ut qui vivent alienis malis abducti aliquid saltem de nequitia succidant. Ac vide quomodo atrociorem reddiderit sermonem. Non enim dixit non sepultos fuisse, sed cadavera abjectiora, quam stercus ipsum, modo projecta esse, quod viventibus omnium horribilissimum esse videtur, et ipsa morte acerbius. Quod vero pejus est, ne his quidem ita se habentibus, inquit, moderationes facti sunt, sed in iisdem persistunt. Quia igitur non meliores evadebant, minatur rursum illis gravissimam illam barbarorum plagam. Quamobrem pergit dicens : « Igitur levabit » signum in nationibus procul [4]. » Ne vitæ longitudo in segnitiem illos conjiciat, ait ita facile posse Deum illos inducere, ut facile est levare signum, et eos, qui adornati paratique sunt, educere in aciem, quod utique fit in equis ad certandum instructis. Simul enim atque signum emissionis in sublime erigitur, ex carceribus confestim illi exiliunt. Propheta igitur duo hic subindicat, facile nempe esse eos accedere, Deo vocante, et jam olim venturos fuisse, nisi eos ingens Dei patientia detinuisset. Deinde inter narrandum majorem exhibet facilitatem dicens : « Et sibilabit eos » ab extremo terræ [5]. » Ne mireris autem de Deo loquentem

[1] Isaï. v, 24. — [2] Ibid. — [3] Ibid, 25. — [4] Ibid, 26. — [5] Ibid.

ita crassissimis uti verbis : nam secundum insipientiam auditorum verba attemperat, unum his omnibus declarare volens, id nempe Deo facile esse, et rem prorsus eventuram; ideo subjunxit : « Et ecce cito velociter venient. Non » esurient, neque laborabunt, neque dormitabunt [1]. » Hæc hyperbolice sunt dicta. Quomodo enim fieri poterat ut neque esurirent, neque dormirent, homines cum essent, communemque naturæ conditionem sortiti essent ? Sed velocitatem exercitus, facilitatem, celeritatem, ut jam dixi, his omnibus demonstrat : « Neque solvent zonas suas a lum- » bis suis, neque disrumpentur corrigiæ calceamentorum » eorum. Quorum sagittæ acutæ sunt, et arcus eorum ex- » tenti. Pedes equorum eorum ut solida petra reputati sunt, » rotæ curruum eorum ut procellæ. Impetu feruntur ut » leones, et astiterunt ut catuli leonum. Et apprehendet, » et clamabit quasi fera, et ejiciet, et non erit qui liberet » eos. Et clamabit propter eos in die illa, sicut vox maris » æstuantis. Et aspicient in cœlum sursum, et in terram » deorsum : et ecce tenebræ duræ, tenebræ in angustia » eorum [2]. » Hisce omnibus sermonem amplificavit, et timorem auxit, minutatim singula enarrans, de decreto, de fortitudine, de armis, de equis, de curribus, ita ut dictorum multitudine magnam inferret anxietatem, et imaginum claritate res prope sub oculos ageret. Ideo leonibus illos comparat, neque in hoc exemplo substitit, sed effingit vocem et impetum feræ, inque metaphora insistit, multaque utitur figurata dictione. Hinc ad mare sermonem traducit, dicens tantum fore tumultum, tantam perturbationem, quanta fuerit insaniente et æstuante pelago : ac modis omnibus annititur, ut metum augeat, ut illi non egeant ipsa rerum experientia. Quodque gravius est, nemo affuturus est, inquit, neque ex terra, neque ex cœlis ; sed

[1] Isaï. v, 27. — [2] Ibid. 27-30.

destituti superno auxilio, et terrena ope, tradentur hostibus. Tenebras autem hic dicit eas, quæ ex calamitate ipsis immissæ sunt, non quod radii solis sublati essent; sed quod pro affectu patientium in meridie illi pro luce tenebras viderent; id quod illis, qui dolore et ærumnis premuntur, contingere solet. Et ut discas non ex natura aëris tenebras provenisse, sed ex illorum affectu, adjecit: « Tenebræ duræ in angustia eorum. »

CAPUT VI.

Et factum est in anno, quo mortuus rex Ozias[1].

1. Cur cætera omnia tempora a vita regum, hoc autem a morte nunc Propheta notat? Non enim ait: « Factum est in diebus Oziæ, » non « Regnante Ozia, » sed, « Factum est » cum mortuus est. » Quid ergo vult hic agere? Non temere, nec fortuito hic agit; sed quid arcanum nobis subindicat? Quid illud est? Hic Ozias ex rebus gestisque prosperis ebrius, et felicitate inflatus, majus quidpiam quam sua dignitas ferebat affectavit[2]. Et quia rex erat, putavit sibi competere ut sacerdotio fungeretur, insiliit in templum, ingressus est in Sancta Sanctorum, et reluctante sacerdote, atque ingressum illuc prohibente; non tulit ille, sed in amentia perseveravit, parvam sacerdotis rationem habens. Ob tantam impudentiam immisit illi Deus lepram in frontem. Cum enim majorem, quam sibi competeret, honorem affectaret, ab illo etiam, quem habebat, excidit. Non modo

[1] Isaï. VI, 1. — [2] 4 Reg. XV.

enim sacerdotium non accepit, sed immundus factus, a regno etiam expulsus est, ac per omne tempus in domo quadam occultus habitabat, quod pudorem non ferret. Populus quoque omnis in partem talis ultionis vocatus est, quia leges Dei despexerat, et contumelia affectum sacerdotium non vindicaverat. Quomodo igitur in partem ultionis vocatus est? Quia prophetia retracta est : iratus quippe Deus, circa rem quamvis nihil respondebat. Hoc vero non ad omne tempus fecit, sed secundum mensuram vitæ regis, mensuram quoque ultionis definivit. Simul ergo atque ille vitam obiit, Deus iram solvit, et fores iterum prophetiæ aperuit. Hoc itaque subindicans Propheta, memoriam nobis revocavit obitus regis. Quamobrem sic prophetiam orditur : « Factum est in anno, quo mortuus est » rex Ozias, vidi Dominum sedentem [1]. » Atqui Christus ait : « Deum nemo vidit unquam. Unigenitus, qui est in » sinu Patris, ille narravit [2]. » Et rursum : « Non quia Patrem » quis vidit, nisi qui est a Deo ille vidit Patrem [3]. » Illeque Moysi dixit : « Nemo videbit faciem meam, et vivet [4]. » Quomodo igitur hic ait se vidisse Dominum? Nam ait : Vidi » Dominum. » Non contraria ait vero iis, quæ Christus dixit, sed admodum consona. Nam Christus de accurata cognitione loquitur, secundum quam nemo vidit : nudam enim Divinitatem paramque substantiam nemo vidit præter Unigenitum. Propheta vero eatenus se vidisse narrat, quatenus poterat. Neque enim ipse id quod Deus est videre poterat, sed sub figura quadam illum contemplabatur, qui tantum descenderat, quantum contemplantis infirmitas ascendere poterat. Quod enim neque ipse, neque quisquam alius, nudam viderit Divinitatem, ab iis quæ narrant perspicuum est. « Vidi enim, inquit, Dominum sedentem. » Deus

[1] Isaï. VI, 1. — [2] Joan. I, 18. — [3] Id. VI, 49. — [4] Exod. XXXIII, 20.

autem non sedet : hæc quippe figura, corporum est. At non modo sedentem, sed super solium, Deus vero non continetur. Quomodo enim contineri possit, qui ubique adest, et omnia implet, in cujus manu sunt fines terræ? Unde palam est id quod videbatur, ex attemperatione quadam fuisse. Sic igitur alter Propheta ex persona Dei subindicans dicebat : « Ego visiones multiplicavi [1], » id est, « Diverso modo visus sum. » Si porro ipsa substantia nuda apparebat, non diverso modo videbatur. Sed quia descendens nunc illo nunc alio modo Prophetis seipsum ostendebat, temporibus congruentem figuram, qua videretur, assumens, ideo dicit : « Visiones multiplicavi, et in manibus »Prophetarum assimilatus sum [2]. » Non sicut eram, apparebam, inquit, sed assimilatus ei formæ, quam contemplantes videre poterant. Vides igitur ipsum nunc sedentem, nunc armatum, nunc canis capillis, modo in aura, modo in igne, nunc a tergo apparentem, nunc super Cherubim, et ad metallicarum materiarum magis pellucidarum splendorem imaginem conformantem. Cur ergo modo armatus apparet et cruore conspersus, aliquando in igne, modo posteriora ostendens [3], modo in cœlo, modo in solio, nunc vero super Cherubim, non præsentis temporis fuerit dicere, ne corollarium fiat opere majus. Interim operæ pretium fuerit de præsenti visione disserere. Cur ergo nunc sic apparet super solium sedens, et cum Seraphim? Humanum morem imitatur, quia cum hominibus sermo ipsi erat. Quia enim sententiam prolaturus est de magnis rebus, deque toto terrarum orbe, insuperque de Jerosolymis, duplicem profert sententiam, alteram qua pœnam decernit urbi et genti toti; alteram quæ beneficium orbi terrarum, magnamque spem pollicetur et honores immortales.

II. Mos est autem judicibus hæc non clam facere, sed

[1] Osee XII, 10. — [2] Ibid. — [3] Exod. XXXIII, 23.

in excelso tribunali sedentes, omnibus astantibus et contractis velis. Hos imitans Deus, sibi Cherubim astare jussit, et in excelso solio sedet, sicque sententiam hanc profert. Et ut discas rem non conjectura tantum niti, sed hunc illi morem fuisse, ex alio quoque Propheta id palam facere tentabo. Nam apud Danielem, quoniam ibi etiam sententiam quamdam magnam prolaturus erat circa supplicia et ultiones Judæis inferendas, et circa bona quæ orbi terrarum conferenda erant, solium quoque apparet splendidum et conspicuum, et Angelorum chorus astans, et Archangelorum cœtus, et Unigenitus sedens, et libri aperiuntur, et flavii ignei manant, et undique tribunalis forma constituitur. Sunt autem illi omnia iis affinia, quæ hic narrantur : aut etiam apertius is hæc enuntiat, quia viciniora tempora illa erant, et ad ipsas demum fores prophetia pervenerat. Verum hæc studiosis relinquentes, ut colligant et apponant, et utriusque prophetiæ consonantiam ediscant, uti jam dixi, eam quam nobis proposuimus jam accurate tractemus, pro virili nostra singulas dictiones expendentes. Ita enim et nobis et vobis dilucidiora erunt ea quæ dicta sunt. Quid igitur ait? « Vidi Dominum » sedentem. » In solio sedere, semper symbolum judicii est, quemadmodum David ait : « Sedisti super thronum qui » judicas justitiam [1] : » et Daniel : « Throni positi sunt, et » judicium sedit [2]. » Sedere autem simpliciter alterius symbolum est, ait Propheta. Cujusnam? Firmi, manentis, procedentis, immutabilis, interminabilis, vitæ perennis. Ideo ait : « Tu sedens in sæculum, et nos pereuntes in sæculum (12). Tu, inquit, manens, existens, vivens, semper eodem existens modo. » Quod enim id non dixerit de cathedra, ipsa distinctio demonstravit. Non enim dixit : « Nos stantes, » sed « Pereuntes. » Illud autem in solio sedere, id est

[1] Psal. IX, 4. — [2] Dan. VII, 9.

judicare. Ideo ipsum sic videt sedentem super solium excelsum et elevatum; vel aliud hoc, aliud illud subindicat. Etenim excelsum erat solium, id est, magnum et altissimum; et elevatum, id est, immensæ altitudinis apparens et sublimis. « Et plena erat domus gloria ejus [1]. » Quæ domus, dic mihi? Templum. Quia enim illinc oriebantur inimicitiæ, jure in hac mirabili visione ibi conspicitur sedens. Gloriam autem hic vocat splendorem, lucem inaccessibilem, quam cum non posset verbis exprimere, gloriam vocavit: neque simpliciter gloriam, sed Dei gloriam. « Et Seraphim stabant in circuitu ejus [2]. » Quænam dicit hæc Seraphim? Virtutes incorporeas supernorum cœtuum, quarum virtutem et beatitudinem ex ipso nomine videre est. Nam hebraïca lingua Seraphim ignita ora significant. Quid igitur hinc discimus? Puritatem substantiæ, vigilantiam, diligentiam, agilitatem, vim operandi, munditiem. Ita enim propheta David supernarum Potestatum expeditum ministerium volens nobis ostendere, necnon velocitatem agilitatemque ministerii, dicebat: « Qui facis Angelos tuos spiritus, et ministros tuos flam»mam ignis [3], » velocitatem, levitatem, agilitatem nobis per hæc elementa ostendens. Hujusmodi officia habent hæ Virtutes, ore puro celebrantes Dominum, hoc opus jugiter habentes, laudes offerentes, incessabile ministerium. Earum autem dignitatem id commonstrat quod solio sint vicinæ. Quemadmodum enim apud terrenos reges, qui in majore dignitate sunt, prope solium regium stant: sic et hæ Potestates ob virtutis eminentiam, sublime solium circumsistunt, ineffabili beatitudine perpetuo fruentes, et in beata sorte hujusmodi officii gaudentes. « Sex alæ uni, et »sex alæ alteri. Et quidem duabus velabant pedes suos, »duabus autem velabant facies suas, et duabus volabant.

[1] Isaï. VI, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Psal. CIII, 4, et Hebr. 1, 7.

» Et clamabant alter ad alterum, et dicebant : Sanctus, » Sanctus, Sanctus, Dominus Sabaoth. Plena est omnis » terra gloria ejus [1]. » Quid nobis hæ pennæ significant, et quid nobis alæ subindicant? Neque enim incorporeæ illæ Potestates alas habent. Sed rursum crassioribus figuris arcana quædam nobis indicat Propheta, infirmitati eorum qui tunc audiebant se attemperans, simulque etiam per hanc attemperationem sensa quædam mentem omnem superantia accurate nobis ostendens.

III. Quid igitur subindicant alæ? Celsitudinem et sublimitatem harum Virtutum. Sic et Gabriel volans, et de cœlo descendens apparet, ut discas velocitatem et levitatem. Et quid miraris, si de administris Virtutibus loquens, hujusmodi verbis usus est, quando etiam universorum Deo non dedignatus est hanc adhibere attemperationem? Cum enim vellet David ostendere aut ejus incorpoream naturam, aut velocitatem quæ ubique præsens est, ait : « Qui ambulas » super pennas ventorum [2]. » Etsi neque venti pennas habeant, neque ipse super pennas ambulet. Quomodo enim fieri possit, cum ubique præsens sit? Verum, ut jam dixi : infirmitati audientium se attemperans, ab iis, quorum capaces erant, mentem eorum erexit. Ac rursum ejus auxilium et securitatem inde partam exhibere volens, iisdem utitur verbis, sic dicens : « In umbra alarum tuarum pro- » teges me [3]. » Hoc autem loco non sublimitatem solum ejus ac velocitatem per alas subindicat; sed et aliud quidpiam horribile. Ostendit enim, etiamsi id quod videbatur per attemperationem esset, ut revera erat, supernas certe Potestates, ne hac quidem mensura, id capere potuisse. Nam quod tegerent pedes, et quod item dorsa velarent, stupentium erat, et trementium fulgorem, nec ferentium splendorem ex solio prosilientem. Ideo objectu alarum,

[1] Isaï. VI, 2, 3. — [2] Psal. CIII, 3. — [3] Id. XVI, 8.

cen quodam pariete, facies suas obumbrabant; id quod facere solemus aut tonitru decidente, aut fulguribus emissis, versus pavimentum nos inclinantes; hoc et illæ faciebant. Quod si Seraphim, magnæ illæ mirabilesque Virtutes, Deum sedentem, in solio, inquam, sedentem, sine timore videre non poterant, sed et facies et pedes velabant, qui sermo illorum insaniam declarare poterit, qui se clare ipsum Deum nosse dicunt, et qui de immortali illa substantia curiose perquirunt? « Duabus volabant, et clamabant. » Quid hoc est, « Volabant, » et quid vult significare? Ipsas nempe assidue circa Deum esse, nec ab illo secedere : sed hanc illis esse vivendi rationem, ut perpetuo ipsum canant, ut semper opificem suum celebrent. Non enim dixit : « Cla» maverunt ; » sed, « Clamabant ; » id est, « Hoc perpetuo habent opus : « Alter ad alterum, et dicebant : Sanctus, Sanc» tus, Sanctus. » Hoc concinnam modulatamque eorum symphoniam indicat, laudesque magno consensu celebratas. Hic hymnus non laus modo est, sed etiam prophetia de bonis quæ totum orbem occupatura sunt, atque etiam dogmatum accurata disciplina. Cur autem non semel dixerunt, et tacuerunt, neque secundo, et postea desierunt, sed tertium etiam addiderunt? Annon palam est id ideo illas fecisse, ut hymnum offerrent Trinitati? Idcirco Joannes id de Filio dictum fuisse ait ; « Lucas vero de Spiritu : Propheta demum de Patre. » Quæ sequuntur autem hanc nobis insinuant sententiam. Post hymnum enim addiderunt. « Plena est omnis terra gloria ejus. » Id quod accuratæ prophetiæ erat : futuram scientiam prænuntiant, per quam universus orbis Dei gloria repletus est. Cum contra olim, et cum hæc dicerentur, non modo reliquæ orbis partes, sed etiam ipsa Judæorum regio, multa impietate plenæ erant, et nemo usquam Deum glorificabat. Testisque et ipse Propheta dicens : « Propter vos nomen meum

» blasphematur in gentibus [1]. » Quandonam igitur impleta est terra gloria ejus? Cum hic hymnus in terram delatus est, hominesque in terra positi supernarum Virtutum choro adjuncti sunt, unamque melodiam retulerunt, et conjunctim Deum celebrarunt. Quod si Judæus his impudenter obsistat, indicet quandonam omnis terra gloria ejus repleta sit; hac nempe gloria, quæ ex cognitione proficiscitur? Sed nunquam ostenderit, etiamsi sexcenties impudentiam suam prodat. « Et elevatum est superliminare a voce, qua » clamabant [2]. » Vidisti prophetiæ facilitatem, res ipsas sibi mutuo cohærentes? Nam post hunc hymnum, cum impleta esset terra gloria ejus, judaïca omnia cessarunt, quod ipsum ostendit per elevatum superliminare.

IV. Hoc quippe signum erat desolationis et eversi templi. Templo autem de medio sublato, alia insuper omnia cessaverunt. Ut autem discas Novum Testamentum abrogasse Vetus, « A voce, inquit, elevatum est superliminare, » id est, eo quod hæc glorificatio advenerit, et gratia effulserit, gloriaque effusa sit per totum orbem, umbræ dissipatæ sunt. « Et domus repleta est fumo [3]. » Hoc quoque mihi videtur signum esse futuri ejus excidii, ignisque barbarici, atrocissimique incendii. « Et dixi : O me miserum! quia » compunctus sum, quia homo cum sim, et immunda labia » habeam, in medio populi immunda labia habentis ego » habito, et Dominum Sabaoth vidi oculis meis [4]. » Hæc visio Prophetam exterruit, expergefecit, in magnam formidinem conjecit, ad confessionem perpulit, vilitatem propriæ substantiæ ut melius cognosceret effecit. Tales quippe sunt Sancti omnes. Quando majori fruuntur honore, tunc magis humiliantur. Sic et Abraham Deum alloquens, terram et cinerem seipsum vocabat [5]; sic et Paulus quando

[1] Isaï. LII, 5, et Rom. II, 24.— [2] Isaï. VI, 4.— [3] Ibid.— [4] Ibid. 5. — [5] Gen. XVIII, 27.

visione illa dignatus est, tunc abortivum se nominavit[1]; ita et hic se miserum prædicat, primo ex natura dicens : « O me miserum ! quia compunctus sum, quia homo cum » sim ; » deinde et animi conditione, « Et impura labia cum » habeam. » Impura labia sua vocavit, ut ego existimo, in comparationem igniti oris illarum purarum Virtutum, et accuratissimi illius ministerii. Neque hic stetit, sed pro toto populo confitetur, hæc subjungens : « In medio populi » immunda labia habentis ego habito. » Qua vero de causa hic labia criminatur ? se fiducia loquendi destitutum ostendens. Nam tres illi pueri hoc ipsum prope dicebant, cum essent in fornace : « Non licet nobis os aperire[2]. » Et nunc quando hymnorum et laudum tempus erat, et supernas Potestates videbat hoc agentes, jure ad labia sermonem convertit, quæ maxime ad hoc officium vocantur. Verum labia sua ideo immunda vocavit ; populi vero labia non item ; sed quia iniquitate multa repleti erant. « Et regem » Dominum vidi oculis meis. » Ideo gemo et lugeo, inquit, quod indignus licet tantum honorem sim consecutus, qui meam dignitatem superat, meamque naturam excedit. Cum autem dicit : « Vidi, » ne exactam cognitionem putes, sed eam cujus ille capax erat. Ac consideres velim quantum sit confessionis lucrum. Seipsum accusavit, et statim mundatus est. Quia enim hæc verba protulerat. « Missus est » ad me, inquit, unus ex Seraphim, et in manu sua habe- » bat carbonem, quem acceperat forcipe de altari. Et teti- » git os meum, et dixit : Ecce tetigit hoc labia tua, et au- » feret iniquitates tuas, et peccata tua purgabit[3]. » Quidam dicunt hæc futurorum mysteriorum symbola esse ; altare nempe, ignem superpositum, Virtutem ministrantem, quod admotus sit ori, quod ad purgationem peccatorum. Nos autem interim historiæ hæremus, ac dicimus cujus rei

[1] 1 Cor. xv, 8. — [2] Dan. III, 33. — [3] Isaï. VI, 5, 6.

causa hoc factum sit. Mittendus est ad populum judaïcum, terribilia quædam et intoleranda annuntiaturus : mittuntur ergo Seraphim, ut cum timore simul et loquendi fiducia impleant. Ac ne objiceret, quemadmodum Moyses, se exilem vocem habere [1], et ut Jeremias, se juniorem esse [2], sic et ipse se immunda labia habere, non posse dictis ministrare, veniunt Seraphim ut expurgent ejus peccata, non propria virtute ; hoc enim est solum Patris et Filii, et Spiritus sancti ; sed jussu et admotione carbonum. Non enim dixit : « Ecce auferam ego ; » sed, « Ecce hoc auferet » iniquitates tuas, et peccata tua purgabit, » propter mandatum mittentis. Cur autem forcipe Seraphim acceperunt carbonem ? Neque enim incorporea Virtus carbonibus uri poterat. Cur hæc facta sunt ? Per magnam indulgentiam. Ideoque ex altari accipit, ubi hostiæ offerebantur expiationesque peccatorum. Quod si dixeris : « Quomodo os Prophetæ non adustum est ? » Certe quia id quod apparebat non erat ignis sensibilis ; alias vero cum quidpiam Deus operatur, ne curiose inquiras vel scruteris.

V. Etenim ardens et sensilis ignis corporibus admotus, ea non effecit quæ competunt igni. Quod ubi si sarmenta, et pix, flamma propriæ oblita est naturæ, quid miraris, si nunc in tam stupendo casu, hic ignis purgaverit, nec adusserit ? « Et audivi vocem Domini dicentis. Quem mittam, » et quis ibit ad populum hunc [3] ? » Vides-ne quantum profuerit visio, quantam rem perfecerit timor ? Licet sub Moyse quidpiam simile gestum sit : etsi enim Seraphim non apparuerint, nec Deus in solio sedens ; attamen aliud stupendum spectaculum tunc Prophetæ exhibitum est, tantumque ut nemo in illud respicere possit. « Rubus enim ardebat, » inquit, et non comburebatur [4]. » Attamen etiam post illa,

[1] Exod. IV, 10. — [2] Jer. I, 6. — [3] Isaï. VI, 8. — [4] Exod. III, 2.

et post multam Dei adhortationem, reluctatur tamen Moyses ille magnus, causificatur, ac sexcentas excogitat recusandi causas dicens : « Gracilis vocis sum et lingua tardus [1], et, « Delige tu alium, quem mittas [2]. » Jeremias vero ætatem teneram obtendit [3]. Ezechiel autem, postquam jussus fuerat, septem diebus circa flumen versatur, reluctans et tergiversans. Ideo parabolam illam Deus adjecit dicens : « Speculatorem te dedi domui Israël [4], » et, « Animam eo-» rum de manu tua requiram [5]. » Jonas autem non modo recusavit, sed etiam aufugit [6]. Quid igitur? Audacior-ne omnibus fuit Isaïas, etiamque magno illo Moyse? Quis hæc dixerit? Cur ergo ille jussus reluctabatur, hic vero non aperte jussus, insiliens præsto fuit? Neque enim dixit : « Vade; » sed « Deo dicente : « Quem mittam? » jussum ille abripuit. Quidam certe dicunt eum, quia peccaverat, quod non reprehendisset Oziam, qui in adyta se intromittere ausus est, ut de illo peccato sese purgaret per alacritatem obedientiæ, statim insiliisse, ut Deum placaret. Idcirco enim impura esse labia sua dicebat, quod non libertate loquendi usus esset. At eos, qui talia dicunt, ferre non possim : nam fide dignior illis est Paulus, qui audacem illum vocat et ait; « Isaïas vero audet et dicit [7]. » Ideo igitur non ex communi lege, ut aiunt, mortem obiit, sed gravissimum sustinuit supplicium, Judæis ejus loquendi libertatem non ferentibus (11). Præter hæc autem, Scriptura nusquam dicit ipsum præsentem fuisse, et præsentem siluisse, quando Ozias illa attentavit : sed qui hæc proferunt ex seipsis talia conjiciunt. Quid ergo dicendum est? Non esse parem Moysis et hujus rationem. Ille enim in alienam et barbaram terram mittebatur, et ad tyrannum furentem, insanientemque ac rabidum; hic vero ad suos, qui se sæpe

[1] Exod. IV, 10. — [2] Ibid. 13. — [3] Jer. I, 6. — [4] Ezech. III, 17. — [5] Ibid. 18. — [6] Jon. I, 3. — [7] Rom. X, 20.

audierant, multo ante tempore instituti fuerant : neque paris erat constantiæ in illo et in hoc casu obsequi. Quidam porro dicunt aliud quidpiam tantam illi indidisse alacritatem. Quia enim pro se et populo confessus erat, et Seraphim ad se mitti viderat, quæ labia sua expurgarent, cum speraret eadem ipsa populo eventura esse, seque ad hæc annuntianda abiturum esse, alacriter dictum illud rapuisse. Sancti enim ut Dei amantes erant, ita plus quam illi omnes homines populum amabant. Cum speraret igitur se malorum quamdam solutionem annuntiaturum esse, cito insilivit et ait : « Ecce ego sum, mitte me [1]. » Alias vero animam ad pericula subeunda valde propensam habebat : ipsumque ita affectum fuisse per totam ejus prophetiam declaratur. Postquam ergo promiserat se abiturum, cum non auderet ultra abnuere, tunc tristia audivit. Siquidem Deus sagaciter cum illo rem tractavit. Neque enim a principio dixit : « Vade et dic : » sed prius mandatum in sublimi tenens, missionis modum occultum habuit. Cum autem ille facile paruisset, tunc mala quæ Judæos invasura erant dixit. Quænam porro hæc erant? « Vade, inquit, et dic » populo huic : Auditu audietis, et non intelligetis, et vi- » dentes videbitis, et non perspicietis. Incrassatum enim » est cor populi hujus, et auribus suis graviter audierunt, » et oculos suos clauserunt, ne forte videant oculis, et auri- » bus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et sa- » nem eos [2]. » Hæc interpretatione non opus habere puto, cum ii qui hæc probe sciebant, jam olim ea accurate interpretati sint ; Joannes videlicet tonitrui filius, et Paulus qui et vetera et nova apprime noverat. Hic enim Romæ iis concionans, qui postquam accesserant, resilierant et dicta sua non ferebant, aiebat : « Bene dixit Spiritus sanctus : » Aure audietis, et non intelligetis [3]. » Filius vero tonitrui,

[1] Isai. VI, 8. — [2] Ibid. 9, 10. — [3] Act. XXVIII, 25.

cum miracula viderent, nec crederent, dogmataque audirent nec attenderent; Christus enim Lazarum suscitaverat, et ipsum occidere tentabant; dæmones ejecerat, et ipsum dæmoniacum vocabant; Patri obtulerat eos, et ipsum seductorem appellabant, contrariasque recipiebant opiniones; hanc prophetiam memorat dicens: « Bene dixit Esaïas » Propheta: Aure audietis et non intelligetis, et videntes vi» debitis, et non perspicietis [1]. »

VI Quia enim internis mentis oculis excæcati erant, nullam ex oculis exterioribus percipiebant utilitatem, judicio mentis corrupto. Idcirco videntes non videbant, et audientes non audiebant: causamque adjicit; quia sensus non erant depravati, nec natura labefactata, sed cor excæcatum. « Incrassatum enim est cor populi hujus, » inquit: crassitudo autem mentis efficitur a peccatis et a sæculi concupiscentia. Hancque crassitiem enarrans Paulus dicebat: « Non potui vobis loqui quasi spiritualibus: nondum » enim poteratis, sed neque adhuc potestis [2]. » Causamque adjicit dicens: « Cum enim sint inter vos lites, et zelus, et » contentio, nonne carnales estis [3] ? » Cum ergo illi invidia magna et livore tabescerent, sexcentisque aliis affectibus obsiderentur, crassum mentis oculum effecerunt, nec ultra poterant sincere videre. Ideoque circa illa quæ videbant alienas contrariasque sententias accipiebant. Hæc cum probe videret Propheta, prænuntiavit causam morbi. Tu vero hic mihi considera, quomodo cum duæ essent prophetiæ, illam, quæ de Ecclesia et de bonis totius orbis erat, acceperint Seraphim dicentes: « Sanctus, Sanctus, » Sanctus, Dominus Sabaoth, plena est omnis terra gloria » ejus; » alium vero quæ de excidio et de pœnis Judæorum erat Prophetæ huic reliquerunt, ut hinc etiam Ecclesiæ præcellentiam ediscas. « Et dixi: Usquequo, Domine? »

[1] Joan. XII, 38. — [2] 1 Cor. III, 1. — [3] Ibid. 3.

Vides non frustra neque temere nos conjecturam duxisse circa obedientiam Prophetæ multa alacritate plenam? Quoniam igitur contraria iis, quæ expectabat, audivit, vastitatem, extremam perniciem, rogat doceri se mensuram inferendæ pœnæ: non audebat enim ab ira illos prorsus eripere, eo quod Deus prævertisset ostendere peccata eorum veniam non mereri. Eorum quippe ausus non rapina erant, neque animus proximum lædendi; sed animus data opera inobsequens, et mens contentiosa, quæ quasi cum meditatione et studio rebus a Deo gestis obsistebat. Hoc itaque subindicans dicebat: « Ne forte videant oculis, et » corde intelligant, et convertantur, et sanem eos. » Ac si timerent enim, inquit, ne forte discerent quidpiam eorum, quæ scire par erat; sic magno cum studio mentem suam excæcaverant. Quoniam igitur et accusatio gravissima est, et supplicium quod condonari nequit, quod reliquum erat, ediscere cupit, et quasi discere volens supplicationem inducit. Quoniam vero pro hac re ne supplicare quidem aperte audebat, ideo quasi ut ediscat interrogationem excogitat dicens: « Usquequo, Domine? Et dixit: Donec de- » solentur civitates, eo quod non habitentur, et domus, eo » quod non sint homines. Et terra derelinquetur deserta. » Et post hæc longe faciet Deus homines, et multiplicabun- » tur qui derelicti fuerint super terram. Et adhuc in ea est » decimatio. Et rursus erit in deprædationem ut terebin- » thus, et sicut glans cum exciderit ex theca sua. Semen » sanctum statio ejus [1]. » Absoluta illa prophetia, ad historiam rursus sermonem reducit, captivitatem decem tribuum prænuntians, necnon patientiam Dei, quam propter illam captivitatem erga duas tribus exhibuit; deinde harum etiam abductionem, quia illa patientia nihil ipsis profuerat: et reliquiarum ejus successuram prosperitatem. Cum

[1] Isaï. VI, 11-13.

enim dicit : « Donec desolentur civitates, eo quod non ha-» bitentur, » decem tribuum captivitatem subindicat. Nam radicitus omnes sublati sunt, et cum multa violentia abrepti, omnes in alienam terram translati sunt; ita ut urbes omnes starent hominibus vacuæ, et terra destitueretur viris, qui eam colerent, ad eorum utilitatem qui relicti fuerant. Cum ergo dicit : « Donec desolentur civitates, eo » quod non habitentur, et urbes eo quod non sint homi-» nes, » tunc captivitatem memorat. Cum vero dicit : « Post » hæc longe faciet Deus homines; » aut omnimodam omnium felicitatem subindicat, aut prosperitatem quæ post abductas decem tribus, duabus tribubus concessa est. Liberati enim a Sennacherib et ejus barbaro exercitu, atque inexpectata victoria fruentes, rursus in multitudinem aucti sunt, et ad vitæ longitudinem progressi, nullo eos interturbante bello. Quando autem dicit : Longe faciet, » aut multitudinem hominum, aut longitudinem annorum subindicat. Et ut discas eum de duabus tribubus hæc dicere, subjunxit : « In illa est decimatio, » decimationem vocans id quod supra illas decem erat, et quod erat post illas decem reliquum, idque erant duæ tribus. Hac et Paulus dictione utitur dicens : « Plus quam quingentis fratribus [1] ; » hoc est pluribus quam quingentis : « Et rursus erit in de-» prædationem ut terebinthus. » Id est, duæ tribus. « Et » sicut glans cum deciderit de theca sua. Quemadmodum enim ille fructus, cum de theca sua decidit, injucundus est; sic et hi risui et opprobrio expositi erunt, cum ex urbe sua exciderint, et a gloria illa spoliati omnes. « Semen » sanctum statio ejus. » Non incurabilia, inquit, mala erunt, neque immortalia : sed semen ejus sanctum erit, et « Sta » tio; » hoc est, firmum erit, fixum, immotum, expectans rerum mutationem. Siquidem a felicitate excident; ipsi

[1] 1 Cor. xv, 6.

vero non extremam perniciem sustinebunt; sed manebunt et stabunt, donec pristinum vitæ institutum iterum acceperint, et ad priscam redierint sanctimoniam.

CAPUT VII.

Et factum est in diebus Achaz filii Joathan, filii Oziæ regis Juda [1].

1. Id quod sæpe dixi, id et nunc dicam. prophetias olim, non ideo emissas fuisse solum, ut Judæi futura discerent, sed ut edocti, lucrum inde perciperent, et minarum terrore temperantiores fierent, bonorumque promissione studiosiores exercendæ virtutis: utrinque discentes et Dei potentiam, et ejus erga illos providentiam. Hac enim de causa hæc prædicebantur. Ac ne putarent ea quæ accidebant, temere et casu quopiam contingere, secundum quamdam naturæ seriem, aut secundum rerum cursum; sed viderent ex superno et divino decreto hæc utraque fieri: id quod illis maxime ad Dei cognitionem utile erat. Verum quoniam, ut ante dixi, prophetia non eodem ipso tempore suum exitum habebat, sed verba quidem tunc proferebantur, res autem post diuturna inde tempora exitum habituræ erant, cum jam nonnulli ex iis qui audierant, sæpe mortem obiissent, nec potuissent de dictorum eventu judicare, vide quid faciat et moliatur Deus. Prophetiam prophetiis connectit; iis, quæ post longum tempus eventura essent, eam cujus exitus prope erat, per eam quæ illa in genera-

[1] Isaï. VII, 1.

tione exitum habitura erat, iis quorum eventus post diuturnum tempus futurus erat, maximam fidem faciens. In Evangeliis autem hoc utilitatis genus alio modo tractat, miracula prophetiis copulans, aliud alio confirmans. Exempli causa, accessit aliquando ad eum leprosus, et mundatus est; ac post illum rursus puer centurionis a gravi illo morbo liberatus est, signaque hæc magna erant: et tamen non in signis stetit, sed et prophetiam adjecit. Quia enim centurio admirandam illam et magnam exhibuerat fidem, qua puerum ab ægritudine eripuit, hæc subdidit Christus; « Multi ab oriente et occidente venient, et re» cumbent cum Abraham, Isaac et Jacob, filii autem regni » ejicientur extra [1]. » Hæc porro dicebat, et gentium Ecclesiam, et Judæorum reprobationem prænuntians, quod etiam nunc opere completum est, et sole clarius omnibus exhibetur. Sed tunc obscurum erat, et ab incredulis non facile admittebatur. Idcoque signum tunc exhibitum præcessit, quod multam fidem ante faciebat rei postea eventuræ. Quemadmodum et ipsa prophetia, quæ nunc opere completur, signo tunc facto magnam præbet confirmationem. Quid dixerit incredulus? An mundatum non fuisse leprosum? Respiciat in prophetiæ veritatem, ut illa perspecta signo fidem habeat. Quid porro dixerint illi tunc Judæi? An ea quæ ille prædicebat non esse vera? Respiciant leprosum mundatum, et ex beneficio illi collato, futuris non negent fidem, cum maximum illi prophetiæ pignus acceperint, nempe signum; ut hodierni signi pignus prophetiam habent. Vides-ne quomodo alterum altero confirmetur? Illud etiam in Veteri Testamento videre est. Quia enim Jeroboam gravissima illa insania laboravit, et vitulas aureas erexit, veniens Propheta futura prænuntiavit, et signum statim dedit. Ne quis enim fidem non haberet iis, quæ

[1] Matth. VIII, 11, 12.

post trecentos annos eventura erant, aram fregit, et adipem effugit, regisque manum arefecit, ex iis quæ ante oculos eveniebant, eorum quæ post multum temporis eventura erant, conspicuam præbens demonstrationem. Multaque hujusmodi videre est in Novo et Veteri Testamento, Deo diversis modis saluti nostræ prospiciente. Id quod etiam hic accidit, et utique cum majori copia : non signum enim modo, sed prophetiam cum signo connexuit. Verum ut ea, quæ diximus, clariora evadant, ipsam historiam accurate prosequamur. « Et factum est in diebus Achaz, filii Joa» than, filii Oziæ regis Juda, ascendit Rasin rex Aram, et » Phaces filius Romeliæ rex Israël in Jerusalem, ut oppug» narent eam, nec potuerunt expugnare. Et annuntiatum » est in domo David a dicentibus : Consensit Aram cum » Ephraïm [1]. » Hæc historia sunt, rerumque gestarum narratio. Sed qui mente valet, et acute videt, multum hinc lucri referet, Dei magnam sapientiam, necnon ejus erga Judæos providentiam ediscens. Neque enim a principio bellum repressit, neque ipso ingruente urbem capi permisit; sed verbo tenus tantum comminationem fieri sinens, ejus experimentum prohibuit, illos una expergefaciens, et a socordia reducens, suamque potentiam demonstrans : quod videlicet ipse possit, etiam cum res ad extremum finem deductæ videntur, quasi nondum cœpissent, sic in periculo versantes illæsos servare. Quod ipsum sæpe fecisse videre est, ut verbi gratia in fornace babylonica, in lacu leonum, et in aliis sexcentis casibus. Etenim hi venerunt, obsederunt, et muros adorientes, obsessorumque animos perterrefacientes, nihil ultra facere potuerunt.

II. Hinc autem perspicere licet decem tribuum iniquitatem, quod non modo civile incœperint bellum, neque modo contra fratres arma moverint, sed etiam alienigenis

[1] Isaï. vii, 1, 2.

exterisque gentibus se adjunxerint, et eos quibuscum societatem habere ipsis non licebat, etiam commilitones vocaverint, cum iisque castrametati adversus civitatem steterint. Etenim Rasin alienigenam adversus metropolim suam excitarunt. Eratque in prælio partium inæqualitas. Apud illos enim multitudo infinita erat, et urbes, et gentes et populi; hic autem nihil simile; sed urbs una et metropolis, ita ut Dei fortitudo exuberantius enitesceret. Nemine enim arma movente, nemine exeunte et castrametante, eorum maligni conatus in nihilum abierunt. Non potuerunt enim, inquit, expugnare eam. At quid impediebat? Nihil aliud quam Dei manus, quæ eos invisibiliter depellebat. Verumtamen, ut jam dixi, bellum depulit, sed metum non statim sustulit. Nam ait : « Annuntiatum est in domo David : Consensit Aram cum Ephraïm. Et emota est anima ejus, et »anima populi ejus [1]. » Cum vult Deus aliquid inopinatum facere, non statim miraculum inducit; sed prius eos qui beneficium consecuturi sunt, sensu malorum tangi sinit, ut ne, postquam a malis erepti fuerint, quidpiam ingrati animi exhibeant. Quia enim plerique hominum partim ex superbia, partim ex ignavia, mox ut malis defuncti sunt, eorum obliviscuntur; aut certe non obliti, res bene gestas sibi ascribi cupiunt, ipsos ut tristium sensu exagitarentur prius relictos, tunc demum liberat ab infestantibus, id quod etiam hic fecit : eorum corda exterreri permisit, et in angore multo versari, et tunc a malis ipsos eripuit. Hoc etiam modo erga magnum David se gessit. Quia enim eum in aciem educturus erat, ac per ejus manus splendidum illud tropæum erecturus, non a principio belli id fecit; sed cum permisisset eos quadraginta dierum spatio confici timore, cum de salute sua desperarent, et sexcenta probra barbarus effunderet, nemoque surgere auderet, atque adversa-

[1] Isaï. VII, 1, 2.

rium excipere; tunc scilicet, tunc cum jam se superatos faterentur, et infirmitas palam esset, eduxit adolescentulum ad bellum, et inexpectatam illam victoriam reportavit. Atenim si post hæc, post tantam imbecillitatis demonstrationem, rex ille servatus, a livore et invidia victus, David insidiatus est, animo prorsus exulcerato, ingratusque erga beneficum visus est; si non tantum dedisset et suæ et exercitus totius ignaviæ argumentum, quid non fecisset? Idipsum et alibi sæpe Deum fecisse videre est; quod etiam hic agitur. Bellum namque soluturus et a tristibus liberaturus illos, sinit illos ante a malis exagitari. Ait enim : « Emota » est anima ejus, et anima populi ejus, quemadmodum in » sylva lignum a vento moveri solet [1]. » Hoc etiam prophetiæ est proprium, ut eorum arcana in medium producat. Nam cujusque animi affectum nobis explicat, et claritatis causa imaginem addit, ut ingentem angustiam exprimat. Agitata, inquit, fuit anima eorum; dejectus est animus, de salute sua desperarunt, in extremis se versari putabant, nihil boni expectabant, singuli a suis cogitationibus proditi erant. Quid igitur Deus? Liberationem prædicit, ipsamque tunc opere complet; ne alii cuipiam libertatem urbis ascriberent : mittitque Prophetam, qui futura prænuntiaret. Ait enim : « Dixit Dominus ad Esaïam : Egredere in occur- » sum Achaz, tu, et qui derelictus est Jasub filius tuus ad » piscinam ascensus agri fullonis. Et dices ad eum : Observa » ut quiescas, et ne timeas, neque anima tua infirmetur, » neque formidet a duobus lignis titionum fumigantium ho- » rum. Cum enim ira furoris fuerit, rursum medebor [2]. » Quid est, « Egredere in occursum? » Præ formidine et angore rex non quiescebat, neque domi manere sustinebat; sed ut solent obsessi, frequenter exibat, muros circumspiciens, ad portas accedens, curiose perquirens, explorans-

[1] Isaï. VII, 2. — [2] Ibid. 3, 4.

que, quo in statu res hostium se haberent. Quapropter ait : « Egredere in occursum. » Quid vero sibi vult illud, « Tu, et qui derelictus est Jasub filius tuus? » Jasub Hebræorum lingua, conversatio dicitur et agendi modus. Quapropter Jesse David mittens dicebat : « Et Jasub eo-» rum accipiens ; » id est, conversationem eorum annuntiabis mihi, et quid agant.

III. Hic igitur videtur mihi Prophetæ præcipi, utm ultitudinem secum accipiat; ut cum res exitum haberet, non possit rex ingrate se gerere, ac si nihil eorum a Propheta audisset. Quod igitur ait hoc est : « Egredere in occursum tu, et qui tecum versantur, qui relicti sunt ex populo. » Ne mireris autem si populum vocet filium suum : nam in sequentibus ait : « Ecce ergo et pueri mei, quos » dedit mihi Deus [1]. » Etenim patrum ordinem tenebant Sancti, qui charitate et sollicitudine circa populum illum, eos omnes, qui natura patres erant, superabant. Relictos vero dicit, quod multi ab hostibus fuissent abducti. « In via » agri fullonis. » Magnæ mihi difficultatis id esse videtur, si qui vallati et obsessi erant, ne respicere quidem extra portas audentes, tamen sese monstrabant. Nam extra muros hæc via jam esse videtur. Quænam igitur est hujus difficultatis solutio ? Olim urbs duplici muro munichatur : nam duo urbis mœnia erant, idque ex alio Propheta attendere volentibus probare licet. Egressus igitur lapsum eorum erigit animum, et de futuris considere jubet : « Quiesce, ait, et ne timeas, » et reges vocat titiones lignorum, eorum simul vehementiam et imbecillitatem declarans. Nam ideo addidit, « Fumigantium, » id est, qui mox extinguendi erant. Ex hinc declarans, non ex eorum potentia, sed ex Dei permissione invasionem esse factam, ait : « Cum enim ira fu-» roris mei fuerit, rursum medebor. Et filius Aram, et filius

[1] Isaï. VIII, 18.

» Romeliæ, quia inierunt consilium malum Ephraïm et filius » Romeliæ contra te dicentes : Ascendemus in Judæam, et » affligemus eam, et collocuti avertemus eos ad nos, et » perficiemus ei regem filium Tabeël. Hæc dicit Dominus » Sabaoth : Non manebit consilium hoc, neque erit. Sed » caput Aram Damascus, et caput Damasci Rasin. Et ad- » huc sexaginta quinque anni, et deficiet regnum Ephraïm » a populo. Et caput Ephraïm Somoron, et caput Somo- » ron filius Romeliæ. Et si non credideritis, non intellige- » tis [1]. » Rursus Propheta magnum prophetiæ argumentum exhibet. Quia enim timor illos exagitabat, et ante oculos mala erant, bona autem in spe, expectationemque omnem superantia, nec satis creduli erant auditores, vide quid faciat. Dat signum maximum eorum quæ eventura erant, consilia hostium in medium adducens. Eorum namque animum aperit, quo moti urbem oppugnabant, et quid mutuo collocuti essent, et quo pacto inito redierint. Ostenditque aut proditionem esse id quod agebatur : « Collocuti » enim mutuo, inquit, cum ipsis, eos avertemus ad nos; » aut multa arrogantia ipsos ebrios esse, existimantes ne armis quidem ipsis esse opus, neque acie et conflictu, ut urbem caperent. Satis est, inquiunt, si in conspectum veniamus et colloquamur, et omnes in captivitatem abducentes discedemus. Deinde, ut solent arrogantes, hac spe inflati, de rege constituendo consilium ineunt, quasi jam capta urbe, et quem oporteat in metropolim regem constituere consultant. Eo in statu res illorum erant, inquit. Quæ vero Deus moliebatur, hæc omnia de medio sustulerunt. Idcirco subjunxit : « Hæc dicit Dominus; » neque hic stetit, sed adjecit, « Sabaoth. » Cum enim magni quidpiam annuntiaturus est, potentiam Dei memorat, supernum nempe regnum, atque imperium illud magnum ac stupendum.

[1] Isaï. VII, 5-9.

Quid itaque ait Deus? « Non manebit consilium hoc, ne-» que erit. Sed caput Aram Damascus. » Imperium ejus, ait, potestas ejus in Damasco stabit, nec ultra progredietur. « Et caput Damasci Rasin. » Et princeps Damasci, inquit, atque dominator Rasin erit; id est, in iis quæ ad ipsum pertinent manebit, ac majorem sibi non adjiciet potentiam. « Et adhuc sexaginta et quinque anni, et deficiet reg-» num Ephraïm a populo. »

IV. Maxima veritatis demonstratio, quando tempora prædicunt Prophetæ, ansam præbentes iis qui volunt explorandi cum accuratione vim prophetiæ. Nunc enim, inquit, abscedent ab urbe; sed post quinque et sexaginta annos, universa gens peribit, et regnum Israël de medio tolletur; ab hostibus intercepti abducentur omnes. Nunc certe ante excidium illud, nihil plus habebunt, quam ea quæ sua sunt. Ut ne enim rex audiens eos post sexaginta quinque annos perituros esse, apud se diceret : « Quid igitur? si postquam nos nunc ceperint, tunc peribunt, quæ hinc nobis utilitas? » Confide, inquit, etiam de præsentibus. Capientur enim tunc omnino, sed nunc nihil plus habebunt, quam id quod habent. Sed erit caput Ephraïm; hoc est decem tribuum, Samaria : ibi enim illorum regia erat, et non ulterius extendetur, et caput Samariæ, rex Israël. Quod de Damasceno dicebat, hoc etiam hic significat, nempe nihil plus habituros, quam nunc haberent. Deinde quia verba dixerat humanam rationem superantia, et quamvis ratiocinationum seriem excedentia, cum id quod dicebatur prophetia esset, jure adjecit: « Nisi credideritis, ne-» que intelligetis. » Ne quæras, inquit, quomodo et qua ratione hæc futura sint : Deus enim est qui operatur, solaque fide opus tibi est, et intelliges operantis virtutem : demonstrationem omnem supra dictorum accepisti. Ideo David propheta dicebat : « Credidi, propter quod locutus

» sum [1]. » Et Paulus hac arrepta dictione, e re illam ad res majores traxit dicens : « Habentes autem eumdem spiritum » fidei, secundum id quod scriptum est : Credidi, propter » quod locutus sum, et nos credimus, propter quod et lo- » quimur [2]. » Nam si vetera fide opus habebant, quæ tantum distant ab iis quæ in nova lege sunt, quantum cœlum a terra; multo magis tam sublimium dogmatum cognitio, quæ in nullius unquam mentem venerunt. Id quod et ipse significans dicebat : « Quæ oculus non vidit, et auris non » audivit, et in cor hominis non ascenderunt, quæ præpa- » ravit Deus diligentibus se [3]. Et adjecit Dominus loqui ad » Achaz dicens : Pete tibi signum a Domino Deo tuo in pro- » fundum, sive in excelsum. Et dixit Achaz : Non petam, et » non tentabo Dominum. Et dixit Esaïas : Audite ergo do- » mus David : Numquid parum vobis est agonem exhibere » hominibus? Et cur Domino exhibetis agonem? Propter » hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo in utero » accipiet et pariet filium : et vocabunt nomen ejus Em- » manuël [4]. » Multa Dei indulgentia, ingratissimus est regis animus. Oportebat enim eum, audito Propheta, de dictis nihil dubitare : quod si dubitabat, saltem, viso signo, credere, quod plerique apud Judæos fecerunt. Etenim Deus, benignus cum sit, non recusavit sæpe signa præbere crassioribus et humi repentibus terræque affixis : ut fecit Gedeoni. Cum enim (Achaz) esset imperitior et admodum rudis, vide quo Deus se demiserit : ipse illum attrahit, et hortatur ut signum petat ; etsi non parvum hoc signum erat, ejus arcana prodere, ejusque sententiam totam in medium Producere, et simulationem ejus omnem detegere. Quia enim propheta dicebat : « Pete tibi signum; » ille vero se admodum credere simulans respondebat : « Non petam,

[1] Psal. cxv, 10. — [2] 2 Cor. iv, 13. — [3] 1 Cor. ii, 9. — [4] Isaï. vii, 10-14.

» et non tentabo Dominum; » vide cum quanta vehementia Propheta sectionem infligat, jure post demonstratam simulationem, gravius intentans crimen. Ideo illum ne responsione quidem dignatur, sed ad populum sermonem convertit : « Audite domus David : Numquid parum vobis est » agonem præbere hominibus? et cur Domino agonem præ» betis? » Obscurum est id quid dicitur : ideo dictum illud accurate est explicandum. Quod enim dicit, hoc est: « Num mea verba sunt? Num mea sententia? Si autem hominibus non credere sine causa, grave et criminatione dignum est; multo magis Deo. Illud igitur agonem præbere, nihil aliud est, quam fidem negare. Hoc, inquit, num parvum crimen est? an parva criminationis causa hominibus non credere? Quod si hoc grave, multo magis non credere Deo. »

V. Hoc porro dicebat, ut discerent omnes Prophetam decipi non posse, nec a verbis, quæ prolata fuerant, deceptum esse, sed ab iis quæ in mente Achaz erant, ferebat sententiam. Hoc et Christum sæpe fecisse in Evangeliis legitur. Prius enim quam demonstrationem ex signis præberet, malitiam Judæorum, quam mente versabant in medium proferens, hoc jam non parvum signum edebat. Ut fecit circa paralyticum. Cum enim illi dixisset : « Con» fide, fili, dimittuntur tibi peccata [1], » ipsique dicerent in semetipsis : « Blasphemat [2] : » dixit illis priusquam paralyticum roboraret : « Quid cogitatis mala in cordibus ves» tris [3]? » Maximum hoc præbens Divinitatis indicium, quod arcana mentis nosset. « Tu enim, inquit, nosti corda so» lus [4]. » Et David rursus ait : « Scrutans corda et renes » Deus [5]. » Hoc etiam Prophetis sæpe dabat Deus ut nossent; ut qui audiebant hinc ediscerent nihil eorum, quæ dicebantur humanum esse, sed superne et de cœlis omne

[1] Matth. IX, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Ibid. 4. — [4] 3 Reg. VIII, 39. — [5] Psal. VII, 10.

decretum esse delatum. Ideo vocalissimus hic Esaïas, postquam cum omni moderatione regem erat allocutus, eumque a malis liberaverat, ac de præsentibus confidere jusserat, et indicia hujusce rei ipsi præbuisset, quod consilium se oppugnantium ipsi aperuisset, proditionem detexisset, excidiumque integrum Israëlis prædixisset, et tempus adjecisset; his non contentus, ulterius progreditur, neque insistit ut signum postulet, sed illum, ob nimiam incredulitatem id nolentem, hortatur; neque id simpliciter, sed liberam potestatem signum eligendi relinquit. Neque enim dicit hoc, vel illud signum, sed ut volueris, ait, dives est Dominus, omnipotens virtus, ineffabilis potestas. Si ex cœlis volueris, nihil impedit; si ex terra, nihil prohibet: Id enim sibi vult illud, « In profundum, » aut in excelsum. » Cum autem nec sic eum adduxerit; ne hic quidem tacuit; sed reprehensione subjuncta, idque ad emendationem audientis, et ut ostenderet se non illum decepisse, neque circumvenisse verbis, prophetiam revelat arcanam, in salutem orbis futuram, et in rerum omnium emendationem : aitque signum non deinceps dari Achaz, sed toti Judæorum populo. Initio enim ipsum regem alloquebatur; quia vero se ipse indignum reddidit, turbam populi alloquitur. « Ideo, inquit, dabit, non tibi, » sed vobis signum. » Vobis, quibusnam? iis qui sunt in domo David. Etenim illinc signum exortum est. Quodnam igitur est signum? « Ecce virgo in utero accipiet, et pa» riet filium, et vocabunt nomen ejus Emmanuël. » Observandum, id quod et ante dixi, non Achaz datum fuisse signum. Quod autem id non ex conjectura dicatur, ipse Propheta objurgavit et accusavit dicens : « Numquid pa» rum vobis est agonem præbere hominibus? » et adjecit : « Ideo dabit Dominus vobis signum : Ecce virgo in utero » habebit. » Si autem virgo non fuisset, signum non erat.

Signum enim rerum seriem excedere debet, et naturæ consuetudinem superare, itemque novum et inexpectatum esse, ita ut insigne sit singulis qui vident et audiunt : ideo enim signum appellatur, quod sit insigne. Insigne autem non fuerit, si delitescat in communitate cæterarum rerum. Itaque si sermo esset de muliere secundum naturæ legem pariente, cur signum vocaret quod quotidie fieri solet? Ideo in exordio sermonis, non simpliciter dixit : « Ecce virgo ; » sed, « Ecce hæc virgo, » additione articuli insignem quamdam, et hanc solam fuisse nobis subindicans. Quod enim hoc additamentum id significet, ex Evangeliis discere possumus. Cum enim ad Joannem misissent Judæi interrogantes : « Quis es [1]? » non dicebant : « Tu es Christus ; » sed, « Si tu es ille Christus? » Neque dicebant : « Tu es Propheta? » sed, « Si tu es ille Pro» pheta? » Quod utrumque eximium erat. Ideo Joannes Evangelium ordiens non dicebat : « In principio erat ver» bum ; » sed, « In principio erat illud verbum, et illud » verbum erat apud Deum [2]. » Sic et hoc loco, non dixit : « Ecce virgo ; » sed « Ecce hæc virgo. » Ac cum dignitate Prophetæ convenienti, illud, « Ecce, » præmittitur. Nam ferme videntis et imaginem in mente habentis hæc erant, multamque in se habentis eorum quæ dicebantur evidentiam. Nam illi oculi clarius quam nostri illa sub aspectum non cadentia videbant, sensus enim decipi potest, spiritus vero gratia nulli fallaciæ obnoxiam sententiam præbebat.

VI. Et cur non adjecit, inquies, partum fore ex Spiritu sancto? Prophetia erat id quod dicebatur, et sub umbra annuntiari debebat, ut sæpe dixi, ob ingratum audientium animum, ne omnia clare discentes, libros omnes comburerent. Si namque Prophetis non pepercerunt, multo minus a scriptis abstinuissent. Quod autem id non ex conjectura

[1] Joan. I, 19. — [2] Ibid. 1.

dictum sit, alius quidam rex sub Jeremia, cum ipsos libros accepisset, discidit, et igni tradidit [1]. Vides-ne insaniam intolerabilem? Vides-ne iram ratione vacuam? Non satis ipsi fuit scripta oblitterasse, etiam combussit, ut rationis expertem affectum impleret. Attamen etsi mirabilis Propheta obscure locutus sit, totum tamen exhibuit. Virgo namque, donec manet virgo, unde parere possit, nisi ex Spiritu sancto? Solvere enim legem naturæ non alterius erat, quam ejus qui condidit naturam. Itaque cum dixit: « Virgo pariet, » totum declaravit. Proinde dicto partu, dicit et nomen ejus qui natus est; non id quod ei impositum est; sed id quod ex rebus ipsis illi competebat. Quemadmodum enim Jerusalem vocat civitatem justitiæ, licet nusquam hoc nomine appellata sit, sed ex rebus ipsis hanc sortita sit nomenclaturam, eo quod admodum mutanda in melius et æquitatis patrocinium foret. Etenim cum illam meretricem vocat, non significat eam aliquando hoc nomine fuisse vocatam; sed a nequitia nomen imponit; sic et postea a virtute. Idipsum itaque de Christo dicendum, quod nempe ipsi ex rebus nomen imposuerit. Tunc enim maxime « Nobiscum Deus » factus est, cum « In terra visus est, et cum » hominibus conversatus est [2], » multamque erga nos providentiam exhibuit. Non enim ultra Angelus, non Archangelus nobiscum, sed ipse Dominus qui descendit, omnem in se suscepit emendationem, cum meretricibus loquens, cum publicanis recumbens, in peccatorum domus ingrediens, latronibus liberam loquendi fiduciam indens, magos attrahens, omnia perlustrans et reformans, ipsam naturam sibi ipsi uniens. Hæc itaque omnia Propheta prænuntiat, simul partum dicens, et partus lucrum ineffabile illud et immensum. Cum enim Deus cum hominibus est, nihil ultra timendum, nihil tremendum, sed de omnibus fiden-

[1] Jer. XXXVI, 23. — [2] Baruch. III, 38.

dum est : id quod etiam factum est. Nam antiqua illa et immota mala soluta sunt; lata contra commune hominum genus sententia submota est, peccatique nervi rupti sunt, diaboli tyrannis soluta, paradisusque omnibus inaccessus homicidæ et latroni primum aperitur, cœlestes fornices reserantur, homoque cum Angelis commiscetur, ac natura nostra ad regium solium adducitur : inferni carcer inutilis, mortisque nomen solum mansit, reipsa vacuum : Martyrum chori, et mulieres stimulos inferni fregerunt. Hæc itaque omnia prævidens Propheta, exultabat et choreas agebat, et uno verbo omnia nobis declaravit, Emmanuëlem nobis prænuntians. « Butyrum et mel comedet, antequam sciat ipse vel præeligere » mala, eliget bonum. Quia antequam sciat puer bonum aut » malum, non obtemperat malitiæ, ut eligat bonum [1]. » Quoniam puer iste natus neque homo simplex erat, neque Deus tantum, sed Deus in homine, jure Propheta sermonem variat, nunc hoc, nunc illud dicens, stupenda proponens, nec permittens ut fides negetur œconomiæ propter eminentiam miraculi. Cum dixisset enim virginem esse pariturum, id quod naturam superabat, et illum Emmanuël vocandum esse, quod ipsum expectatione majus erat : ne quis Emmanuëlem audiens, in Marcionis et in Valentini morbum incideret, propter dispensationem, clarissimam induxit dispensationis demonstrationem, a mensa ipsi fidem faciens. Quid enim ait ? « Butyrum et mel comedet. » Id vero non Divinitatis fuerit, sed naturæ nostræ. Idcirco enim non simpliciter in homine ab se formato habitavit, sed etiam in utero gestatus est, idque per novem menses, partum pannosque subiit, et cibum tenellæ ætati consentaneum; ut per hæc omnia os obturaret iis, qui incarnationem negare auderent. Hæc itaque prævidens Propheta, non natalia solum et mirabilem partum dicit; sed etiam ali-

[1] Isaï. VII, 15, 16.

mentum tenellæ ætatis, quo in cunabulis usus est, quod nihil differebat a cæterorum hominum esca, nec quidpiam insolitum habebat. Nam in illo neque omnia diversa erant, neque omnia communia. Illud enim, ex muliere nasci, commune est ; ex virgine autem, majus quam conditio nostra ferat ; alimentum sumere rursum, ex naturæ lege est quæ cæteris competit, ac commune est ; at templum illud inaccessum esse nequitiæ, neque experimentum ullum malitiæ habere ; hoc novum, hoc stupendum est, et ipsi soli competit. Ideoque et hoc et illud posuit. Non enim post experimentum malitiæ a malitia abstitit, inquit, sed ab ipso principio et exordio omnem virtutem exhibuit. Quod et ipse ait : « Quis ex ipsis arguet me de peccato [1] ? » Et : « Venit princeps hujus mundi, et in me non habet quid-» piam [2]. »

VII. Atque hic ipse Propheta in sequentibus ait : « Pec-» catum non fecit neque dolus inventus est in ore ejus [3]. » Hoc certe et hoc loco ait. Quia priusquam sciat ipse vel mala præeligere, ab ætate illa nullum experta malum, ab ipso principio virtutem ostendet, nihilque cum nequitia commune habebit. « Quia priusquam sciat puer bonum » aut malum, non obtemperat malitiæ, ut eligat bonum. » Rursum iisdem verbis eamdem sententiam subindicat, et in eodem versatur sermone. Quia enim admodum sublime erat id quod dicebatur, narrationis continuatione ipsi fidem conciliat. Quod enim supra declaravit dicens : « Priusquam » sciat ipse vel præeligere mala, » hoc postea subindicavit dicens : « Priusquam sciat puer, » et enarratione rursum utitur dicens : « bonum aut malum, non obtemperat malitiæ, » ut eligat bonum. » Hujus enim solius erat hæc prærogativa. Ideo et Paulus hoc assidue versat, et Joannes videns illum, hoc prædicavit. « Ecce agnus Dei qui tollit peccatum

[1] Joan. VIII, 46. — [2] Id. XIV, 30. — [3] Isaï. LIII, 2.

» mundi [1]. » Qui autem aliorum peccata tollebat, multo magis ipse a peccato immunis erat. Et Paulus, ut modo dicebam, frequenter idipsum clamat. Quia enim ille moriturus erat, ne quis infidelium putaret ipsum peccati sui dare pœnas, frequenter ejus impeccabilitatem in medium adducit, ut mortem ipsius peccati nostri solutionem esse ostenderet. Quamobrem dicebat : « Christus resurgens ex mor- » tuis, jam non moritur. Etenim quod mortuus est, peccato » mortuus est [2]. » Neque mora illa, quasi reus, inquit, secundum rationem peccati mortuus est; sed pro communi omnium delicto. Si itaque priori morti secundum hoc obnoxius non erat, satis superque demonstratum est, ipsum non amplius moriturum esse. « Et derelinquetur terra, » quam tu times, a facie duorum regum [3]. » Quod frequenter facit Propheta, id etiam fecit hoc loco. Post prophetiam ad historiam sermonem reducit. Hoc etiam modo circa Seraphim se gessisse perspicue ostendimus, quod etiam hic effecit. Cum enarravisset enim bona orbi terrarum obventura, ad regem demum sermonem convertit. Ideo hæc subjungit : « Derelinquetur terra. » Quid est, « Derelinque- » tur? » Intacta erit, libera erit, nihil molestum patietur, belli mala non sustinebit. « Et derelinquetur terra, quam tu ti- » mes; » pro qua formidas, pro qua tremis, « A facie duo- » rum regum, » Damasceni nempe et Israëlitæ. Deinde ne per bonorum prophetiam segnior evaderet, nec per pacem mollior, ejus rursus animum perstringit dicens : « Sed ad- » ducet Deus super te, et super populum tuum, et super » domum patris tui dies, qui nondum venerunt, ex quo die » abstulit Ephraïm a Juda, regem Assyriorum [4]. » Per hæc enim indicat barbarorum irruptionem, qua urbem a fundamentis diruerunt, ipsisque in captivitatem abreptis abie-

[1] Joan. I, 29. — [2] Rom. VI, 9, 10. — [3] Isaï. VII, 16. — [4] Ibid. 17.

runt. Hæc vero prædicit, non ut eveniant, sed ut metu temperantiores facti, comminationem depulsent. Quia porro neque ex bonis, quæ præter meritum consecuti sunt, meliores sunt effecti; quod enim præter meritum hæc consecuti sint, ostendit regis animus et ingens incredulitas; neque terribilium comminatione mutati sunt, sed utrique salutari pharmaco vehementer obstiterunt, sectionem demum profundiorem infligit, excindens putridum ulcus, et immedicabili morbo laborantes resecans. Quid sibi vult illud : « Ex quo die abstulit Ephraïm a Juda re-»gem Assyriorum? » Irrupere barbari illos omnes abducturi; sed omissis Juda et duabus tribubus, contra Israël conversi sunt. Quod igitur dicit, hoc est : « A die illo, quo decem tribus barbarorum exercitum ad se pertrahent, a vobisque avertent, ob peccati sui magnitudinem, iisque adversus se evocatis abductæ erunt; ab illo, inquam, die, timere et formidare demum oportet. Progressi namque, ad vos etiam venient, nisi resipiscatis. » Aitque : « Ab illo die adducet eos. » Non enim simul cum Israëlitæ abducerentur, illi capti sunt, sed parum intercessit temporis.

VIII. Quod igitur dicit, hoc est : « Decreto suo tunc dies illas induxisset; sed expectabat Deus, et patienter ferebat, etiamsi jam tunc peccata supplicio digna essent; » id quod sæpe facere consuevit, ut cum assignatus dies evenerit, adhuc procrastinet et cunctetur; quod est maximum clementiæ ejus indicium, necnon argumentum conspicuum ingrati eorum animi, qui ejus indulgentia nolunt, ut par esset, uti. Hoc igitur ait hoc loco, jam tunc nempe comminationem, jam tunc divinam iram affuisse, ut supplicio ad fores adducto, excitaret ad pœnitentiam, meliores redderet, et post illorum excidium in angore constitueret, neque quia illi abducti fuerant, hi vero effugerant, ideo segniores fierent. « Et erit in die illa : Sibilabit Dominus

» muscis, quæ dominabuntur parti fluminis Ægypti [1]. » Vides-ne me non frustra dixisse ipsum metum augere volentem, ab illa die comminationem intulisse. Quæ sequuntur itaque hoc indicant, quibus verbo timorem incutit, exercitus illis declarans, qui formidabiles ipsis erant, et invasionis facilitatem demonstrans, id quod illos admodum percellebat, exercitus multitudinem indicans, quod illorum animos maxime terrebat. Hæc porro omnia in sequentibus subindicavit. Animum autem adhibe : « Et erit in » die illa, inquit : Sibilabit Dominus muscis. » Muscas hic vocavit Ægyptios, ob impudentiam et inverecundiam, et quod sæpe repulsi, sæpe instarent, neque tantillum respirare ipsis concederent, sed sæpe illis sexcenta negotia facesserent, ut muscæ vulneribus, sic continue ipsorum calamitatibus insistentes. Hos igitur ducet Deus; nec tamen dixit: « Ducet ; » sed « Sibilabit, » facilitatem ascensus ostendens, et inexpugnabilem Dei potentiam, quodque sufficiat nutus ejus ut omnia sequantur. Meritoque ab his comminandi initium ducit, quæ jam experti erant. « Et api, quæ est in » terra Assyriorum. » Syrus et Hebræus, ut aiunt, non dicunt apes, sed crabrones. Quia enim non illos adhuc admodum experti erant, insecti hujus imagine in anxietatem illos ingentem conjiciebat, hinc declarans illorum vehementiam, pungendi vim, atque pugnandi, vulnerum acerbitatem, velocitatem adventus, se ab eis tuendi difficultatem. « Et venient et requiescent omnes in vallibus regio- » nis, et in foraminibus petrarum, et in speluncis, et in » omni fissura, et in omni ligno [2]. » Enarratis gentium terrore, exercitusque celeritate, multitudinem demum recenset. Non dixit: « Castrametabuntur, » sed « Requiescent, » neque venturos quasi ad hostilem regionem, sed quasi in propria deliciis se dedituros, quasi nullo labore vel defa-

[1] Isaï. VII, 18. — [2] Ibid. 19.

tigatione egeant, sed quasi ad certam victoriam, et paratam prædam. Idcirco ait : « Venient et requiescent, » quod victores indicat, tropæum erigentes, et post multum sudorem multasque cædes requiescentes. Neque in campestri solum loco requiescent; sed quia immensa sunt multitudo, non capax erit regio tot corporum, sed valles, petræ, montes, saltus, et omnia obtegentur barbarorum corporibus. Quamquam etsi non tam feroces fuissent, neque sic superatu faciles erant, multitudo quippe sufficiebat ad illos consternendos. Quando autem utrumque aderat, et tanta multitudo, et tam ingens potentia, et quod omnium gravissimum est, ira Dei exercitum ducens, quæ demum spes salutis? Illud vero, « In omni fissura, et in omni » ligno, » hyperbolice dictum est. Neque enim in arboribus erant requiem capturi; sed simul, ut dixi, hyperbolem obscure adhibuit, et in metaphora crabronum mansit. « In » die illa radet Dominus novacula inebriata [1]. » Timorem per exercitus auctum rursum amplificat, ad cœlum sermonem transferens, ostendensque non barbaros quosdam Ægyptios aut Persas, sed Deum esse qui Judæis bellum infert. Novaculam autem hic vocat intolerandam ejus iram, quam nemo ferre possit, facile invadentem et consumentem. Quemadmodum enim pili corporis novaculæ aciem non sustinent, sed statim cedunt, et abeunt; sic et res judaïcæ iram illam a Deo immissam nunquam sustinuerint ait.

IX. Novacula igitur inebriata, vigentem plenamque Dei iram, completamque sententiam nobis declarat. Quod autem ait : « Trans flumen regis Assyriorum [2], » trans Euphratem videlicet : ut erat Judæa et Palæstina omnis a Perside redeuntibus. Hæc itaque omnia, inquit, penitus delebit. Caput autem, capillos, barbam et pedes, univer-

[1] Isaï. VII, 20. — [2] Ibid.

sam regionem dicit, sub comparatione corporis, eamque totam sermone complectitur, quemadmodum initio dicebat : « Omne caput ad laborem, et omne cor ad dolorem. » A pedibus usque ad caput non est in eo sanitas [1]. » Non de uno tantum dicens homine, sed totam regionem uni comparans corpori. Hoc autem hic dicit totam terram grave subituram supplicium esse. Et hoc quidem per novaculam, illud vero per corporis imaginem declaravit, ostendens decretum a Deo latum acerbius quam novaculam quamlibet, et homines et terræ fructus consumpturum, illamque nudam et desertam relicturum esse. Deinde ejus vastitatem per aliam comparationem exhibet. Idque facit curans ut timor semper vigens maneat, et angor longitudine sermonis non minuatur. Et quidem videtur hic sermo iis, qui non attendunt, quædam bonorum promissa complecti : sed qui accurate scrutantur, sciunt ingentis vastitatis esse demonstrationem. Quid enim ait ? « Et » erit in die illa : Nutriet homo vitulam boum, et duas oves. » Et erit, ex plurima potione lactis comedet butyrum. Quia » butyrum et mel comedet omnis relictus super terram [2]. » Hoc multam, ut divi, vastitatem indicat. Terra enim, quæ frumentum et hordeum ferebat, hominibus destituta, uberem pabulationem ovibus præbebit, et ita uberem, ut ob abundantiam talis pabuli, sufficiant oves duæ et una vitula, ut possessori fontes lactis præbeant. Itaque abundantia pabuli brutorum, solitudinis hominum maximum est argumentum. Mel quoque illud subindicat : solent enim apes in solitudinibus lubenter versari, ubi abundanti esca fruantur, et ubi nullus sit qui perturbet. Ut vero discas illam ingentem solitudinem subindicare, ex sequentibus disci potest. « Et erit in die illa, ubi fuerint mille vineæ » mille siclorum, in incultam erunt, et in spinam. Cum

[1] Isaï. I, 5, 6. — [2] Id. VII, 21, 22.

» sagitta et arcu ingredientur illuc, quia inculta et spinis » obsita erit omnis terra [1]. » Magnum et hoc infelicitatis signum est, quod non montes et sylvæ, sed ipsa arabilis terra, quæ diligenter colebatur, spinas ferat. Neque enim temere vinearum pretium posuit; sed ut naturam terræ demonstraret, multamque colonorum curam. Attamen illa, quæ prius tam prospera erant, inquit, et agricolarum manibus fruebantur, in tantam vertet solitudinem, ut spinas pro vineis ferant, et tantum incutiant ingredientibus terrorem, ut nemo audeat nudus et sine armis introire. Hoc vero ait, solitudinem loci declarans, multamque illis in locis ferarum frequentiam. Illorum itaque animo timore perculso, ipsisque vehementi incusso metu, rursum sermonem parum remittit, bona admiscens, necnon mutationem in melius, ut utrinque Dei potentiam agnoscerent. Verum in terribilibus diutius insistit, bona vero statim ut dixit, intermittit. Quare? Quia hoc maxime increpationis pharmaco tunc egebant; ita ut postquam copiose illud apposuit, quo sinat parumper respirare, et hinc etiam ad virtutem eos evocet, bona intermisceat, dicens: « Omnis » mons aratro sulcatus, arabitur [2]. » Quemadmodum enim irato Deo, etiam ferax planities solitudo erit; sic illo placato, etiam loca aspera pinguioris terræ conditionem acquirent, et aratrum excipient atque semen. His porro peractis, etiam ea quæ hæc sequuntur aderunt, pax, libertas, fiducia, nec ullus erit timor ut prideni. Nam ait: « Non ingredietur illic timor. Erit autem ab inculta terra, et a spina in pascua ovis, et in conculcationem bovis [3]. » Per hæc rursus res prosperas significat, sicut et ulterius progrediens ait: « Beatus qui seminat super omnem » aquam, ubi bos et asinus calcant [4]. » Quemadmodum enim, cum solitudinem vult significare, sirenas et onocen-

[1] Isaï. VII, 23, 24. — [2] Ibid, 25. — [3] Ibid. — [4] Id. XXXII, 20.

tauros in medium adducit; sic cum pacem et securitatem, animalia mansueta et tractabilia; quæque agriculturæ inserviunt, ubique conspicua exhibet, ab his ea quæ eorum ministerio fiunt indicans, agriculturam et alia eorum ministeria.

CAPUT VIII.

Et ait Dominus ad me : Sume tibi tomum chartæ novum, magnum, et scribe in eo stylo hominis : Ut velociter deprædationem faciat spoliorum. Adest enim, et testes mihi fac fideles homines, Uriam sacerdotem, et Zachariam filium Barachiæ. Et accessi ad prophetissam, et in utero accepit, et peperit filium. Et dixit mihi Dominus : Voca nomen ejus, Cito spolia, Velociter prædare. Quia antequam sciat puer vocare patrem aut matrem, accipiet virtutem Damasci et spolia Samariæ coram rege Assyriorum [1].

I. Hæc duo præcepta secundum litteram videntur omnino diversa esse, nihilque commune habere. Si quis vero sententiarum vim accurate exploraverit, multam videbit in ea re consonantiam et unum scopum. Necessarium autem est prius dicere cur prophetia in hominum vitam inducta sit. Cur ergo invecta sit, necesse est dicere Solet Deus ad pœnas peccantibus inferendas cunctari et procrastinare, quemadmodum promptus celerque est ad beneficia probe viventibus præstanda. Hoc id efficit ut segniores decidant, eo quod ultio scelerum non e vestigio sequatur. Ut ergo

[1] Isaï. VIII, 1-4.

Deus patientiam suam exhibeat, neque tamen illi hinc segniores evadant, prophetiæ pharmacum apparat, non suppliciorum experimenta, sed interim præscientia erudiens peccatores; ut si auditis comminationibus meliores evadant, pœnæ experimentum depellant : sin vero sine sensu maneant, tunc ipsis supplicium inferat. Hoc perspiciens diabolus, et quantum hinc lucri foret cogitans, pseudoprophetas immisit, qui Prophetis minantibus famem, pestem, bella, barbarorum incursionem, contradicebant, fausta annuntiantes. Quemadmodum enim Deus metu verborum volebat supplicii experimentum depellere; sic et diabolus contrarium operabatur, verborum illecebris eos emolliens et segniores reddens, necessitatem afferebat ut supplicia reipsa experirentur. Hinc quia postea pseudoprophetis fidem habentes, ac virtutis exercitium contemnentes, sed in peccatis suis permanentes, sibi supplicium attrahebant, ac per exitum, Prophetarum veritas ostendebatur, et pseudoprophetarum mendacium detegebatur; aliam rursus machinam apparat ad eorum perniciem qui se intercipi sinunt. Suasit enim ipsis, qui decepti faciles erant, has, quæ accidebant, calamitates ex dæmonum ira provenire, quod ab ipsis negligerentur ac despectui haberentur. Hanc igitur fallaciam ut tolleret Deus, ante multa tempora quæ illis eventura erant, imo potius quæ ipsos comprehensura erant mala prænuntiat, ut qui illos decipiebant non possent iræ dæmonum hos eventus ascribere. Quod autem non per conjecturam hæc dicam, audi Esaïam dicentem : « Scio quia durus es, et nervus ferreus collum » tuum et frons tua ænea. Ideo ab initio locutus sum tibi, » ne dicas : Idola mihi fecerunt, et sculptilia et conflatilia » mihi fecerunt. Neque nosti, neque audita fuere tibi [1]. » Quia igitur, ut dicebam, utque ex testimonio videre est,

[1] Isaï. XLVIII, 4, 5 et 8.

dæmonibus illa ascribebant, venit prophetia hanc tollens fraudem, et ea ante multa tempora prædicens. Sed quia etiam sic verisimile erat eos, ingrati cum essent, dicturos esse : « Non prædixistis, non prius audivimus, nunc id fingitis post eventum : non enim nostis ea quæ eventura sunt. Undenam ergo id palam erit, quod nempe dictum fuerit? » Vide quomodo illis clare ineluctabile paret argumentum, impudentia consuens ora. Non enim permittit ut tantum dicat, sed jubet in charta scribi ea quæ dicuntur, neque modo scribi, ne liceret eis dicere : « Hoc postea finxit; » sed etiam testes scriptorum vocat homines fide dignos et a dignitate et a morum probitate. Nam ait : « Fac mihi testes, » fideles homines, Uriam sacerdotem et Zachariam, » ut quando rerum exitus erit, et illi dixerint : « Hæc ante multa tempora non dicta fuere, » eductus liber et testes qui aderant, impudentibus illis os obturent. Ideo ait : « Sume » chartæ tomum novum; » ut ne si vetus jam sit, cito pereat; sed qui multo duret tempore, et per scripta illos incuset. « Et scribe stylo hominis. » id est calamo, « Quæ » futura sunt. » Quænam futura sunt? Bellum, victoria barbarorum, spoliorum deprædatio, exuviarum rapina. Hæc itaque omnia, inquit, scribe, ut velociter deprædationem faciat spoliorum. « Adest enim. » Quid sibi vult illud, « Adest » enim? » Hæc duo significat : nempe jam tunc peccatorum magnitudinem ultionem expetiisse, et in foribus jam esse vindictam : ipsum vero cunctari, patientia sua volens illos meliores reddere, et ultionem amovere; ipsique facile esse solo nutu omnia ad affectum perducere. Quia enim de barbaris sermo erat, qui bellum illaturi erant; « Ne putetis, inquit, viæ longitudinem, exercitusque multitudinem cunctationem quamdam allaturam esse; id quod solet apud homines accidere.

II. Nam Deo adest is qui procul est : ita facillimum ipsi

est uno temporis momento ab extremis terræ partibus, etiamsi illi magno numero sint, illos statim adducere vobisque sistere. « Et testes mihi fac fideles homines, Uriam » sacerdotem, et Zachariam filium Barachiæ. » Cujus rei testes? Temporis. Ut si scripta calumniis impetantur, homimines adhuc viventes, qui, dum hæc scriberentur, præsentes erant, tempusque apprime noverant, quo hæc dicebantur, possint os obturare impudenter oblatrantibus. Eidem hæret argumento id quod sequitur, clarius rei probationem inferens. Quomodo et qua ratione? Ipsa verba audiamus. « Acces- » sit enim, ait, ad prophetissam. » Uxorem propriam sic forte vocavit, quod illa etiam prophetico Spiritu dignata fuisset : nam non viris modo hæc munera dabantur, sed in muliebrem etiam sexum transierant. Neque enim ut in sæcularibus negotiis officia distinguuntur, et alia virorum sunt, alia mulierum, nec possunt illæ functiones inter se commutari : ita se res habet in spiritualibus. Sed paria sunt certamina, communes coronæ. Et hoc utique videre est in Veteri et in Novo Testamento, in toto humano genere contingere. Cum hac igitur ex lege matrimonii congressus cum esset, prægnantem illam effecit. Et postquam natus esset puer, nomen novum et admirandum ipsi imposuit, quod futurorum historiam complecteretur. Quid enim ait? « Voca nomen ejus, Cito spolia, Velociter prædare. » Ut etiamsi scriptis fides non haberetur in tomo positis, appellatio pueri futurorum historiam complectens, et ante eventum rerum imposita, ac frequenter omni tempore prolata, vel impudentissimorum ora consueret. Quod enim hæc Propheta non post eventum effinxerit, sed longe ante præviderit, etiam ii qui ex studio ingrati stupidique erant hinc crederent adduci poterant, qui ante rerum eventum hunc puerum viderant sic appellari, et futurarum calamitatum doctrinam sic prædicare. Ideoque prophetiæ vim interpre-

tatur, tempusque accurate significat his verbis : « Quia an-
» tequam sciat puer vocare patrem vel matrem, accipiet
» potentiam Damasci, et spolia Samariæ coram rege Assy-
» riorum. » Quod dicit, hujusmodi est : « In tempore, inquit, immaturæ ætatis, cum nondum possit loqui, victoria et tropæa erunt ; non quod puer possit aciem instruere, hostesque profligare : sed quod ætas illa, sive tempus illud elapsum antequam puer loqui possit, omnia tradat hostibus. « Et adjecit Dominus ad me loqui adhuc : Eo quod
» non velit hic populus aquam Siloam, quæ manat quiete;
» sed vult habere Rasin et filium Romeliæ regem super
» vos. Propter hoc ecce adducit Dominus super vos aquam
» fluminis fortem, multam, regem Assyriorum [1]. » Deus pro more suo, non solum pœnas prædicit, sed causas affert, ut sic auditores erudiat, id hoc etiam loco facit. Ubi enim prædixit devastationem per alienigenas futuram, abrepta spolia, et barbarorum irruptionem prænuntiavit, causam belli dicit. Quænam hæc? Ingratus civitatem incolentium animus. Quoniam, inquit, cum regem habeant moderatum, mitem et mansuetum, ab eo resilierunt, tyrannosque optarunt, et sub alienum imperium transfugere conati sunt, felicitatem suam non ferentes, desiderium eorum copiosius explebo, barbarum quemdam et inhumanum adducens. Metaphorice porro verbis utitur, mores indigenæ regis describens, et barbari potentiam. Id vero fecit, quod semper dixi, ut majorem sermonis emphasin exhibeat. Ideo ait : « Eo quod nolint aquam Siloam; » non de aqua dicens : sed quia fons sensim et sine strepitu manat, lenitatem et moderationem ejus qui tunc regnabat, tranquillo aquarum cursui comparat, et Siloam ipsum vocat, quod lenis sit et mansuetus : id quod maximam subditis affert criminationem, qui cum non grave jugum haberent, res

[1] Isaï. VIII, 5-7.

novas aggredi tentabant, alienisque regibus sese dedere. Quoniam ergo, inquit, illum mitem moderatumque nolunt, sed Rasin et filium Romeliæ, inducam Babylonium : impetumque exercitus illius, aquam fluminis vocat copiosam et vehementem.

III. Deinde metaphoram explicans ait : « Regem Assyriorum. » Vides-ne quam indubitatum appareat id quod supra diximus, in metaphoris nempe Scripturam se semper interpretari solere? Quod etiam hic fecit. Cum enim flumen dixisset, non in metaphora substitit, sed quodnam flumen esset dixit, « Regem Assyriorum, et omnem gloriam ejus. Et ascendet super omnem vallem vestram, et deambulabit super omnem murum vestrum. Et auferet a Judæa hominem, qui possit levare caput, aut qui possit aliquid perficere. Et erunt castra ejus, ita ut impleant latitudinem regionis tuæ [1]. » Ostendens non humana virtute, sed ira Dei sæviente hæc, quæ dicuntur, eventura esse; non illum ut hostem acie instructa describit, sed ut ad paratam prædam venientem. Non enim stabit, inquit, et aciem instruet; sed corporum multitudine terræ faciem obteget, facileque aderit. Ad hæc in ira etiam magna observatur clementia. Neque enim comminatur se ipsorum urbem demoliturum esse, sed captivitatem quamdam et abductionem prædicit; reliquos volens ex captivorum pœna ad meliorem frugem reducere. Nam ait : « Auferet a Judæa hominem qui possit levare caput : » de proceribus loquitur, deque iis qui omnia sursum deorsum versant; eos qui multitudinem populi labefactabant, captivos servosque faciet; ita ut inferiores possint tantillum respirare, exque metu per abductionem aliorum parto, et ex propria libertate, meliores evadere. Ideo ait : « Qui possit aliquid perficere; » id est, fortem, aliquid operari valentem, qui pos-

[1] Isaï. VIII, 7, 8.

sit vel minimum quid efficere. Et ante abductionem, per ipsam rerum aspectum, ait, vos satis terrore percellet barbarus, totam terram implens barbarorum corporibus. Ideo intulit : « Et erunt castra ejus, ita ut impleant latitudinem » regionis tuæ. Nobiscum Deus. Scitote gentes, et vincimini : » nuntiate usque ad extremum terræ, et fortitudine valen- » tes vincimini. Si enim iterum prævalueritis, iterum vince- » mini. Et quodcumque consilium inieritis, dissipabit Do- » minus : et verbum quodcumque locuti fueritis, non ma- » nebit in vobis, quia nobiscum Deus [1]. » Videtur mihi hoc loco Ezechiæ victoriam prædicere, ac splendidum illud tropæum causamque victoriæ. Etiamsi enim arma apud illos sint, inquit, etiamsi exercitus immensi, et belli peritia; sed auxilium nobis omnium potentissimum nobiscum est, nempe Deus. Venit enim barbarus, ut prius minatus fuerat, et multis captis urbibus, abcessit. Postea vero, admotis castris, contraria passus est. Hæc itaque prædicit Propheta, causamque victoriæ prædicat, ipsosque barbaros alloquitur. « Ne priori, inquit, victoriæ fidatis : in hac enim irruptione maximum nobis adest præsidium. Hoc ipso igitur cognito, recedite, utpote qui ea, quæ fieri nequeunt, aggrediamini. » Hinc et causam illius victoriæ declarans, et annuntians, famam hæc præclara gesta ad extremos usque terræ fines allaturam esse ait : « Nuntiate » usque ad extremum terræ. » Nemo enim non audivit ea quæ tunc Jerosolymis contigerunt. Idcirco ait : « Audite » usque ad extremum terræ, et qui fortitudine valetis vin- » cimini. » Magnam quippe gloriam tunc barbarus ob potentiam obtinebat. Fortes autem hic dicit, non corpore robustos, sed eos qui pecuniarum copia, et gloriæ splendore conspicui erant. « Si enim iterum prævalueritis, in- » quit, iterum vincemini. Et quodcumque consilium inie-

[1] Isaï. VIII, 9, 10.

» ritis, dissipabit Dominus : et verbum quodcumque locuti » fueritis, non manebit in vobis, quia nobiscum Deus. » Quia mala apud eos erant consilia, et sperabant se urbem ipsam a fundamentis demolituros esse, et sic domum reversuros, consilia eorum in medium adducit Propheta, et ait verborum tenus omnia remansura esse. Deinde quia res annuntiabat humanam naturam superantes, ut fide dignum sermonem exhibeat, ad dignitatem præclare operantis frequenter confugit dicens : « Quia nobiscum Deus, » et quia hæc omnia machinamenta dissipabit. Quoniam ipsi gloria.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

CONSTANTINOPOLITANI

ARCHIEPISCOPI,

IN ESAIAM, HOMILIÆ VII.

HOMILIA I.

In laudem eorum, qui comparuerunt in Ecclesia, quæque moderatio sit servanda in divinis laudibus. Item in illud : Vidi Dominum sedentem in solio excelso [1].

I. Conspicio vos multo studio annitentes, ut ad effectum perducatis, quæ heri a nobis dicta sunt : eoque nunc haud gravate semen doctrinæ jacimus, quod hinc bona spes alit animum nostrum. Nam et agricola, cum non sine labore quidem semina jecit, sed videt terram feracem segetemque proventu exuberantem, superiorum laborum obliviscitur, atque ad reliquum operæ conservationemque priorum lucri expectatione excitatur. Verum hæc agricultura quanto feracior quantoque lucrosior est? Nam illa quidem frugum sensibilium copiam afferens, corporibus reponit alimoniam : hæc vero, dum sermonum jacit doctrinam, spiritualiumque donorum abundantiam affert, animi divitias recondit, alimoniam quæ nec consumi, nec

[1] Isaï. vi, 1.

vitiari potest, reditus qui neque pereunt, neque ævo corrumpuntur, sed arcana quadam et ineffabili providentia conservantur, quorum usus fructus mente percipitur. Hic est meorum laborum proventus, hæ sunt opes, quas vestræ charitati recondimus. Has itaque cum considero in vobis augescere, gaudeo semper, ut qui non frustra sementem jecerim, ut qui non incassum labores pertulerim, ut qui in frugiferam pinguemque terram, et ad fructificandum idoneam semen jecerim. Unde igitur hoc lucrum fore conjecto? unde perspicio sermones ad opus proficere? Nimirum ex hoc concursu, ex eo quod Ecclesiam omnium matrem studiose occupatis, ex hac pernocte perpetuaque statione, ex eo quod angelicorum ordinum stationem imitantes, sine cessatione laudes et hymnos offertis Conditori. O mira Christi dona! In supernis exercitus Angelorum canunt gloriam: in terris homines in ecclesiis choros agentes ad illorum exemplum eadem canunt laudis cantica. In supernis Seraphim ter sanctum illum hymnum clamant: in terris eumdem hominum promit multitudo, communiterque tum cœlestium, tum terrestrium festivus conventus congregatur: una gratiarum actio, una exultatio, una gaudentis choreæ statio. Hanc enim ineffabilis Domini sese ad nos demittentis bonitas constituit, hanc Spiritus congregavit sanctus: hujus vocum concentus paterno beneplacito congruit: e cœlis habet modulorum consonantiam, dum a Trinitate velut a plectro quopiam movetur, delectabile illud ac felix resonat melos, illam angelicam cantionem, illum desinere nescium concentum. Hic est studii præsentis finis, hic conventus nostri fructus, eoque gaudeo talem conspiciens celebritatem: gaudeo dum animorum vestrorum lætitiam considero, dum gaudium spirituale, dum secundum Deum exultationem. Neque enim ulla res tantum affert gaudii vitæ nostræ, quantum hoc

quod ex animo gaudeatis in Ecclesia congregati. In Ecclesia gaudentium conservatur gaudium; in Ecclesia animo dejectorum est recreatio; in Ecclesia dolentium est voluptas; in Ecclesia defatigatorum respiratio, in Ecclesia laborantium requies. « Venite enim, inquit, ad me omnes qui » laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos [1]. » Quid hac voce possit esse desiderabilius? quid hac invitatione jucundius? Ad epulum te vocat qui in Ecclesiam te vocat Dominus; ad requiem pro laboribus adhortatur; ad relaxationem a molestiis transfert, pondus peccatorum allevans, deliciis animi molestiam, gaudio mœrorem sanat. O ineffabilem curam! o vocationem cœlestem! Festinemus itaque, dilecti, ut eamdem summam alacritatem exhibeamus, et cum convenienti modestia, considerationeque decente hanc consummemus. Etenim de hoc vobis hodiernum sermonem movere volo, in speciem quidem molestum, cæterum levem, vereque utilem. Sic enim et amantes liberorum patres faciunt; non solum ea, quæ ad breve tempus delectant, verum etiam quæ molestiam afferunt filiis, adhibent: nec ea modo præcipiunt eis, quæ statim ostendunt utilitatem, sed quæcumque videntur quidem esse molesta, salutariaque tamen sunt, si perficiantur, et hæc multa cura docent, diligenterque exigunt ab eis ut serventur. Atque hunc sermonem producimus, ne præsentem laborem frustra insumamus, ne sustinentes vigiliæ necessitatem inutiliter in pugilum certamine versemur, ne voces in aërem dissolutæ ad detrimentum sonent potius, quam ad lucrum. Neque enim negotiator e longinquo merces importans, vehementem ventorum incursum, undarumque exorientium procellas sustinens, frustra et incassum susciperet ejusmodi labores: verum ideo maria sulcat, et audax est adversus pericula, locaque locis commutat, totasque noc-

[1] Matth. xi, 28.

tes ducit insomnes, ut negotiatione ditescat. Quod si non contingat, sed cum lucro etiam sortis jacturam faciat, ne solvere quidem ancoram poterit, nec illa varia perferre discrimina.

II. Hoc itaque scientes, cum decente circumspectione huc accedamus, ne pro peccatorum remissione, etiam accessionem peccatis adjunctam domum referamus. Quid autem est quod quæritur, quodque a nobis reposcitur? Ut dum divinos hymnos emittimus, multo tremore contracti multaque religione ornati, ita demum eos offeramus. Nam sunt quidam inter eos, qui hic adsunt, quos ne vestræ quidem charitati arbitror esse ignotos, qui contemnentes Deum, ac spiritus eloquia pro vulgaribus ac profanis ducentes, incompositas voces emittunt, nihiloque melius se gerunt, quam lymphati, toto corpore tumultuantes ac circumacti, moresque præ se ferentes a spirituali statione alienos. Miser et infelix! Oportebat te cum tremore ac reverentia angelicam glorificationem emittere, cumque terrore confessionem reddere Conditori, ac per hanc delictorum veniam postulare: tu vero mimorum et saltatorum mores huc inducis, dum indecenter manus jactas, pedibus subsultas, totoque circumageris corpore. Et qui fit ut non metuas, neque horrescas hæc audens adversus talia eloquia? Non cogitas ipsum hic invisibiliter adesse Dominum, qui uniuscujusque motum metitur, et conscientiæ rationem habet? Non cogitas Angelos hujc stupendæ assistere mensæ, cumque reverentia hanc circumvallare? Verum tu ista non cogitas, quoniam ea quæ in theatris audiuntur, quæque spectantur, mentem tuam obscuraruni, et ideo quæ illic geruntur, in Ecclesiæ ritus inducis: ideo clamoribus nihil certi significantibus animum incompositum evulgas. Quomodo ergo veniam postulabis tuorum delictorum? Quomodo ad misericordiam Dominum inflectes, qui usque adeo

contemptim offeras precationem? « Miserere mei, Deus, » inquis, ac mores a misericordia alienos declaras. Clamas : « Serva me, » et corporis speciem a salute alienam exprimis. Quid ad supplicandum conferunt manus, quæ semper in sublime jactantur, et indecore circumaguntur? quid clamor vehemens, qui cum violento spiritus impulsu strepitum habet nihil certi declarantem? Annon ista quidem partim mulierum in triviis meretriciam artem exercentium, partim vero eorum, qui in theatris vociferantur, sunt opera? Quomodo igitur audes Angelorum Deum glorificantium hymnis dæmonum admiscere ludicra? Quomodo autem non revereris hanc vocem, quam illuc profers, « Servite » Domino in timore, et exultate ei cum tremore [1]? » Hoccine est cum tremore servire, sic diffundi distendique, ut nec ipse scias quæ loquaris incomposito vocis boatu? Istud vero contemptus est, non timoris; arrogantiæ, non humilitatis; istud ludentium est potius quam divinas laudes celebrantium. Quid ergo servire Domino in timore? cum omne præceptum perfecerimus, cum tremore et metu hanc confessionem facere, corde contrito menteque submissa preces offerre. Nec solum servite in timore, verumetiam exultare cum tremore Spiritus sanctus per Prophetam jubet. Nam quoniam præcepti executio gaudium gignere solet in animo virtutem exercentis, et hanc, inquit, confessionem cum tremore facere convenit, ne si, deposito metu, confundamur ac dissolvamur, simul et laborum jacturam faciamus, et Deum in nos provocemus. Sed quomodo, inquis, fieri potest, ut quis exultet cum tremore? nam impossibile est simul hæc duo accidere, cum inter hæc plurima sit differentia. Gaudium enim est eorum, quæ desiderat animus, expletio, rerumque jucundarum fruitio, ac molestarum oblivio. Metus autem expectatorum

[1] Psal. II, 11.

malorum incursus, oriens adversus condemnatam conscientiam. Quomodo igitur licet exultare cum timore, nec simpliciter cum timore, sed etiam cum tremore, qui est timoris vehementia, et immodicæ cujusdam anxietatis signum? Quomodo igitur, inquis, hoc fiet? Ipsa te Seraphim docent, quæ reipsa tali ministerio funguntur. Nam illa ineffabili gloria Conditoris fruuntur, dum incomprehensibilem ejus pulchritudinem contemplantur. Non dico illam, ut est natura, hoc enim incogitabilis est, nec spectari potest, nec figura exprimi, absurdumque est sic de illa opinari: sed quantum concessum est, quantum ex illo splendore possunt illustrari. Quoniam enim assidue famulantur in circuitu solii regalis, in jugi gaudio perseverant, in sempiterna delectatione, in exultatione finem non habitura, gaudentia, saltantia, citra ullum silentium gloriam canentia. Nam stare in conspectu majestatis illius, deque splendore illinc refulgente illuminari, hoc illis est gaudium, hoc illis exultatio, hoc voluptas, hoc denique gloria. Fortassis sensistis aliquid voluptatis, et cupiditas quædam illius gloriæ vos cepit.

III. At si velitis adhortantem audire, præsentemque gloriæ divinæ celebrationem religiose peragere, non destituet vos hujusmodi gaudium, siquidem ipse est ille Dominus, qui et in cœlis et in terris glorificatur, « Pleni sunt »enim cœli et terra gloria ejus [1]. » Quomodo fit igitur ut illa Seraphim, cum ejusmodi voluptate fruantur, hanc cum timore misceant? Audi quid dicit Propheta: « Vidi Domi»num sedentem in solio excelso et elevato. » Quam ob causam, cum dixisset: « Excelsum, » adjecit, « Elevatum? » Annon satis erat per celsitudinem rem totam significare, declarareque dignitatis eminentiam? Quare ergo addidit: « Eleva»tum? » Ut sedem incomprehensibilem demonstraret: quandoquidem apud nos quod excelsum est, cogitationem

[1] Isaï. VI, 3.

quamdam præbet comparationis ad ea quæ humilia sunt ac submissiora : veluti excelsi sunt montes campestribus et planitici comparati : excelsum item cœlum ab omnibus terrenis altitudine remotum. Cæterum hæc sublimitas et altitudo solii est illius naturæ incomprehensibilis, quam neque cogitatione concipere, neque verbis eloqui quisquam potest, eoque dicit : « Vidi Dominum sedentem in solio » excelso et elevato. » Sed quid præterea vidisti, o Propheta? Quid circa illum spectasti? « Et Seraphim stabant, inquit, » in circuitu ejus [1]. » Quid faciebant et quid dicebant? qua fiducia fruebantur? Fiducia quidem, inquit, nulla; verum timoris ac stuporis erant plena, ipsa etiam specie metum ineffabilem declarantia. Duabus enim alis velabant faciem, simul excludentia radium e solio prodeuntem, eo quod ferre non possent immensam illius gloriam, simul autem et suam religionem ac reverentiam significantia, quam habent erga Dominum. Tali gaudio gaudent illa, tali lætitia exultant, nec solum facies velant, verum et pedes. Quamobrem hoc faciunt? Facies quidem merito velant, propter metuendum spectaculum, quodque non possint inaccessam gloriam obtueri. Verum pedes quare simul velant? Ac volebam quidem vobis hoc relinquere, ut ipsi circa hujus rei solutionem laboraretis, circaque spiritualium rerum vestigationem vigilaretis : cæterum ne vestram cogitationem circa hujus inquisitionem intentam relinquens, id efficiam ut admonitionem negligatis, necesse est ut hoc obiter solvam. Quare igitur pedes velant? Inexplicabilem erga Conditorem reverentiam exhibere student, multamque anxietatem tum ipso habitu, tum voce, tum aspectu, denique ipsa statione. Quoniam igitur id quod desiderant, quodque conveniebat non assequuntur, occultant idcirco undique defectum dum se circumtegunt. Utrum intelligitis, quod

[1] Isaï. VI, 2.

dictum est, an operæ-pretium est ut idem denuo repetam? Age, ut hoc faciam dilucidius, ex rerum nostrarum exemplis manifestum facere conabor. Assistit aliquis terreno regi, omnibusque modis molitur, ut quamplurimam erga illum reverentiam exhibeat, quo per hoc majorem illius erga se conciliet benevolentiam. Cujus gratia specie capitis, ipsa voce, ipsa manuum compositione, ipsa pedum conjunctione, totiusque corporis contractione talem reverentiam conatur ostendere. Hoc et ab illis incorporeis Virtutibus observatur. Cum enim plurimam habeant erga Conditorem reverentiam, et hanc undique conantur præstare : deinde quoniam non assequuntur quod expetunt, quod cupiditati deest, hoc velo obtegunt. Hanc ab causam igitur facies ac pedes tegere dicuntur. Quanquam est et alia quædam magis mystica speculatio quæ circa hoc consideratur, non quod pedes ac facies habeant : sunt enim incorporea quemadmodum ipsum Numen, sed ut hoc humanus sermo declaret, ea undique metu ac reverentia affecta servire Domino. Sic oportet nos quoque assistere, talem Deo glorificationem offerentes, metuentes, ac trementes, ac tanquam illum ipsum mentis oculis intuentes. Adest enim hic omnino, qui nullo loco circumscribitur, vocesque nostras recenset. Sic igitur contrito et humiliato corde laudem depromentes reddamus eam acceptam, et velut incensum boni odoris ad cœlum mittamus. « Cor enim, inquit, con» tritum et humiliatum Deus non despiciet [1]. » Verum Propheta, inquis, exhortatur ut cum jubilo glorificationem peragamus : « Jubilate, inquit, Domino omnis terra [2]. » At neque nos talem jubilationem prohibemus, sed vocem prohibemus nihil significantem. Neque prohibemus vocem laudis, sed vocem absurditatis et inconditam, ac mutuas inter vos contentiones, manus incassum temereque subla-

[1] Psal. L, 19. — [2] Id. LXV, 1.

tas in aërem, pedes supplaudentes, indecoros effeminatosque mores, quæ sunt eorum, qui in theatris ac circensibus ludis versantur, ludicra. Illinc nobis perniciosa invehuntur exempla, illinc irreligiosæ vulgaresque voces, illinc manuum ineptæ gesticulationes, contentiones, concertationes, ac mores incompositi.

IV. Nulla res enim æque eloquia Dei adducit in contemptum, atque spectaculorum, quæ illic proponuntur, admiratio. Proinde frequenter vos hortatus sum ne quis eorum, qui huc adveniunt, divinaque doctrina fruuntur, quique tremendi ac mystici participes sunt sacrificii, ad illa iret spectacula, neu divina cum dæmoniacis commisceret mysteria. Attamen nonnulli usque adeo insaniunt, ut etiam cum speciem gravitatis ac reverentiæ plenam circumferant, et ad profundam canitiem pervenerint, nihilo secus currant ad illa, neque nostris sermonibus auscultantes, neque propriam reveriti speciem. Verum quoties eis hunc sermonem ingerimus, et ut canitiem gravitatemque suam revereantur adhortamur, quam frivolus illorum, quam ridiculus sermo? Exemplum, inquiunt, victoriæ quæ in futuro sæculo erit et coronarum sunt illa, plurimamque illinc utilitatem referimus. Quid ais, homo? obsoletus iste sermo est ac fallaciæ plenus. Unde utilitatem isthinc refers? Ex innumeris contentionibus, ex temere factis juramentis in damnum loquentium? An ex contumeliis, convitiis, scommatibusque, quibus spectatores ejusmodi rerum se mutuo conspergunt? Verum ex his nihil utilitatis ad te redit: an vero ullam omnino ex incompositis vocibus, et nihil significante clamore, eque pulvere qui emittitur, tum ex iis qui impellunt, qui vim faciunt, qui coram mulieribus delicias faciunt, utilitatem colligis? Atqui hic quidem ipsum Dominum Angelorum, omnes Prophetæ doctoresque super solium excelsum et elevatum ostendunt, iisque qui digni

sunt bravia et coronas distribuentem, indignis vero gehennam et ignem assignantem, et ipse etiam Dominus hoc confirmat. Numquid hæc quidem contemnis, in quibus etiam conscientiæ terror est, et factorum redargutio rationumque reddendarum anxietas, et supplicium inevitabile : ut autem absurdam invenias spectaculorum, quibus suspensus inhias, excusationem, dicis te utilitatem capere ex his, ex quibus jacturam pateris inconsolabilem? Rogo etiam atque etiam, obsecroque ne excusationes excusemus in peccatis. Prætextus enim ista sunt ac deceptio, quibus nobis ipsis damnum accersimus. Verum de his quidem hactenus : tempus autem est ut jam ad priorem recurramus admonitionem, atque ut paucis de ea locuti debitum orationi finem imponamus. Neque enim hoc solum peccatur, quod quæ hic fiunt parum pro dignitate peraguntur, verum etiam alius quidam gravis obambulat morbus. Quis tandem iste? Quod qui proposuerunt cum Deo colloqui, eique gloriam referunt, mox hoc omisso suum quisque vicinum arripiunt, ordinantque res domesticas, quæque fiunt in foro, quæ in populo, quæ in theatris, quæ in exercitu, et quomodo alia quidem sunt administrata, alia rursus neglecta, et quid in gerendis rebus plus satis fuerit, quid diminutum : in summa, de rebus omnibus vel publicis, vel privatis, hic colloquuntur. Et qua tandem venia digna sunt ista? Atqui is, qui cum rege terreno colloquitur, de his tantum verba facit, de quibus ille voluerit audire, et de quibus rex fuerit percontatus. Quod si quis ausit aliquid injicere secus quam ille velit, extremo supplicio afficietur. Tu vero cum Rege regum colloquens, cui cum tremore serviunt Angeli, omisso cum illo cœpto sermone, de luto, de pulvere, de telis aranearum loqueris? Nihil enim aliud sunt hujus vitæ negotia. Et quomodo sustinebis istius contemptus pœnam? Quis autem te ab hac vindicta liberabit?

Verum haud recte se habent, inquiunt, reipublicæ negotia, de his plerumque loquimur, et de his solliciti anxiique sumus. Quid autem in causa? Eorum, inquiunt, qui magistratum gerunt, incogitantia. Non est magistratuum incogitantia, sed nostra injustitia, et pœna est pro nostris sceleribus exacta. Illa cuncta sursum deorsum miscuit, illa quidquid est calamitatum invexit, illa armavit hostes, illa fecit ut victi discederemus. Non aliunde nobis malorum examen inundavit, quam ex hac causa. Proinde quamvis Abraham quispiam esset qui imperaret, quamvis Moses. quamvis David, quamvis Salomon ille sapientissimus, quamvis omnium hominum justissimus : si nos male vivimus, nihil interest qualis ille sit, quantum ad causam malorum. Quî sic, aut quare? Quoniam si transgressor legum fuerit, si temere nulloque consilio feratur, nostra incogitantia nostraque temeritas effecit, ut talem magistratum haberemus, nostra scelera plagam accersierunt. Nam quod secundum corda nostra accipimus magistratus, nihil aliud est nisi quod præterita peccata nostra talem nobis dedere præfectum, sive quis fuerit ex ordine sacerdotali, sive ex eorum numero qui mundanas administrant dignitates. Quamvis autem justus fuerit, adeoque justus, ut usque ad Mosis virtutem pertingat, haud tamen illius unius justitia, immensa subditorum peccata valebit obtegere : idque poterit quis ex ipso Mose certo cognoscere. Cum enim ille multis modis afflictus fuisset pro Israël, instanterque apud Deum supplicasset, ut terram promissam in sortem illis traderet, tamen quoniam se populus suis peccatis reddiderat ab hac promissione alienum, non potuit Mosis deprecatio justam Dei sententiam immutare, quo factum ut totus ille populus in deserto prosterneretur. Attamen quis Mose justior, aut quis plus valuit apud Deum? Dictum est, valere Justi deprecationem, sed efficacem : hoc est, pœni-

tentia conversioneque adjutam eorum, pro quibus funditur. His vero quibus mores manent sine pœnitentia citraque bonam conversionem, quomodo possit auxiliari Justi deprecatio, cum illi ipsi suis factis obsistant?

V. Et quid commemoramus hoc accidisse toti populo peccanti, cum et paucorum subditorum peccata, imo unius sæpe, juste imperantium fiduciam superent? Atque hoc rursus ex eodem populo Israëlitico perspicias licebit; quomodo scilicet Mose rempublicam administrante, cum in terram alienigenarum irrupissent, pugnamque cum illis commisissent, quidam illorum insanientes in illorum mulieres, totius populi cladem exitiumque invexerunt. Simile quidpiam in uno accidit, videlicet Achar, qui cum variam ex anathemate stolam sustulisset [1], etiam adversus populum iram Dei succendit. Verum, ut conjicio, nonnullis præsentium ignota est hæc historia. Quamobrem necesse est, ut paucis de hac locutus, et scientes commonefaciam, et nescientes doceam. Achar itaque fuit unus ex eorum numero, qui cum Jesu Nave transiere Jordanem, qui Jesus fuerat ante Dei judicio delectus, ut Moysi succederet, quique typum ac figuram gerebat veri Servatoris nostri Jesu Christi. Quemadmodum enim ille e deserto per Jordanem in terram promissam perduxit populum : sic et Servator noster ex ignorantiæ et idololatriæ deserto per sanctum ac salutiferum baptismum in cœlestem Jerosolymam nos traduxit, ad matrem primogenitorum, in qua veræ quietis paratæ sunt mansiones, ubi vita tumultus nescia, pacificaque. Hic itaque cum ejus virtute qui jusserat, Israëlitas transmisisset, admovissetque exercitum contra Jericho, novam illam et admirandam obsidionem moliens, mox ruituris mœnibus, quid loquitur apud populum? « Erit » anathema hæc civitas, et quidquid est in ea, Domino

[1] Jos. VII.

» Sabaoth, excepta Raab meretrice, hanc servabitis [1]. » Cavete igitur ab anathemate, ne quando cogitantes sumatis ex eo, et perdatis nos. Consecrata sunt, inquit, omnia quæ sunt in civitate : nam id sonat anathema. Ne quis igitur suffuretur ex iis quæ consecrata sunt Domino Deo, nosque disperdat e terra. Periculosum erat præceptum, multa diligentia tum Dei præcipientis, tum legem ferentis Jesu. Quî enim fieri potuit, ut in tanta multitudine non violaretur hæc lex, cum multæ res essent, quæ huc impellerent? Nam vel instabilitas ejus populi lucrique cupiditas, vel quod non omnes audivissent edici præceptum, vel spoliorum pretium velut esca objecta, habendique avidos illectans, facile ad legis transgressionem perpulisset. Et tamen ea lex erat lata, atque eorum capiti transgressionis periculum imminebat. Quid igitur post hæc? Conciderunt mœnia, et quidquid erat in civitate venit in manus obsidentium. Itaque cum universus populus servaret hoc præceptum, unius prævaricatio in universam multitudinem concitavit iram Dei. Peccaverunt, inquit, filii Israël peccatum magnum, et suffurati sunt, et sumpserunt ex anathemate, et sumpsit Achar filius Charmi ex anathemate, et indignata est ira Domini filii Israël [2]. Atqui unus erat qui peccaverat. Quomodo igitur peccaverunt filii Israël, ac Dominus iratus est filiis Israël? Vides quomodo unius peccatum toti populo vindictam accersiit? quomodo Deum adversus multitudinem hostem reddidit? Quoniam igitur fuerat perpetrata legis transgressio, neque quisquam erat conscius, præter solum Deum qui novit occulta, ultio quidem differebatur : cæterum qui hoc perpetrarat, tametsi videbatur latere, tamen a conscientia velut ab igne urebatur. Venit igitur tempus quo fieret quod comminatus fuerat Deus, quoque peccatum veniret in propatulum.

[1] Jos. VI, 17. — [2] Id. VII, 11.

« Misit, inquit, Jesus viros ab Jericho in Gaï [1]. » Et ascenderunt illuc viri fere ter mille, fugeruntque a facie virorum Gaï, et occiderunt ex illis viros triginta sex, et persecuti sunt eos, et conciderunt illos, et expavit cor populi, factumque est velut aqua.

VI. Vide unius peccati pœnam, vide plagam acerbissimam. Unus peccarat, et in populum universum mors ac trepidatio irruit. Quid hoc, o bone Domine? Tu solus justus, et recta judicia tua. Tu cuique secundum propria facta reddis judicium. Tu, humani generis amator, dixeras in suo quemque peccato moriturum, nec alium pro alio daturum pœnas. Quod igitur hoc est tuum justum judicium? Bona sunt tua omnia, Domine, et valde bona, et ad nostram utilitatem dispensata. Lues quædam, inquit, est peccatum : ergo per ultionem evulgetur ac traducatur apud omnes, ne corrumpat omnes, ut ubi cognoverint quantas minas una pepererit transgressio, fugiant longe graviorem æternamque vindictam. Videns igitur, inquit, Jesus fugam, cujus causa ignota erat, sisti non posse, discidit vestimenta sua, ac prostratus est in terram, ea lugubriter lamenta proferens, quæ narrat divina Scriptura. Quid igitur illi respondit Dominus? « Surge, cur ita prostra» tus jaces [2]. » Peccavit populus tuus, transgressus est pactum meum, nec poterunt stare filii Israël contra faciem hostium suorum, donec sustuleritis anathema ex vobis ipsis. » Prædicatur igitur hoc in populo, et a Deo proditur, qui hoc perpetrarat : ille fatetur. Respondit enim, inquit, Achar Jesu dicens : « Vere peccavi in conspectu Domini » Dei Israël, sic et sic feci. Videbam in præda stolam va» riegatam unam pulchram, ducentaque argenti didrachma, » et linguam unam auream quinquaginta didrachmorum, » et concupiscens cepi, et ecce hæc defossa sunt humi in

[1] Jos. VII, 1. — [2] Ibid. 10.

» tabernaculo meo[1]. » Omnia jam in apertum profert, posteaquam perspexit illum omnia sine mendacio indicasse, nec diffisus est testi seipsum prodenti. Vide autem probrosam ac perniciosam illam mortem : « Subduxit, inquit, Jesus Achar in convallem, filios et filias ejus, et vitulos ejus, et jumenta ejus, et omnes oves ejus, et tentorium ejus, et omnia quæcumque possidebat, et lapidibus obruit ea omnis populus Israël[2]. » Hoc transgressionis præmium, talis Dei vindicta, quæ evitari non potest. Hæc itaque scientes, cogitemus molestias a nostris peccatis invehi, singulisque diebus nostra examinantes crimina, non aliis, sed nobis ipsis causam ascribamus. Nec enim magistratuum modo negligentia, sed multo magis nostra delicta, mala accersierunt. Sic itaque huc adveniens sua quisque examinet delicta, nec alium incuset, et præsentem glorificationem cum ritu decenti emittat. Quod autem exigitur ad modestiam, hoc est primum, corde contrito accedere ad Deum : deinde cordis affectum ipso visibili habitu declarare, item standi modo, manuum decora compositione, placida demissaque voce. Nam id facile est, et potest quisquis voluerit. Quî fiet igitur, ut omnes suo fungantur officio? Ponamus nobis ipsis legem, dicamusque : « In publicam utilitatem lex prodita est, et hujus utilitatis oportet nos omnes esse participes. » Quapropter et indecoras voces premamus, manuumque gesticulationes corripiamus, has conjunctas exhibentes Deo, nec incompositis motibus attollantur. Odit enim hoc Deus et aversatur, sicut contra compositum ac modestum amat expetitque : « Ad quem, inquit, » respiciam, nisi ad mansuetum et quietum, et trementem » verba mea[3] ? » Dicamus aliis alii : « Non vult Deus ut simul cum ipso loquamur, et inter nos fabulemur, nec patitur ut ipsum alloqui intermittentes, præsentium confabulatio-

[1] Jos. VII, 20. — [2] Ibid. 24, 25. — [3] Isaï. LXVI, 2.

nes suscitemus, cœnoque margaritas contaminemus. Siquidem hoc suam contumeliam esse ducit, non glorificationem. » Quod si quis voluerit hoc præceptum præterire, obturemus illi os, tanquam salutis insidiatorem expellamus, et Ecclesiæ sanctæ septis ejiciamus. Hoc si fecerimus, nostra quidem peccata superiora facile diluemus, ipsum autem Dominum habebimus in medio nostrum una cum sanctis Angelis choros agentem, et cuique modestiæ coronas distribuentem. Quoniam enim est humanus ac munificus, gaudens de nostra salute; ideo oblectans sese bonis nostris cœlorum regnum promisit, et vitæ incorruptibilis consortium, omniaque bona præparavit, volens nos in his habere tabernacula. Quæ nobis omnibus contingat assequi, gratia et humanitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo decet gloria, imperium, honor, et adoratio Patri et sancto Spiritui, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA II.

In dictum illud Isaïæ prophetæ, Factum est anno, quo mortuus est Ozias rex, vidi Dominum sedentem in solio excelso et elevato [1], *et quod neque tempus, neque unum elementum divinarum Scripturarum oporteat præter-currere.*

I. Gaudeo conspiciens vos ad audienda sacra eloquia concurrentes, idque indicium esse maximum judico vestri in Dei cultu ac pietate progressus. Quemadmodum enim

[1] Isaï. VI, 1.

appetentia cibi corporis bonam valetudinem declarat, sic et sermones appetere spirituales, animæ sanitatem arguit. Gaudeo quidem igitur propter hoc : cæterum vereor ne forte non possim aliquid afferre dignum isto vestro desiderio. Sic et mater amans dolet quoties lactantem habens puerum, non potest illi largiter præbere lactis fontem : attamen quanquam lacte caret, mammam tamen dat ; ille vero acceptam trahit sugitque, et ore papillam refrigescentem calefaciens, plus quam erat elicit alimenti : mater vero dolet quidem dum ipsius distenduntur ubera, nec tamen repellit puerum : mater enim est, et omnia præoptat perpeti potius quam ut partum suum contristet. Itaque si matres erga fœtus suos tantum exhibent amorem, multo magis oportet nos erga vestram charitatem similiter affectos esse. Nam spiritus partus vehementiores sunt quam naturæ. Itaque tametsi nobis mensa multam habet penuriam, ne sic quidem eam occultabimus, sed nostra omnia in medium proferentes apponemus vobis. Quod si paucula hæc sunt viliaque, præbebimus tamen. Nam et ille, cui talentum erat creditum, non quia quinque talenta non tulit, ob id incusatus est, sed quod unum illud defoderit, quod acceperat, dedit pœnas. Siquidem hoc est quod quæritur apud Deum et apud homines, non multa-ne aut pauca deponas, sed ne oblationem offeras facultatibus inferiorem. Audistis nuper cum nobis datum esset hoc honoris, ut apud charitatem vestram dissereremus, Psalmum illum legentibus nobis, qui peccatorem e sacris septis ejiciens, Angelos supernasque Virtutes hortabatur ad laudandum universorum Deum. Vultis igitur et hodie idem angelicum melos audiamus, prope illic alicubi astantes? Mihi certe videtur. Nam si homines scelerati dum choreas agunt, in foro in profunda caligine nocteque intempesta, meretricias cantilenas mollesque canentes cantiones, totam civitatem nobis

excitant, et ad sese convertunt : nos cœlestium populorum supernis choris Regem universi celebrantibus non occurremus, non audiemus divinam illam ac beatam vocem? Et quæ nobis dabitur venia? Sed quomodo, inquis, licet audire? Si in ipsum ascenderimus cœlum, etsi non corpore, mente tamen : etsi minus præsentia, certe cogitatione. Nam corpus, quoniam terrestre est ac grave natura, manet in terris : anima vero ab hac necessitate est libera, facillimeque ad altissima longissimeque semota loca advolat; ita ut etiamsi velit ad extremos orbis terminos pervenire, aut in cœlum ascendere, nihil sit quod vetet, adeo ipsi leves cogitationum alas dedit Deus. Nec tantum alas leves dedit, verum et oculos largitus est, multo quam corporis perspicaciores. Nam corporis aspectus, siquidem per vacuum aërem feratur, ad longum intervallum progreditur : quod si in exiguum corpus impegerit, non aliter quam fluxus qui ferebatur, obstaculo repulsus, denuo retrorsum avertitur : verum animi oculi etiamsi, parietes, etiamsi mœnia, etiamsi montium moles, etiamsi cœlorum corpora compererint obstantia, omnia facile prætercurrunt. Attamen cum tantam habeat celeritatem, et oculorum aciem anima, non ex sese sufficiens est ad intelligentiam rerum cœlestium, opus illo habet qui ipsam manu deducat. Faciamus igitur quod in regum palatiis facere solent, qui cupiunt ea videre. Quid autem illi faciunt? Ubi quæsierint eum, cui claves commissæ sunt, illum adeunt, alloquuntur et supplicant, frequenter et pecuniam numerant, ut ipsis gratificetur. Adeamus ergo et nos unum eorum, quibus cœlestes portæ commissæ sunt; appellemus, supplicemus, pro pecunia promptam voluntatem sincerumque affectum exhibeamus. Et si ille mercedem hanc accepit, manu nostra apprehensa per omnia circumducet, non illam ostendens regiam, sed ipsum Regem in solio sedentem, astantibus exercitibus exer-

cituumque ducibus, assistentibus innumerabilium Angelorum et Archangelorum millibus, omnia diligenter nobis ostendet, quatenus nobis videre licet. Quis igitur est iste, cui hæc functio commissa est, quam sequentes nunc volumus ingredi? Esaïas Prophetarum vocalissimus. Ergo necesse est, ut hunc alloquamur. Agite, sequamini composito gradu incedentes, multo cum silentio : ne quis ingrediatur curis onustus mundanis, ne quis animi dubius, ne quis attonitus : verum hæc omnia foris ante ostium deponamus omnes, atque ita demum ingrediamur. Ingredimur enim in regnum cœlorum, conscendimus in regiones stellis fulgurantes. Quæ intus sunt miro silentio plena sunt, mysteriisque non efferendis referta.

II. Sed animadvertite diligenter; nam Scripturarum lectio cœlorum est reseratio. « Et factum est anno, quo mortuus est Ozias rex, vidi Dominum sedentem in solio excelso et elato [1]. » Vidisti probi famuli benevolentiam humanitatemque? Illico nos ad solium induxit regium, nec prius circumegit post longos ambitus, sed simul atque portas aperuit, e regione sedentem Dominum ostendit : « Et Seraphim, inquit, stabant in circuitu ejus, sex alæ uni, et sex alæ alteri : ac duabus quidem velabant faciem, duabus pedes, et duabus volabant, et clamabant alter ad alterum dicentes : Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Sabaoth [2]. » Vere Sanctus qui nostram naturam tantis ac talibus mysteriis dignatus est, qui nos talium secretorum consortes fecit. Horror me ac tremor corripuit in tali cantico. Et quid mirum, si me corripuit luteum ac terrenum, cum etiam ipsas supernas Virtutes semper maximus obtineat stupor? Eapropter avertunt facies, alasque vice murorum objiciunt, non ferentes radios illinc proficiscentes : et tamen id quod apparebat, attemperata quadam imagine

[1] Issï. VI, 1. — [2] Ibid. 2, 3.

offerebatur. Cur igitur non tulerunt? Mihi ista dicis? Dic iis, qui curiose scrutantur ineffabilem ac beatam naturam, iis qui audent non audenda. Ipsa Seraphim ne demissionem quidem Dei sustinuerunt intueri, et homo ausus est animo concipere se naturam ipsam sinceram, et Cherubim minime conspicuam, posse ad plenum clareque videre? Horresce cœlum, obstupesce terra : hoc audere majus est iis, quæ ausi sunt illi. Nam quæ tum illi per impietatem audebant, eadem nunc per impietatem audent isti. Nam creaturam similiter adorant : quod autem nunc isti commenti sunt, nullus ejus ætatis hominum neque dicere, neque audire sustinuit. Quid ais? Demissio erat quod videbatur? Erat, sed Dei. Etenim si Daniel, cui multum erat familiaritatis ac fiduciæ apud Deum, non sustinuit Angelum sese ipsi demittentem videre, sed cecidit jacuitque pronus, vinculis oculorum illius ab illa gloria dissolutis, quid mirum si Seraphim expavefacta sunt non sustinentia majestatem illam intueri? Neque enim tantum discriminis est inter Danielem et Angelum, quantum inter Deum et Virtutes illas. Verum ne nos plus quam sat est his miraculis immorantes vestros animos in stuporem adigamus, age ad initium historiæ convertamur, humilioribus illos enarrationibus ad ejus intelligentiam adducentes. « Et fac-» tum est anno, quo mortuus est Ozias rex. » Operæ-pretium est inquirere primum cur Propheta nobis tempus designarit, neque enim hoc fortuito temereve facit. Nam Prophetarum ora, Dei sunt os : tale vero os nihil dixerit obiter et extra rem. Ne igitur nos obiter et perfunctorie audiamus. Etenim si ii, qui fodiunt metalla, ne minima quidem frustula prætereunt, verum ubi nacti fuerint aliquam venam auri, meatus omnes exacte circumspiciunt : quanto magis hoc facere nos oportet in Scripturis? Et tamen in metallis difficile est invenire quod venantur. Et-

enim cum et metalla sint terra, et aurum nihil aliud sit quam terra, ipsa quoque naturæ communio, similitudoque eorum, quæ quæruntur, oculos fallit. Attamen ne sic quidem desistunt illi, sed omnem adhibent diligentiam, etiamsi posteaquam inspexerint, sciant quid vere sit terra, quid vere aurum. In Scripturis autem non est eadem ratio. Neque enim proponitur aurum terræ commixtum, sed purum est aurum : « Eloquia, inquit, Domini casta, argen-» tum igne examinatum, probatum terræ [1]. » Siquidem Scripturæ non sunt metalla quæ indigeant operariis, sed thesaurum præbent paratum iis, qui quærunt opes in ipsis reconditas. Satis est enim introspexisse, ut omni expleti fructu discedatis; satis est tantum aperuisse, ut illico videas gemmarum splendorem. Hæc autem mihi non temere dicta sunt, neque fortuito produxi sermonem, sed quia sunt homines quidam opifices, qui posteaquam sacros libros in manus sumpserint, deinde repererint vel annorum numerum positum, vel nominum recensionem, illico prætercurrunt, et incusantibus respondent, nomina tantum sunt, neque quidquam habent utilitatis. Quid ais? Deus loquitur, et tu audes dicere : « Nulla est dictorum utilitas? » Etenim si ad nudam inscriptionem aspexeris tantum, nonne te sistes cum studio, repositasque scrutaberis opes? Sed quid loquor de temporibus, et nominibus, titulisque? Disce quantum valeat unius tantum litterulæ adjectio, ac desine tota contemnere nomina. Patriarcha noster Abraham; noster enim potius est quam Judæorum; hic prius dictus est Abram, quod interpretatum sonat, transitorem : post hæc vero nomine commutato dictus Abraham, pater factus omnium gentium, et unicum elementum adjectum, tantum principatum vindicavit justo. Quemadmodum enim imperatores præfectis suis aureas porrigunt tabellas,

[1] Psal. II, 7.

magistratus signum : sic et Deus Justo illi in honoris signum dedit litteram.

III. Verum de nominibus alio tempore disseram : quantus autem sit temporum fructus, si cognoscantur; rursum quantum damnum, si ignorentur, aperiendum est. Ac primum quidem id a rebus sæcularibus demonstrabo. Testamenta tabulæque de nuptiis, de debitis, deque reliquis contractibus, nisi in frontispicio consulum annos habeant præscriptos, nullam ex sese vim habent. Hoc est enim quod illis robur addit, hoc est quod controversias dirimit, hoc quod a judiciali foro liberat, hoc quod ex inimicis facit amicos. Proinde qui talia describunt, non aliter quam lucerna in candelabro poni solet, sic in frontispicio litterarum addunt consulatum, ut omnibus quæ subjiciuntur præluceat. Quæ si sustuleris, lumen sustuleris, omniaque tenebris multaque turbatione compleveris. Propterea, omne dati acceptique negotium, sive cum amicis, sive cum inimicis, sive cum famulis, sive cum procuratoribus et œconomis agatur, hac eget cautione, et ubique menses, annos ac dies subscribimus. Quod si tantum valet ea res in negotiis sæcularibus, in spiritualibus multo amplius profuerit. Siquidem hoc declarat prophetias esse prophetias. Neque enim aliud quidquam est prophetia, quam rerum futurarum enarratio. Proinde qui nescit tempora eorum quæ dicta sunt, quæve evenerunt, qui poterit homini contentioso demonstrare prophetiæ dignitatem? Hinc nobis et adversus gentes certamina et victoriæ, cum nostra demonstramus antiquiora, quam quæ apud illos habentur : hinc nobis adversus Judæos demonstrationes ad evincendam veritatem. Adversus Judæos, inquam, infelices ac miseros, qui ob temporum ignorantiam in gravissimum errorem lapsi sunt. Nam si audissent Patriarcham dicentem : « Non deficiet princeps ex Juda, neque dux de femoribus

» ejus, donec veniat, cui repositum est [1] : » sique diligenter observassent adventus dominici tempora, nequaquam excidissent a Christo in Antichristum delapsi. Quemadmodum et ipse Christus id subindicans eis prædixit : « Ego » veni in nomine Patris mei, et non recepistis me : si venerit » alius in nomine suo, illum recipietis [2]. » Vidisti quantus error inciderit ex inscitia temporum? Tantam igitur utilitatem ne negligas. Quemadmodum enim in agris termini columnæque non sinunt arva confundi, sic tempora non sinunt confundi res gestas, sed dum dirimunt alias ab aliis, et in ordinem congruentem digerunt, multa nos liberant turbatione. Operæ pretium igitur est exponere vobis quis fuerit hic Ozias, quo tempore regnarit, quibus imperarit, et quanto tempore durarit illius principatus, postremo quomodo vitam finierit. Imo potius jam silendum est, eo quod necesse sit in immensum historiarum pelagus orationem extendere. Qui vero per hujusmodi mare sunt iter facturi, necesse est non fatigatis, sed integris remigibus viam capessant. Nam hanc ob causam passim per mare portus insulæque positæ sunt, ut et gubernator et nauta refocillentur, hic quidem remo deposito, ille vero exurgens a clavo. Iis de causis et diversoria cauponæque ubique per vias excogitatæ sunt, ut jumenta simul cum viatoribus a labore recreentur. Eoque et doctrinæ sermoni silentii tempus præfinitum est, ut neque nos ipsos deterreamus verborum multitudine, neque vos delassemus. Atque hæc tempora novit Salomon dicens : « Tempus tacendi, et tempus lo- » quendi [3]. » Sit igitur nobis tempus tacendi, quo detur et præceptori tempus loquendi. Nam quæ nos afferimus, similia sunt vino quod recens sub torculari haustum est : quæ vero dicuntur ab illo, similia sunt vino, quod, quoniam vetustatem seniumque collegit, multam affert tum

[1] Gen. XLIX, 10. — Joan. V, 43. — [3] Eccl. III, 7.

vim iis, qui opus habent : nobisque accidit hodie illud Evangelii : « Post deterius vinum id quod melius est infer-» tur [1].» Et quemadmodum illud vinum non vitis genuerat, sed virtus Jesu Christi fecerat : ita et hujus sermonem non humana profundit cogitatio, sed Spiritus sancti gratia. Quoniam igitur hujus liquoris fluenta copiosa sunt et spiritualia, studiose excipiamus, caute servemus, ut assidue irrigati tempestivum afferamus fructum Deo, qui hæc largitus est, quem decet omnis gloria et honor cum unigenito ejus Filio sanctissimoque Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA III.

In secundum librum Paralipomenon, ubi dicitur : Elatum est cor Oziæ [2] : *deque humilitate : tum quod hominem virtute præditum non oporteat esse confidentem : denique quantum malum sit arrogantia.*

I. Benedictus Deus, et nostra quoque ætas progerminat Martyres, et nobis hoc honoris contulit Dei dignatio, ut conspiceremus homines occidi pro Christo, homines qui sacro sanguine distillant, Ecclesiam universam irrigante : sanguine, inquam, distillantes, dæmonibus quidem terrifico, Angelis vero desiderabili, nobis porro salutari. Largita est nobis hoc Dei dignatio, ut spectaremus homines pro pietate belligerantes, vincentes, coronatos. Neque vero solum contingit hæc spectare, verumetiam ipsa athle-

[1] Joan. II, 10. — [2] 2 Paral. XXVI, 16, et 4 Reg. XV.

tarum corpora accipere : ac victores illos, et corona insignes apud nos habemus. Sed in præsentia de Martyribus sermonem reservemus Martyrum æmulatori, communi doctori. Ipsi vero nunc de Ozia disseremus, jampridem debitum æs alienum dinumerantes, diuturnosque audiendi nixus solventes. Nam parturit, sat scio, unusquisque vestrum, cupiens illam audire historiam : hancque parturitionem nos interim protraximus, non quod cuperemus vobis intendere cruciatum, sed quod studeremus vestrum accendere desiderium, ut vobis a me convivio acceptis meus apparatus quam suavissimus videretur. Nam opulentis convivatoribus, si convivas acceperint saturos, licet apparatus lautitia, illorum appetentiam excitare : cæterum pauperum mensam non alia res æque lautam exhibet, quam si qui ad illam accubituri sunt, esuriant. Quis igitur est Ozias? quibus ortus majoribus? quorum rex? quanto tempore regnavit? et quid cum laude gessit? quid secus? postremo quo pacto vitam absolvit? De his omnibus in præsentia apud vos disseremus, imo potius quantum dicere licebit, sic ut multitudine non confundamus vestram memoriam : id quod in lucernis accensis accidere solet. Nam si paulatim ellychnio instillaris oleum, satis alimoniæ dederis igni : sin simul totum infuderis oleum, etiam flammam, quæ erat, extinxeris. Hic igitur Ozias e stirpe David duxit genus : rex autem erat Judæorum. Regnavit annis quinquaginta duobus : cumque initio cum laude gessisset principatum, post in peccatum prolapsus est. Cum enim altiores spiritus sustulisset quam pro sua dignitate, principatum invasit sacerdotii. Tantum malum est arrogantia, quæ persuadet ut quisque semet ignoret, postque multos labores omnem virtutis thesaurum exhaurit. Ac cætera quidem mala nobis negligenter agentibus solent exuberare, hæc autem ipsis recte factis nostris adnascitur. Nihil enim per-

inde gignit superbiam, ut bona conscientia, nisi advigilemus. Unde et Christus sciens quod post benefacta nos hic morbus adoriatur, dicebat Discipulis suis : « Cum omnia » feceritis, dicite : Servi inutiles sumus [1]. » Cum enim hæc noxia bestia parat invadere vos, tunc, inquit, per hæc verba fores illi occludite. Neque dixit : « Cum omnia feceritis, inutiles estis : » sed, « Vos dicite : Inutiles sumus. » Dic, ne metuas, non ex tuo judicio fero sententiam. Nam si tu teipsum dixeris inutilem, ego tu coronabo. Sic et alias loquitur : « Dic tu prior peccata tua, ut justificeris [2]. » In mundanis siquidem ac forensibus judiciis, post accusationem et criminum confessionem restat mors : cæterum apud divinum tribunal, post accusationem et confessionem peccatorum, datur corona. Unde et Salomon dicit : « Ne » justificaveris teipsum in conspectu Domini [3]. » Verum nihil horum audivit Ozias, sed irruit in templum, ut adoleret, ac ne sacerdote quidem prohibente abstinuit. Quid igitur Deus? Immisit illi lepram in fronte, hoc modo impudentem faciem puniens, docensque illum, quod hoc esset Dei tribunal, et quod illi bellum esset non adversus homines, sed adversus Deum. Ac de Ozia quidem hactenus. Agedum jam ab integro historiam hanc percurramus. Nam hac de causa et ipse præoccupans compendio vobis exposui, quæ Oziæ acciderunt, omnia, ut cum audieritis Scripturam hæc eadem narrantem, rerum seriem summo cum animi studio consectemini. Sed attendite. « Et fecit, in- » quit, Ozias quod rectum est in conspectu Domini [4]. » Hoc testimonio magnam illius virtutem declaravit. Non enim modo fecit quod rectum erat, verumetiam fecit in conspectu Domini, non apud homines se ostentans, quemadmodum apud Judæos faciebant illi, qui ante eleemosynam tuba ca-

[1] Luc. XVII, 10. — [2] Isaï. XLIII, 26. — [3] Eccli. VII, 5. — [4] Paral. XXVI, 4.

nebant, et in jejuniis facies suas « Exterminabant, » qui precabantur in compitis, quibus rebus quid potest esse miserius, ubi post toleratos labores, omni præmio frustrabantur?

II. Quid facis, homo? Alii redditurus es rationem factorum tuorum, et alium testem citas eorum quæ facis? Alium habes judicem, et alium adhibes spectatorem? Non vides aurigas, qui universa civitate in sublimi sedente in equestribus ludis, totum stadii spatium percurrentes, ibi contendunt concertatorum currus subvertere : ubi imperatorem viderint sedentem, et inter tot spectantium vultus, unum oculum putant fide digniorem? At tu cum videas ipsum Angelorum regem tuo cursui agonothetam, hoc est certaminis judicem, præsidere, eo prætermisso ad conservorum fugis oculos? Atque ideo sane post innumeras luctas incoronatus recedis, post sudores plurimos absque præmiis venis ad agonothetam? At non talis erat Ozias, sed in conspectu Domini faciebat quod rectum est. Quî factum est igitur, ut post vitam tam perfectam supplantatus sit, conciderit que? Nam hoc et ipse demirans hæsito, quin potius nihil hic esse debet hæsitatione dignum, quandoquidem homo erat, res ad peccandum lubrica, et ad malitiam propensa. Neque id solum est difficile, verumetiam illud quod incedere jussi sumus per viam angustam, et utrinque præcipitiis terminatam. Proinde quoties et voluntatis facilitas, et vitæ difficultas in unum coëunt, ne postea mirare de lapsu. Quemadmodum enim in spectaculis qui per funem ab imo in altum tensum ascendere ac descendere meditantur, si paululum deflexerint oculos, inverso corpore deferuntur in orchestram, pereuntque : itidem qui per hanc incedunt viam, si vel paululum segniter egerint, præcipitantur. Et tamen hæc via tum angustior est, tum magis ardua, multoque excelsior, quam illa per funem, ut quæ sursum ad ipsum usque cœlum protensa est : ac tum nobis

majore cum periculo ponuntur vestigia, cum ad summum et ad ipsum usque fastigium accesserimus : nam in sublimi stantes multus occupat tremor, atque una tantum cautione tuti sunt a lapsu, ne deorsum aspiciant, neve in terram demittant oculos. Nam inde multa et gravis exoritur tenebricosa vertigo. Hanc quidem ob causam Propheta nobis assidue inclamat, dicens : « In finem ne corrumpas [1] : » animæ nostræ socordiam retrahens, jamque collapsuram suffulciens ac retinens. Initio quidem non egemus multa exhortatione. Quid ita tandem? eo quod quilibet homo etiamsi fuerit omnium pigerrimus, aggressurus negotium, plurimam in principio adhibet diligentiam, dumque et animi viget alacritas, et vires integræ sunt ac recentes, facile ad id quod propositum est pertingit : cæterum ubi major viæ pars nobis peracta est, jamque alacritatis vigor emarcuit, viresque nostræ defecerunt, nec aliud superest, quam ut decidamus : tunc nobis opportune adest Propheta, veluti pro baculo quopiam alloquium suum nobis porrigens ac dicens : « In finem ne corrumpas. » Tunc enim diabolus spirat vehementius. Et quemadmodum piratæ qui mare navigiis infestant, non tum ubi conspexerint naves e portu exeuntes, invadunt : quid enim hinc fructus caperent si scapham inanem demergerent? sed ubi redierit onusta plenaque sarcinis, tum demum omnes expediunt artes : ita sceleratus ille dæmon, simul atque videt aliquos multa collegisse, videlicet jejunia, preces, eleemosynam, castitatem, reliquasque virtutes omnes, ubi videt navigium nostrum plenum pretiosis pietatis lapidibus, tunc irrumpit, undique thesaurum perfodiens, ut in ipsis portus ostiis scapham demergat, jamque nudos nos ad eum portum ejiciat : ideoque Propheta cunctos admonet, dicens : « In finem ne cor» rumpas : » Etenim ab ejusmodi ruina non facile est re-

[1] Psal. LVI, 1, titulus.

surgere. Nam « Qui in profundum malorum venerit, » contemnit [1]. » In principio quidem lapsis veniam damus omnes ob imperitiam; sed cum qui post multos cursus conciderit, nemo venia dignum judicaverit; tum enim cadere, negligentiæ tribuitur. Nec id solum hic est mali, verumetiam quod hujusmodi lapsus multis sint offendiculo, ut rursus hoc quoque nomine peccatum reddatur irremissibile. Hæc cum sciamus, auscultemus Prophetæ, et in finem ne corrumpamus. Nam hac de causa et Ezechiel clamat, dicens : « Si quis fuerit justus, deinde lapsus peccaverit, » nulla erit recordatio justitiarum ejus, sed in peccato suo » morietur [2]. » Nam et hic metuit de fine. Neque hinc modo, verumetiam ex contrariis declarat in hac re plurimum esse momenti. « Si quis, inquit, fuerit peccator, ac » postea mutatus factus fuerit justus, nulla erit memoria » injustitiarum illius, in justitia sua vivet [3]. » Vides et hic Prophetam de fine vehementer sollicitum. Siquidem ut neque justitiæ suæ confidens Justus, ad socordiam versus pereat, per finem incutit illi terrorem : neque peccator ob delicta despondens animum, jugiter perseveret in lapsu, erigit illum per propositum finem. « Peccasti, inquit, multa, ne desperes : est enim unde resurgas, si finem initio contrarium exhibueris. » Rursus ad Justum : « Multa, inquit, recte fecisti, verum ne fidas : continget enim ut cadas, nisi ad finem usque eamdem adhibeas curam. » Vides ut alterius quidem socordiam, alterius vero desperationem sustulerit.

III. Nihil horum audivit Ozias, ideoque per confidentiam decidit ruina periculosa et insanabili. Neque enim quivis lapsus parem affert ruinam : sed quædam peccata improbationi tantum obnoxia sunt, quædam gravissimo supplicio puniuntur. Proinde Paulus increpans eos, qui in communibus cœnis non expectabant fratres, ita loquitur :

[1] Prov. xviii, 3. — [2] Ezech. iii, 20. — [3] Id. xviii, 21.

« Hoc denuntians non laudo [1]. » Vides peccatum intra reprehensionem consistere, et objurgatione plecti. At ubi de fornicatione loquitur, non itidem fecit. Sed quo pacto? « Si quis templum Dei violat, perdet hunc Deus [2]. » Hoc non est probrum aut reprehensio, sed pœna gravissima. Novit et Salomon peccatorum discrimina, qui furtum cum adulterio conferens sic alicubi loquitur : « Non est mirum » si quis deprehendatur in furto : furatur enim, ut animam » expleat esurientem : sed adulter, ob inopiam sensus, exi» tium animæ suæ conciliat [3]. » Et hoc et illud, inquit, peccatum est; sed alterum minus, alterum majus : pauper enim excusationem habet quod præbuerit occasionem peccandi penuria, alteri omnis adempta est excusatio. At hic dices : « Pellitur naturali concupiscentia. » At non permittit elabi uxor quæ illi sorte obtigit, sed instat eripiens illi veniam. Ob id enim matrimonium et hujus legitimus usus permittitur, ne quid horum excusare possit maritus. Hanc ob causam data est illi mulier adjutrix, ut effervescentem naturam coërceat, ut concupiscentiæ fluctus sedet. Itaque quemadmodum gubernator in portu faciens naufragium, haudquaquam ullam impetraret veniam : sic nec is qui cum per conjugium in tuto collocetur, tamen aliena perfodit matrimonia, aut quamcumque fœminam curiosis aspicit oculis, habere quidquam possit excusationis nec apud homines nec apud Deum, etiamsi millies allegarit naturæ voluptatem. Imo quæ possit illic esse voluptas, ubi metus, ubi anxietas, ubi tantorum malorum expectatio, ubi tribunalia, ubi rationes reddendæ, ubi judicis ira, ubi gladius et carnifex, ubi barathrum, et abductio ad supplicium? Omnia pavet metuitque qui talis est, umbras, parietes, ipsos lapides, tanquam vocem emittentes : omnes observat habetque suspectos, famulos, vicinos, amicos, hostes, eos

[1] Cor. xi, 17. — [2] Id. iii, 17. — [3] Prov. vi, 30 et 32.

qui norunt omnia, eos qui nihil norunt. Quin potius, si voles, tollantur hæc omnia : ponamus nulli notum esse flagitium præterquam ipsi uni, et mulieri, quam adulteravit : quomodo feret conscientiam redarguentem, acerbam accusatricem illam ubique secum ferens? Quemadmodum enim seipsum nemo potest effugere, ita nec illam hujus tribunalis sententiam. Hoc enim tribunal non pecunia corrumpitur, non adulationibus acquiescit; nam divinum est, et a Deo nostris insitum mentibus. Vere adulter, per inopiam sensus, exitium suæ ipsius animæ conciliat. Tametsi nec fur etiam immunis est a supplicio, verum dat quidem pœnam, sed minorem. Nec enim comparationes in diversum ordinem extrudunt ea quæ comparantur, sed permittentes suo quæque manere loco, diminutionem inducunt aut exuperantiam. Fortasse non intelligitis quod dictum est, itaque necesse est idem explanatius dicere : « Bonum est conjugium, sed melior est virginitas : nec quoniam melior est virginitas, ideo malum est conjugium, » sed illud quidem inferius, alioqui bonum et ipsum. Similiter et hic : « Malum est furtum, sed adulterio minus, quanquam et ipsum est malum. » Vides peccatorum differentias? Consideremus itaque quale peccatum hic peccaverit. « Elatum est, » inquit, cor illius. » Periculosum vulnus : est enim arrogantia, arrogantia, inquam, malorum omnium fons. Et ut compendio discas morbi malitiam, illud audi : « Cætera quidem peccata circa nostram versantur naturam, at superbia virtutem incorpoream e sublimi detraxit ac dejecit; nam diabolum, cum diabolus non esset, diabolum effecit arrogantia. Quod si testem adducam Esaïam ita de illo loquentem : « In cœ- » lum ascendam, et ero similis Altissimo [1] : » qui non libenter recipiunt allegorias, repudiabunt nostrum testimonium Sin vero Paulum illi adhibuerimus accusatorem, nemo

[1] Isaï. XIV, 13.

contradicturus est. Quid igitur ait Paulus Timotheo scribens? qui nuper prædicationem attigit, cum non oportere ad summam episcopi dignitatem evehi, his nempe verbis: « Non neophytum, ne in superbiam elatus, in judicium » incidat, et in laqueum diaboli [1], » ne eadem, inquit, peccans cum illo, eadem cum illo patiatur.

IV. Hoc vero non hinc solum est perspicuum, verumetiam ex iis quæ scelestus ille dæmon primo homini suasit. Sicut enim bonis hic mos est, per quæ ipsi facti sunt boni, ad eadem exhortari proximos : ita et malis hic est mos, per quæ ipsi sunt improbi, eadem vicinis invehere. Nam una hæc est illorum malitiæ species, ut aliorum perniciem solatium sui supplicii existiment. Quid igitur diabolus suasit Adamo? ut conciperet cogitationem sua natura majorem, sibique cum Deo speraret æqualitatem [2]. Si enim, inquit, hæc res me de cœlo expulit, multo magis eadem hunc ejiciet e paradiso. Quapropter et Salomon dixit: « Deus superbis resistit [3]: » non dixit : « Deus superbos dimittit, et in peccatis deserit, suoque nudat auxilio : » sed : « Adversatur, » inquit : non quod instructa acie aut pugna Deo sit opus adversus superbum, quid enim esse possit superbo infirmius? Nam ut qui orbatus est oculis, omnium expositus est injuriæ, ita et superbus qui non videt Dominum : « Nam initium superbiæ, ut inquit Scriptura, est » non nosse Dominum [4]; » etiam ab hominibus facile superatur, posteaquam excidit ab illa luce. Quod si etiam validus ac potens esset superbus, nihil opus esset Deo exercitu adversus illum : cui enim voluntas satis fuit ad producenda omnia, multo magis sufficeret ad ea tollenda. Cur igitur, inquies, resistit? Quod vehemens odium declaret erga superbum. Itaque superbiam esse vulnus periculosum, tum

[1] 1 Tim. III, 6. — [2] Gen. III, 5. — [3] Prov. III, 34. 1 Petr. V, et Jacob. IV. — [4] Eccli. X, 14.

ex his quæ diximus, tum ex aliis perspicuum est. Quod si vultis, etiam causam ipsam unde vulnus hoc accidit, aliunde discamus. Siquidem hic Scripturæ mos est, si quando parat accusare quempiam, non modo peccatum illius narrare, verumetiam docere nos quæ fuerit peccati causa. Id autem facit, ut eos qui sani sunt reddat tutiores cautioresque, ne in eadem incidant mala. Similiter et medici ad ægrotantes ingressi, etiam ante morbos fontes explorant, ut prævia cura coërceant malum : etenim qui, manente radice, ramos tantum exsecat, nihil aliud quam inanem sumit operam. Ubi igitur Scriptura et peccatum et peccati causam eloquitur? Reprehendit eos, qui præcesserunt diluvium, ob illicitos congressus : atque audi quomodo causam exprimat : « Cum vidissent filii Dei filias hominum esse formosas, » acceperunt illas sibi in uxores [1]. » Quid igitur? Num pulchritudo causa est peccati? Absit. Est enim divinæ sapientiæ opus, opus autem Dei nunquam possit esse causa peccati. Sed aspectus fuit causa peccati? Ne id quidem. Nam et hoc naturæ opus est. Sed quid tandem? Male videre : nam hoc est depravatæ voluntatis. Ideo Sapiens quidam admonet, dicens : « Ne consideres pulchritudinem alienam [2] : » Non dixit : « Ne videas : » id enim nonnunquam casu fit, sed « Ne consideres, » inquit, illud tollens, ne studio animadvertamus, ne curiose intueamur, ne vitiosæ contemplationi immoremur, quæ ab animo corrupto et concupiscenti proficiscitur. Sed quid, inquiet aliquis, hinc damni possit oriri? Ex hoc, inquit, amor velut ignis excitatur. Ut enim ignis, ubi fœnum aut stipulam arripuerit, nihil moratur, sed simul ut attigit materiam, lucidam accendit flammam : itidem et ignis concupiscentiæ, quæ est in nobis, simul atque per oculorum intuitum elegantem ac venustam attigerit formam, protinus exurit animum. Proinde ne

[1] Gen. VI, 2. — [2] Eccli. IX, 8.

spectes temporariam illam, quæ ex aspectu proficiscitur, voluptatem, sed perpetuum dolorem considera, qui nascitur ex concupiscentia. Nam illo inflicto vulnere plerumque celeriter avolat, at vulnus non avolat, sed plerumque manet et interficit. Et quemadmodum cerva confixa jaculo in letali corporis parte, etiamsi venatorum effugiat manus, nihil inde fert lucri : sic et anima, accepto concupiscentiæ jaculo e lascivo curiosoque aspectu, etiamsi dimisso jaculo permittatur abire, tamen ipsa per se corrumpitur ac perit, ubique videns hostem, et insequentem habens. Sed quod dicere cœperam : neque enim committendum est ut in hoc tam longas sermonis digressiones faciamus ; Scriptura cum peccatis simul et peccatorum causas solet commemorare : audi et hic quid dicat de Ozia. Neque enim hoc tantum nos docuit elatum fuisse cor ejus, verum addidit unde fuit elatum. Unde ergo elatum fuit ? « Cum potens esset, inquit, elatum est cor ejus. Non tulit principatus magnitudinem, sed sicut ex edacitate nascitur ignea inflatio, ex inflatione gignitur febris, deinde ex febri plerumque mors : itidem et hic, ex rerum abundantia nata est superbia. « Nam quod in corporibus est inflatio, hoc in animis est superbia; mox ex superbia nata est appetentia rerum ipsi non congruentium.

V. Hæc non sine causa diu tractamus, sed ne unquam existimetis esse suspiciendos, neque felices dicatis eos qui principatum gerunt, cum sciatis quam lubrico in statu versentur; nec unquam illos judicetis miseros, qui in egestate et afflictionibus vivunt, scientes hanc vitam esse multo tutiorem. Unde et Propheta clamat dicens : « Bonum est mihi, Domi» ne, quia humiliasti me [1]. » Vide igitur quantum ex eminentia » natum sit malum. « Elatum est, inquit, cor ejus usque ad » corruptionem [2]. » Quid est : « Usque ad corruptionem ? »

[1] Psal. cxviii, 71. — [2] 2 Paral. xxvi, 16.

Usque ad pravas cogitationes, quæ prorsus non ascendunt in animum nostrum, si nos ipsos multa cautione circumsepiamus : sed si negligenter egerimus, nascuntur in nobis, germinantque : sin prævertantur, protinus præfocantur et obruuntur. Aliæ gignuntur et augentur, atque ad pravas actiones procedunt, omnemque mentis nostræ sanitatem corrumpunt, si magna in socordia versemur. Hoc itaque dicit : « Elatum est cor ejus, » neque se intus continuit arrogantia, neque extincta est : sed ut prorupit, ad opus usque pravum progressa, totam illius virtutem corrupit. Beatitudo est igitur cogitationem improbam prorsus non admittere, quod et a Propheta dictum est : « Domine, non est elatum cor » meum [1] : » non dixit : « Elatum quidem est, sed illud cohibui : verum non est omnino elatum : hoc est, jugiter servavi animam meam inaccessam malitiæ. » Hoc igitur est beatitudinis : huic proximum illud est, malas cogitationes jam ingressas celeriter repellere, neque sinere ut illic diutius immorentur, ne in nobis pessime grassentur. Quod si eo usque socordiæ processerimus, est per Dei bonitatem et hujus socordiæ solatium, multaque ab illa summa et ineffabili bonitate talibus vulneribus parata sunt remedia. Sed age sermonem hunc missum faciamus, ne quod in initio verebamur, nunc accidat nobis, rerumque turba vestram obruat memoriam. Quapropter necessum est ut quæ dicta sunt, summatim paucis repetamus. Sic et matres facere, solent cum poma, aut bellaria, aut aliud simile quidpiam in puerilem immittunt sinum : ne per puerorum negligentiam excidat aliquid eorum quæ data sunt, contractam undique tuniculam cingulo subjiciunt, quo sint in tuto. Idem nos faciamus, orationem in longum porrectam contrahamus, memoriæque custodiæ deponamus. Audistis quomodo nihil agendum sit ad ostentationem, quantumque

[1] Psal. CXXX, 1.

sit malum socordia, ut etiam in perfecta vita versantem facile supplantarit. Didicistis quanta nobis opus sit cura, potissimum sub vitæ finem, utque nec desperandum sit ei qui, cum incidisset in peccata, mutatus est; neque oporteat eum, qui in socordia vivit, de recte factis confidere. Disseruimus vobis de differentia peccatorum, ne simus vehementer intenti ad eximias corporum formas : quantumque hinc oriatur mali, demonstravimus. Quæ de superbia vobis diximus meministis, quæque de pravis cogitationibus. Hæc servantes redeamus domum; quin potius hæc servantes excipiamus perfectiorem eximii doctoris exhortationem. Nam nostra quidem, qualiacumque sunt, habent juventutis indicia : hujus autem qualiacumque fuerint, cana quadam prudentia sunt ornata. Ac nostra quidem similia sunt torrenti, qui cum strepitu fertur; illius autem oratio similis est fonti magna tranquillitate fluvios effundenti, qui olei magis quam aquarum cursum imitetur. Excipiamus igitur ea fluenta, ut fiant in nobis fons aquæ salientis in vitam æternam : quam nobis omnibus contingat assequi, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri, simul cum sancto et bono Spiritu honor, gloria, et imperium, nunc et semper, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IV.

In dictum illud Esaïæ : Factum est anno, quo mortuus est Ozias rex, vidi Dominum sedentem in solio excelso et elato [1], *et laus civitatis Antiochiæ, et adversus eos qui prohibent nuptias, demonstratio divina.*

I. Præclarum nobis hodie theatrum adest, magnificus alacrisque cœtus. Quid tandem est in causa? Sementis heri factæ fructus, hodie messis est. Heri plantavimus, hodie metimus. Non enim terram inanimam colimus, ut tarde fructificet, sed animas ratione præditas. Non est natura, quæ cunctatur, sed gratia, quæ accelerat. Recte compositus nobis populus, audiendi studiosa plebs est. Heri vocati sunt, hodie coronantur. Admonitionis hesternæ fructus, hodiernum est obsequium. Unde nos quoque libenter semina jacimus, quia purum videmus arvum, non spinam quæ suffocat, neque viam quæ calcatur, neque petram sterilem, sed profundum ac pinguem agrum, qui simul et semen recipit, et spicam nobis exhibet. Hæc semper loquor, nec loqui desinam : hæc nostræ civitatis laus est, non quod senatum habeat, non quod consules numerare possimus, neque quod statuas complures, neque quod mercium copiam, neque quod situm habeat commodum : sed quod populum habeat audiendi studiosum, quod templa Dei plena, quod Ecclesiæ deliciæ magis crescant in dies, quodque sermonem habeat profluentem, desideriumque nunquam satiantem. Siquidem civitas non ab ædificiis,

[1] Isaï. VI, 1.

sed ab inhabitantibus admiranda redditur. Ne mihi narres Romanorum urbem magnitudine spaciosam esse; sed ostende mihi illic populum æque cupidum audiendi. Nam Sodoma turres habebant, cum Abraham in tugurio moraretur. Attamen venientes Angeli Sodoma præteribant, et ad tugurium divertebant [1]. Non enim ædium splendorem quærebant, sed animæ virtutem et pulchritudinem quærentes circumibant. Ita sane alias desertum habebat Joannem, civitas Herodem : eoque desertum nobilius erat civitate. Cur ita tandem? Quoniam non in structuris sita est prophetia. Hæc dico, nequando civitatem prædicemus, quæ moribus dissoluta est. Quid mihi narras ædificia? quid columnas? hæc una cum præsenti vita diruuntur. Ecclesiam ingredere, ut civitatis videas nobilitatem. Ingredere, inquam, vide pauperes a medio noctis usque ad lucem perseverantes, vide sacra pervigilia diem cum nocte copulantia : vide eos neque interdiu neque noctu vel somni tyrannidem ac violentiam metuentes, vel inopiæ necessitatem formidantes. Magna revera civitas, ac totius orbis metropolis. Quot episcopi, quot doctores huc venerunt, et a populo docti discedunt, ac legem illam insitam in se transplantare curant? Quod si mihi narres dignitates et opum abundantiam, a foliis, non a fructibus arborem laudas. Hæc autem loquor non assentans charitati vestræ, sed virtutem vestram prædicans. Beatus ego propter vos, beati vos propter vos ipsos : « Beatus qui loquitur ad aures »audientium [2]. » sic ego beatus factus sum. « Beati qui »esuriunt et sitiunt justitiam [3]. » Vides quomodo vos beati propter vos ipsos estis facti? Beatus est vir amans sermonum spiritualium. Hoc vos distinguit a brutis. Non enim nos ab illis separat corporis ratio, neque quod alimur aut bibimus, neque quod pascimur aut vivimus : hæc enim

[1] Gen. XVIII, 1, 2. — [2] Eccli. XXV, 12. — [3] Matth. V, 6.

omnia nobis cum brutis sunt communia. Sed qua re distinguitur a brutis homo? Sermone : et ob id animal dicitur λογικόν; hoc est, sermonis particeps. Ut enim aluntur corpora, sic aluntur et animæ : sed corpus pane, anima sermone. Proinde si videas hominem vescentem lapide, num illum dixeris esse hominem? Itidem si quem videris qui non alatur sermone, sed sermonis ac rationis inopia, dices : « Hic et hominis naturam amisit, » siquidem educatio declarat hominis nobilitatem. Quoniam igitur theatrum nobis plenum est, itemque mare pridem æstuans jam tranquillum, ac rursum pelagus, sedata tempestate, quietum ac placidum, age jam navem detrahamus, veli loco expandentes linguam, pro zephyro Spiritus gratiam invocantes, pro temone clavoque Cruce gubernatrice utentes. Nam mare quidem habet aquam salsam, hic autem est Aqua viva. Illic sunt animalia rationis expertia, hic vero animæ rationales. Illic qui navigant e mari in terram, hic vero qui navigant e terra in cœlum appellunt. Illic navigia, hic eloquia spiritualia. Illic in navi tabulæ, hic sermonum conventus. Illic velum, hic lingua. Illic zephyri flatus, hic Spiritus præsentia. Illic homo gubernator, hic vero gubernator Christus. Idcirco sane jactatur quidem navis, at non mergitur. Poterat quidem et in tranquillo navigare, verum non passus est gubernator, quo simul et navigantium perspicias tolerantiam, et gubernatoris prudentiam plenius cognoscas.

II. Audiant gentes, audiant Judæi beneſacta nostra, audiant magnam Ecclesiæ præeminentiam. A quam multis oppugnata est Ecclesia, nec unquam tamen victa? Quot tyranni? quot duces? quot imperatores? Augustus, Tiberius, Caius, Claudius, Nero, homines litteris ornati, potentes, tot modis oppugnarunt recentem ac teneram, et non radicitus sustulerunt. Quin potius ii, qui oppugnarunt, silentur oblivioni traditi; illa vero oppugnata cœlum trans-

cendit. Neque enim illud mihi spectato, quod in terris sita sit Ecclesia, sed quod in cœlo versetur. Unde hoc dilucidum est? Nimirum ipsæ res demonstrant. Oppugnati sunt undecim Discipuli, totus orbis oppugnabat : verum qui oppugnabantur, vicerunt; qui oppugnabant, sublati sunt. Oves devicere lupos. Vidisti pastorem oves in medium luporum emittentem, ut ne fuga quidem salutem consequerentur? Quis pastor hoc fecit? Christus hoc fecit, quo tibi demonstraret quæ recte geruntur non accidere secundum rerum seriem, sed præter naturam, præterque rerum seriem. Nam Ecclesia firmioribus quam cœlum ipsum radicibus hæret. Verum fortassis ethnicus arrogantiæ me condemnat : sed maneat donec harum rerum probationem attulero, discatque vim veritatis, quomodo facilius est solem extingui, quam Ecclesiam deleri. Quis, inquit, ista prædicat? Is qui eam fundavit. « Cœlum et terra transibunt, sed » verba mea non transibunt [1]. » Hæc non modo dixit, sed et complevit. Cur enim illam magis fundavit quam cœlum? siquidem est cœlo pretiosior Ecclesia. Quare conditum est cœlum? propter Ecclesiam, non Ecclesia propter cœlum. Cœlum conditum est propter hominem, non homo propter cœlum. Id perspicuum est ex iis quæ fecit Christus. Non enim cœleste corpus assumpsit. Verum ne in longum producto sermone, rursus hodie vobis debitores discedamus; scitis enim quam multa simus heri polliciti; persolvere parati sumus. Nam propter eos qui non aderant, distuleram. Quoniam igitur qui abfuerant, suo sunt officio perfuncti, suaque præsentia nobis mensam exhibuerunt sumptuosam, age apponamus obsonia, obsonia quidem haud putria : etsi enim hesterna sint, hæc obsonia non putrescunt. Quamobrem tandem? Non sunt carnes ut corrumpi queant, ed sententiæ semper florentes. Carnes enim quoniam

[1] Matth. xxiv, 35.

corpus sunt, corrumpuntur : contra sententiæ, si maneant, redduntur fragrantiores. Quid igitur erat quod heri diximus ? Siquidem et ita nos heri participes mensæ fuimus, ut qui non affuerunt, nihil detrimenti sint passi. « Et fac- » tum est in anno, quo mortuus est Ozias rex, vidi Dominum » sedentem in solio excelso et elato [1]. » Quis hæc loquitur ? Esaïas ille spectator cœlestium Seraphim, qui connubio junctus fuit, nec tamen extinxit gratiam. Attendistis Prophetæ, et audistis Prophetam hodie : « Exi tu et Jasub » filius tuus [2]. » Nec ista oportet prætercurrere : « Exi tu et » filius tuus. » Ita-ne filium habebat Propheta ? Si filium habebat, habebat et uxorem, ut intelligas non esse malas nuptias, sed malam esse scortationem. Sed quoniam cum quibusdam disserimus dicentes : « Cur non recte vivis ? Quamobrem non præstas vitam probam ? Quî possum, inquiunt, nisi divertam ab uxore, nisi vale dixero liberis, nisi valere jussero negotia ? » Quamobrem ? Num obstat matrimonium ? Adjutrix tibi data est uxor, non insidiatrix. Annon habebat uxorem Propheta ? Neque tamen Spiritus gratiæ obstabat conjugium, sed cum uxore convictum habebat, et erat nihilominus Propheta. Moyses nonne uxorem habebat ? Et tamen is petram dirupit, aërem immutavit, cum Deo colloquebatur, divinam iram cohibuit. Abraham nonne habebat uxorem ? Et tamen pater factus est gentium et Ecclesiæ, sustulit filium Isaac, et hic illi fuit egregiorum facinorum materia. Nonne obtulit filium, conjugii fructum ? Nonne factus est pater, et Dei amans ? Annon licuit videre sacerdotem e suis visceribus fieri ? Sacrificum, inquam, simul et patrem ? vinci naturam, vincere pietatem, viscera conculcari, piaque facta superare, patrem dejici, Dei amantem coronari ? Annon vidisti totum, et filii amantem et Dei ? Numquid hic obfuit matrimonium ? Quid autem Macha-

[1] Isaï. VI, 1. — [2] Id. VII, 3.

bæorum mater, nonne uxor fuit? nonne septem filios addidit Sanctorum choro? Nonne vidit illos martyrio coronatos? Nonne spectatrix astabat, tanquam mons quidam immobilis? Nonne astabat in unoquoque illorum martyrium patiens, et mater Martyrum, septies ipsa martyrium tulit? Dum enim illi torquebantur, illa plagam accipiebat. Neque enim sine dolore hæc excipiebat : mater erat, et naturæ illata vis propriam virtutem declarabat. At illa non vincebatur. Mare quidem erat et fluctus. Cæterum sicut mare cum insanit, sedatur : ita et natura commota, metu Dei refrenabatur. Quomodo eos unxit? quomodo eos aluit? quomodo septem templa Deo exhibuit? statuas aureas, imo potius auro pretiosiores?

III. Ut enim scias non tale esse aurum, qualis est anima Martyrum, attende. Stabat tyrannus, atque ab una muliere superatus discedebat. Ille armis oppugnabat, hæc animi vi superabat : ille fornacem incendebat, hæc virtutem Spiritus : ille exercitum movebat, hæc ad Angelos applicabat animum. Videbat inferne tyrannum, et in animo versabat illum in supernis regnantem; videbat infra se tormenta, at numerabat superna bravia ; videbat præsentem cruciatum, et cogitabat futuram immortalitatem. Quapropter et Paulus dicebat: « Non contemplantibus nobis » quæ videntur, sed ea quæ non videntur[1] : » num quid obstaculi afferebat matrimonium? Quid autem Petrus basis Ecclesiæ, ille vehemens amator Christi, ille sermone indoctus et rhetorum victor, ille imperitus, qui tamen philosophis obturavit os; ille qui græcanicam sapientiam quasi aranearum telam dissolvit; qui terrarum orbem peragravit; qui sagenam misit in mare et piscatus est orbem, annon habuit hic quoque uxorem? Sane habuit. Quod autem habuerit, audi Evangelistam testantem. Quid autem ait? « Ingres-

[1] 2 Cor. IV, 18.

» sus est Jesus ad socrum Petri febricitantem [1]: » Ubi socrus, ibi et uxor ; ubi uxor, ibi et conjugium. Quid autem Philippus ? nonne quatuor habebat filias [2] ? Ubi vero quatuor filiæ, illic et uxor et matrimonium. Quid igitur Christus ? Ex virgine quidem natus est: verum ad nuptias accessit, ac donum attulit. « Non habent, inquit, vinum [3] : » et aquam vertit in vinum, virginitate nuptias honorans, dono rem commendans : ut ne abomineris nuptias, sed oderis scortationem : meo quidem periculo ego spondeo tibi salutem, etiamsi uxorem habueris. Prospice tibi ipsi. Mulier, si proba fuerit, adjutrix tibi est. Quid igitur si non fuerit commoda ? Fac illam commodam. Annon fuerunt uxores bonæ ac malæ, ne haberes excusationem ? Qualis erat illa Job ? Sed Sarra erat bona. Ostendam tibi mulierem et malam et improbam. Non nocuit viro uxor Job : prava erat et improba, consilium debat illi ut blasphemias proferret. Quid igitur ? Labefactavit turrim ? Dejecit adamantem ? Superavit petram ? Depulit militem ? Comminuit scapham ? Eradicavit arborem ? Nihil horum, sed illa impellebat, et arbor reddebatur stabilior : illa fluctus excitabat, at navis non submergebatur, sed secundo navigabat vento : fructus ejus decerpebatur, et arbor commota non est : folia deciderunt, et radix mansit immota. Hæc loquor, ne quis prætendat uxoris improbitatem. Mala est ? corrige eam. Sed ais: « E paradiso me expulit : » Verum eadem te in cœlos induxit. Eadem quidem natura, mens tamen diversa. Sed illa Job erat mala ? verum Susanna bona : sed illa Ægyptia erat impudica ? verum Sarra erat modesta. Vidisti illam ? vide et hanc, quandoquidem etiam inter viros, hi quidem mali sunt, illi vero boni. Bonus erat Joseph, seniores autem impudici. Vidisti omnibus in rebus vitium ac virtutem non natura dijudicari, sed animo distingui. Ne

[1] Marc. I, 30. — [2] Act. XXI, 9. — [3] Joan. II, 3.

mihi prætexas excusationes. Sed ad eorum, quæ debemus, solutionem properemus : « Et factum est anno, quo mortuus » est Ozias rex. » Dicturus sum quam ob causam ipse Propheta designet tempus : siquidem quærebamus heri, quam tandem ob causam, cum omnes Prophetæ, atque hic quoque, tempus regum enarrare soleant quo vixerint, hoc loco ea consuetudo prætermissa sit. « Nec enim dicit: « In diebus Oziæ : » sed, « In morte Oziæ, » hanc quæstionem hodie solvere volo. Quanquam enim ingens est æstus, tamen major est sermonis refrigeratio : quanquam vis fit corpori fatiscenti, tamen anima vigens delectatur. Ne mihi narres æstum ac sudorem. Si sudaveris corpore, abstergis animam tuam. Tres illi pueri, qui erant in fornace, nihil detrimenti perpessi sunt, sed fornax illis fuit refrigerio. Cum cogitas sudorem, cogita simul et mercedem et præmium. Etenim urinator nullam aliam ob causam audet seipsum in profundum aquarum demittere, quam propter margaritas, bellorum causam. Quanquam non materiam reprehendo, sed mentem intemperantem. Et tu, ut accipias thesaurum deficere nescium, plantesque vitem in anima tua, non sustines æstum neque sudorem? Non vides istos qui sedent in theatro, quomodo sudent, nudoque capite solis radium excipiant, quo fiant captivi mortis, quo scorti mancipia? Ad exitium illi laborant, et tu ad salutem segnis ac remissus es? Athleta es, miles es. Quis igitur est ille Ozias, et quam ob causam mortem hanc illius expressit Propheta? Hic Ozias rex erat, ac vir justus, multis florens egregiis factis : verum postea tandem ad superbiam venit, ad superbiam, inquam, malorum matrem, ad arrogantiam tumultibus plenam, ad elationem, qua diabolus in exitium ruit. Nihil enim arrogantia pejus : ideo totum sermonem in hoc heri consumpsimus, superbiam eliminantes, et humilitatem docentes.

IV. Vis tibi dicam quantum bonum sit humilitas, et quantum malum arrogantia? Peccator Justum superavit, publicanus Pharisæum, et verba factis fuere superiora. Quomodo verba? Publicanus dicit : « Deus propitius esto »mihi peccatori [1]. » Pharisæus dicit : « Non sum sicut »cæteri homines, raptor, aut avarus :» sed quid? « Jejuno »bis in Sabbato, decimas do de facultatibus meis [2]. » Pharisæus opera justitiæ præstabat : publicanus verba dicebat humilitatis, et verba plus potuerunt quam facta, tantusque thesaurus exsufflatus est, et tanta inopia in divitias commutata. Venerunt duæ naves habentes onus; ambæ portum ingressæ sunt, sed publicanus pulchre in portum appulit : Pharisæus autem naufragium perpessus est, ut disceres quantum mali sit animi tumor. Justus es? ne deprimas fratrem tuum. Flores recte factis? ne probra jacias in proximum, tuasque laudes comprime. Quanto major es, tanto magis deprime teipsum. Attende quod dicitur, charissime. Magis justus metuere debet arrogantiam quam peccator : hoc heri dicebam, et hodie dico propter eos qui heri aberant, eo quod peccator habeat conscientiam ex necessitate humilem : justus autem ob benefacta extollatur. Quemadmodum igitur fit in navigiis, qui vacuam habent navem, non metuunt piratarum insultum : non enim veniunt ut conterant navem nihil vehentem : at ii qui navem habent onustam, metuunt piratas : nam pirata illuc properat, ubi aurum, ubi argentum, ubi lapides pretiosi. Sic et diabolus non facile peccatorem aggreditur, sed justum potius, ubi multæ sunt opes. Quoniam sæpe arrogantia ex insidiis diaboli oritur, vigilandum est. Quanto major es, tanto magis deprime teipsum. Cum ascenderis in altum, opus est ut tibi prospicias ne cadas. Quamobrem et Dominus nos dicit : « Cum omnia

[1] Luc. xviii, 13. — [2] Ibid. xi, 12.

» feceritis, dicite : Inutiles servi sumus [1]. » Quid efferris animo, cum sis homo, cognatus terræ, ejusdem substantiæ cum cinere, tum natura, tum animo, tum actionum delectu? Hodie dives, cras pauper : hodie sanus, cras ægrotus; hodie gaudes, cras doles; hodie in gloria, cras in ignominia; hodie juvenis, cras senex. Num aliquid in rebus humanis consistit, ac non potius amnium præterfluentium cursum imitantur omnia? nam simul atque apparuerunt, citius nos quam umbra relinquunt? Quid igitur altum sapis, homo, fumus et vanitas? « Homo enim » vanitati similis factus est [2], » veluti fœnum dies ejus. « Exaruit gramen, et flos ejus decidit [3]. » Hæc dico non ut substantiam deprimam, sed ut arrogantiam refrenem. Alioqui et magna res est homo, et pretiosa res vir misericors. Verum hic Ozias, cum esset rex diademate redimitus, quoniam erat justus, elatus est animo, majore spiritu concepto quam pro dignitate, ingressus est templum. Et quid dicit Scriptura? « Ingressus est Sancta » Sanctorum, aitque : Volo adolere incensum [4]. » Rex cum sit, sacerdotii principatum usurpat : « Volo, inquit, adolere » incensum, « quia justus sum. Sed mane intra tuos terminos : alii sunt termini regni, alii termini sacerdotii : verum hoc illo majus est. Neque enim ex his, quæ videntur, hic declaratur rex, neque e gemmis illi affixis, neque ex auro quo amictus est, debet æstimari rex. Ille quidem ea, quæ sunt in terris, sortitus est administranda : cæterum sacerdotii jus e supernis descendit : « Quæcumque enim » ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo [5]. » Regi ea, quæ hic sunt, commissa sunt, mihi cœlestia : mihi cum dico, sacerdotem intelligo. Itaque cum videris sacerdotem indignum, ne traducas sacerdotium. Non enim oportet

[1] Luc. XVII, 10. — [2] Psal. CXLIII, 4. — [3] Isaï. XL, 8. — [4] 2 Paral. XXVI, 16. — [5] Matth. XVI, 19.

damnare res, sed eum qui re bona male utitur : quandoquidem et Judas proditor fuit, verum non ob id accusatur ordo apostolicus, sed illius animus : nec crimen est sacerdotii, sed malum animi.

V. Et tu igitur ne sacerdotium vituperes, sed sacerdotem male re bona utentem. Etenim si quis tecum disputet, dicatque : « Vidisti illum Christianum ? » respondeto : « At ego non de personis, sed de rebus tibi loquor. Alioqui quot medici facti sunt carnifices, ac venena pro pharmacis dederunt? Non tamen artem vitupero, sed male utentem arte. Quot nautæ male demerserunt navigia? Verum non ars navigandi mala est, sed malus illorum animus. Si Christianus fuerit improbus, ne incuses dogma sacerdotii, sed re bona utentem male. » Regi corpora commissa sunt, sacerdoti animæ. Rex residua pecuniarum remittit, sacerdos autem residua peccatorum. Ille cogit, hic exhortatur : ille necessitate, hic consilio : ille habet arma sensibilia, hic arma spiritualia : ille bellum gerit cum barbaris, mihi bellum est adversus dæmones. Major hic principatus, propterea rex caput submittit manui sacerdotis, et ubique in Veteri Scriptura sacerdotes inungebant reges. Verum rex ille sua transiliens septa, modumque regni transgressus, conatus est aliquid addere, atque ingressus est templum cum auctoritate, incensum adolere volens. Quid igitur sacerdos? « Non licet tibi, Ozia, adolere incensum. » Vide libertatem, vide mentem servire nesciam, vide linguam cœlos attingentem, libertatem invictam, vide hominis corpus, et Angeli mentem : vide humi ingredientem, et in cœlo versantem. Vidit regem, non vidit purpuram : vidit regem, nec vidit diadema. Ne mihi dixeris esse regnum, ubi est legum transgressio. « Non licet tibi, rex, adolere incensum intra Sancta Sanctorum [1]. » Transcendis septa, quæris tibi non concessa : ideo

[1] 2 Paral. XXVI, 18.

quæ accepisti perdes. Non licet tibi adolere incensum, sed sacerdotibus istud datum est. Non tuum est hoc, sed meum. Num tuam usurpavi purpuram? ne usurpes meum sacerdotium. « Non licet tibi adolere incensum, sed tantum sa» cerdotibus filiis Aaron [1]. » Post multum temporis, jam defuncto Aaron, hoc accidit. Et quamobrem non dixit : « Sacerdotibus tantum, » sed et patris mentionem fecit? Accidit in illo tempore, ut tale quippiam fieret : Dathan enim, Abiron, et Core insurrexerant adversus Aaron : aperta est terra, ac devoravit illos [2] : venit ignis e cœlo, et exussit eos [3]. Volens igitur eum commonefacere illius historiæ, quod olim quoque sacerdotium aggressi sint, verum non succubuerit; sed adorta est multitudo, et Deus illam ultus est. « Non licet tibi adolere incensum, sed solis sacerdotibus » filiis Aaron. » Non dixit : « Cogita quid passi sint qui tunc illa patrarunt : » non dixit : « Cogita eos, qui insurrexerunt, combustos fuisse; » sed nominato Aaron, quem ultus est Deus, eum ad historiæ recordationem adduxit, his propemodum verbis utens : « Noli audere quæ ausus est Dathan, ne patiaris eadem, quæ tempore Aaron acciderunt. » Rex autem Ozias non sustinuit admonitionem, sed arrogantia inflatus ingressus est templum, aperuit Sancta Sanctorum, volens adolere incensum. Quid autem Deus? Ubi igitur sacerdos contemptus est, dignitasque sacerdotii conculcata, nec quidquam præterea poterat sacerdos : nam sacerdotis tantum est arguere, liberamque præstare admonitionem, non movere arma, non clipeos usurpare, non vibrare lanceam, nec arcum tendere, nec jacula mittere, sed tantum arguere, ac libere monere. Posteaquam igitur arguisset sacerdos, rex autem non cessisset, sed arma moveret, clipeos et hastas, suaque uteretur potentia, ibi sacerdos dicit : « Ego, inquit, quod erat mei officii præstiti, nihil amplius possum,

[1] 2 Paral. xxvi, 18. — [2] Num. xvi, 32. — [3] Psal. cv, 17, 18.

succurre sacerdotio, quod conculcatur, leges violantur, fas subvertitur. » Quid igitur ille hominum amator? virum audacem ulciscitur. « Et continuo efflоruit lepra in fronte illius [1]. » Ubicumque est impudentia, illic est ultio. Vidisti benignitatem ultionis divinæ? non fulmen emisit, non terram concussit, non commovit cœlum; sed efflоruit lepra, non in alio loco quam in fronte, ut facies præ se ferret vindictam, ut tanquam in cippo litteræ essent impressæ. Non enim propter illum factum est, sed propter eos qui in posterum sunt futuri. Cum enim posset pro meritis pœnam infligere, non inflixit, sed in fronte quasi lex posita est velut in loco sublimi, dicens : « Nolite facere talia, ne patiamini similia. » Exiit lex viva, et frons vocem edidit tuba clariorem : litteræ erant inscriptæ fronti, litteræ quæ deleri non poterant. Non enim erant atramento inscriptæ, ut aliquis posset delere, sed naturalis erat lepra, eumque reddebat immundum, ut alios faceret mundos. Et quemadmodum jure damnatos, posteaquam funem acceperint, educunt funem ore gestantes : sic et hic abducebatur, pro fune lepram in fronte gestans, eo quod sacerdotium affecisset contumelia. Hæc loquor non incessens reges, sed eos, qui arrogantia iraque sunt ebrii, ut intelligatis sacerdotium regno majus esse.

VI. Semper enim Deus, ubi peccavit anima, punit corpus. Itidem fecit et in Caïn. Anima peccaverat admisso parricidio, et corpus illius paralysi tactum est, idque jure optimo. Quamobrem? « Gemens ac tremens eris super terram [1]. » Et circumibat Caïn, omnibus loquens, silentio vocem edens, silentioque erudiens. Lingua tacebat, et cætera membra clamabant : cunctisque exponebat cur gemeret, cur tremeret : « Fratrem occidi, parricidium admisi. » Quod postea Moyses scripto narravit, ille rebus ipsis om-

[1] 2 Paral. xxvi, 19. — [2] Gen. iv, 12.

nibus loquens obambulabat : « Non occides [1]. » Vidisti os silens, et rem vociferantem? vidisti legem vivam ferri? vidisti cippum obambulantem? vidisti vindictam vindicta tolli? vidisti supplicium versum in eruditionis materiam? vidisti peccantem animam, et carnem dantem pœnas, idque admodum congruenter? Idem accidit in Zacharia; anima peccarat et lingua vincta est. Nam cum inutile redditum esset organum linguæ, ille, qui genuit Vocem (14), Zacharias punitus est [2] : sic nimirum et Ozias lepra in fronte correptus est, cum peccasset, ut ille eruditetur. Et egressus est rex, omnibus exemplum factus, purgatumque est templum, et ejectus est, nemine propellente, cumque sacerdotium sibi vellet sumere, et hoc quod habebat perdidit. Et exivit e templo. Vetus erat mos omnem leprosum e civitate ejicere [3], nunc vero non idem fit. Cur ita? Nam cum Deus veluti pueris leges ferebat, tum lepra erat corporis. Nunc autem animæ lepra quæritur. Exivit igitur rex cum lepra, nec tamen ejecerunt eum e civitate, diadema illius regiamque dignitatem reveriti : sed consedit in solio rursus legem transgrediens. Quid ergo Deus? irascens Judæis interrupit prophetiam. Hæc autem omnia dicta sunt propter verbum Prophetæ, ut exolvam quod debeo. Sed ad propositum redeamus. Egressus est e templo rex lepra correptus : cum igitur etiam ex urbe illum ejici de more oporteret ut immundum, intus illum populus sedere permittit : nec ullum vel exiguum vel magnum verbum emittit, quod libertatem loquendi præ se ferret. Quod igitur illum sinerent, aversatus est illos Deus, et gratiam interrupit prophetiæ; ac merito sane : nam quoniam legem ipsius violarant, et ejicere immundum timuerant, propheticum sistit donum : « Et verbum erat pretiosum tunc, non erat sermo vatici-» nans [4] : » hoc est, « Non alloquebatur illos per Prophetas

[1] Lev. xx, 13. — [2] Luc. i, 20. — [3] Num. v, 2. — [4] 1 Reg. iii, 1.

Deus, nec inspirabat in eos Spiritus per quem loquebantur, quia immundum penes se habebant : » neque enim solet immundos afflare Spiritus gratia. Propterea non aderat, non apparebat Prophetis, sed silet et occultat. Ut autem quod dico manifestum reddatur, illud exemplo declarabo. Perinde quasi quispiam erga alterum bene affectus, ab eo furiose fuerit offensus in re aliqua, et dicat illi : « Non amplius me videbis : non loquar tecum : » sic tum egit Deus. Quandoquidem enim non ejicientes Oziam illum irritarant, « Non amplius, inquit, Prophetis vestris loquor, non amplius Spiritus gratiam mitto. » Vide supplicium benignitate refertum. Non enim fulmina immisit, neque funditus urbem concussit; sed quid? « Non vultis me ulcisci? inquit, non colloquor vobiscum. Annon enim non poteram illum ejicere? verum quod restabat, vobis relictum esse volui. Non vultis? Neque ego colloquor vobiscum, neque excito Prophetarum animum. » Non agebat in eis Spiritus gratia, silentium erat, simultas inter Deum et homines. Cum igitur ille post esset mortuus, sublata est et impurorum occasio. Ergo ubi Propheta multo tempore desiisset prædicere, illoque silentio soluta fuisset ira Dei, rediit prophetia. Hinc Propheta necessario designat mortis tempus, dicens : « Et fac» tum est anno, quo mortuus est Ozias rex, vidi Dominum » sedentem in solio excelso et elato. » Cum ille mortuus esset, tum vidi Dominum. Nam antea Deum non videbam nobis iratum. Venit mors impuri, et solvit iram. Hanc ob causam, cum ubique regum vitam commemoret, hic mortem dixit Oziæ : « Factum est in anno, quo mortuus est » Ozias rex, vidi Dominum sedentem in solio excelso et ele» vato. » Ac rursus hic contemplare Dei bonitatem. Mortuus est impurus, et Deus reconciliatus est hominibus. Quamobrem hoc factum est, cum nihil esset recte factorum, sed tantum ille mortuus esset? Quoniam humanus

est Dominus, nec in talibus agit severius : unum tantum quærebat beneficus Deus, ut exiret impurus. Hæc itaque cum sciamus, arrogantiam abjiciamus, humilitatem amplectamur, solitam gloriam offeramus Patri et Filio et Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA V.

In dictum illud Esaïæ prophetæ : Factum est in anno, quo mortuus est Ozias rex, vidi Dominum [1] : *et demonstratio quod Ozias jure fuerit affectus lepra, quod præter dignitatem incensum obtulisset, id quod non licet regibus, sed sacerdotibus.*

I. Age expositioni de Ozia cœptæ hodie finem imponamus, fastigium sermoni jam addamus, ne quando nos quoque deridcamur, quemadmodum evangelicus ille, qui aggressus ædificare turrim, perficere non potuit : ne quis aliquando prætereuntium de nobis quoque dicat : « Hic » homo cœpit ædificare, nec potuit perficere [2]. » Verum quo vobis dilucidiora fiant quæ dicentur, ex iis quæ dicta sunt nuper operæ-pretium erit pauca repetere : ne capite truncatus sermo noster prodeat in spirituale theatrum, sed recuperata facie sua facile a spectatoribus possit agnosci. Id enim pariter ex iis qui audierunt, erit memoriæ renovatio, et iis qui non audierunt, doctrina. Nuper igitur diximus quam fuerit prius Ozias, et quomodo evaserit improbus, et

[1] Isaï. VI, 1. — [2] Luc. XIV, 30.

unde orsus, quo superbiæ prolapsus sit : hodie vero dicendum erit, quomodo templum ingressus sit, quomodo tentarit adolere incensum, quomodo prohibuerit illum sacerdos, quomodo ille non cesserit, quomodo in se provocaverit iram Dei, quomodo lepræ obnoxius vitam finierit, et quam ob causam Propheta, prætermissis vitæ illius diebus, mortis fecerit mentionem ita loquens : « Anno quo mortuus est » Ozias rex [1]. » Hæc enim causa fuit cur totam ab exordio historiam tractaremus, sed auscultate diligenter. « Et factum est, inquit, cum invaluisset Ozias rex, elatum est cor » ejus, usque ad corruptionem, et injuriam fecit in Domino » Deo suo [2]. » Quis injuriæ modus? « Ingressus est, inquit, » in templum Domini, ut adoleret incensum super altare » thymiamatis [3]. » O audaciam! o impudentiam! Adversus ipsa sacra adyta ausus, in Sancta Sanctorum irrupit, qui locus omnibus erat inaccessus, præterquam summo sacerdoti, hunc profanare conatus est. Talis est anima in arrogantiam sublata. Semel enim desperata salute nequaquam desinit furere : verum habenas salutis suæ laxans, irrationabilibus cupiditatibus quovis rapitur, nec aliter quam equus ferociens, ubi frenum ore, fessorem tergo excussit, fertur quovis vento velocius, omnibus obviis intolerabilis, diffugientibus cunctis, neque quoquam audente cohibere : sic et anima, ubi Dei timorem ipsam refrenantem excussit, et rationem habenas moderantem ejecit, ad quævis malitiæ loca decurrit, donec in exitii barathrum delata, præcipitarit suam ipsius salutem. Quapropter oportet assiduc illam refrenare, ac pietatis ratione ceu freno quodam irrationabilem illius impetum inhibere : quod non fecit Ozias, sed adversus ipsum omnium supremum principatum legem transgressus est. Siquidem sacerdotium principatus est, ipso etiam regno venerabilius ac majus. Ne mihi narres

[1] Isaï. VI, 1. — [2] 2 Paral. XXVI, 16. — [3] Ibid.

purpuram, neque diadema, neque vestes aureas, umbræ sunt isthæc omnia, vernisque flosculis leviora. « Omnis » enim, inquit, hominis gloria sicut flos fœni [1], » etiamsi ipsam gloriam regalem dixeris. Ne, inquam, mihi narres ista; sed si vis videre discrimen quantum sit regem inter et sacerdotem, expende modum potestatis utrique traditæ, videbis sacerdotem multo sublimius rege sedentem. Quanquam enim nobis venerandum videtur solium regium ob gemmas ei affixas, et aurum quo cinctum est : tamen rerum terrenarum administrationem sortitus rex est, nec ultra potestatem hanc quidquam habet auctoritatis : verum sacerdotii solium in cœlis collocatum est, et cœlestia administrandi habet auctoritatem. Quis hæc dicit? Ipse cœlorum Rex : « Quæcumque enim ligaveritis super terram, » erunt ligata et in cœlis : et quæcumque solveritis super » terram, erunt soluta et in cœlis [2]. » Quid cum hoc honore conferri possit? A terra judicandi principalem auctoritatem sumit cœlum. Nam judex sedet in terra, Dominus sequitur servum, et quidquid hic in inferioribus judicarit, hoc ille in supernis comprobat. Itaque medius stat sacerdos inter Deum et naturam humanam, illinc venientia beneficia ad nos deferens, et nostras petitiones illuc perferens, Dominum iratum reconcilians communi naturæ, nos qui offendimus eripiens ex illius manibus. Idcirco Deus ipsum regale caput sacerdotis manibus subjecit, nos docens hunc principem esse illo majorem. Siquidem id quod minus est, benedictionem accipit ab eo quod præstantius est. Verum de sacerdotio quantaque sit illius dignitas, alio tempore declarabimus. Interim consideremus quanta sit regis vel tyranni potius iniquitas. Ingressus est in templum Domini, ingressus est et Azarias sacerdos post eum. An temere dicebam sacerdotem rege majorem esse? Neque enim ut

[1] Isaï. XL, 6. — [2] Matth. XVIII, 18.

regem ejecturus, sed ut profugum, et ingratum famulum expulsurus cum vehementia ingressus est, non aliter quam generosus canis incurrit ad impuram bestiam, ut illam exigat ab ædibus herilibus.

II. Vidisti sacerdotis animum multa fiducia plenum, excelsique spiritus? Non aspiciebat principatus fastum, non expendebat quanta res esset animum cupiditate temulentum cohibere : non audiebat illud Salomonis : « Minæ » regis sicut ira leonis [1],» sed sublatis oculis ad verum Regem cœlorum, atque illud tribunal, easque pœnas considerans, et his cogitationibus sese muniens, impetum fecit in tyrannum. Noverat enim, noverat, inquam, certe, minas regis similes esse iræ leonis duntaxat iis qui terram spectarent. Verum homini, qui cœlum habebat præ oculis, quique sic induxerat animum, ut vitam citius in ipsis adytis deponeret, quam sacras leges sineret violari, quovis cane vilior erat ille. Nihil enim eo imbecillius, qui divinas conculcat leges, ut contra nihil potentius eo, qui leges divinas defendit. Nam « Qui peccatum committit, servus est peccati [2],» etiamsi decem millia coronarum habeat in capite : contra si quis justitiam operatur, ipso rege regalior est, etiamsi fuerit omnium infimus. Hæc ille præclarus apud sese philosophatus, adortus est regem. Ingrediamur et nos, si videtur, cum illo, ut videamus quid loquatur regi : licet enim; neque mediocrem afferet utilitatem, spectare regem a sacerdote redargui. Quid igitur dicit sacerdos? « Non licet » tibi, Ozia, adolere incensum Domino [3]. » Non appellavit eum regem, neque imperii titulum dedit, quia ipse præveniens sese dignitate dejecerat. Vidisti fiduciam sacerdotis? proinde disce et mansuetudinem. Non enim fiducia nobis tantum opus est in reprehendendo, verum multo magis opus est mansuetudine quam fiducia. Quia enim ne-

[1] Prov. xix, 12. — [2] Joan. viii, 34. — [3] 2 Paral. xxvi, 18.

minem mortalium sic aversantur oderuntque ii qui peccant, ut eum qui reprehensurus est : cupiuntque occasionem arripere, ut elabantur, et effugiant reprehensionem, necesse est ut eos mansuetudine humanitateque retineamus. Objurgator enim non solum cum vocem promit, verumetiam cum videtur, gravis est peccantibus : « Gravis » enim, inquit, nobis est etiam aspectu[1]. » Ideo plurimam mansuetudinem præstare oportet : ideo nobis sermo propheticus ob oculos posuit et eum qui peccavit, et eum qui ipsum corrigere parabat. Etenim sapientes medici cum membra putrefacta secturi sunt, aut lapides in meatibus affixos extracturi, aut aliud naturæ vitium correcturi, non id faciunt, eo qui laborat in angulum abducto, sed eo in mediis foris deposito, postquam ceu theatrum prætereuntium sibi pararunt, ita demum admovent sectionem. Hoc autem faciunt non quod velint humanas traducere calamitates, sed ut unicuique propriæ sanitatis commendent curam. Itidem et Scriptura facit, ubi quem arripuit peccantium, alta voce illum curandum proponit, non in mediis foris, sed in media terra : et posteaquam totius orbis circumsteterit theatrum, tum curationem adhibet, erudiens nos, ut circa propriam salutem cautiores simus. Videamus igitur quo pacto sacerdos tunc illum corrigere sit aggressus. Non dixit : « O impie! o sceleratissime ! omnia subvertisti confudistique, ad extremam impietatem prorupisti : » neque sermonem accusationis in longum produxit, sed quemadmodum ii qui secant, hoc breviter facere student, celeritate sectionis cruciatus sensum fallentes : itidem et hic asperitatem objurgationis paucis verbis constringens, regis iracundiam cohibuit. Quod enim est in iis qui laborant sectio, hoc est in iis qui peccant redargutio. Denique præter alia etiam ipsa brevitate sermonis, mode-

[1] Sap. II, 15.

rationem nobis exhibet. Quod si cupis verborum quoque sectionem videre, et ubi ferrum occultarit, audi. « Non » licet, inquit, tibi adolere incensum Domino, sed solis » sacerdotibus filiis Aaron consecratis [1]. » Hic inflixit vulnus. Quomodo? Ego dicam. Cur enim non simpliciter dixit: « Sacerdotibus: » sed addidit: « Aaron. » Is primus fuit pontifex, simileque facinus illius temporibus quidam ausi sunt. Dathan enim et Core et Abiron, conjurati adversus illum cum aliis aliquot, voluerunt et ipsi sacerdotium obire: sed alios quidem terra dehiscens absorbuit, alios vero de cœlo emissus ignis exussit [2]. Hujus ergo historiæ volens illum commonefacere, mentionem fecit Aaron, qui tunc fuit injuria affectus, ut ad calamitatem eorum qui fecerant injuriam, hujus cogitationem transmitteret. Cæterum nihil hæc profuere, non propter sacerdotem, sed ob regis ferociam. Cum enim debuisset laudare sacerdotem, proque consilio gratias agere: ille, inquit, indignatus est, et vulnus reddidit acerbius. Neque enim perinde mala res est peccatum, atque post peccatum impudentia. Atqui non eodem modo David, sed quomodo? Postquam a Nathan incusatus esset de Bersabee. « Peccavi, inquit, Domino [3]. »

III. Vidisti cor contritum? vidisti submissam animam? vidisti ut etiam lapsus Sanctorum sint egregii? Quemadmodum enim præclara corpora etiam in adversa valetudine, multa nobis formæ vestigia ostendunt: sic et Sanctorum animæ in ipsis etiam erratis suæ virtutis signa præ se ferunt. Et tamen ille in media regia accusabatur a Prophela, multis præsentibus; hic vero intus in adytis nullo teste redargutus est; verum ne sic quidem tulit increpationem. Quid igitur? insanabilis permansit? Nequaquam, propter Dei clementiam. Sed quemadmodum de lunatico,

[1] 2 Paral. xxvi, 18. — [2] Num. xvi, 32, et Psal. cv, 17, 18. — [3] 2 Reg. xii, 13.

cum Discipuli non valerent ejicere dæmonium, dicit Christus : « Adducite mihi eum huc [1] : » sic et hic, cum sacerdos non posset morbum quovis dæmonio sæviorem, nempe peccatum, ejicere, ipse Deus laborantem aggreditur : et quid facit? Lepram immittit fronti ipsius. « Factum est, inquit, » cum ille minaretur sacerdoti, lepra effloruit in fronte » ejus [2], » jamque exibat, sicut ii qui ad mortem abducuntur funem ore gestantes damnationis signum, sic et ille ignominiæ signum in fronte gestans, non carnificibus ipsum trahentibus, sed lepra loco carnificis ipsum præcipitem agente. Ingressus ut sacerdotium usurparet, etiam regnum perdidit. Ingressus est ut fieret venerabilior, et factus est execrabilior. Nam cum immundus esset, quovis homine privato posthac vilior erat : adeo res est mala non manere intra fines nobis a Deo præscriptos, sive honoris, sive cognitionis res fuerit. Nonne vides hoc mare quam est ob violentiam intolerabile, quantis insurgat fluctibus : attamen posteaquam vehementer insurrexit, multoque cum tumore progressum est, ubi venerit ad terminum ipsi a Deo præscriptum, fluctibus in spumam solutis, in sese redit. Et tamen quid arena possit esse infirmius? verum non illa est quæ prohibet, sed ejus metus qui terminum posuit. Quod si hoc exemplum non te revocat ad moderationem, quæ Oziæ acciderunt erudiant te, quæ nunc a nobis dicta sunt. Verum quoniam iram Dei vidimus, dignamque ultionem, age et humanitatem ejus multamque æquitatem commonstremus. Neque enim ea tantum dicenda sunt, quæ pertinent ad iram, verum etiam quæ ad mansuetudinem, ut neque in desperationem conjiciamus auditores, neque in socordiam. Sic enim et Paulus facit, ex utraque temperans admonitionem : hunc in modum loquens : « Vide » igitur bonitatem ac severitatem Dei [3], » quo simul et ter-

[1] Matth. XVII, 16. — [2] 2 Paral. XXVI, 19. — [3] Rom. XI, 22.

rore et bona spe excitet eum qui lapsus est. Vidisti severitatem Dei? vide et bonitatem. Quomodo igitur videbimus bonitatem? Si cognoverimus qua re dignus fuerit Ozias. Quibus igitur erat dignus? Ut simul atque intra sacrum vestibulum tanta cum impudentia irrupisset, mille fulminibus, extremo supplicio cruciatuque afficeretur. Si enim illi qui hæc primum sunt ausi, hanc dedere pœnam, videlicet Dathan, Core et Abiron [1], multo magis hunc ad eum modum puniri oportuit, qui ne illorum quidem calamitatibus fuerit castigatus. Verum hoc non fecit Deus, sed prius illi sermones admovit per sacerdotem, multa plenos humanitate : quodque Christus adhortatus est, ut facerent homines quoties in se invicem peccaverint, hoc Deus fecit erga hominem. Nam ait : « Cum peccaverit in te frater » tuus, abi, argue eum inter te et ipsum solum [2]. » Sic et regem hunc redarguit Deus. Et Christus quidem dicit : « Si » te non audierit, sit tibi velut ethnicus et publicanus [3] : » at Deus clementia proprias supergrediens leges, nec sic quidem illum resecuit, nec audire nolentem indignantemque dejecit, sed iterum aggreditur castigatque modo correctionem habente potius quam ultionem. Neque enim fulmen vibravit e sublimi, neque exussit impudens caput, sed tantum lepra castigavit. Atque ea quidem quæ Oziæ acciderunt, sic habent : ergo vero si unum quiddam adhuc addidero, dicendi finem faciam. Quid autem hoc est? Quod pridem ab initio quærebamus, cur cum in rebus externis inque prophetiis, omnes soleant designare tempora vitæ regum, hic eo prætermisso, tempus sumat quo mortuus sit Ozias, ad hunc loquens modum : « Et factum est anno, » quo mortuus est Ozias rex. » Et tamen poterat regis tum regnantis tempus exprimere, quemadmodum omnibus Prophetis mos erat. Verum id non fecit. Quam ob causam

[1] Num. xvi, 32. — [2] Matth. xviii, 15. — [3] Ibid.

igitur non fecit? Mos erat vetus leprosum e civitate expellere, ut et hi qui in civitate vivebant melius haberent, et ipse leprosus non esset iis, qui contumeliam inferre vellent, scommatum, ac derisionis occasio : sed ut extra civitatem commorans, solitudinem veli loco haberet obtentam adversus injuriam calamitatis. Hoc et regem hunc perpeti oportuit post lepram ; sed non perpessus est, iis, qui in civitate erant, illum ob principatum reverentibus, verum manebat domi suæ clanculum. Hoc ad iracundiam provocavit Deum, hoc prophetiam inhibuit : quodque tempore Heli factum est, verbum pretiosum erat, nec erat visio distinguens[1]. Tu vero mihi hic quoque considera Dei humanitatem. Non enim subvertit civitatem, neque perdidit inhabitantes, sed quod amici faciunt erga æquales amicos, quoties habent aliquid quod merito expostulent, obiter silentio ferunt expectantes : hoc et Deus erga gentem facit majore pœna supplicioque dignam. « Nam ego quidem, inquit, ejeci illum e templo, vos autem ne e civitate quidem : ego illum vinctum lepra, ita privatum reddidi; vos autem ne sic quidem validiores evasistis, sed a me condemnatum non sustinuistis e civitate propellere : » tametsi quis rex factum hoc patienter tulisset, neque civitatem funditus subvertisset, cum videret eum, qui in exilium ire jussus esset, in civitate commorari ? Verum Deus hoc non fecit : Deus enim erat, non homo. Ubi vero finita est hujus vita, simul et iram adversus illos deposuit, prophetiæque fores aperuit, ac rursus ad eos rediit. Tu vero ex reconciliationis modo considera Dei indulgentiam. Nam si quis expenderit justitiæ rationem, ne tum quidem reconciliari debuit. Quam ob causam? Quia non illorum opera ejectus est Ozias. Neque enim illi arreptum abegerant, sed mors naturæ lege superveniens eum tunc e civitate ejecit. Verum erga nos

[1] 1 Reg. III, 1.

Deus non minimarum rerum usque adeo rationem habet, sed tantum hoc quærit, modum sese nobiscum reconciliandi. Proinde super his omnibus gratias agamus illi, glorificemus illius ineffabilem benignitatem, qua nos omnes dignos haberi contingat, gratia et misericordia unigeniti Filii ejus Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patri gloria, honor et imperium, simul cum Spiritu sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VI.

In propheticum dictum illud : Ego Dominus Deus feci lumen, et tenebras : faciens pacem, et creans mala[1].

I. Pauca[2] sunt quidem dicta, sed dulcis fons mellis est, mellis quod fastidium minime parit. Nam hoc quidem mel sensile voluptatem in lingua finit, et in corruptionem abit : mel vero doctrinæ conscientiam afficit, eamque perpetua lætitia perfundit, et ad immortalitatem nos deducit. Atque illud quidem ex herbis componitur, hoc autem ex divinis Scripturis texitur : hoc vos hodierno die complevit is, qui præclare dixit, et obedientiæ præmium reportavit, ac vim charitatis, et fidei nobilitatem ostendit. Age ergo nos quoque multa cum alacritate solitam mensam vobis rursum apponamus : non enim mediocriter gaudemus, quod cum adeo celebres sint ludi circenses, illa ludicra occupatione contempta huc tanta multitudo confluxerit. Quocirca nos etiam multa cum liberalitate craterem sta-

[1] Isaï. XLV, 6, 7. — [2] Vide D. Guillon, tom. XII, pag. 85-97.

tuimus, craterem qui ebrietatem minime gignit, sed temperantiam parit. Tale namque Scripturarum est vinum, talia mensæ sunt istius obsonia, pinguem et obesam carnem non reddunt. Et hæc dicimus, non ut ignominia carnem afficiamus, sed quod animæ nobilitatem pluris æstimemus: neque vero usum rejicimus, sed excessum reprimimus, si enim philosophemur, ita philosophandum est, ut hæreticorum linguis ansam non demus. Nam hoc quidem corpus minus est anima, contrarium vero non est animæ: sed simplex est quidem illa, verum corporis cupiditatibus famulatur. Deus enim artifex præstantissimus non ex una et duabus et tribus substantiis hoc universum constituit, sed varias ac distinctas invexit naturas, ut abundantiam sapientiæ suæ in diversitate rerum ostenderet. Non enim cœlum condidit solum, sed et terram: non terram solum, sed et solem: non solem modo, sed et lunam: non lunam solum, sed et stellas: non stellas solum, sed et aërem: non aërem solum, sed et nubes: non nubes solum, sed etiam æthera: non æthera solum, sed etiam lacus, fontes, fluvios, montes, valles, colles, prata, hortos, semina, plantas, herbarum varia genera, formasque diversas, vires diversas, ac diversas naturas cernere poterit, si quis mundum undique lustrarit, et si totum orbem terrarum cogitatione percurrerit, cum Propheta in has voces erumpet: « Quam » magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia » fecisti[1]. » Itaque si theatrum spectare cupis, ad hoc spirituale satanico illo derelicto veni: si lyram cupis audire, illo concentu dimisso, et excitato mentis tuæ robore ad hanc veni, quæ animum tuum erigit, mentemque confirmat. Vide ut soni diversi, chordæque distinctæ, summo opifici Deo unum et suavissimum undique concentum emittant. Ceu enim quidam sonus spiritus, ex differentibus so-

[1] Psal. CIII, 24.

nis conflatus unum habet concentum glorificationem, qua celebrat Conditorem : et sonant quidem separatim chordæ singulæ, sonant autem et inter se conjunctæ. Atque ut intelligas quo pacto separatim sonent, cœli chordam cogitatione pulsato, tum ingenti edito sono audies eam Deo laudem offerre. Quod cum animadvertisset Propheta dixit : « Cœli enarrant gloriam Dei, opus autem manuum ejus an-» nuntiat firmamentum [1]. » Ab illa chorda ad diei noctisque chordam descende, tum et hos lyra quavis et cithara suaviores emitti sonos videbis, præsertim vero cum affuerit qui chordas istas pulsare noverit. Quonam autem pacto sonant? dicet aliquis. Cœlum non os movet, neque linguam, neque palatum, neque dentes, neque labra : quomodo ergo vox oritur? Quomodo autem dies loquitur? neque enim hæc vocalia sunt instrumenta : sed cursus solis et lunæ dies est et nox, temporisque progressus. Ne igitur ex crassioribus aliquis his auditis commoveatur, ac perturbetur, audi quo pacto his, quæ dicta sunt, addere majora contendit Propheta. Cum enim cœlos Dei gloriam enarrare dixisset, et diem diei verbum eructare, noctemque nocti scientiam indicare, non hic substitit, sed adjecit : « Non sunt loque-» læ, neque sermones, quorum non audiantur voces eo-» rum [2]. » Horum autem verborum hic sensus est. Non solum vocem habent dies, et nox, et cœlum, sed et vocem ejusmodi, quæ insignior, clarior, et acrior sit humana. Quo tandem pacto? audi ipsa ejus verba. « Non sunt loquelæ, » neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. » Quid igitur hoc est? encomium vocis, laus soni hujus. Vox enim mea nota est illi, qui eadem mecum lingua loquitur, ei vero qui diversa, non item. Exempli causa, si græca lingua loquar, et vocem hanc noverit aliquis, ille me audiet : Scytha vero, Thrax, Maurus, aut Indus non item :

[1] Psal. xviii, 2. — [2] Ibid. 4.

quippe quod linguæ discrimen impediat, ne illi sermo meus innotescat.

II. Rursus ego, si loquatur Scytha vel Thrax, audire non potero, neque alter linguam alterius: in cœlo autem, in nocte ac die locum id non habet: sed ejusmodi vox illorum est, ut ab omni lingua, ab omni loquela possit audiri, eique clara sit et perspicua. Propterea cum cœlos Dei gloriam enarrare dixisset, et diem diei verbum eructare, adjecit: « Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non » audiantur voces eorum. » Quæ verba talem sententiam habent: « Talem habent loquelam, talemque vocem habent dies, nox et cœlum, omnesque creaturæ, ut ab omnibus loquelis, hoc est ab omnibus linguis, ab omnibus gentibus vox eorum audiatur. Non enim est loquela, inquit, hoc est, non est gens, non est vox, ubi vox cœli non audiatur: sed et Scytha, et Thrax, et Maurus, et Indus, et Sauromata, et loquela omnis, et lingua omnis, et gens omnis hanc vocem poterit exaudire. » Quo tandem pacto? Hoc jam audi, ut intelligas qua ratione cœlum tacendo loquatur. Cum enim videris ejus pulchritudinem, magnitudinem, situm, perpetuitatem, splendorem, et hæc omnia colligens apud te Conditorem glorificaveris, Creatorem laudaris, tum vocem emisit cœlum, et per linguam Deo gloriam laudemque detulit. Atque hoc illud est quod dixit: « Cœli enarrant gloriam Dei. » Quo tamen modo? dum sui splendoris pulchritudine spectatorem in admirationem traducunt Conditoris. Cum enim conspecto tanto opere dixeris: « Gloria tibi Deus, quale corpus condidisti, et in medio constituisti? cœli gloriam istam detulerunt, et tua lingua utentes per aspectum admirationem exhibuerunt. » Ita silentes gloriam et honorem Deo deferunt, et hanc vocem audiunt omnes. Quando enim hæc percipi auditu non possunt, sed aspectu et contemplatione, aspectus porro unus

est omnibus, tametsi lingua sit differens, et barbarus, Scythæ, Thraces, Mauri, et Indi vocem istam audiunt, hoc est miraculum cernentes, pulchritudinem obstupescentes, splendorem, magnitudinem, alia omnia, quæ ad cœlum pertinent, qui recta sapiunt, gloriam et laudem offerunt Deo. Idipsum et de die, atque nocte dici potest. Ut enim hoc pulchritudine, situ, magnitudine, splendore, temporis perpetuitate, usu, efficacitate, cæteris omnibus spectatorem ad admirationem traducens efficit, ut gloriam et honorem Conditori deferamus: ita nox et dies. Cum enim rectum horum temporum ordinem videris, et quo pacto penso suo absoluto dies noctem e suis propellere limitibus non contendit, nec ullam præ se fert res alienas usurpandi cupiditatem: neque propterea quod ipsa splendidior est, totum occupare tempus conatur, sed recedit: eodemque modo rursus nox, suo confecto cursu, diei cedit: et hoc per tot annos factum est, nec ulla confusio vel perturbatio visa est, et nec ista illam ejecit, neque illa hanc fraudavit; tametsi splendidior una, et obscurior est altera; rursus rectum ordinem miratus non Deo gloriam et honorem offeres? Et quemadmodum sorores duæ benevole erga se invicem affectæ, paternam hæreditatem in libra et bilance partiuntur, et ne minima quidem re ulla altera alteram fraudat: sic nimirum et nox et dies toto tempore inter se diviso, dum ne minima quidem ejus parte se invicem fraudant, tantam æqualitatem observant, quantam usu et experientia didicistis. Audiant avari, et qui hæreditate spoliant fratres: rectum ordinem temporum revereantur, ac noctis et diei concordiam, et suum vitium corrigant. Sic igitur dies diei verbum eructat, et scientiam nocti nox indicat, non vocem mittentes, sed dum recto suo ordine ac dispositione, et æquabilitate, ac mensura ab omni obstaculo libera tuba clarius prædicant Creatorem, non in uno terra-

rarum orbis angulo, sed in omnibus, quas sol aspicit, regionibus. Hæ siquidem voces per universum mundum feruntur, quandoquidem ubique cœlum est, ubique dies, ubique nox, suamque doctrinam et in terra explicant et in mari. Quocirca non dixit Propheta simpliciter: «Cœli loquuntur gloriam Dei, » sed «Enarrant, hoc est, alios etiam instruunt, ac pro discipulis habent universum genus humanum, et in medio proposita maxima schola librorum ac litterarum loco naturæ suæ pulchritudinem idiotis, sapientibus, et omnibus contemplandam præbent, et tanquam in libro insidentem ipsis de Dei sapientia ac virtute doctrinam. Sic etiam homines non loquentes, sed vel tacentes per alios Deum glorificant; ideoque dicebat Christus: «Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera »vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis »est [1]. » Ut igitur cum quis vitam lucentem videt, etiam illo tacente qui vivit, gloriam et laudem offert Deo: sic nimirum et is qui cœli pulchritudinem intuetur, glorificat Conditorem. Propterea dicebat: « Cœli enarrant gloriam »Dei, » per spectatores: « Dies diei eructat verbum, et »nox nocti indicat scientiam [2]. » Scientiam, quamnam? illam nimirum de Conditore. Ut enim dies ad operationem hominem educit, ita succedens nox ab innumeris illi requiem dat laboribus, cum eum levat, oculos fatiscentes consopit, palpebras comprimit, efficitque ut, instauratis viribus, radios solis rursus excipiat. Itaque non exigua hujus quoque est utilitas, imo etiam magna. Nisi enim succedens innumeris a laboribus homini requiem aliquam daret, nihil dies illi prodesset, quæ ad operationem illum eduxit: quippe natura deficiente, laborum continuitate confectum animal istud periret, nec ullam ei lucis usura commoditatem afferret. Ea igitur est præsertim, quæ diem homini uti-

[1] Matth. v, 16. — [2] Psal. xviii, 3.

lem reddit, quæ ministerio suo ad cognitionem Dei provehit eum, qui chorea ipsius perfruitur. Cum enim apud se perpenderit quispiam quanta diei sit utilitas, quanta noctis, et quo pacto hæc illi succedit, et variatis vicibus velut in choro quopiam alternatim sibi succedentes nostrum genus conservant, quamvis omnium hominum stupidissimus fuerit, excitata sua ratione summi opificis Dei sapientiam nosse poterit, quam per diem ac noctem ostendit, dum illam nobis ad operationem, hanc ad laborum relaxationem attribuit.

III. Verum ad hæc omnia dicenda jam inde ab orationis exordio digressi sumus : quoniam autem ex his quæ hodierno die lecta sunt, nonnulla multos ex iis, qui minus animum attendunt, forte perturbaverunt, eosque, qui in Scripturis parum versati sunt : age magna animi propensione ac studio gradum ad ista faciamus. Lecta enim est etiam narratio de muliere, quæ sanguinis fluxum patiebatur, quæque fontem sanguinis tactu repressit, ac fidei virtute tantum thesaurum deprædata est, furtum enim fuit illud factum, sed laude dignum, et ubi deprehensa quæ rapuerat, commendata est : quippe Jesus, ipse qui furtum passus erat, mulierculam collaudavit [1]. Lecta sunt etiam stigmata Pauli [2], vulnera, carceres, abductiones ad judicia, naufragia, vincula, catenæ, insidiæ diversæ ac continuæ, quotidianæ mortes, fames, sitis, nuditas, instantia quotidiana. Sed quid faciam? magno cum impetu me proripiens hinc aufugiam necesse est, ne rursus nos detinens Paulus a proposito argumento abducat. Nam ut scitis, sæpumero alibi me incedentem et conversum occurrens in medio sermone detinuit, et ita cepit, ut in ipso finire sermone suaderet. Ne igitur id hodie quoque nobis accidat, tanquam violenter injecto freno illuc tendenti orationi, sic illam trahamus et ad hoc dictum propheticum reducamus.

[1] Matth. IX, 20-22. — [2] Galat. VI, 17.

Quodnam igitur illud est? « Ego Dominus, inquit, qui feci »lucem et tenebras, faciens pacem, et creans mala[1]. » Videtis non temere neque frustra nos ad hunc locum instituisse cursum; verum, omnibus prætermissis, huc pervenire studuisse? Neque enim mediocrem ei, qui minus attentus fuerit, perturbationem afferunt ista. Quamobrem attendite, quæso, animum, et aures erigite, ac sæculari omni rejecta sollicitudine, quæ dicuntur advertite. Hanc enim jam vobis cupio mercedem vestri huc adventus persolvere, ac spiritualibus exsaturatos eduliis ita domum vos remittere, ut qui abfuerunt, quantam jacturam fecerint reipsa discant. Scient autem, si cum attentione quæ dicemus exceperitis, atque ad illos transmittere potueritis. « Ego Dominus »Deus, qui feci lucem et tenebras, faciens pacem, et »creans mala. » Assidue dictum istud repeto, ut in vestris animis defigatur, ac deinde solutio adhibeatur. Neque vero solus hoc iste dicit, sed et alius concinens huic Propheta dicebat: « Si est malitia in civitate, quam non fecit Domi»nus[2]. » Quid ergo sibi vult quod dictum est? unam enim omnibus oportet solutionem adhibere. Quænam igitur est solutio? Si vim dictionum illarum didicerimus. Verum attendite diligenter: non enim temere, nec frustra vos ad hoc assidue cohortamur, sed quoniam jam ad abstrusas gravesque sensentias gradum facimus. Rerum aliæ quidem bonæ sunt, aliæ malæ, aliæ mediæ, quarum nonnullæ multis malæ videntur, licet non sint, sed dicuntur tantum et existimantur. Sed ut quod a me dicitur dilucidius fiat, age firmatum exemplis sermonem instituamus. Paupertas multis quidem malum videtur, verum non est: quin etiam si quis providus sit et sibi attentus, mala tollendi vim habet. Divitiæ rursus bonum quidem videntur esse, tamen absolute bonum minime sunt, nisi quis, ut oportet, iis utatur.

[1] Isaï. XLV, 7. — [2] Amos III, 6.

Nam si absolute bonum essent divitiæ, bonos esse oporteret qui eas possident : sin autem non omnes divites virtute sunt præditi, liquet divitias simpliciter ac per se bonas non esse, verum in medio positam materiam quamdam esse virtutis. Sic autem rem expende. Sunt in corpore qualitates, quas qui habent tales ab iis appellantur. Exempli causa : candor substantia non est, sed qualitas, et accidens quod advenit substantiæ. Ergo si cui adnascatur hoc, candidum ejusmodi hominem appellamus. Est præterea ægritudo et ipsa qualitas quædam et accidens, ac si cui adveniat, talem ægrotum vocamus. Si ergo divitiæ virtus essent, cum qui divitias possidet, virtute præditum esse oporteret ac dici : quod si non omnino virtute præditus est dives, non simpliciter aut virtus aut bonum sunt divitiæ, sed id fiunt, prout affectus fuerit ejus animus qui eis utitur. Rursus paupertas si malum esset, omnes qui in paupertate degunt, oporteret esse malos : sin autem multi pauperes cœlum occuparunt, non est utique malum paupertas.

IV. Quid quod multi propter paupertatem blasphemant? dicet aliquis. Non propter paupertatem, sed propter insaniam suam et pusillanimitatem id agunt. Atque hoc ex beati Job exemplo patet ; qui cum ad extremam paupertatem redactus esset, et ad ipsum paupertatis barathrum devolutus, non solum non blasphemavit, sed Deum benedicere non cessavit, his verbis : « Dominus dedit, Dominus abstu» lit : sicut Domino placuit ita factum est : sit nomen Do» mini benedictum in sæcula[1]. » At enim ob divitias etiam multi rapiunt et aliena invadunt : verum non ob id divitias fit, sed ob ipsorum stultitiam : atque hujus rei testis nobis erit hic ipse vir, qui cum tot opibus abundaret, non modo res aliorum non rapuit, sed etiam propria erogabat, et peregrinis portum parabat, sic dicens : « Domus mea omni

[1] Job. 1, 21.

» peregrino patuit[1]. » Abraham quoque, cum tot opes possideret, in prætereuntes omnia expendebat, et neque hunc neque illum fraudatorem aut avarum divitiæ reddiderunt, ut neque blasphemum paupertas aut illum aut Lazarum: sed cum neque necessaria utrique suppeterent alimenta, sic illustres fuerunt, ut alter Dei, qui arcana clare novit, testimonio commendaretur: alter autem ab Angelis antecedentibus hinc auferretur, et contubernalis fieret Patriarchæ, iisdemque bonis quibus ille frueretur. Itaque mediæ res sunt istæ, paupertas et divitiæ, sanitas et morbus, vita et mors, gloria et honor, servitus et libertas, et quæcumque sunt ejusmodi : non enim omnia sunt percurrenda, ne prolixior fiat oratio, sed vobis ex his data occasione, ad ea quæ nos urgent, dicenda pergendum est. « Da enim, in» quit, sapienti occasionem, et sapientior erit[2]. » Igitur res mediæ sunt hæc omnia : sic ut his in bonum et in malum homines uti possint. Quod enim hæ res sint mediæ, ut divitiæ, ostendit Abraham, qui ut opus erat ipsis est usus : ostendit et ille qui Lazari vixit ætate dives, qui in capitis sui perniciem facultates impendit. Neque bonum igitur absolute sunt divitiæ neque malum. Si absolute bonum essent, neque res mediæ, dives ille, q[ui] ætate Lazari vixit, tam gravi supplicio punitus non esset. Si malum essent, Abraham, qui dives fuit, non tam celebris fuisset. Tale quid est etiam morbus. Nam si malum esset morbus, oporteret et malum esse ægrotum. Itaque Timotheus quoque malus esse debuisset, qui morbo gravissimo conflictabatur. « Vino enim modico utere, inquit, propter stoma» chum, et frequentes tuas infirmitates[3]. » Quod si non modo malus idcirco non fuit, sed et mercedis multæ accessionem accepit, ut patienter infirmitatem illam tulit, morbum utique malum non esse manifestum est. Alius

[1] Job, xxxi, 32. — [2] Prov. ix, 9. — [3] 1 Tim. v, 23.

quoque Propheta oculis perpetuo laborabat: nec tamen propter hoc malus erat; sed et prophetabat, et futura prævidebat, neque morbus illi aliquod ad virtutem impedimentum afferebat. At neque sanitas absolute bonum est, nisi quis ea ut oportet, non ad improbum facinus vel ad inutile otium utatur: neque enim crimine hoc ipsum vacat. Quocirca Paulus etiam dicebat: « Si quis non vult operari, » nec manducet [1]. » Verum hæc media sunt et indifferentia, et pro ratione eorum qui eis utuntur aliquando hoc, aliquando illud fiunt. Quid vero attinet sanitatem commemorare ac morbum, divitias et paupertatem? hoc enim ipsum, quod vulgo bonorum omnium caput censetur, et malorum colophon, mors, inquam, et vita, neque sunt hæc absolute, sed et ipsa media sunt, et prout eorum fert animus, qui eis utuntur, alterutra fiunt. Exempli causa: bonum est vivere, si quis eo ut oportet utatur: cum vero ad peccata vel iniquitates, non jam bonum est, sed multo melius fuerit, ut qui ejusmodi est, moriatur. Rursus illud, quod fugiendum multi censent, innumera nobis bona conciliat, dum convenientem causam habeat adjunctam. Argumento sunt Martyres, qui propter mortem omnium sunt felicissimi. Propter hoc nimirum Paulus non simpliciter vivere in Christo cupiebat, sed quoniam hoc illi operis fructus erat. « Etenim quid eligam, inquit, ignoro. Coarc- » tor autem e duobus: desiderium enim habens dissolvi, et » esse cum Christo, valde enim multo melius; permanere » autem in carne magis necessarium propter vos [2]. » Ob hoc ipsum quoque dicebat Propheta: « Pretiosa in conspectu » Domini mors Sanctorum ejus [3]. » non simpliciter mors, sed mors ejusmodi. Et rursus alicubi: « Mors peccatorum » pessima [4]. » Vides hoc quoque medium esse, nec absolute

[1] 2 Thess. III, 10. — [2] Philip. I, 22-24. — [3] Psal. CXV, 15. — [4] Id. XXXIII, 22.

bonum, nec item absolute malum, sed pro ratione animi et affectus eorum, a quibus illud excipitur? Idcirco et sapientissimus Salomon, dum utilitatem commemorat, quæ in medio istorum est posita, et de his philosophatur, ostenditque non hoc absolute bonum esse, et illud malum, sed convenienti cum tempore fieri bona, licet molesta esse videantur; (et mala, licet jucunda esse videantur,) cum non convenienti fiunt tempore, dicebat: «Tempus flendi, et tempus ridendi. Tem»pus vivendi, et tempus moriendi [1]. » Neque enim semper gaudere bonum est, sed aliquando etiam noxium; neque enim semper dolere bonum, sed aliquando etiam letale ac perniciosum. Atque hoc ipsum rursus indicans Paulus dicebat : « Quæ secundum Deum tristitia est, pœniten»tiam in salutem stabilem operatur : sæculi autem tristitia » mortem operatur [2]. »

V. Vides hoc quoque medium atque indifferens esse? igitur et contrarium ejus est medium, nimirum gaudere. Ideo non simpliciter gaudere jussit, sed in Domino gaudere [3]. Sed satis jam sermonem hunc de rebus mediis enucleavimus, siquidem attentos nacti fuerimus auditores, restat ut ad ea progrediamur, quæ non sunt media, sed bona, quæ fieri mala non possunt, et ad mala, quæ nunquam fieri possunt bona. Nam ea quidem quæ diximus, modo hoc, modo illud fiunt, quemadmodum divitiæ modo malum sunt, cum ad aliena bona usurpanda insumuntur; modo bonum, cum in eleemosynam expenduntur, et alia hujusmodi secundum hanc regulam. Sunt autem nonnulla, quæ nunquam fieri possunt mala : quæ vero sunt his contraria, semper mala sunt, nec unquam fieri bona possunt : cujusmodi sunt impietas, blasphemia, lascivia, crudelitas, inhumanitas, ingluvies, et alia ejusmodi. Non dico malum hominem nunquam fieri posse

[1] Eccl. III, 2 et 4. — [2] Cor. VII, 10. — [3] Philip. IV, 4.

bonum, neque bonum fieri malum haud unquam posse, sed res ipsas fieri tales non posse. Enimvero hæ in suo manentes ordine, aliæ bonæ sunt, aliæ malæ : homo vero, quando illa quidem elegerit, bonus; quando vero contraria, malus erit. Igitur tres sunt isti rerum ordines: bona quidem nunquam fieri possunt mala, cujusmodi sunt, temperantia, eleemosyna, et similia : mala vero nunquam fieri possunt bona, ut lascivia, inhumanitas, et crudelitas: quædam autem aliquando hoc, aliquando illud fiunt pro ratione animi et affectus eorum, qui eis utuntur. Divitiæ nonnunquam ad aliena bona invadenda inserviunt, nonnunquam ad eleemosynam impertiendam: verum id fit ex animo et affectu ejus, qui eis utitur. Paupertas nonnunquam ad blasphemiam, nonnunquam ad benedictionem ac philosophiam inservit. Quia igitur insipientiores non pauci (jam enim ad solutionem veniendum est) non solum mala, quæ nunquam fieri possunt, sed etiam ex iis quæ media sunt, nonnulla vocant mala, ut paupertatem, captivitatem, servitutem, quæ non inter mala, sed inter media esse numeranda demonstravimus : multi vero, ut ante dixi, hæc appellant mala, quæ mala non sunt : de isti loquitur Propheta, quæ secundum vulgi existimationem mala vocantur, non revera sunt mala : de captivitate, de servitute, de fame, et aliis ejusmodi. Quod enim hæc non modo mala non sint, sed etiam ad mala depellenda sint usui, primum in medium prolata fame, doceamus, quæ tremenda omnibus ac terribilis videtur esse. Disce igitur quo pacto mala non sit, et ad philosophandum instruere. Cum populus Hebræorum ad summam improbitatem devenisset, tum magnus Elias, et cœlo dignus, cum vellet socordiæ morbum auferre, eumque corrigere, adjecit dicens : « Vivit Dominus, cui astiti coram eo, si erit » pluvia, nisi per os meum [1] : » et qui meloten solam possi-

[1] 3 Reg. XVII, 1.

debat, cœlum clausit : tanta apud Deum gratia valuit. Vices paupertatem malum non esse ? non enim tanta gratia valuisset mortalium cunctorum pauperrimus, ut cum in terris versaretur, tantam virtutem uno solo verbo præ se ferret. Hoc ergo dicto famem immisit tanquam optimum pædagogum, et malorum, quæ acciderant, emendatorem : atque ut fit, cum vehemens quædam febris corpus invasit, venæ ipsæ terræ exarescebant, torrentes deficiebant, et herbæ, et terræ viscera sterilia penitus deinceps erant. Neque vero mediocriter id populo fuit utile, cum repressus impetus fuerit, quo ad iniquitatem ferebatur, et castigatus, modestiorque sit factus, et ad obtemperandum Prophetæ mansuetior. Nam qui ad idola currebant, et dæmoniis filios suos mactabant, hi tot occisis sacerdotibus Baal, non indignati sunt, non indoluerunt, sed famis opera redditi meliores, tacentes ac metu correpti rem patienter tulerunt.

VI. Vides non modo malum non esse famem, sed ad mala etiam tollenda prodesse, et ad sanandas ægritudines remedii locum obtinere ? Quod si captivitatem ipsam etiam videre velis malum non esse, cogita quales ante captivitatem essent Judæi, et quales in captivitate, ut intelligas neque libertatem absolute bonum, neque captivitatem malum esse. Quando enim libertate fruebantur, et in patria sua degebant, ita se gerebant, ut singulis diebus adversus illos vociferarentur Prophetæ, dum leges conculcarentur, adorarentur idola, et Dei mandata violarentur : postquam autem in alienam delati sunt terram, et in barbarorum regione versati, sic depressi sunt, ac meliores evaserunt, legemque servarunt, ut ex ipso Psalmo colligi potest, quem operæ-pretium est hodierno die in medium afferre, ut ex eo captivitatis fructum agnoscatis. Quis ille porro Psalmus est ? « Super flumina Babylonis illic sedi-

» mus, et flevimus, dum recordaremur Sion. In salicibus » in medio ejus suspendimus organa nostra. Quoniam illic » interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba » cantionum, dicentes : Cantate nobis de canticis Sion. » Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena [1]? » Vides ut ipsos depresserit captivas? Nam ante quidem Prophetas non ferebant, a quibus admonebantur, ut ne legem transgrederentur : post illam autem etiam instantibus barbaris, et dominis cogentibus atque urgentibus ut eam transgrederentur, minime parebant, sed dicebant : « Non cantabimus canticum Domini in terra aliena, » quoniam id lex non permittebat. Vide autem et tres pueros qui non solum a captivitate læsi non sunt, sed etiam ejus opera illustriores evaserunt, eodemque Danielem. Quid vero Joseph? quid mali passus est, cum et peregrinus, et servus, et captivus est factus? nonne hoc unum illi splendorem comparavit? Quid vero mulier illa barbara, quæ in opibus, superbia, et libertate degebat, inde lucrata est; nonne omnium fuit miserrima, postquam istis, ut oportebat, uti noluit? Hæc igitur evidenter a nobis sunt demonstrata, quænam sint mala, quænam bona, quænam media, et de mediis loqui Prophetam quæ reipsa mala non sunt, sed vulgo mala videntur, de captivitate, servitute, abductione : quam vero ob causam hæc dicta sint, operæ-pretium fuerit nunc docere. Benignus cum sit Deus, et ad miserandum promptus, ad castigandum ac puniendum cunctator et tardus, ne Judæos suppliciis mulctaret, Prophetas misit, ut verbis eos terreret, neque rebus ipsis puniret : quod et erga Ninivitas præstitit. Nam et illic olim urbem se eversurum minatus est, non ut everteret, sed ut non everteret, quod utique contigit. Hoc nimirum et tunc agebat, Prophetas mittebat, ac barbarorum incursiones, bella, captivitates, abduc-

[1] Psal. CXXXVI, 1-4.

tionem, et in aliena regione commorationem minabatur. Et quemadmodum pater indulgens, cui filius est libidinosus ac negligens, ad sanam mentem volens eum reducere, flagella requirit, funes minatur dicens : « Vinciam, flagellis cædam, interficiam, » fitque verbis terribilis, ut hac ratione juvenis improbitatem compescat : ita nimirum Deus continue minabatur, cum eos injecto metu reddere meliores vellet. Hæc cernens diabolus, volensque emendationem, quæ consequebatur has minas, impedire, pseudoprophetas immisit, et Prophetis captivitatem, servitutem, famemque minantibus, illi contraria, pacem, terræ fertilitatem, innumerorum bonorum copiam prædicebant. Idcirco exprobrantes illis Prophetæ dicebant : « Pax, pax, et ubi est » pax [1] ? » et sciunt omnes, qui sacrarum Litterarum sunt studiosi, cuncta evenisse, quæ Prophetæ prædixerant adversus pseudoprophetas, qui populi studium debilitabant ac frangebant. Quoniam igitur populum ita dissolutum corrumpebant, per Prophetas ait Deus : « Ego Deus faciens » pacem, et creans mala [2]. » Et quænam mala? hæc quæ commemorata sunt, captivitatem, servitutem, et alia ejusmodi : non fornicationem et lasciviam, et avaritiam, neque aliud quidquam ejusmodi. Idcirco etiam quando alius Propheta dixit : « Si est malitia in civitate, quam non fecit » Dominus [3], » hanc dixit malitiam, famem, morbum, inflictas a Deo plagas : sic et Christus cum dicit : « Sufficit » diei malitia sua [4], » sudores dicit, laborem, afflictionem.

VII. Hoc igitur dicit Propheta : « Ne debiles ac remissos vos reddant pseudoprophetæ ; Deus enim vobis pacem largiri potest, et captivitati vos tradere : » hoc est, « Fa- » ciens pacem, et creans mala. » Atque ut hoc verum esse

[1] Jer. VI, 14. — [2] Isaï. XLV, 7. — [3] Amos III, 6. — [4] Matth. VI, 34.

intelligas, ipsas dictiones accuratius examinemus. Cum enim ante dixisset : « Ego sum qui feci lucem et tenebras, » tunc addidit, « Faciens pacem, et creans mala. » Duo contraria supra posuit, ac deinde duo contraria, ut intelligas eum non de fornicatione, sed de calamitatibus loqui. Quid enim est quod paci opponitur? clarum est quod sit captivitas, non lascivia, neque fornicatio, neque avaritia. Ut igitur superius duo contraria posuit, sic nimirum et hoc loco : contraria vero paci res est non fornicatio, neque adulterium, neque lascivia, neque reliqua vitia, sed captivitas et servitus. Sed sicut erga elementa, sic erga res ipsas homines afficiuntur. Exempli causa : quemadmodum fecit lucem et tenebras, et multis esse jucunda lux videtur, tenebræ vero molestæ, ac noctem quidam tanquam malam accusant : sic nimirum et in rebus ipsis : at neque nox est accusanda, neque tenebræ, neque omnino servitus et captivitas. Quid enim, quæso, mali habent tenebræ? nonne sunt a laboribus relaxatio? nonne remissio curarum? nonne doloris exterminatio? nonne virium accessio? Quod si tenebræ non fuissent et nox, quando luce potiti essemus? nonne corruptum fuisset atque interemptum hoc animal homo? Ut autem videntur quidem insipientibus tenebræ malum esse quiddam, tametsi non sunt, verum ad ipsam diem nobis sunt usui, et ad opera, quæ in ipsa suscipimus, quiete recreatos reddit aptiores : ita neque malum quid est captivitas, de qua disserebat Propheta, cum diceret : « Faciens pacem et creans mala : » sed res utilior est iis qui, ut oportet, ea fuerint usi : temperantiores autem ac modestiores eos efficit, dum arrogantiam retundit. Non enim in servitutem redigi potest virtus, neque ab ullo superari, non a servitute, non a captivitate, non a paupertate, non ab ipsa morte quæ omnium est potentissima. Ostendunt id omnes, qui hæc omnia sunt perpessi, et eo-

rum opera clariores evaserunt. Quid enim Josepho servitus nocuit? nihil enim vetat quominus eumdem virum iterum in medium adducamus : quid autem vincula? quid catenæ? quid calumnia? quid insidiæ? quid in aliena regione commoratio? quid Jobum læsit armentorum ac gregum interitus, violenta et immatura mors liberorum, plaga corporis, vermium fontes, dolor intolerabilis, in fimo sessio, uxoris insidiæ, amicorum opprobria, famulorum convitia? quid vero Lazaro nocuit, quod in vestibulo jaceret, et canum linguis lingeretur? quid lædebat continua fames? quid divitis contemptus, vulnera, intolerandus morbus? quid quod desertus ab omnibus esset, qui juvare possent, quod ab eis, qui auxiliari possent, contemneretur? Quid Paulo nocuerunt illa malorum examina, carceres, abductiones, mortes, submersiones ac reliquæ afflictiones, quas nemo poterit oratione numerando percensere? Hæc omnia considerantes, malitiam fugiamus, virtutem sectemur, et oremus, ne in tentationem intremus [1] : quod si quando inciderimus, ne ægre feramus, neve indignemur, siquidem arma virtutis hæc sunt iis, qui ut oportet usi fuerint, et horum omnium opera celebritatem nobis poterimus comparare, si vigiles et attenti fuerimus, ac bonis perfrui sempiternis : quæ nobis utinam contingant universis, in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Matth. xxvi, 41.

HOMILIA VII.

In Seraphim.

I. Vix tandem Oziæ pelagus emensi sumus. Vix autem sumus emensi, non propter itineris longitudinem, sed propter vestram, qui nobiscum navigatis, discendi cupiditatem. Ita gubernator etiam vectores nactus curiosos et magnificarum rerum avidos, quique peregrinas videre gestiunt civitates, non uno die viam conficit, licet unius diei fuerit intervallum, sed longe plus temporis terere cogitur, dum ad singulos portus navim appellit, et singulas ingredi urbes sinit, ut eorum, qui secum navigant, cupiditati quidpiam largiatur. Hoc a nobis quoque factum est, dum non circum insulas navigamus, nec emporia, portus, urbesque monstramus, sed virorum, qui præclare se gessere, virtutem, et eorum, qui lapsi sunt, negligentiam, regis impudentiam, sacerdotis in loquendo libertatem, iram Dei ac benignitatem, quarum utraque ad emendationem tendebat. Jam vero cum ad regiam civitatem pervenerimus, ne cunctemur amplius, sed nos ipsos tanquam in urbem ingressuri componamus, ut sic ad cœlestem metropolim ascendamus, Jerusalem omnium nostrum matrem, quæ libera est, in qua Seraphim, in qua Cherubim, in qua multa millia Archangelorum, et innumera Angelorum, ubi solium est regium. Nemo igitur profanus adsit, nemo piacularis; mysticæ quippe nobis suscipiendæ sunt narrationes : immundus nemo, et hoc auditorum cœtu adsit indignus : imo vero profanus et piacularis adsit quivis, sed omni foris impuritate atque improbitate deposita, sic ingrediatur.

Illum enim, qui vestes habebat sordidas, sponsi pater e sponsi conclavi sacroque thalamo expulit, non quod sordidas vestes haberet, sed quod eas habens esset ingressus. Neque enim illi dixit : « Cur vestem nuptialem non habes ? » sed, « Cur non habens vestem nuptialem huc instrasti [1] ? » Stabas, inquit, mendicans in triviis, neque tuæ paupertatis me puduit, ignominiam tuam non exhorrui, sed ab illa omni vilitate liberatum in sacrum te thalamum introduxi, regia cœna sum dignatus, et extremo supplicio dignum ad supremam provexi dignitatem : at tu ne beneficiis quidem factus es melior, sed in solita perversitate mansisti, et cum in nuptias, tum in sponsum ipsum contumeliosus fuisti. Abi ergo deinceps, et debitas tanto stupori pœnas dato. » Videat igitur unusquisque nostrum, ne forte talem vocem audiat, et omni abjecta cogitatione, quæ spirituali sit indigna doctrina, ita sacræ mensæ particeps fiat. « Et fac- » tum est, inquit, in anno, quo mortuus est Ozias rex, » vidi Dominum sedentem in solio excelso et elevato [2]. » Quomodo viderit, minime novi. Se enim vidisse dixit, quomodo autem viderit, tacuit. Excipio quæ dicta sunt; quæ silentio suppressa sunt, curiose non inquiro; quæ revelata sunt, intelligo; quæ sunt occultata, non scrutor : idcirco namque sunt occultata. Peplus est aureus expositio Scripturæ, stamen est aurum, subtegmen aurum. Aranearum telas non attexo : novi cogitationum mearum imbecillitatem. « Noli transferre terminos antiquos, inquit, quos po- » suerunt patres tui [3]. » Terminos movere tutum non est : et quo pacto, quæ Deus posuit, transferemus? Vis discere quomodo viderit Deum? fias tu quoque Propheta. Quî fieri potest hoc, inquies, cum uxorem habeam, cum mihi curæ sit educatio liberorum? Fieri quidem potest, si velis, charissime. Nam et ipse uxorem habuit, et duorum pater ex-

[1] Isaï. VI, 1. — [2] Prov. 22, 28.

titit liberorum, nihil tamen horum impedimento illi fuit. Neque enim nobis impedimentum est itineris ad regnum cœlorum conjugium : quoniam si impedimentum esset, et insidias nobis paratura fuisset uxor, cum eam a principio crearet Deus, adjutricem non appellasset. Vellem equidem dicere quidnam sit Deum sedere : neque enim Deus sedet, cum hic sit corporum situs, Deus autem sit incorporeus.

II. Vellem dicere quid sit solium Dei : neque enim utique solio Deus comprehenditur, cum circumscribi minime possit Numen : sed vereor ne, si docendis istis immorer, protraham debiti solutionem. Omnes enim video narrationi de Seraphim inhiare, non solum hodie, sed jam inde a primo die : quapropter multitudinem sententiarum tanquam hominum cœtum magno cum impetu occurrentem, perrumpens ad expositionem illam nostra festinat oratio. « Et Seraphim stabant in circuitu ejus [1], » inquit. Ecce Seraphim, quæ videre olim cupiebatis omnes : contemplamini ergo, et cupiditatem explete : sed non cum tumultu, neque properanti cogitatione, sicut fit in imperatorum ingressu. Nam illic quidem istud ipsum merito accidit : neque enim spectant satellites, ut spectatores oculis cuncta lustrent; sed, antequam recte viderint, præterire illos cogunt : hic vero non ita : sed contemplationem nostram sistit oratio, quousque omnia percurreritis, quæ percurri a vobis possunt. « Et Seraphim stabant in » circuitu ejus. » Ante naturæ dignitatem nos docuit istam ex loci vicinia dignitatem. Non enim dixit primum quænam Seraphim essent, sed ubi starent dixit. Hæc enim dignitas major est illa. Quo tandem pacto? quod nimirum haud ita demonstret magnas illas esse Virtutes, quod sint Seraphim, quam quod prope solium stent regium. Nam

[1] Isaï. VI, 2.

et nos illos nobiliores esse satellites arbitramur, qui juxta jugum regii currus incedunt : ita quoque Virtutum illarum incorporearum illustriores sunt illæ, quæ solio Dei sunt proximæ. Idcirco etiam Propheta de naturali eorum dignitate disserere omittens, prius nobis de loci prærogativa disserit, quod hunc majorem esse sciat ornatum, et ab hoc naturæ illorum pulchritudinem dimanare. Hoc enim gloria, honor, et securitas omnis, ut in circuitu solii illius appareant. Hoc et in Angelis cernere licet : nam et illos esse magnos volens Christus ostendere, non eos Angelos esse dixit, et tacuit : sed, « Quia Angeli eorum semper vi- » dent faciem Patris mei, qui in cœlis est [1]. » Nam ut illic angelica dignitate majus est faciem Patris videre : sic et dignitate Seraphim majus est in circuitu stare solii, atque in eorum medio ipsum esse. Sed et hoc magnum fieri potest ut adipiscaris, si velis. Non enim est in medio Seraphim tantum, sed et in medio nostri ipsorum, si velimus. « Ubi enim sunt duo vel tres congregati, inquit, in » nomine meo, ibi sum in medio eorum [2], » et « Dominus » juxta est iis, qui contrito sunt corde, et humiles spiritu » salvabit [3]. » Propterea clamat etiam Paulus : « Quæ sur- » sum sunt sapite, ubi Christus est in dextera Dei sedens [4]. » Vides ut nos cum Seraphim statuerit, et juxta regium solium deduxerit? Deinde subjicit : « Sex alæ uni, et sex » alæ alteri [5]. » Quid nobis hæ sex alæ designant? altitudinem, sublimitatem, levitatem, celeritatem naturarum illarum. Propterea Gabriel quoque descendit alatus, non quod alis instructa sit incorporea illa natura, sed quod ab altissimis locis illis descenderit, ac supernis illis conventibus relictis advenerit. Quid autem sibi vult alarum numerus? Hoc loco nostra interpretatione nihil est opus : seipsam

[1] Matth. XVIII, 10. — [2] Ibid. 20. — [3] Psal. XXXIII, 19. — [4] Coloss. III, 1, 2. — [5] Isaï. VI, 2.

enim oratio satis exposuit, cum illarum nobis usum indicavit : « Duabus enim, inquit, operiebant faciem suam [1] : » merito, tanquam oculos duplici quodam septo munientes, quod exilientem ab illa gloria fulgorem minime ferrent. « Et duabus pedes obtegebant [2], » ob eamdem forte consternationem. Solemus quippe nos etiam, cum stupor aliquis nos invaserit, corpus omni ex parte contegere. Quid corpus dico, cum et ipsi animæ hoc contingat in apparitionibus quæ modum excedunt, et repressis actionibus suis ad inferiora confugiat, seque corpore tanquam pallio quodam obvolvat? Verumtamen nemo, cum stuporem et consternationem audit, tristem aliquem illis ingenerari timorem arbitretur : siquidem huic consternationi immensa quædam voluptas est admixta. « Duabus autem volabant [3]. » Et hoc indicium est eos sublimia semper appetere, nec unquam deorsum respicere. « Et clamabat alter » ad alterum : Sanctus, Sanctus, Sanctus [4]. » Et ipse clamor rursus admirationis indicium nobis est maximum : non enim quovis modo concinunt hymnum, sed cum clamore valido, neque cum clamore simpliciter, sed et semper hoc factitant. Nam splendida quidem corpora, quamvis supra modum sint splendida, tum solum nos ad admirationem solent traducere, cum ea primum oculis usurpavimus : cum vero multoties contemplandis illis immorati fuerimus, admiratio consuetudine tollitur, ubi se spectandis illis corporibus oculi deinceps exercuerint. Propterea cum regiam imaginem recens positam multoque colorum splendore fulgentem intuemur, obstupescimus : post unum autem et alterum diem non jam amplius admiramur. Et quid dico regiam imaginem, cum in aspectu radiorum solis hoc ipsum nobis accidat, quibus nullum corpus splendidius inveniri potest? Sic omnium corporum admirationem tollit

[1] Isaï. VI, 2. — [2] Ibid. — [3] Ibid. — [4] Ibid. 3.

consuetudo : sed in Dei gloria non ita fit, at plane contrarium. Quanto enim magis illius gloriæ contemplationi Virtutes immorantur istæ, tanto magis obstupescunt, et admirationem suam intendunt : quam ob causam, ex quo esse cœperunt, ad hunc usque diem gloriam illam intuentes, cum stupore clamare non cessant : sed quod in exiguo temporis spatio nobis contingit, dum fulgor in oculos fertur nostros, hoc illæ perpetuo patiuntur, et continua admiratione cum voluptate quadam afficiuntur. Neque vero solum clamant, sed ad invicem id agunt, quod intensæ cujusdam admirationis est signum. Ita nos quoque, dum erumpit tonitru cum fragore, vel terra movetur, non modo resilimus, et clamamus, sed ad invicem in ædibus nostris confugimus. Hoc et Seraphim agunt : ideoque « Alter ad » alterum clamabat : Sanctus, sanctus, sanctus. »

III. Numquid hanc vocem agnovistis ? numquid nostra est ? an vero Seraphim ? et nostra et Seraphim beneficio Christi, qui medium parietem maceriæ sustulit, et pacificavit omnia quæ in cœlis sunt et quæ in terris, et ejus beneficio, qui utraque fecit unum [1]. Nam antea quidem in cœlis tantum hymnus iste canebatur : postquam autem in terram venire dignatus est Dominus, hunc etiam concentum ad nos detulit. Propterea quoque magnus hic Pontifex cum juxta sacram hanc mensam constiterit, ut rationalem cultum exhibeat, et sacrificium offerat incruentum, non simpliciter nos ad hanc faustam acclamationem invitat, sed ubi prius Cherubim nominavit, et Seraphim mentionem fecit, tum demum ad hanc tremendam vocem mittendam omnes adhortatur, et dum eorum nos admonet, qui nobiscum choros agitant, mentem nostram a terra subducit, unumquemque nostrum his propemodum verbis excitans : « Una cum Seraphim canis, una cum Seraphim sta, cum

[1] Ephes. II, 14.

illis alas extende, cum illis regium solium circumvola. Quid vero mirum, si cum Seraphim steteris, cum ea quæ Seraphim non audent contingere, tibi Deus libere tractanda concesserit? « Missus est enim ad me, inquit, unus » de Seraphim, et habebat carbonem ignis, quem forcipe » sumpserat de altari [1]. » Illud altare figura est et imago istius altaris : ignis ille, spiritualis ignis istius. At non est ausus Seraphim manu contingere, sed forcipe : tu vero manu accipis. Enimvero si eorum quæ proposita sunt, dignitatem spectes, ipso contactu Seraphim multo majora sunt ista : sin autem Domini benignitatem consideres, ne ad nostram quidem descendere vilitatem eorum gratia quæ proposita sunt erubescit. Hæc igitur cogitans, mi homo, et quanta doni sit magnitudo tecum reputans, aliquando tandem exurge, atque avulsus a terra in cœlum ascende. Verum trahit nos corpus, et deorsum ferri cogit? Sed ecce adventant jejunia, quæ pennas animæ leves reddunt, et levem sarcinam carnis efficiunt, licet plumbo quovis gravius corpus acceperint. Verumtamen sermonem de jejunio tantisper differamus, hunc autem de mysteriis jam instituamus, quorum gratia et ipsa jejunia sunt statuta. Nam sicut in olympicis certaminibus luctationum finis est corona, sic et jejunii finis est munda communio. Itaque nisi diebus istis fuerit a nobis hoc præstitum, ubi temere ac frustra nos ipsos afflixerimus, expertes corona ac sine præmio ex jejunii scammate discedemus. Propterea majores etiam nostri jejunii stadium extenderunt, ac pœnitentiæ certum nobis tempus assignarunt, ut ubi nos expurgaverimus, omnesque sordes absterserimus, ita demum accedamus. Ideo nunc etiam ex hoc tempore clara voce denuntio, obtestor, precor, et obsecro, ne cum macula, ne cum prava conscientia ad sacram hanc mensam accedamus : neque enim hoc

[1] Isaï. VI, 6.

accessus, neque communio dici potest, quamvis millies sanctum illud Corpus attingamus, sed condemnatio, supplicium et pœnarum accessio. Nullus igitur peccator accedat : imo vero non dico, nullus peccator, quandoquidem meipsum priorem a divina mensa repellerem; sed qui perseveret peccator, nullus accedat. Idcirco jam ex hoc tempore prædico, ne cum dies regiarum epularum advenerint, cum illa affuerit sacra vespera dicere queat aliquis : « Imparatus intravi ac nudus, et hæc olim prædici oportuit. Si enim olim hæc audivissem, omnino mutatus essem, omnino postquam me ipsum expurgassem, ita demum accessissem. » Ne igitur ullus has prætexere possit excusationes, jam ex hoc tempore prius obtestor et cohortor, ut magnam exhibeamus pœnitentiam. Scio nos omnes reos esse supplicii, nec ullum posse gloriari mundum se habere cor : sed non hoc malum est gravissimum, quod mundum cor non habeamus, sed quod mundum non habentes cor, nec ad eum accedamus, qui mundum potest illud reddere. Potest enim, si velit; vel potius multo magis quam nos, puros nos esse vult, sed expectat ut exiguam a nobis occasionem accipiat, ut confidenter nos coronet. Quis major fuit peccator quam publicanus? sed ut dixit tantum : « Deus, » propitius esto mihi peccatori [1], » plus quam Pharisæus justificatus descendit. Tametsi quantam vim habuit dictum illud? verum non dictum ipsum purgavit, sed affectus, cum quo dictum illud protulit : imo vero ne solus quidem affectus, sed ante ipsum Dei benignitas.

IV. Quod enim, quæso, tam egregium est facinus, qui labor, quis sudor peccatori ut se peccatorem esse persuadeat sibi, et hoc apud Deum profiteatur? Vides haud frustra dixisse me Deum velle exiguam a nobis occasionem arripere, tum ipsum deinde ad salutem nostram cuncta

[1] Luc. XVIII. 10.

conferre? Pœnitentiam igitur agamus, ploremus, lamentemur. Sæpenumero cum filiam quis amiserit, majorem vitæ suæ partem in luctu ac mœrore traducit : nos animam perdidimus, nec tamen lugemus? excidimus a salute, nec plangimus? Quid de anima et salute loquor? Dominum adeo mitem ac benignum irritavimus, neque sub terra nos abscondimus? Non enim tantum providi ac solliciti domini, sed et patris indulgentis, et liberorum amantissimæ matris omnem benevolentiam exuperat ea, qua nos complectitur, sollicitudine. « Numquid enim obliviscetur, inquit, mulier » parvuli sui, ut non misereatur fœtuum uteri sui? Licet » autem et mulier oblita fuerit, ego tamen non obliviscar » tui, dicit Dominus [1]. » Enimvero ante demonstrationem fide digna vel sola fuerit affirmatio : quippe quæ Dei sit : nihilominus tamen, age rebus ipsis expressam demonstrationem exhibeamus. Cum imperasset aliquando filio Rebecca, ut illam de furto benedictionis fabulam ageret; postquam omni ex parte præclare ipsum adornavit, eique fratris personam imposuit : quandoquidem ne sic quidem illum fiducia præditum vidit, omnem ex animo filii metum volens eximere ; « Super me sit, ait, tua maledictio, » fili [2]. » Matris revera vox, et quæ amore filii esset incensa. Christus autem non hoc dixit tantum, sed etiam fecit : non promisit tantum, sed et opere exhibuit, quod et Paulus clara voce pronuntiat dicens : « Christus nos redemit de » maledicto legis factus pro nobis maledictum [3]. » Hunc igitur num, quæso, irritabimus? annon est hoc ipsa gehenna gravius, et immortali verme, et igne qui nunquam extinguitur? Quando igitur ad sacram mensam es accessurus, illic adesse Dominum omnium arbitrare : siquidem adest revera, et quæ sit mens cujusque cognoscit, ac videt quis cum ea qua par est sanctitate, quis cum conscientia de-

[1] Isaï. XLIX, 15. — [2] Gen. XXVII, 13. — [3] Gal. III, 13.

pravata accedat, cum immundis et sordidis cogitationibus, cum refariis actionibus. Quod si quempiam talem offenderit, primum quidem ipsum judicio conscientiæ tradit : deinde vero, si forte seipsum cogitationibus castiget, reddatque meliorem, rursus illum admittit; quod si maneat incorrectus, tum demum in ejus manus incidit tanquam ingratus et scelestus. Quantum vero sit istud ex Paulo disce, qui sic ait : « Horrendum incidere in manus Dei » viventis [1]. » Scio mordere vos hæc verba : sed quid faciam? nisi acerba medicamenta adhibeam, vulnera non tollentur : sin adhibeam acerba, vos dolorem non sustinetis. Angustiæ mihi sunt undique : sed operæ-pretium fuerit manum deinceps cohibere : sufficiunt enim dicta ad eorum, qui attenti fuerint, emendationem. Verumtamen ut non solum vobis, sed et cæteris utilia vestra opera fiant, age rursus ea summatim collecta repetamus. Disseruimus de Seraphim, ostendimus quanta sit dignitas juxta regium solium stare, et in hominum potestate situm esse, ut dignitatem illam adipiscantur. Diximus de alis, et de inaccessibili Dei virtute, deque indulgentia, qua se nobis attemperavit : adjecimus et causam clamoris, ac perpetuæ admirationis, et quî fiat, ut dum Seraphim indesinenter Deum contemplantur, cum indesinenter quoque glorificent : commonefecimus vos cuinam choro accenseamur, et cum quibus communem Dominum laudemus : adjecimus et de pœnitentia sermones : ac demum, quam grave sit malum cum prava conscientia ad sacra mysteria accedere, demonstravimus, et quo pacto fieri nequeat, ut qui manet incorrectus, pœnam evitet. Hæc et uxor a viro discat, et filius a patre, et servus a domino, et vicinus a vicino, et amicus ab amico ; imo etiam inimicis ista narremus, nam et illorum salutis nobis est ratio reddenda. Si enim illorum erigere

[1] Hebr. x, 31.

jumenta quæ ceciderint, et quæ aberraverint conservare ac reducere jubemur [1], multo magis errantem eorum animam nos reducere, et collapsam oportet erigere. Si hoc pacto nostras et proximorum res dispensaverimus, ante tribunal Christi cum fiducia stare poterimus, cum quo Patri gloria, honor, imperium una cum sancto ac vivifico Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Exod. xxiii, 4, 5.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

CONSTANTINOPOLITANI

ARCHIEPISCOPI,

HOMILIA IN JEREMIAM.

HOMILIA.

In locum illum prophetæ Jeremiæ : Domine, non est in homine via ejus, neque homo ibit, et diriget gressum suum [1].

I. Hujus [2] sensibilis publicæque viæ partes quædam planæ quidem sunt ac leves, quædam vero præruptæ atque asperæ; sic et Scripturæ sacræ partes aliæ sunt ex se omnibus intellectu faciles, aliæ majorem diligentiam ac laborem requirunt. Ac nos quidem, cum per planitiem levemque viam incedimus, necesse non est, ut admodum attenti simus : cum vero per asperam et angustam, quæque se ad ipsum montis cacumen extendat, et præcipitiis undique circumclusa sit, tum vigili mente nobis opus est, cum loci difficultas torpere non sinat. Quantumvis enim modice quis negligenter aspiciat, si solum pes prolabatur, totum corpus in præceps ruit, et si in vallem capite inclinato des-

[1] Jer. x, 23. — [2] Vide D. Guillon, tom. XII, pag. 373-394.

pexerit, tenebricosa correptus vertigine deturbatur. Sic et in Scriptura divina quædam faciles sunt, ac planæ sententiæ, quas sine labore licet percurrere : quædam asperiores et præruptæ, quas non ita facile fuerit permeare. Propterea vigiles et attentos esse cunctos oportet, dum ejusmodi loca percurrimus, ne in summum salutis discrimen veniamus. Idcirco nos interdum in facilioribus vos exercemus, nonnunquam ad difficiliora deducimus, ut et laborem levemus, et negligentiam excutiamus. Ut enim qui semper facilitatem experiuntur, remissiores fiunt : ita qui perpetuo ad asperiora pertrahuntur, animum labore defatigati despondent. Quocirca mixtum esse oportet doctrinæ genus, et nunc quidem hoc, nunc autem illud tractare, ut neque mens ultra modum relaxetur, neque rursus plus quam par est intenta frangatur, et laboribus defatigata deficiat. Propterea nuper cum de Petro et Paulo disseruissemus, et de exorta inter ipsos Antiochiæ controversia, pugnamque illam, quæ inter eos esse videbatur [1], pace quavis utiliorem vobis ostendissemus, cumque ad præruptam et asperam vos illam viam deduxissemus : quoniam defatigatos vidimus, sequenti die ad aliud argumentum vos traduximus, dum beati Eustathii præconia narravimus, et post illum generosi martyris Romani laudes percurrimus, cum illustrius nobis factum est theatrum, amplior applausus, ac major strepitus acclamantium. Ut enim si quis ubi defessus fuerit, deinde in pratum ingrediatur, gaudet, ac delectatur, dum nihil asperum, nihil molestum intuetur, sed recreationem, voluptatem, ac delicias multas : sic et vos tum temporis affecti eratis, dum post labores illos ac difficultates concionis illius, tanquam in pratum quoddam in Martyrum laudes ingressi, multa cum tranquillitate illis vos deliciis explevistis. Non enim tum erant prehensiones ac mutui

[1] Gal. II, 11 et seqq.

nexus, neque luctæ ac declinationes, sed nemine obluctante, sola expedita, soluta et libera oratio decertabat. Idcirco autem et illustrior erat, et sacris conventibus aptior, majoremque laudem reportabat. Cum enim ea, quæ dicuntur, cum facilitate mens auditorum assequitur, multa voluptate perfusa, ad acclamationem et laudem oratoris excitatur. Quando igitur abunde vos his diebus recreavimus, neque molestum aut grave quidquam vestræ objecimus charitati, age rursus hodie vos ad priorem exercitationem traducamus, et ad illa Scripturæ difficilia loca, quæ multa indigent animadversione, transferamus : non ut labore vos affligamus, sed ut exerceamus, quo possitis hæc etiam loca cum securitate percurrere. Ut ergo tum temporis initio quidem pugna quædam esse ac contentio videbatur Apostolorum; postquam autem scopulos illos conscendimus, sursum deinde spiritus fructum aspeximus, charitatem, gaudium, pacem, et neque inanis, neque supervacaneus fuit labor noster, sed in lætitiam desiit : sic et hodie vestrarum precum subsidio fretus futurum confido ut, si patienter et multa cum tolerantia propositum nobis iter conficiamus, atque ad ipsum cacumen ascendere possimus, illic omnia plana, levia, pronaque reperiamus. Quid igitur jam nobis est propositum? quod hodie ex Propheta lectum est : « Domine, non est in homine via ejus, » neque ibit homo, et diriget gressum suum[1] » Quæstio quidem hæc est : vos vero, ut studium tunc adhibuistis, ita nunc diligenter attendite : neque enim illa minor est hæc quæstio, sed majorem curam requirit. Quid ita? quoniam illa quidem Petri et Pauli, quæ videbatur esse controversia, nec tamen erat, non ita multis nota erat, unde nec illam ignorantiam verisimile fuit multum invecturam detrimentum : hæc autem sententia circumfertur ubique, in domi-

[1] Jer. x, 23.

bus, in foris, in pagis, in urbibus, in terra, in mari, in insulis, et quocunque te contuleris multos audies, qui hæc dicunt : « Scriptum est : » Non est in homine via ejus : » neque solum hanc sententiam didicerunt, sed alias etiam similes huic annectunt : « Non est volentis, neque curren- » tis [1], » et post illud rursus : « Nisi Dominus ædificaverit do- » mum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam [2] : » id porro faciunt, quod ex Scriptura divina depromptum negligentiæ suæ velamen obtendant, et salutem spemque nostram his verbis conentur infringere. Nihil enim aliud per hæc volunt efficere, nisi in potestate nostra nihil situm esse. Actum est de rebus nostris; frustra regni cœlorum promissio, frustra minæ gehennæ, frustra leges, pœnæ, supplicia, et consilia.

II. Quid enim attinet alicui consulere, cum nihil in ejus situm sit potestate? aut quid opus est ei promittere, qui omni sit rerum gerendarum facultate privatus? Neque is qui recte se gesserit, dignus est laude; neque qui deliquerit, pœnæ obnoxius ac supplicio, nisi arbitrii nostri fuerint, quæ sunt agenda. Quod si fuerit hoc hominibus persuasum, nemo jam amplius virtutem amplectetur, nemo a vitio declinabit. Nam si, dum singulis diebus personant aures hominum vocibus nostris de gehenna, dum verba facimus de regno cœlorum, dum intolerabiles pœnas, et præmia, quæ humanum excedunt intellectum, proponimus, dum consulimus, dum cohortamur, dum omnem orationem admovemus, ægre tamen adducuntur quidam, ut sudores pro virtute suscipiant, ægre a peccatorum voluptatibus avocantur : si hanc etiam sacram abruperis ancoram, nonne integra navis submergetur, et omnes penitus fluctibus absorpti peribunt, multaque quotidie fient naufragia? Nihil enim plane, nihil ita contendit diabolus, ut animæ

[1] Rom. IX, 16. — [2] Psal. CXXVI, 1.

humanæ persuadere, neque in peccatis eam suppliciis obnoxiam, neque laudibus et coronis esse dignam in recte factis, ut et studiosorum manus dissolvat, et animi alacritatem restinguat, et eorum, qui animum despondent, incuriam foveat, ac negligentiam augeat. Quocirca diligenter iis, quæ dicuntur, attendendum est. Præcipitium est utrinque ac fovea locus iste, nisi caute legatur. Quid enim dicemus? an Prophetam esse mentitum? at periculosum est; non enim mentitur Propheta, utpote qui Dei voces proloquatur. Non ergo mentitus est Propheta? proinde non sunt in nostra potestate, quæ agere debemus? Imo et in nostra potestate sita sunt quæ agere debemus, et Propheta mentitus non est: et horum utrumque probabimus, si attentas aures præbueritis. Propterea namque præcipitium utrinque objectum ostendi, ut vigiles et attenti propositum nobis iter conficiamus: non enim hunc locum tantum excutiemus, « Non est in homine via ejus; » sed et contextus omnem seriem, et pro quibus dicta sint illa, a quo, adquem, quam ob causam, quando, et quomodo. Non enim dicere sufficit aliquid in Scriptura scriptum reperiri, neque temere avulsa ac discerpta divinitus inspiratæ Scripturæ membra nuda et a reliquo textu serieque sermonis sejuncta sumere, ac nimia licentia confidentiaque ipsis illudere. Sic enim prava dogmata multa in nostram hanc ætatem invecta sunt, dum negligentioribus persuasit diabolus, ut oblique distorta testimonia Scripturæ proferrent, vel additis subtractisve nonnullis tenebras veritati offunderent. Non ergo sufficit dicere scriptum esse in Scriptura, sed totam seriem legi oportet: quandoquidem si continuitatem et cognationem, qua inter se connexa sunt, interrumpere vellemus, ita multa prava dogmata orirentur. Enimvero in Scriptura scriptum est, « Non est Deus [1], » et « Avertit faciem suam

[1] Psal. XIII, 1.

» ne videat in finem [1], » et « Deus non requiret [2]. » Num igitur, dic, quæso, non est Deus? neque respicit ea quæ in terris fiunt? quis hoc ausit dicere vel audire? Scriptum tamen est in Scriptura : sed disce quo pacto sit scriptum. « Dixit insipiens, inquit, in corde suo : Non est Deus [3]. » Non Scripturæ suffragium est et sententia, sed animi insipientis : non dixit quæ sua sunt Scriptura, sed quæ sunt alterius denuntiavit. Et rursus, « Usquequo irritavit impius » Deum? dixit enim in corde suo, non requiret [4]. Avertit » faciem suam, ne videat in finem [5]. » Et hic rursus hominis impii ac scelesti judicium et sententiam proponit. Ita quoque medici facere solent, insanorum et amentium peccata sanis, ac valentibus narrant, ut cautiores istos reddant. Cum igitur sanitas animæ sit pietas, morbus autem et infirmitas summa Deum minime nosse, impiorum verba commemorat, non ut ea temere audiamus, sed ut ab iis abstineamus. Quid insipiens dixerit narrat, ut tu sapiens fias, et dictum ejus minime probes : quid impius dixerit narrat, ut tu impietatem fugias. Neque vero solum a contextu serieque sermonis avellenda loca non sunt, sed etiam sana et integra sunt proferenda, nihilque addendum. Multi certe quædam etiam alia circumferunt ex Scripturis quæ depravate allegant. Scriptum est enim, inquiunt : « Si uraris, uxorem ducito : » nusquam tamen hoc ita scriptum est, sed quo pacto sit scriptum considera. « Dico autem non » nuptis et viduis, bonum illis est, si maneant, sicut et ego. » Quod si non se continent, nubant : melius enim est nu» bere quam uri [6]. » Annon igitur idem est, inquit: « Si uraris, uxorem ducito? » Enimvero licet idem esset, non oportebat tamen, omissa recta Scripturæ allegatione, eam pervertere, suisque verbis Scripturæ sensa proferre : jam vero

[1] Psal. x, sec. Hebr. 11. — [2] Ibid. 13. — [3] Id. xiii, 1. — [4] Id. x, Hebr. 13. — [5] Ibid. 11. — [6] 1 Cor. vii, 8, 9.

multum ostendimus inesse discrimen. Si enim absolute dixeris: « Si uraris, uxorem ducito, » cunctis, qui virginitatem servare ultro statuerunt, potestatem facis, cum primum libido illis negotium facesset, inita cum Deo pacta violandi, atque ad nuptias transfugæ more transeundi, ac promissi prioris obliviscendi.

III. Quod si intelligas, quos alloquatur Paulus, hoc est, non omnes passim, verum eos, qui nondum promissione se obstrinxerint, poteris noxiam ac perniciosam tollere facultatem. « Dico enim, inquit, non nuptis et viduis, non iis quæ viduitatem promisere, sed iis quæ neque hoc, neque illud decreverunt, sed tanquam in medio quodam interstitio consilii utriusque versantur. » Exempli causa : mulier quæpiam virum suum amisit, neque dum apud se statuit, neque decrevit, an a se oporteat eligi viduitatem, an vero alterum maritum induci : hanc ego admoneo, inquit, bonum esse ut ita permaneat : quod si onus ferre non possit, nubat : eas vero, quæ jam aggressæ sunt, et in earum album sunt relatæ, quæ viduitatem tolerant, et cum Deo pactum inierunt, non jam vult ad alterum posse matrimonium reverti. Propterea de illis ad Timotheum scribens sic ait : « Adolescentiores autem viduas devita. Cum enim luxu- » riatæ fuerint in Christo, nubere volunt habentes damna- » tionem, quia primam fidem irritam fecerunt [1]. » Vides ut eas hic castiget ac puniat, et obnoxias pœnæ ac judicio esse dicat, quod inita cum Deo pacta violarint, et promissis non steterint? Itaque ex hoc loco manifestum est dictum illud non ad eas, quæ promiserant, esse directum : idcirco non esse illud temere proferendum, sed noscendas esse personas, quas Scripturæ verbis illis alloquuntur. Rursus alium locum circumferunt, cujus non illi quidem structuram pervertunt, sed aliud illi, quod in Scriptura non repe-

[1] 1 Tim. v, 11, 12.

ritur, adjiciunt. Talis enim est diaboli malitia, ut vel additione, vel subtractione, vel depravatione, aut immutatione contextus perniciosa dogmata introducat. Quis ille porro locus est? « Meum est, inquit, argentum, et meum aurum [1], » et cui voluero, dabo illud. » Hujus loci pars quidem est ita dicta, pars vero dicta non est, sed alicunde adjecta. Nam illud quidem, « Meum est argentum, et meum est aurum, » dixit Propheta : illud autem : « Cui voluero, dabo illud, » non item sequitur in Scriptura, sed ex inscitia vulgi natum circumfertur. Quodnam porro inde exoritur detrimentum? multi scelerati, et præstigiatores, atque intemperantes, qui ne digni quidem sunt, qui solis hujus conspectu fruantur, aut vivant, aut hujus cœli spiritum ducant, multis opibus abundant, dum omnia subvertunt, viduarum domos diripiunt, orphanos spoliant, adversus inferiores efferuntur. Volens ergo diabolus hominibus persuadere divitias desuper, atque ex Dei largitione manare, ut ex hoc magnam blasphemiam Domino impingat, sumpta hac Scripturæ sententia quæ sic habet : « Meum est argentum et meum » est aurum, » aliam quæ in Scriptura non est, adjecit dicens : « Et cui voluero, dabo illud. » At non ita dicit Aggæus propheta : sed cum ex barbarorum regione rediissent Judæi, et instauraturi templum essent, atque ad pristinum splendorem evecturi, cum egeni essent, et ab hostibus circumfusis obsessi multa premente paupertate, nec ullæ facultates alicunde apparerent : in meliorem spem illos volens erigere, ac persuadere ut de fine confiderent, ex persona Dei dicit : « Meum est argentum, et meum est aurum, et » erit gloria domus istius novissima super primam [2]. » Sed quid hoc ad propositum? dicet aliquis. Quod non oporteat Scripturæ sententias temere arripere, atque a serie sermonis et argumenti affinitate divellere : neque nuda verba su-

[1] Agg. II, 9. — [2] Ibid. 10.

menda sint, eorumque subsidio destituta quæ sequuntur aut præcedunt, ut per ea temere calumniam struamus et cavillemur. Annon enim absurdum est, ut in judiciis quidem, ubi de rebus sæcularibus disceptamus, omnia jura nostra in medium proferamus, et loca, tempora, causas, personas, aliaque innumera producamus : cum vero nobis de vita æterna propositum sit certamen, temere et inconsiderate Scripturæ loca proferamus? Ac legem quidem regiam nemo temere et inconsiderate recitabit, sed nisi tempus notet, ac legislatorem designet, et integram illam atque illibatam proponat, castigatur gravissimaque pœna mulctatur : nos vero dum non legem humanam, sed supernam ac de cœlo delapsam recitamus, tantam præ nobis negligentiam feremus, ut ejus partes ac membra discerpamus? quis hoc venia dignum censeat? Fortasse ultra modum orationem produxi, at non sine causa, verum ut a prava consuetudine vos abducam. Ne igitur defatigemur, donec ad finem pervenerimus : propterea namque nati sumus, non ut edamus ac bibamus, et induamur, sed ut vitium fugiamus, ac divinam amplexi philosophiam, virtutem sectemur. Natos enim esse nos non ut edamus ac bibamus, sed ad alia quædam multo majora melioraque præstanda, quo pacto Deus doceat, audi, et quam afferat causam, propter quam hominem procrearit. Cum enim illum formaret, his verbis usus est : « Faciamus hominem ad imaginem nos»tram, et ad similitudinem [1]. »

IV. Porro Deo similes reddimur, non dum comedimus, bibimus, aut induimur; Deus enim neque comedit, neque bibit, neque induitur : sed dum justitiam exercemus, benignitatem exhibemus, mites et modesti ac misericordes in proximos sumus; virtutem omnem sectamur : siquidem commune nobis est illud cum belluarum natura, quod co-

[1] Gen. 1, 26.

medimus et bibimus, neque quidquam illis hac in re præstamus. Unde ergo fit, ut illis antecellamus? Quod nimirum ad imaginem et similitudinem Dei conditi simus. Ne igitur defatigemur, dum sermonem de virtute instituimus, sed allatam in medium propheticam hanc sententiam diligenter expendamus, quis eam protulerit, et quorum causa, quo tempore, et quem alloquens, et quo in statu res tum essent, omnia demum pervestigemus, quæ ad inveniendum usui esse possunt. Is quidem, qui protulit, Jeremias est Propheta, dum non quidem pro se, verum pro aliis preces offerret, pro Judæis ingratis, stupidis, qui nullo modo corrigi poterant, qui puniri debebant, et extremo supplicio mulctari, de quibus dicit illi Deus : « Noli orare pro populo » hoc, quia non exaudiam te [1]. » Ac nonnulli quidem hoc de Nabuchodonosor dici autumant : nam quoniam bellum illis erat barbarus illaturus, urbemque deleturus, atque abductis captivis abiturus, cum persuadere omnibus vellet non cum propria virtute vel potentia civitatem expugnaturum, sed ob istorum peccata, Deo bellum illud gerente, atque adversus urbem suam illum deducente, « Scio, Domine, inquit, quia non est in homine via ejus, » neque homo ibit, et diriget gressum suum [2]. » Quorum verborum hic sensus est. « Hæc via, inquit, qua nunc barbarus incedit, dum nobis hoc bellum infert, non ab ipso est, neque feliciter bellum istud confecit, ac victoriam reportavit, ac nisi tu nos in ejus manus tradidisses, nunquam expugnasset, aut vicisset. Idcirco precor, inquit, ac supplex oro, quando ita tibi hoc visum est, ut supplicio modus adhibeatur. « Corripe namque nos, inquit, ve- » rumtamen in judicio, et non in furore [3]. » Sed quoniam huic expositioni contradicunt nonnulli, neque barbari causa dictum hoc esse volunt, sed de communi hominum natura,

[1] Jer. VII, 16. — [2] Id. X, 23. — [3] Ibid. 24.

necessarium est ut cum istis decertemus. Quid ergo possumus his opponere? Quoniam pro hominibus orabat, qui peccaverant, pro quibus orare sæpe prohibitus erat : propterea curat ut civitas prior lugeat : nam quoniam assidue dicebat : « Noli orare pro illis, » eam ipsam, quæ benignitate indigebat, priorem submittit, ut ansam inde aliquam et speciosam occasionem arripiat pro illis Deo preces offerendi, atque ad ipsam dirigit orationem, aitque : « Væ contritioni » tuæ : doloris plena est plaga tua. » Tum infit illa : « Plane » hoc est vulnus meum ; tabernaculum meum periit; pelles » meæ conscissæ sunt. Filii mei et oves meæ exierunt a me, » et non sunt. Pastores mei stulte egerunt, et Dominum » non exquisierunt. Vox auditionis venit, et commotionis » magnæ ab Aquilone, ut ponat civitates Juda in desola» tionem, et cubile passerum [1]. » Deinde postquam illa suam calamitatem deploravit, adjecit : « Domine, non est homi» nis via ejus. » Quid igitur, quia lamentatur, dicet aliquis, perniciosum dogma in mundum invexit, nostra potestate nos privans, et affirmans non esse arbitrii nostri res gerendas? Nequaquam, sed et dum lamentatur, id confirmat. Cum enim dixisset : « Non est hominis via ejus, » minime tacuit, sed adjecit : « Neque homo ibit, et diriget gressum » suum. » Quod autem dicit, hanc sententiam habet : « Non totum est in nostra potestate, sed aliud quidem in nostra, aliud vero in Dei situm est potestate. Nam ut optima quæque eligamus, velimus, et agere contendamus, omnemque laborem exantlemus, nostri est arbitrii : ut autem ad exitum ea perducamus, neque intercidere sinamus, utque ad finem recte factorum perveniamus, id vero cœlestis est gratiæ. » Partitus enim est nobiscum virtutem Deus, et neque rem totam in nostra sitam esse voluit potestate, ne in superbiam efferamur, neque totum sibi ipse sumpsit, ne nos

[1] Jer. x, 19-22.

inertiæ dedamus : sed exiguum quid laboribus nostris relinquens, majorem partem ipse conficit. Ut enim sciamus quo pacto, si res tota in potestate nostra fuisset, multos id in superbiam egisset, et extulisset, audiamus quid Pharisæus dicat, in quantam solentiam elatus esset, quo pacto magnifice loqueretur, seque toti orbi terrarum fastuose præferret. Propterea non ut totum a nobis penderet effecit, quinimo permisit ut in nostra potestate aliquid esset, ut nos jure ac merito coronandi speciosam occasionem arriperet. Atque hoc illa parabola declaravit, in qua dicit homines circa undecimam horam inventos se in vineam ad operandum misisse [1]. Tametsi quid operari undecima hora potuerunt? At nihilominus ad integram illis dandam mercedem breve momentum Deo suffecit. Atque ut intelligas hoc Prophetam vere dicere, neque nos arbitrii libertate privare, sed de rerum exitu philosophari, audi quid adjiciat. Nam cum dixisset : « Non est in homine via ejus, » statim adjungit : « Corripe nos, Domine, verumtamen in » judicio, et non in furore. » Si enim arbitrii nostri nihil esset, frustra diceret : « Corripe nos, Domine, verumtamen » in judicio. »

V. Quid enim fieri potest injustius, quam ut illi plectantur, quorum ex arbitrio non pendent res gerendæ, aut ut homines illi pœnas sustineant, quorum via vitaque non sit in eorum posita potestate? Itaque cum Deum videtur orare, ne graviori pœna multentur, nihil aliud indicat, quam dignos eos esse qui plectantur, ac pœnam sustineant. Hoc autem nihil aliud quam libertatem arbitrii constituit. Si enim res gerendæ illorum juris et arbitrii non essent, non jam ut mitiori supplicio afflicerentur peti oporteret, sed nec ullo modo puniri : imo vero neque precibus opus esset ; non enim deprecatore indiget Deus, ut innocentes

[1] Matth. xx, 6.

non puniat. Et quid dico, Deus, cum nec ullus homo prudens? Quando igitur pro Judæis orare Prophetam videmus, satis liquet eum pro hominibus orare qui peccarint : tum vero cernitur peccatum, cum penes nos est ut legem non transgrediamur, et tamen eam transgredimur. Ergo undique nobis manifestum est, cum in nostra, tum in Dei potestate sita esse recte facta. Simile illud est etiam, « Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei [1]. » Et quam ob causam curro, inquit, vel quam ob causam volo, nisi tota res in meo sit arbitrio sita? ut nimirum dum vis, et dum curris, divinum auxilium et benevolentiam tibi concilies, sic ut te adjuvet, ac manum porrigat, atque ad finem usque perducat. Si enim hoc sustuleris, et currere simul et velle desieris, neque manum porriget Deus, sed et ipse abscedet. Unde autem id constat? Audi quid dicat Jerosolymæ. « Quoties volui congregare filios tuos, et no» luisti? Ecce relinquitur domus vestra deserta [2]. » Vides, quoniam illi noluerunt, quo pacto etiam Deus abscessit? Propterea nobis quoque opus est ut velimus, et curramus, quo Deum nobis etiam conciliemus. Hoc igitur est, quod ait Propheta, felicem exitum rerum in potestate nostra situm non esse, verum ab auxilio pendere divino : ut autem eligamus, in nobis et in arbitrio nostro situm esse. « Enimvero si rerum prosper aut sinister exitus ab auxilio divino pendet, dicet aliquis, nulli obnoxius crimini censeri debeo : cum enim omnia, quæ mearum partium sunt, præstitero, et voluero, et elegero, et rem ipsam aggressus fuero, is vero a cujus potestate pendet eventus, me non adjuverit, neque manum porrexerit, omni sum crimine liberatus. » Verum non ita est, plane non est ita : neque enim fieri potest, ut si nos voluerimus, elegerimus, ac statuerimus, Deus nos derelinquat. Si enim eos, qui nolunt

[1] Rom. IX, 16. — [2] Matth. XXIII, 37, 38.

hortatur et consulit eis, ut velint et statuant, multo magis eos, qui ultro eligent, non derelinquet. « Respicite, namque » inquit, in generationes antiquas, et videte, quis speravit » in Dominum, et confusus est, aut quis permansit in » mandatis ejus, et despexit eum [1] ? » et rursus ait Paulus, « Spes non confundit [2], » spes nimirum in Deum. Impossibile enim est, ut finem propositum non adipiscatur is qui tota mente in Deum sperat, et quæ suarum sunt partium præstat omnia. Et rursus, « Fidelis autem Deus, qui non » patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet, » cum tentatione proventum, ut possitis sustinere [3]. » Idcirco admonet Sapiens vir quidam dicens : « Fili, si accedas ad » servitutem Domini, præpara animam tuam ad tentationem. » Dirige cor tuum, et sustine et ne festines in tempore ob- » ductionis. Conjungere illi, et ne recedas [4]. » Alius quoque sermo nos admonet : « Qui autem perseveraverit usque in » finem, hic salvus erit [5]. » Porro hæc omnia regulæ sunt, leges, ac decreta immutabilia, et hoc in mente vestra sit fixum oportet fieri non posse, ut qui studium adhibeat, et de sua salute sit sollicitus, et omnia quæ suarum sunt partium exequatur, is unquam a Deo deseratur. Non audis quid Petro dicat? « Simon, Simon, quoties expetivit » Satanas, ut cribraret vos sicut triticum : ego autem oravi » pro te, ut non deficiat fides tua [6]. » Nam cum viribus nostris esse majus viderit onus, manum porrigit, ac tentationem reddit leviorem : cum vero nos ex propria negligentia viderit ac desidia propriam salutem prodere, neque velle salvari, tunc derelinquit ac deserit. Neque enim vim affert aut cogit, quodque dum doctrinam traderet, agebat, id etiam hic fit. Ut enim illic eos, qui audire nolebant, sed discedebant, non trahebat, neque vim afferebat : sed

[1] Eccli. II, 11, 12. — [2] Rom. V, 5. — [3] 1 Cor. X, 13. — [4] Eccli. II, 1-3. — [5] Matth. X, 22. — [6] Luc. XXII, 31, 32.

iis, qui attendebant, obscura solvebat, et ænigmata manifesta reddebat, ita nimirum et in rebus ipsis : eos qui stupidi sunt, et minime volunt, non cogit neque vim illis affert : eos autem qui ultro eligunt, summo studio sibi conciliat. Propterea dicit etiam Petrus : « In veritate comperi, quia » in omni gente, qui timet Deum, et operatur justitiam, » acceptus est illi[1] : » Et Propheta ipsum admonet his verbis : « Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comedetis. Si » autem nolueritis, neque exaudieritis me, gladius devora- » bit vos[2]. » Quæ cum ita nota et explorata sint nobis, atque in nostra potestate situm esse ut velimus et curramus, nosque, dum volumus currimusque, Deum nobis conciliaturos ad ejus auxilium obtinendum ; eo porro nobis conciliato, nos rerum exitum assecuturos ; excitemus nos, dilectissimi, atque ad salutem animæ nostræ omne studium conferamus, ut cum modicum in hac vita laborem exantlaverimus, in æterno et immortali ævo illo bonis immortalibus perfruamur. Quæ nobis omnibus ut contingant, faxit gratia et benignitas Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria, simulque sancto Spiritui, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Act. x, 34, 35. — [2] Isaï. 1, 19, 20.

SERMO

DE SIGILLIS LIBRORUM (15).

Et quomodo Filius Patri, Pater Filio offerat, ac de Servatoris incarnatione.

I. Magnum ad salutem animæ viaticum sunt Sacræ disciplinæ. Ferrum enim ferro, anima verbo divino acuitur : pane corpus alitur ; verbo divino anima firmatur ; ut dicit Moyses divinæ doctrinæ vim altricem subindicans : « Non » in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod proce- » dit de ore Dei [1]. » Alimentum igitur animæ verbum Dei est. Quæ enim ad imaginem Verbi creatoris facta est, ratione ornata, et rationabili dignata libertate, quo magis proprio alimento utatur, quam verbo nutriente, instituente, et ad propriam sibi libertatem cito restituente ? Verbum porro dicimus, fratres, non sophistica gravitate ad persuasionem concinnatum ; sed quod fidei simplicitate veritatis testimonium habeat. Spuria quippe reputanda est virtus et

[1] Deut. VIII, 3.

vitæ et verbi, quæ a divino magistro primitias non accepit. Et quantum umbra a corpore, et somnium a veritate, tantum distat a vera Dei sapientia, illa quæ in mundo sapientia reputatur. Quapropter beatus Paulus, vas electionis, qui aliquando egressus ut Sanctos male caperet, ipse pulchre captus est ad salutem hominum, piam et veram doctrinam spuriæ opponens, clare dicebat : «Sapientiam autem » loquimur inter perfectos : sapientiam vero non hujus sæ» culi, sed Dei sapientiam in mysterio [1]. » Sapientia ergo nobis est prophetica lingua et apostolica doctrina, atque Evangelium regni, summa rationabilis potestatis. Evangelii nomen cum audimus, fratres, dignum hujus nominis sensum percipiamus. Multi namque nomina sæpe et assidue cogitantes, rerum ipsarum vim ignorant. Evangelii autem nomen res ipsa quid sit indicat. Præclaram enim illam Servatoris œconomiam nobis annuntiat, quod Deus per summam benignitatem apud homines sit versatus, non æterna illa dignitate sua deposita, sed salutari assumpta incarnatione. Declarat nobis Evangelium quod medicus ægros adierit, non pharmacis curaturus, sed nutu clementiæ suæ valetudinem inditurus : annuntiat nobis quod errantibus via monstrata sit, in tenebris degentibus lux apparuerit, desperatis salus advenerit. Quia enim a lege instituti non resipuimus, et Prophetis monstrantibus non revocati sumus ad cognitionem veritatis, cum ingratus noster animus omnia in periculum conjiceret, humanaque subverteret ; ubi Dei benignitas nos vidit, et a legis instituto defecisse, et a Prophetarum ductu deflexisse, immensa bonitate sua pervicaciam nostram devicit, Evangeliumque regni ceu quoddam regium munus per totum orbem proposuit, nobis indignis omnia benigne largitus est. Prodiit ergo salutaris gratia, quæ omnes beneficiis, iisque variis, affecit, servos

[1] 1 Cor. II, 6.

liberavit, pauperes ditavit, exules reduxit, captivos redemit, omnia omnibus facta est : non quod nos digni essemus, sed propter bonitatem quæ beneficum deceat : qui cum sit natura simplex, indivisibilis, qui nulla figura exprimatur, ipse Deus de Deo, imago invisibilis, « Splendor » gloriæ et figura substantiæ [1], » diversis appellatur nominibus, non quæ naturæ conveniant, sed quæ beneficentiæ competant. Quia enim omnia humana exciderunt, in se omnia suscipit proprietate quadam, appellationes illas suscipiens, quæ gratiæ omnia renovanti competant. Fames quippe magna erat, fames divini Verbi, fames quam synagogæ comminatus est Deus dicens : « Mittam eis non famem » panis, neque sitim aquæ, sed famem audiendi verbi Do» mini [2]. »

II. Cum ergo conspiceret totum orbem fame laborare et deficere ; quod enim est cibi penuria corpori, idipsum est ignorantia animæ ; fons ille bonorum per Evangelia clamat : « Ego sum panis qui de cœlo descendit, et qui dat » vitam mundo [3]. » Panis quippe sensilis ex terra prodit, ut dictum est : « Ut educas panem de terra [4]. » Cœlestis vero panis ex cœlo scaturit. « Ego enim sum panis qui de cœlo » descendit. » Deserta quippe erat terra sitiens, divino destituta Verbo, spirituali irrigatione privata. Quid ergo? Illa ipsa gratia, quæ beneficia emittit, exclamat : « Si quis sitit, » veniat ad me et bibat [5]. » Quia enim diverso modo clamabant Prophetæ, et omnis Sanctorum chorus ejus adventum expetebat dicens : « Deus, Deus meus, ad te de luce » vigilo : sitivit anima mea ad Deum vivum [6] ; » ut ostenderet seipsum esse quem sitiebant Prophetæ, per Evangelia clamat : « Si quis sitit, veniat ad me et bibat. » Si quis est illa affectus cupiditate quæ sic exprimitur ; « Sitivit in te

[1] Hebr. I, 3. — [2] Amos VIII, 11. — [3] Joan. VI, 41. — [4] Psal. CIII, 16. — [5] Joan. VII, 37. — [6] Psal. LXI, 1.

» anima mea, veniat ad me. » Videbat rursus orbem nudum, non corpore, sed virtute. Videbat opificium suum, et misertus est ejus, seque ipsum dat nudis indumentum, » ut jam ante diximus : « Quicumque in Christum baptizati » estis, Christum induistis [1]. » Erraverat terra viam quærens, nec inveniens. Omnis quippe anima semen theologiæ in se habet : et licet in se haberet, nesciebat quomodo id quod desiderabat perquireret. Quia ergo errantes viam ignorabant, « Ego sum via [2], » inquit. At mortuus es ? « Ego » sum resurrectio [3]. » At infirmus es, et ductu opus habes? « Ego sum virga de radice Jesse [4], » quæ sustentat infirmos, de qua dicit Propheta : « Virga tua et baculus tuus ipsa me » consolata sunt [5]. » Cur virga? cur baculus? Quia omni ætati competunt ; juvenes instituunt, senes firmant. Verum, o Domine, « Esurientem me nutrivisti, sitienti potum dedisti, » nudum operuisti, » errantem reduxisti, infirmum sustentasti; viam ingressus, pietatis vestigia assecutus sum : portam veritatis quæro. Quis ostendet ? « Ego sum ostium [6] ; » per me quisque ad Patrem ingreditur. Per te, quare? Porta sum salutis aperta, quam quærit beatus David, qui cum multas cogitasset, unam invenit, et primo dicit : « Aperite » mihi portas justitiæ, ingressus in eas, confitebor Do- » mino [7]. » Postulatum assecutus, ut invenit id quod non expectabat, unam scilicet non multas, repetita voce dicit : « Hæc porta Domini, justi intrabunt in eam [8]. » Deinde prophetica visione, et animi desiderio intus ingressus, quasi intra regiam constitutus, « Confitebor, tibi, inquit, » quia exaudisti me [9]. » Dic, Propheta et theologe, confiteris et gratias agis Deo? Quid expectatione tua dignum invenisti? Qui cupiunt in domum regiam ingredi, sperant se

[1] Gal. III, 27. — [2] Joan. XIV, 6. — [3] Id. XI, 25. — [4] Isaï. XI, 1. — [5] Psal. XXII, 4. — [6] Joan. X, 7. — [7] Psal. CXVII, 19. — [8] Ibid. 20. — [9] Ibid. 21.

oculos exsatiaturos esse spectaculis, auri et marmorum fulgore, divitiarum variis floribus, satellitio et solio regio, regum muneribus. Hæc singuli videre cupientes, regiam expetunt, et desiderio ardent. Tu vero quid desideras eorum, quæ ingressus per portam invenisti? De qua re gratias agis? Quid magnum invenisti? Quid cupiditate dignum? Explica desiderium tuum, ne judaïca impudentia veritatem calumnietur. Quid invenisti? Quid prædicas? Quid miraris? Christum, inquit, inveni, Christi œconomiam vidi, novam gratiam, novum beneficium, gloriosam passionem, arcanum mysterium. Hæc video, hæc miror, pro his gratias ago, dicens: « Confitebor tibi, quia exaudisti » me, et factus es mihi in salutem [1]. » Non celo beneficium, non abscondo salutem, sed œconomiam annuntio. « Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in » caput anguli [2]. » Vides-ne quomodo gratiarum actio historiam aperuerit? « Confitebor tibi, quoniam exaudisti me, et » factus es mihi in salutem. Lapidem quem reprobaverunt » ædificantes, hic factus est in caput anguli. » Vides-ne quomodo omnis Prophetarum expectatio ipsam œconomiam respiciat, et Christum desideret in synagoga contemptum, sed apud gentes celebratum? Itaque ut ad propositum revertamur, si portam quæras, Christum invenies. Et sane, inquies, porta est ob benignitatem suam. Sed quia opus est ei, qui in regiam et in templum Dei ingreditur, ut doctorem eo, quo fert animus, habeat; nemo enim ad altare accedere ausit, nisi sacerdos adsit; cum per portam ingressus fueris, ipsum Sacerdotem invenies, qui te admoveat. « Tu enim es Sacerdos in æternum secundum ordinem » Melchisedech [3]. » Sed opus habet sacerdos hostia et victima, ut Deum propitium reddat; ipse tibi victima est: « Ecce » Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi [4]. » Hæc omnia prop-

[1] Psal. cxvii, 21. — [2] Ibid 22. — [3] Id. cix, 4. — [4] Joan. i, 29.

ter te audivisti ? Audi jam propter ipsum. Ne sistas intuitum in sacerdotii ordine; ne respicias illum ut Sacerdotem astantem : sed respice illum per suam dignitatem cum Patre sedentem. Verum ne adsit veritatis inimicus, qui alia adimat, alia celet. Novi hæreticum quempiam veritatis inimicum sæpe dixisse : « Vides ne non posse quempiam ad Patrem accedere sine Filio? Mediatoris quippe ordinem tenet, ac ministri, qui eos, qui salutem consequuntur, Patri offert. Quia, inquit, nova sapientia veritatem innovat. Non poterat enim humana natura per se ad Deum accedere; ideo medius inter creatam et increatam naturam Filius mundum offert Deo. » O novam insaniam ! o novam fabulam ! Excellens Patris bonitas periclitatur apud hæreticos, qui Divinitatis dignitatem obscurant. Verum hæreticorum insania ferocit ; Servatoris autem potestas non minuitur, gloria non extinguitur, gratia non evertitur. « Si nos, in- » quit, negaverimus, ille fidelis manet [1] : » seipsum quippe negare non potest. Una sedet, ob dignitatem suam : stat vero ut Sacerdos ob sibi innatam benignitatem.

III. Et rem miram considera, frater. Quia in servi ordinem et ministri formam hæc verba detorquent, « Nemo » venit ad Patrem, nisi per me [2], » necessarium est ad hæreticos impietatis crimen retorquere. Si quod Patri Filius offerat, id dignitatem offerentis tollit. Si Patrem videas Filio offerentem, illic impietatem extendis, ac dum impie agis in Filium, in Patrem blasphemas. Ut ergo, fratres, in verbo pietatis et veritatis, nequitiam comprimamus, et piam sententiam declaremus : « Vivus est enim sermo Dei et effi- » cax, et penetrabilior omni gladio ancipiti [3]. » Gladium ancipitem vocat, quia duplici utitur sermone, alio firmante, alio subvertente ; subvertente adversarios, firmante domesticos fidei. Audi ipsum Dominum dicentem : « Nemo potest

[1] 2 Tim, II, 13. — [2] Joan. XIV, 6. — [3] Hebr. IV, 12,

» venire ad me, nisi Pater meus cœlestis traxerit eum [1]. » Necessarium est, fratres, ea, quæ opportuna sunt, hæreticis dicere, et hanc sententiam fidei filiis inculcare. Cur illam oblationem unigenitum Dei Verbum divisit ; modo dicens ab se Patri, modo sibi a Patre offerri? Neque enim ea, quæ ad divinam naturam pertinent, confunduntur. Sed verbum veritatis planum et distinctum est, nihil habens obliquum aut tortuosum. « Omnes enim viæ Domini rectæ [2]. » Num ergo, fratres, Pater, modo sedens primasque tenens, oblatos recipit ; modo Filio, in regio habitu sedenti et primas tenenti, debitum reddit, et in ministri ordine quosdam Filio affert. Absit. Nam in Deo, cum sedem quis nominat, non debet humanum aliquid cogitare : neque, cum stare Deus dicitur, id debet humano more intelligi. Si Deum stare audias, divinæ substantiæ rectam firmitatem intellige: si legas vel audias ipsum sedere, inconcussam beatæ naturæ stabilitatem cogita. Ipse dicit se stare et sedere. Moysi dicit : « Tu sta hic mecum. Et erat locus ubi stabat Deus » Israël, quasi lapis Sapphiri [3]. » Diligenter animadverte : Moyses stantem dicit, et Deus Moysi quasi stans, dicit : « Sta mecum. » Quid ergo censeamus de Jeremia dicente : « Tu sedens in sæculum, et nos perimus in sæculum [4]? » Sedes et statio sunt humana verba : sed sensus est divinus. Quia humana vita huc illuc circumagitur, Deus stare dicitur ; et quia nos minime firmi instabilesque sumus, Deus dicitur sedere, ob stabilitatem suam : quod enim sedet, firmum est. Fuge illa quæ tibi ex vocibus objiciuntur, et cogita illa quæ per fidem percipiuntur. Quomodo ergo offert Patri Filius, quomodo Pater Filio? Neque enim dictum illud sine examine relinquendum est. Pater Filio quosdam conspicuos et probatos offert, Filius quoque Patri quos-

[1] Joan. VI, 44. — [2] Psal. XXIV, 10. — [3] Exod. XXXIV, 2, et XXIV, 10. — [4] Baruch. III, 3.

dam conspicuos et probatos offert. Ne tu præoccupans dictum ad calumniam abripias, sed expecta finem et de dicto judica. Ne sis judex inimicus, sed concertator benevolus. In Israël Deus et Pater cognitus erat, Filius ignorabatur. Apud Gentes autem et Pater ignorabatur et Filius. Nam multiplicium deorum errore detinebantur. Ubi Pater notus est, Filius vero ignoratur, ignoti Filii interpres est Pater. Sermonem resumam, ut intelligentiam statuam. Ubi Pater notus est, de Filio autem dubitatur, notus ignoti fit interpres. Ubi Pater ignoratur, ignoti præco Filius efficitur. Ideo ut accuratum dictorum examen accipias, sponsorem tibi Evangelium præbeo. Dicit Servator de Gentibus: « Nomen tuum manifestavi mundo [1]; » imo ignoranti mundo nomen tuum manifestavi. Quod nomen manifestavit? Quod Deus esset. Atqui cognitio nomen præoccupaverat. Nam qui in errore versantur, Deum dicunt; et qui a pietate sunt alieni, nomen non negant. Quod ergo nomen manifestavit? Quod Pater vocetur: « Manifestavi nomen tuum mundo. » Vides-ne quod, ubi Pater ignotus est, Filius sit interpres, qui per prædicationem evangelicam veritatem declaret? Ubi vero Pater notus esse putabatur, Filiusque ignotus erat, Pater ignoti interpres fuit; exempli causa, ut ipsis rebus veritatem demonstrem : Paulus Deum noverat, Filium non noverat : norat Deum, non norat Deum esse Christi Patrem. Eratque pietatis studiosus, ac pro lege pugnabat. Deus zelum respexit ignorantia plenum, sed studio ardentem. Ecquid agit? Demonstrat ignoranti ignotum. Qui nobis hæc explicabit? Is ipse, qui aliquando ignoravit, et postea cognovit; qui aliquando persecutus est, et postea prædicavit. Quid enim ait? « Et eram æmulus paternæ legis, supramodum persequens Ecclesiam Dei. Cum » autem Deo placuisset, qui me segregavit ex utero matris

[1] Joan. xvii, 6.

» meæ, et vocavit per gratiam suam revelare Filium suum » in me [1], etc. » Testimonium quippe allatum est ad quæsitum demonstrandum, non ad loci illius speculationem. Rursum Servator Apostolos interrogat : « Quem dicunt ho- » mines esse Filium hominis [2] ? » Interrogat non ut discat; sed ut depulsa alia opinione, veritatem firmet. « Quem me » dicunt homines ? » Apostoli primum multorum opiniones referunt, « Alii, inquiunt, Heliam, alii Jeremiam, aut unum » ex Prophetis [3]. » Quid ergo Servator ? Falsis opinionibus nihil respondet, quod responsione indignas judicet. « Vos » autem quem me esse dicitis [4] ? » Non curo multos illos errantes, sed vos præcones. Quia enim vos estis qui lucernam veritatis, prædicationemque pietatis per totum orbem nuntiaturi estis, in vobis versantur humana, in vobis veritas periclitatur. Ac sicut vestra cognitio commune hominum beneficium est, sic vestra ignorantia commune orbis detrimentum. « Idcirco vos quem me esse dicitis ? » Respondit Petrus. « Tu es Christus Filius Dei vivi [5]. » Hic fidei terminus, hoc veritatis verbum, hæc rectæ sententiæ confessio est. Verum quia fieri poterat, ut hæc vox aliis æqualis haberetur, illas responsione non dignatus est, huic vero calculum addit. Et quid ait ? Ne putaretur hoc dictum etiam humanam esse opinionem, illud obsignans et sigillum veritatis addens, dicit : « Beatus es, Simon Barjona. » Hic in memoriam revoca Patrem, ei qui se noverat, eum quem ignorabat, revelare. « Beatus es, Simon Barjona, quia caro » et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis » est [6]. » Vides-ne quomodo toti orbi, qui Patrem ignorabat, Filius ignoti interpres sit : synagogæ autem et Judæis, qui Deum quidem se nosse putabant, sed Dei Verbum Deum non noverant, ipse Pater interpres ignoti efficiatur ?

[1] Gal. I, 14-16. — [2] Matth. XVI, 13. — [3] Ibid. 14. — [4] Ibid. 15. — [5] Ibid. 16. — [6] Ibid. 17.

IV. Ne itaque summam benignitatem impietatis viaticum statuas; ne minuas dignitatem propter incarnationem; ne curiosius inquiras immensam illam naturam; ne scruteris essentiam incomprehensibilem. Tibi Esaïas suadeat non esse illa disquirenda, nec scripto agitanda. Nam ait : « Generationem ejus qui enarrabit [1] ? » sed, o impudentem audaciam eorum qui omnia temere sentiunt et effutiunt ! Neque timet Anomœus Dei naturam scrutari, et ineffabilia temere loqui, atque sancta traducere : ac jure quidem. Quia enim veritatem ignorat, quæ ignorat effert, ut quæ prædicantur occultet. Non audivit sanctam Scripturam monentem : « Quæ tibi mandata sunt, hæc cogita [2] : » neque enim arcanis tibi opus est. Beatus Deus, qui solus mirabilia patrare potest, cum vellet Jobum, illum patientia sua illustrem, historia creationis obstupefacere, ait illi : « Ubi » eras cum terram fundarem ? cum mare fieret [3] ? » Ut paucis absolvam, « Cum montes formarentur ? Tu partus tra- » gelaphorum observasti ? Enarra mihi mundi formationem, » ferarum partus, jumentorum escam, constitutionem et » varietatem omnium quæ in mundo sunt [4]. » Hæc ipsi dicebat, ut illum doceret etiam ea in mundo, quæ sub aspectum cadunt, non posse ab hominibus comprehendi. Deinde Beatus ille obstupefactus dicit : « Domine, semel » locutus sum, secundo non adjiciam [5]. » Quæso te, rerum, quæ sub aspectum cadunt, perquisitio Jobum compressit, et audaciam tuam ne ineffabilis quidem Unigeniti generatio reprimet ? Verum quia illa quæ ignoras explicas, ea quæ omnes novimus abs te quærenda sunt. Dic mihi quomodo terra super aquas fundata sit, quomodo Adam ex terra formatus sit, quomodo manna suppeditatum, quomodo mare divisum, et ne longior sim, reliqua miracula. Dic mihi

[1] Isaï. LIII, 8. — [2] Eccli. III, 21. — [3] Job. XXXVIII, 4. — [4] Id. XXXIX, 1 et seqq. — [5] Ibid. 35.

quomodo Angeli appositum sibi ab Abrahamo vitulum comederint. Nullus ibi venter, nullum ciborum receptaculum in Angelis. « Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros » suos ignem urentem [1], » quomodo absumptus cibus est? Statim hæreticus: « Quid hic impossibile quæris? Angelorum virtute evanuit. » Angelorum virtutem credis, nec examinas, et Dei generationem curiose scrutaris? Quomodo fecit Deus cœlum et terram? Respondet, ut novit, ut voluit: Ita-ne Dei potestas ratiociniis non subjicitur, sed fidei, divina autem generatio ratiociniis addicitur? Non audisti Davidem dicentem: « Omnia quæcumque voluit Dominus » fecit [2]? » Voluntatem non perquiris, et naturam curiose scrutaris? Ecquid, fratres? Quæ Deus volens effecit, videntur; is vero quem ex propria substantia genuit, invisibilis est. Opera quæ videntur sunt imago Dei invisibilis: nunc autem in ratiocinio versatur invisibilis generatio, ratiociniis subjicitur. Quæ volens fecit non examinantur, et quod per divinam et intemeratam naturam protulit curiose scrutaris! O novam audaciam! o temerarium conatum! o consilium turpe! o naturam inhonoratam! Jure dicebat beatus David: « Filii hominum usquequo gravi corde, ut » quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium [3]? » Quodcumque enim alienum est a Christi doctrina, vanum est et mendacium. Nam si vere dicit: « Ego sum veritas [4], » quæcumque extra Christi doctrinam sunt, ad mendacium ducunt. Reduc animum tuum ab infimis illis quæstionibus, et a variis ratiociniis ad sublimem theologiam, et mitte inopem illam ratiociniorum perquisitionem: accipe veritatis thesaurum: « Simile est regnum cœlorum thesauro » abscondito [5]. » Cur Servator thesaurus vocatur? Hic diligenter attende. Ut thesaurus non tunc constituitur, cum

[1] Psal. CIII, 4. — [2] Id. CXXXIV, 6. — [3] Id. IV, 3. — [4] Joan. XIV, 6. — [5] Matth. XIII, 44.

reperitur, sed vetus est depositione, novus inventu, sic salutare Verbum, vetus est dignitate, et principium omnium, nam « In principio erat Verbum [1]; » nova autem prædicatio propter carnis œconomiam. Et sane, frater, ut discas ipsum thesauri instar desiderantibus splendere, et qui illud reperiunt quasi ad thesaurum accurrere, Andreas Petro repertum indicans ait : « Quem scripsit Moyses in » lege, et Prophetæ, invenimus Christum [2]. » Moyses enim et Prophetæ in sacris libris, quasi thesauris prædicationem deposuerant. Verum sicut illi, qui occultum thesaurum deponunt, ipsi quidem depositum norunt, oculis vero lustrant, ne ab aliis facile abripi possit : sic Prophetæ, dum Christum prædicarent, obscuritate verborum thesaurum occultarunt. Quare? Si clare dixissent, non fuisset prophetia, sed prædicatio, et intempestiva locutio prædicationis opportunitatem præoccupasset. Quid ergo faciunt? Interpretantur et occultant. Quis hoc dicit? Esaïas : « Et » erit hic liber quasi liber obsignatus : qui si detur viro » scienti litteras, dicet : Non possum legere; obsignatus » enim est. Et si detur nescienti litteras dicet : Non possum » legere, quia non didici litteras [3]. » Quid sibi vult hoc ænigma? Prophetia de Christo, inquit, et a Judæis et a Gentilibus ignorabatur. A Judæis, qui litteras sciebant, et legem et Prophetas, quia obsignata erat. Judæi litteras sciebant et instituti erant. Ideo dicit illis Deus : « Qui gestamini ex » utero, et instituimini usque ad senium [4]. » Instituti erant, sed nesciebant, quia res obscuritate tegebatur. A Gentilibus vero ignorabatur, non propter obscuritatem, sed quod prorsus litteras ignorarent. Ideo Paulus Timotheo, qui in lege educatus fuerat, dicit : « Quia ab infantia sacras Litte- » ras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem [5]. » Erat

[1] Joan. I, 1.— [2] Ibid. 45.— [3] Isaï. XXIX, 11, 12.— [4] Isaï. XLVI, 3. — [5] 2 Tim. III, 15.

ergo prophetia ut thesaurus in sacris libris occulta. Non recedendum enim est a ratione occulti. Neque Esaïas solus prophetias exhibet obsignatas, sed etiam Daniel : nam dicit illi Angelus, postquam ipsi futurorum revelationem monstraverat : « Et tu, Daniel, obsigna librum hunc visio» nis, quia interpretatio ejus procul [1]. » Ideo beatus David, cum legem et Prophetas ex persona populi legeret ; neque enim ipse qui prophetice loquebatur, ignorabat ; ut ostenderet se quamdam Christi œconomiæ notitiam capere, sed non posse intelligere ob dictorum obscuritatem, quid simile passus est iis qui crumenam obsignatam vident. Quid ergo facit cum litteras videt, nec potest sensum capere ? dicit : « Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de » lege tua [2]. » Et rursum : « Benedictus es, Domine, doce me » justificationes tuas [3]. » Annon legisti in lege ? Annon te Moyses Decalogum docuit ? Sed tua volo discere, abs te legislatore, a fonte legis volo discere legis veritatem. Verum discere quærebat ; sed gratia recondebat iis qui beneficium accepturi erant. Ideo dicebat Servator Discipulis : « Multi reges et justi desiderarunt videre quæ vos videtis, » et non viderunt ; et audire quæ vos auditis, et non audie» runt. Vestrum autem beati oculi, quia videtis [4]. »

V. Sed quærimus quandonam sigillum fractum fuerit, quando vinculum ignorantiæ solutum, et quæ clausa erant, aperta fuere. Postulat id a nobis auditor ; præter doctrinam, modum etiam sigilli significasti, et tempus solutionis ejus non dicis ? Clausas ostendisti januas, annon ostendes reseratas ? Quid ergo ? Uno verbo multa expediens, quæsito faciam satis. Quid igitur ? Post Servatoris resurrectionem, cum divina gratia ignota multis esset, duo quidam Discipulorum in vicum abierunt, et mutuo ut amici in via disse-

[1] Dan. XII, 14. — [2] Psal. CXVIII, 18. — [3] Ibid. 12. — [4] Luc. X, 23, 24.

rebant de œconomia. Servator mutata forma et vocis sono; quod enim videntibus facies, hoc vox iis qui faciem non vident; occultat et vocem et formam, dicitque illis is qui omnia novit : « Qui sunt isti sermones quos confertis ad » invicem [1]? » Respondit ei qui omnia noverat is, qui ab ipso omnia didicerat : « Tu solus peregrinus es in Jerusalem, et » nescis illa quæ facta sunt in ea [2]? » Quibus ille : « Quæ? » Ille Deus qui omnia novit et interrogat, Filius ejus est qui dixit Caïno : « Ubi est Abel frater tuus [3]? » Dicunt illi : « Ea » quæ de Jesu Nazareno, qui fuit vir potens opere et ser- » mone [4]. » Adhuc ne vir? Post tot miracula vir? post tot opera, post tantam divinæ potentiæ demonstrationem? « Nos autem, » inquiunt (ne longiores omnia scrutando simus) : « Nos autem sperabamus, quod ipse redempturus » esset Israël [5]. » Vide quomodo in ipsis fides fere extincta esset, et œconomiæ spes sublata. « Nos expectabamus; » non dicunt : « Expectamus, » sed « Expectabamus. » Noverat fidem in ipsis infirmam esse, et mente declinare : astititque, qui labantes firmat, et fractos omnes erigit. Quid illis ait beneficus ipse? « O stulti et tardi corde! non intelligitis Scrip- » turas? Nonne hæc oportuit Christum pati, et intrare in » gloriam suam. Et incipiens a lege et Prophetis, aperuit » ipsis Scripturas [6]. » Vides-ne? quandiu abfuit Christus, non aperta fuit veritatis janua, non solutum est ignorantiæ vinculum. Aperuit Scripturas quasi clausas januas : quas januas? De quibus ait Paulus : « Ut Deus aperiat januam » gentibus [7]. » Et rursum de Cornelio : « Numquid etiam » gentibus aperuit Deus januam pœnitentiæ [8]? » Et vide quid dispenset ille fons bonorum. Cum ad vicum Emmaüs pervenit, quo tendebant viatores, adhuc illis ignotus, dubitanti

[1] Luc. XXIV, 17. — [2] Ibid. 18. — [3] Gen. IV, 9. — [4] Luc. XXIV, 19. — [5] Ibid. 21. — [6] Ibid. 25-27. — [7] Col. IV, 3. — [8] Act. XIV, 27.

apparuit. Ubi enim cum illis recubuisset, primo ut peregrinus benigne exceptus (nam dicebant : « Mane nobiscum, » quia inclinata est dies[1]), » ne ignorantia dignitatem prorsus obtegeret, accepto pane, benedixit, fregit et dedit, et aperti sunt oculi eorum, cognoveruntque illum. Cur primo panem dedit, et aperti sunt oculi eorum? Quia cibus Adami oculos male aperuerat, substitutus est nunc cibus novam visus restitutionem efficiens. Oculos aperiant hæretici, et lucem veritatis videant. Illum videant, qui in principio Deus erat, Deus et Dei Verbum. Sæpe audiant illud : « Erat, » et cessent dicere : « Non erat. In principio erat Verbum[2]. » Non confestim hoc prædicatum fuit, neque enim hoc capiebat mundus. Certe quatuor Evangelistæ, Matthæus, Marcus, Lucas et Joannes, cum prædicationem incœperunt, non statim locuti sunt ea quæ ejus dignitati competebant, sed auditorum captum spectarunt. Matthæus sic Evangelium incipit : « Liber generationis Jesu Christi filii David, » filii Abraham[3]. » Quare non Filii Dei? Cur inope dicto dignitatem occultas? Cur hominibus divina abscondis? Apud Judæos, inquit, prædico, qui ne justum quidem hominem putant esse Christum. Filium Abrahæ nondum admiserunt, et Filium Dei annuntiari patientur? Et unde hoc? Quia nec ex genere Abrahæ esse confitebantur. Non audisti illos sæpe blasphemantes dixisse : « Samaritanus es tu, » et dæmonium habes[4]? » Qui illum ex Sanctorum genere ejiciebant, dignitatem-ne divinam admisissent? Quid ergo ait? « Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abra- » ham. » Primo illos dilectis nominibus inducit, quibus genere copulabantur, ut hinc allecti paulatim veritatem invenirent, nempe generationem sine passione, intemeratam, Deo dignis vocibus prædicatam, omnibusque traditam.

[1] Luc. XXIV, 29. — [2] Joan. I, 1. — [3] Matth. I, 1. — [4] Joan. VIII, 48.

Rursum beatus Marcus, Evangelium aggressus, anteriori fretus exercitio, dicit quidem Filium Dei : sed statim sermonem compressit, et sensa minuit, ut alliceret auditorem. Baptistam ergo statim memorat, dicens : « Initium Evange»lii Jesu Christi, sicut scriptum est in Hesaïa Propheta : »Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præ»parabit viam tuam ante te[1]. » Lucernam veritatis ostendit, et statim occultavit. Et primo profert ministrum, ut voce illa institutus auditor, sanum et perfectum divinæ cognitionis verbum tandem exciperet. Sequitur Lucas tertius, et post illos medium tenet locum, divinumque verbum attingit, sed non interpretatur, dignitatem explicat; sed ait : « Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narratio»nem earum quæ in nobis completæ sunt, rerum : visum »est et mihi assecuto omnia a principio scribere; sicut »tradiderunt nobis, qui a principio ipsi viderunt, et mi»nistri fuerunt Verbi[2]. » Sed Verbum quidem dixit; non dixit tamen : « Deus erat Verbum. » Quid ergo facit? Postquam rem attigerat, cogitans se mortuis auribus insonare, dignitatem celat, et œconomiam profert : « Fuit sacerdos »Zacharias[3], etc. » Omnes ergo ad carnis œconomiam venerunt, et per miracula dignitatem sensim indicarunt. Prædicabatur Dei Verbi dignitas, tela contra hæreticos occultabantur, et rectæ sententiæ propugnaculum nondum pietatis prædicatione excitatum fuerat. Joannes ergo filius tonitrui postremus ad theologiam accessit post tres illos præcones, et jure hic secutus est; illi præcesserunt, et paululum fulguris emiserunt. Quemadmodum enim fulgur tonitru præcedit, ne repente ex nubibus erumpens aures percellat; ita antequam Joannes tonaret, tres Evangelistæ instar fulgurum præcesserunt. Illi instar fulgurum œconomiam illustrarunt. Hic theologiam tonat. Tonitru autem,

[1] Marc. 1, 1, 2. — [2] Luc. 1, 1, 2. — [3] Ibid, 5.

fratres, post pluviam, tonitru terriculum est improborum. Ac sicut cœlum tonitru ceu tuba quadam usum, pluviam advocat, sed prius pluviam excitat; nam Deus « Fulgura » in pluviam fecit[1]. » Deinde tonitru nubes commovet. Quid igitur? Quia præcesserant tanta Verbi fulgura, sequitur demum, ut dixi, tonitru theologiæ, quod multos sublimitate sua percellat, sed benedictionis imbres emittat. Et nobis quidem tonitru theologiæ efficitur; hæreticis vero tonitru, quod malas bestias sublimitate vocis depellat. « Ab » increpatione tua fugient, a voce tonitrui tui formida- » bunt[2]. »

VI. Accurramus ergo ad eum qui in principio erat Deus, accurramus ad æternam lucem, accurramus ad Verbum propter te factum hominem. Cum dico « Factum, » non mutatam dico naturam, sed divinam dignitatem nostra assumentem. Illud enim : « Verbum caro factum est, » non lapsam naturam indicat, sed infirmitatem nostram assumptam. Nam si illud : « Factum est, » mutationem esse putas; si audias Paulum dicentem : « Christus nos redemit a ma- » ledicto legis, factus pro nobis maledictum[3]; » maledictum in naturam referes, et mutationem maledicti dici putabis. Ut ergo illud : « Factus maledictum, » nihil significat, quam quod ipse maledictum in se susceperit : sic illud : « Et Ver- » bum caro factum est, et habitavit in nobis[4], » nihil aliud significat quam carnis assumptionem. Habes apud te imaginem : verbum sive sermo tuus circa Dei Verbum te instituet, non omnimoda similitudine, sed quod vestigium quoddam præ se ferat, et emphasim divinæ dignitatis. Hic vero mihi animum adhibe diligenter, ne incassum verba proferantur, et divina sensa obruantur. Sermo hominum obscura est imago, quæ non totam dignitatem exprimit;

[1] Psal. cxxxiv, 7. — [2] Id. civ, 8. — [3] Gal. iii, 13. — [4] Joan. i, 14.

sed quæ ex nostris ea quæ supra nos sunt edocet. Sermo noster incorporeus est, invisibilis, intractabilis, qui auditu solo percipitur. Nullus sermonem ex visu novit, nullus manu apprehendit; sed est invisibilis, infractabilis, unoque auditus sensu capitur, idque invisibili modo. Neque enim auditus extensa manu capit illum; sed ipse sermo ingressus tenetur. Sermo ipse gignitur a mente : gignitur autem non passione, non visu, non divisione; non pars deciditur ex mente generantis, non separatur, non scinditur. Hic mihi aures commoda, hæretice. Intellige primum tua, et tunc ea quæ supra te sunt imaginare. Gignit mens, prodit verbum, prodit ex generante, et omnes qui audiunt replet, nec a genitore recedit. Prodit sermo, qui in omnes distribuitur, et nusquam scinditur. Unusquisque totum excipit verbum, et est in singulis, et in tot distributus, totum tamen infunditur. Noster itaque sermo mentem generantem in se demonstrat. A verbo namque mens comprehenditur. Illud autem animadvertas velim : hoc nostro sermone Deus œconomiam Dei Verbi præfigurans, imaginem quamdam mirabilem præmittit, terrenis floribus decoratam, quæ tamen sermonis rationi competat. Quid igitur? Sermonem nostrum, invisibilem, incorporeum, qui teneri nequeat, alio quodam sapienti modo conformans, id efficit ut et videri et teneri possit. Quid enim facit? Quia visu non percipiebatur, illum litteris ceu corpore vestivit, et litterarum speciem ceu carnem ipsi circumposuit : ac quem audiens non cernebas, legens conspicis, quem legere non poteras, in libro circumfers. Verum sermo per litteras corporeus efficitur, in litteris tamen non concluditur : sed est et cum dicente et cum legente. Si quis, fratres, librum discerpat, corpus sermonis discidit, non sermonem. Et ut discas non consumi sermonem una cum litteris, dicit Deus Jeremiæ : « Sedens scribe in libro omnes sermones, et trade Joachim

» regi [1]. » Erat autem sermo reprehensione plenus. Quoniam igitur optimates reprehensiones non ferunt; neque enim dignitas facile justitiæ subjicitur, sed veritatem obscurat; reprehensionibus illis offensus, illum scalpello scribæ discissum in focum ignis conjecit. Quid ergo Deus ad Jeremiam? « Sedens eosdem sermones scribe, et da regi [2], » ut discat se litteras dissecuisse, nec sermonem scidisse. » Vidisti imaginem? jam mentem in sublime age. Dei Verbum, sive sermo Deus unigenitus, corpus induit, ut qui non apparebat appareret; carnem induit, ut contrectari posset qui ante non contrectabatur. Ideo Joannes, cum invenisset illud desiderabile, quod aliquando auditu tenebatur, demumque visu percipiebatur, dicit : « Quod erat a principio, quod » vidimus et audivimus, et manus nostræ contrectaverunt [3]. » Carnem itaque gestavit, vestem dignitatis, vestem decentem. Nam « Dominus regnavit, decorem indutus est [4]. » Judæi impugnant eum qui apparuit, qui non apparentem ignorabant; et carnem quidem crucifigunt, sed Divinitatem non occidunt. Nam si sermo meus non perit cum litteris, quæ sunt indumentum ejus, an Deus Verbum, fons vitæ cum carne perierit? Passio corporis, impassibilitas dignitatis est. Cur ego dicit Paulus : « Nam si cognovissent, nun- » quam Dominum gloriæ crucifixissent [5]? » Quia is, qui carnem induit, passionem carnis sibi propriam reddit. Vestem regiam si contumelia affeceris, annon illa indutum contumelia afficis? An nescis eum, qui regiæ imagini contumeliam infert, in dignitatem prototypi contumeliam vertere? An ignoras eum, qui vel ligneam vel æneam statuam dejicit, non quasi ligneam materiam læserit plecti, sed quasi in ipsum regem manus extenderit de medio tolli? Materia inanimata quæ regis imaginem præfert, contumeliam in

[1] Jer. xxxvi, 2. — [2] Ibid. 28. — [3] 1 Joan. i, 11. — [4] Psal. xcii, 1. — [5] 1 Cor. ii, 8.

regem transfert. Forma autem vivens, quam induit Deus Verbum, si contumelia afficiatur, annon contumeliam in illum, qui ea induitur, transferet? Dignitatem intellige, et œconomiam ne contumelia afficias. Verum hæc jam satis sunto : quæ vero restant de Deo Verbo tractanda, alteri orationi reservantes, ordine quodam moderationem ejus honore afficiamus, et Deo gloriam referamus, Patri et Filio, et Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

CONSTANTINOPOLITANI

ARCHIEPISCOPI,

INTERPRETATIO IN DANIELEM.

CAPUT I.

I. « Et dixit Rex Asphanesio principi eunuchorum suo-» rum, ut introduceret de filiis captivitatis filiorum Israël, » et de semine regni, et de Phortommin [1]. » Phortommin aut gentem dicit, aut genus : imo potius gentem, eamque fortasse barbaram. Id autem permittitur, ut ex comparatione potestas Dei appareat; et ut quod in vulgo factum erat, etiam in sapientia eveniat. Nam ne quis persicam sapientiam causam putaret eorum quæ contingebant, alii quoque una cum ipsis edocentur, ut scilicet id confutetur. Ex comparatione enim, maxime apud insipientes judicantur res. Ideo Deus ubique arguit a comparatione; et cum de seipso loquitur, non dedignatur se cum diis comparare ac conferre. Atque ipsi dicunt : « Non est similis tui in » diis, Domine [2]. In quibus nulla esset macula, et pulchros » aspectu, et intelligentes in omni sapientia [3]. » Pulchritudo quoque impedimentum est ad castitatem, et ad sapientiæ

[1] Dan. 1, 3. — [2] Psal. LXXXV, 8. — [3] Dan. 1, 4.

studium. Qua vero de causa tales etiam requirit, qui et membrorum bona habitudine et aspectus pulchritudine cæteros omnes antecellant? Audiamus. Si rex tales quærit, atque rex barbarus; quanto magis Deus, qui decoris animi amator est? Si regi astare non mereantur ii qui maculam habent in corporibus : ait enim ; « In quibus nulla » esset macula : » multo magis non decet Deo astare eos quibus maculosus est animus. Merito autem et robustos requirit, ad domestica scilicet ministeria : aut robur etiam animi significat : hoc est qui valeant stare coram rege. Pulchros vero aspectu cur expetit? Illa enim usui sunt, sapientia nimirum et mentis perspicacitas : at venustas cui bono? Videlicet ut barbarus, et ut vir sæculo deditus, hanc ex immensa honorum cupidine exquirit. Nam philosophum bona animi tantum desiderare oportet. Sed quemadmodum decoras vestes cupimus, non ad usum tamen; ita iste decoras facies, velut statuas flagitat. At Deus quam ob causam pulchritudinem fecit? Audi alium dicentem : « A mag- » nitudine enim et specie creaturarum Creator per propor- » tionem videtur [1]. » Multa etiam quis videat non modo ad usum, sed et ad decorem quoque corpori nostro indita esse. Colores namque ac coloris pulchritudo ejus rei gratia, non autem ob usum duntaxat existunt. Fieri siquidem potest ut homo niger sit, nec inde ullo modo lædatur in iis quæ ad usum spectant. Habemus vero et capillos eadem de causa, sicut Paulus ait : « Vir quidem si comam nutriat, » ignominia est illi [2] : » Cervix quoque erecta, quæque congruum habet interstitium; denique reliqua ob eumdem decorem nobis sunt concessa, adeo ut si minimum quid a toto detraxeris, pulchritudinem evertas, manente tamen usu. Unde præcipue ad speciem nobis Opifex hoc animal condidit : nec tantum hoc, sed et reliqua omnia. Verum

[1] Sap. XIII, 5. — [2] 1 Cor. XI, 14.

pulchritudinis hujus aliis quidem plus, aliis vero minus largitus est. Complures autem post ortum, qua carebant, venustate induit. Porro ex ipso situ quoque decorem perspicies; quemadmodum in oculis, quod in sublimi loco instar Iridis positi sint, quod intus tornatam rotunditatem, colorum mixturam, accuratam formam, germanitatem, ingenuitatem et candorem habeant. Sed, inquiet aliquis, pulchritudo offendiculum fuit. Non propter pulchritudinis naturam id contigit, sed per ignaviam eorum qui illa capiuntur. Dicit enim Scriptura : « Ne respicias pulchritudinem alienam [1]. » Non dixit absolute : « Ne respicias pulchritudinem : » sed addidit, « Alienam. » Quare laudat eos qui propria fruuntur venustate. Cur enim decor Josephum non pessumdedit, nec ignavum effecit, nec replevit insania et fastu? « Cerva, inquit, amicitiæ et pullus gratiarum tuarum versetur tecum [2]. » Pulchritudo etiam vinculum est nuptiarum, ut scilicet homines impotenti corporum desiderio flagrarent. Nam cum Deus nobis vitam laboriosam ac miseram adornasset, solatium quoque aliquod donavit. Hinc nobis fomes dilectionis illius quæ omnia complectitur. Multa quippe cura providit Deus ac effecit, ut nuptiarum vinculum firmum ac infractum maneret. At, inquiet idem, pulchritudo offensioni ab initio fuit. « Videntes enim filii » Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt » sibi [3]. » Offendiculum non fuit species, sed illorum incontinentia. Filias enim non ideo Deus speciosas fecerat, ut impudentes fierent, sed ut unusquisque suam adamaret. « Et intelligentes, inquit, in omni sapientia, » id est, studiosos et omnis sapientiæ capaces : « Ut doceret eos litteras » et linguam Chaldæorum [4]. » Moyses quidem, cum esset unus e vulgo, ut rex enutritus est : hi vero, cum ex stirpe

[1] Eccl. XLI, 27. — [2] Prov. V, 19. — [3] Gen. VI, 2. — [4] Dan. I, 4.

regia orti essent, inter servos heriles educabantur. Pulchre provisum est, ut illi discerent litteras et linguam Chaldæorum; ne scilicet quando Daniel de magnis illis rebus cum rege loculturus esset, aliquis interveniens nonnihil eorum quæ dicerentur depravaret. Quanam autem de causa adhuc id fit? Ut intelligas illius philosophiam, et statim a principio videas quo pacto ventre potior sit. Alius quippe dixisset : « Captivus sum; nullo alio ex loco necessaria ad victum mihi suppeditantur; omnino ignoscet Deus. » At non ita iste : non enim mercedis alicujus gratia, aut ex timore tantum, sed etiam ex charitate Deo serviebat. Multa cura educatus est, nec breve tempus in studia insumpsit. Tres annos philosophabantur, et tres annos jejunabant. Vides prudentiam? Ubi cautione opus est, valde exactus est, provisus ac circumspectus; nec temere seipsum conjicit, sed supplicat ac precatur : ubi vero nullum detrimentum est, linguam barbaram et ejusmodi sapientiam discere non renuit. Non enim crimen erat hanc discere, verum ea uti. Sic præcipue intelligebat sapientiam suam : atque iterum ex comparatione, ut disceret nullam esse sapientiam Hebraïcæ similem, utque fortior evaderet. Quod si id fuisset iniquum, ibi profecto restitisset, atque adeo repugnasset. Vides illius virtutes ab eadem origine profluxisse, ex qua ii qui ventri indulgent, ex qua ii qui alia præferunt mannæ? Inde Daniel cum esset ortus, philosophum se esse ostendit. « Et » in his fuerunt de filiis Juda, Daniel, et Ananias, et Aza» rias, et Misaël. Et imposuit eis nomina præpositus eunu» chorum; Danieli quidem, Baltasar; et Ananiæ Sedrachus, » et Azariæ Abdenago; et Misaëli Misachus [1]. Danieli, in» quit, imposuit nomen Baltasar. » Ita quoque Deus illorum vocabatur : quin potius sic appellabatur filius regis. Ausus-ne est igitur captivum eodem nomine insignire? Prorsus

[1] Dan. 1, 6, 7.

id ausus est (16) : nisi quod non est idem nomen ac decus, sed multa intercedit differentia, sicut in Josepho, adoravit eum pater ipsius [1]. Sed quid magni, nomen illud ei inditum esse? Nonne etiam hodie inter plebeios videmus regum nominibus appellari multos? At non in regia, dicet aliquis. Cum autem rei gratia nominum ista mutatio fit? Aspice res undique disponi. Non videt somnium rex, priusquam tres illi anni completi sint. Vides providentiam Dei? Cur igitur? Ut majori libertate loquendi Daniel frueretur. At, dixerit aliquis, manifestius in admiratione ac claritate fuisset Daniel, si ante tres illos Nabuchodonosor somnium vidisset? Atqui edictum illud contra pueros prolatum non fuisset : aliter autem nec Danieli creditum esset. Propterea in parvis ac exiguis rebus eunuchus benevolentiæ Dei erga illos periculum facit, ut quando de majoribus rebus illum postulaverint, diffidens non respuat, et ut discant ea lingua optime loqui, ad majorem nimirum fiduciam obtinendam. Nonne vides David id contigisse, cum rex Saül de rebus ex ætate judicans, illi pollicenti quod alienigenam interfecturus esset, fidem non habuit? De cætero adverte Danielem instituti ac sectæ barbaricæ causam et rationem intellexisse. Barbarorum quippe disciplinas accurate didicerunt Moses et Daniel. Ne enim ignorantia adducti, putarentur sua alienis præferre : ea permisit illis, etiam alienæ scientiæ participes fieri : ut quando videris seu potius audieris Mosem dicentem ; « Non est sapientia qualis nostra ; » non propensionis nec amoris censeas esse sententiam, sed recti judicii. Nam dici nequit Danielem odio erga præceptores resiliisse ab illorum doctrina. Ambo enim, Moses et Daniel, multo honore ab extraneis afficiuntur, et tamen gentis suæ instituta anteponunt. Et hoc est quod cum admiratione de Mose dicebat Paulus : « Non elegit temporali

[1] Gen. XLVII, 31, et Hebr. XI, 21. — [2] Deut. IV, 6.

» peccati voluptate frui; majores Ægypti thesauris divitias » esse ratus Christi probrum [1]. Et posuit Daniel in corde » suo, ne pollueretur in mensa regis, et in vino de potu » ejus. Et rogavit præpositum eunuchorum ne contamina- » retur. Et dedit Deus Danielem in misericordiam, et in mi- » serationem in conspectu principis eunuchorum [2]. » Aspice Danielem a bonis operibus incipere. Ita ex eo tempore ostendit magnum se esse, atque admirabilem. Quare Scriptura præstantiori cum nomine (Danielis) appellat. Porro in quibus poterat, legem servabat. Quis alius, quæso, mensam regiam censuisset esse piaculum? Aspice quomodo statim ab exordio suum erga sapientiam amorem demonstret. « Et rogavit, inquit, præpositum eunuchorum ne con- » taminaretur. » Animadverte quam non sit ambitiosus. Non dixit : « Animam mihi potius adimi patiar : » sed rogavit, ut si fieri posset, lateret. Quam ob causam, inquit, honores ambirem. At non sic Josephus, nec Moyses. Quid igitur? Illos-ne condemnabimus? Absit. Nescierunt enim quidnam illud esset. Nondum siquidem existebat illa, quæ postea a lege est instituta, ciborum repudiatio (17). Vide ipsum et arguentem et philosophantem, et in parvis rebus specimen sapientiæ suæ exhibentem. Atque id est quod dicebant Apostoli : « Hæc oportebat prius facere, et illa non omit- » tere [3]. » Hæc autem Daniel faciebat, non quod idolis sacrificata essent quæ apponebantur, sed quod a lege essent prohibita. Quomodo igitur eunuchorum magistro persuasit? Adverte ut statim tibi solvat dubitationem. « Dedit, » inquit, Deus Danielem in misericordiam et in miseratio- » nem in conspectu principis eunuchorum. » Illud etiam Josepho accidit : in Ægypto quoque Josephus misericordiam consecutus est, et gratiam invenit apud coquorum præfectum : porro utrique servi, et in barbarico solo degebant.

[1] Hebr. xi, 25, 26. — [2] Dan. i, 8, 9. — [3] Luc. xi, 42.

Erant sane verba Danielis idonea ad exolvendam (vel attrahendam) iram regis. Quid ais? Domini mensam execrabilem appellas? Anne purior nobis tu apparuisti? Nonne nosti ideo vos linguam ac litteras Chaldæorum discere, ut ad nostrum ordinem transeatis? Unde vero omnino Eunuchus illum reveritus est? Puer erat contemptibilis ac captivus. Nam etsi reverendus fuisset: at periculum non sinebat ipsum venerabilem videri. Et propter hoc postquam dixit: « Dedit eum in misericordiam, » subdit verba eunuchi, et multum timorem illius. Quomodo? Id impossibile fuisset atque prohibitum, nisi cœlestis gratia omnia dispensasset. « Et dixit Daniel ad Amelasarem, quem constituerat ma» gister eunuchorum super Danielem, Ananiam, Azariam » et Misaëlem. Tenta, obsecro, servos tuos per dies decem; » et dent nobis de seminibus terræ; et comedamus, et » aquam bibamus. Et appareant coram te vultus nostri, et » vultus puerorum qui comedunt e mensa regis : et sicut » videris, facito cum pueris tuis. Et exaudivit eum, et ten» tavit eos per dies decem. Et post finem decem dierum visi » sunt vultus eorum boni, et ipsi corpore pinguiores, quam » pueri qui comedebant de mensa regis [1]. » Magna libertas, maxima animi alacritas, multa prudentia, ingens fides. « Tenta pueros tuos per dies decem. » Deinde ut ne extimes a seminum natura oriri faciei hilaritatem, respice quoque ad aquam, quæ minime nutrit. Et non modo bona corporis habitudine præditi apparuerunt; sed et vegetiores iis qui regia mensa fruebantur. Quod autem carnes et vinum magis nutriant quam cætera alimenta, unicuique est manifestum. Cerne ut statim ab initio gratia ex voluntate puerorum et ex dono Dei efflorescat. Voluntas siquidem est, quod noluerint : donum vero, quod potuerint. « Et » appareant, inquit, coram te. » Judicium tibi permittimus.

[1] Dan. 1, 11-15.

Levis autem et facilis est gratia quam petimus. Res tibi fidem faciant. Ego quippe eventum perspicue novi : at propter te nihil ante finem affirmo. Cerne quomodo etiam famulos statim erudierit, ac docuerit se esse Dei amantem. Et non simpliciter dicit, « Facito nobiscum : » sed, « Facito » cum pueris tuis. » Sicque exorsus aiebat : « Tenta pueros » tuos. » Non recusabant humanos honores exhibere, ubi nihil esset quod pietatem læderet. Quandoquidem et Paulus idem facit. Nam inchoans defensionem suam, a laudibus judicis incipit, ita loquens : « In multa pace agentes per » te [1]. » Idem Apostolus rebus civilibus usus est. Nathan quoque prophetans adorat Davidem : Jacob similiter Pharaonem adorat, et Abrahamus contubernales. Daniel denique, de quo nunc sermo est, regi dicit : « In æternum » vive [2]. » Animadverte verbum adulationis plenum. At ego non id dixerim adulationem, sed prudentiam et sapientiam. Ita et Paulus ait : « In sapientia ambulate ad eos qui foris » sunt, tempus redimentes [3]. » Ita etiam Christus docuit : « Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; et quæ sunt Dei, » Deo [4]. » Quid igitur semina immunda non erant? Minime : sed nec aqua. Et hoc per tres annos fecerunt. « Et com- » pletis, inquit, diebus, post quos dixerat rex, ut introdu- » ceret ipsos, archieunuchus introduxit eos ad Nabuchodo- » nosorem. Et non inventi sunt ex omnibus illis similes » Danieli et Ananiæ, et Misaëli et Azariæ. Et steterunt in » conspectu regis, et in omni verbo sapientiæ ac scientiæ, » quod sciscitatus est ab eis rex, invenit eos decuplo præ- » stantiores omnibus incantatoribus et magis, qui erant in » universo regno ejus. Et post finem dierum, inquit, visi » sunt vultus eorum boni [5] : et pulchritudine ac bona corporis habitudine profecerant. Aspice res quæ præter natu-

[1] Act. xxiv, 2. — [2] Dan. vi, 21. — [3] Coloss. iv, 5. — [4] Luc. xx, 25. — [5] Dan. i, 18-21.

ram sunt. Aspice mundi Opificem qui efficaciam suam adaperit. Quemadmodum enim fictor maxime videbitur is, qui non modo æs conflare ac conformare valebit; sed et illo non minus is qui jam factam statuam poterit corrigere : idem quoque in Deo et pueris illis agnoverit quispiam. Nam corpora post talem alimoniam pinguia præstitisse, non minus facultatis creatricis indicium erat, quam hominem e terra formasse. Unde nitidus color? Unde flos ac decor fulgorem emittens? Unde robur? Nostis enim aquæ potu et seminum esu destrui corporis vires. Nam ne panem quidem comedere sustinebat. Non est autem parva distantia inter frumentum subactum ac confectum, et frumentum infectum ac non præparatum. Non enim ex solo esu robur oritur; sed etiam ex coctione ciborum qui manducantur; at semina concoqui præter naturam est. Adverte hæc signa non ex ambitione petentium initium sumere, sed a necessario usu causam atque occasionem habere. Non enim absolute ac nulla re objecta insiluit in experimentum; sed necessitate illum ad hoc vocante. Itaque procul ab ambitione erat animus puerorum. Quanquam quis tanta præditus fide, et inter barbaros degens, non cupiisset dominis ostentare Dei erga se benevolentiam? At non isti. Respice et ad reprehensionem senum; ut etiam ipsa ex necessitate provenerit.

CAPUT II.

I. « In anno secundo regni Nabuchodonosoris, somniavit » Nabuchodonosor somnium et obstupuit spiritus ejus, et » somnus ejus abiit ab eo [1]. » At iste annus est duodecimus. Nam si tres anni a capta urbe præterierant, et illa anno nono expugnata fuit, iste annus duodecimus est (18). Quidam dicunt eadem nota apud Hebræos hunc et illum numerum exarari. Fortassis etiam erratum est exscriptorum: vel secundo revera anno pueri exhibiti sunt. Sed hoc ultimum ratione caret. Cæterum res accidit difficilior. Quænam vero illa est? Nescisse regem quodnam fuerit somnium suum. Et hoc providenter contigit. Nisi enim id evenisset, non apparuisset Danielis sapientia. Videmus enim quod ipse vocatus fuisset, et id quod futurum erat dixisset; dixissent etiam Chaldæi: verum cum eventus præsens non esset, quis verax, quis mendax creditus fuisset? Et hoc per alia examinare oportet. Ipsum autem somnium in medium producatur; dicat Daniel quæ respondit; contraria dicant Chaldæi: « Unde manifestum fiet Danielem vel mentiri vel vera dicere? Jam igitur probationem dat. At in Josepho res eo modo peracta non est; sed somnium narravit Pharao: prope enim erat tempus eventus. Admiratione autem dignum est, quomodo in Ægypto fingere aliquid noluerint sapientes Ægyptiorum, cum nullum inde periculum oriri potuisset, sed fassi sint se hærere. Quod si somnia dijudicare nesciant, in qua re alia illis credendum

[1] Dan. II 1.

est? Alioquin autem illic non oportebat id fieri: at in prophetia Josephi manifesto factum est, et maxime in eunuchis. Observa autem quod Chaldæi non vocarunt Danielem; sed maluerunt mori, quam illum sermone hominum celebratum intueri. Numquid eo tantum somnium visum fuerat, ut Daniel suspiceretur? Id equidem non dixerim. Quanquam licet ea duntaxat causa fuisset, magnum certe et admirabile esset facinus, tantam Dei agnitionem contigisse. At non hæc sola ratio fuit. Quænam igitur alia? Ut et Nabuchodonosor modestius de se sentiret, edoctus non semper suum genus dominaturum. Si enim etiam post illa quæ ipsi dicta sunt, nihil fastus remisit: multo magis si ea ipsi dicta non fuissent. Præterea ut Deum omnium esse dominum agnosceret. Quandoquidem enim somniis præcipue studebant, idcirco ista evenerunt. Hinc illos de futuris persuadet. Et quoniam maxime ob futurorum præscientiam deos venerabantur. Etenim omnes illorum præstigiæ in eo negotio versabantur. « Et sententia egressa est, et sapientes interficiebantur; et Daniel » amicique ejus quærebantur ad necem. Tunc Daniel respondit consilium et sententiam Ariocho principi coquorum regis, qui egressus fuerat ad interficiendos sapientes » Babylonis. Et interrogabat eum dicens: Princeps regis, » quamobrem egressa est sententia impudens hæc a facie » regis [1]. » Vides libertatem? Vides fortitudinem? Ad illum, qui occidendi potestatem habebat, qualia loquitur? Etiam aliorum vicem dolet. Non habet rationem, inquit, nec causam; neque ullus color edicto adjacet: homines enim ejusmodi impudentes solemus appellare. « Indicavit autem » Ariochus Daniel verbum. Et Danieli egressus est; et rogavit regem, ut tempus sibi daret, et conjecturam somnii annuntiaret regi [2]. » Admirare permissionem regis.

[1] Dan. II, 13-15. — [2] Ibid. 16.

Aspice ut omnes ubique Danieli obtemperent. At unde rex suspicatus est illum vera dicere? Quare non dixit: « Universi deprehensi sunt ac convicti; fassi sunt rem esse supra naturam humanam: et tu, qui barbarus es, unde putas te posse incolumem ac superiorem evadere? « Verum ubi Deus res dispensat et præparat, nihil ambigas. Alioquin et citra periculum erat ad regem postea venire. Cur autem non illico Deus Danieli somnium revelavit? Primum quidem ut res manifesta fieret: et ut illi in magna necessitate constituerentur. Nam etsi Propheta esset, attamen somnium ignorabat. Rursus tibi se per viros justos excusat, ostendens quod si illis periclitaturis nihil concessit absque prece perseveranti, multo minus tibi dabit. Propter hoc ubique Paulus postulat preces, « Orationi insistentes [1] » scribens. Non enim sufficit vita pura, nisi etiam adsit oratio. Aspice iterum multam illius fidem. Secundum certamen hoc est: et adhuc Daniel præest ac negotium ducit, et tempus petit aptum ad multam tolerantiam atque orationem. Propheta non postulabat statim audiri. Rex beneficium largitus est, illudque communicavit cum amicis ac sociis Danielis. « Tunc Danieli mysterium revelatum est in » visione noctis. Et Daniel benedixit Deum cœli, ac dixit: » Sit nomen Dei benedictum a sæculo, et usque in sæcu» lum, quia ejus est sapientia, et intelligentia, et fortitudo. Et » ipse mutat tempora et ætates, constituit reges ac aufert, » dans sapientiam sapientibus, et prudentiam illis qui pe» tunt intellectum. Ipse revelat profunda et abscondita, » cognoscens quæ in tenebris existunt: et lux cum ipso est. » Tibi Deus patrum meorum confiteor, te laudo, quia sa» pientiam et intelligentiam dedisti mihi: et nunc nota fe» cisti mihi quæ rogavimus te [2]. » Nondum manifeste ipsi revelatum erat, sed adhuc in visione: nam præexercetur

[1] Rom. XII, 12. — [2] Dan. II, 19-23.

Propheta. Vide autem illius fiduciam. « Quænam est sen-» tentia, inquit, impudens hæc? » Mihi quidem videtur etiam ante somnium inventum a cæde cohibuisse magistrum coquorum, tum incœptum accusando, tum pollicendo se reperturum calamitatis solutionem. Cur ergo revelatum est Danieli? Quia enim est etiam inter viros sanctos excellentia, ideo Daniel præfertur. Et quomodo vidit? In visione, inquit; non secundum humanam sapientiam. Et pulchre id vocat mysterium, quod ab omnibus ignorabatur. « Et bene-» dixit Deum cœli. » Omnipotentem intelligit : id est eum qui etiam illic, in barbarorum videlicet regione potens erat. Nusquam sacrificium et templum et altare, sed sola bona voluntas aderat; et omnia peragebantur. Adverte eum, post petitionem acceptam, non prius ad aulam regis cucurrisse, quam beneficii datori maximas egisset gratias. Non sicut nos sæpe præ gaudio prosperorum successuum, etiam gratiæ referendæ obliviscimur. At non ita iste : verum benedixit Deum, et dixit : « Sit nomen Dei benedictum a sæ-» culo, et usque in sæculum. » Nos siquidem, inquit, temporarii et paucorum annorum sumus ; non autem pro tempore hoc tantum sursum mittimus benedictionem, sed pro universo tempore : non pro eo solo quo vivimus ; sed etiam pro hoc quidem, et pro illo quod præteriit, et pro futuro. Semper Deum benedicere oportet, sive ille appareat, sive non appareat. Ubique enim illius providentia extensa est. Vide ut per gratiarum actionem ostendat quoque Deo competere scientiam somniorum. « Quia ejus est sa-» pientia, et intelligentia, et fortitudo. » Hoc est omnia scire ac prænoscere. Hic enim illud ait : quod scilicet ipse omnia novit, et nihil ignorat. Quid igitur? Illum tantum? Solam-ne habet præscientiam? Et non dixit: « Habet : » sed, « Ipsius est ; » exhibere nobis volens ea naturale illius bonum esse : quia ex natura illi hæc insunt. Quid ergo? Prævidet-ne

tantum, non autem etiam facit? Sane et facit. « Mutat æta-» tes et tempora. » Non de annorum conversionibus sermo est, sed de rerum vicissitudinibus. « Constituit reges, et » aufert. » Quia hujusmodi mutationum est auctor. An igitur hoc tantum Deus; prævidet nempe ac facit; non et aliud maximum operatur, quod etiam cum aliis communicat eam scientiam? « Dans sapientiam sapientibus. » Non iis qui antea sapientes erant: sed iis quibus sapientia datur. Si quis sapiens non ab illo sapientiam habet, sapiens non est. Ne existimetis sapientiam artem esse chaldaïcæ regionis: « Et prudentiam, inquit, illis qui petunt intellec-» tum. » Deinde videamus an ex scientia, an ex natura Danieli id affuerit. Etenim etiam hoc dicit. « Ipse revelat » profunda et abscondita. » Non dixit: « Invenit: » sed « Revelat aliis quæ profunda nobis sunt. » Et « Abscondita. » Quæ longo tempore dissociata, quæque occulta erant. « Cognoscens quæ in tenebris existunt. Et lux cum eo est. » Vide quid dicat. Quemadmodum ait David: « Si-» cut tenebræ ejus, ita et lumen ejus [1]. » Magnitudinem cognitionis significat. Seu quia licet obscura sint illi nullæ sunt tenebræ; seu quia ipse eorum lumen est. Quomodo cognoscit quæ in tenebris sunt? Quasi qui secum lumen habeat. « Cum eo est semper. » Humano modo loquitur. Sicut nihil est tenebrosum illi qui lucernam accensam habet; ita neque Deo. Imo vero si quid amplius dici potest; nempe sicut ei, qui lumen habet in oculis, et ei qui illud semper circumfert. Ipsa lux est. « Tibi Deus » patrum meorum, inquit, confiteor, te laudo. Quia sapien-» tiam et intelligentiam dedisti mihi. « Opportune patrum hic meminit, per illos Deum flectere, ac veluti pudore afficere cupiens: quemadmodum si quis in memoriam alicujus acris amatoris, amores reduceret. « Confiteor, inquit,

[1] Psal. CXXXVIII, 12.

» gratias ago, et laudo; quia sapientiam et intelligentiam » dedisti mihi. » Quam antea habebat scilicet. « Et nunc » nota fecisti mihi quæ rogavimus te. » Verisimile videtur Danielem etiam alia petiisse, adeo ut conjecturam quoque illi Deus indicarit. « Quia, inquit, somnium regis manifes- » tasti mihi. Et statim venit Daniel ad Ariochum, quem » constituerat, inquit, rex ut perderet sapientes Babylonis, » et dixit ei : Sapientes Babylonis ne perdas; introduc au- » tem me in conspectum regis; et annuntiabo regi conjec- » turam visionis [1]. » Cucurrit ad eum, et ait : « Sapientes » Babylonis ne perdas. » Quisnam de illis curam habuis- set? Aspice Prophetæ humanitatem ac mansuetudinem. Sed auditus non fuisset, nisi et illud addidisset : « Introduc » me, inquit, et annuntiabo regi conjecturam visionis. Tunc » Ariochus, inquit, introduxit Danielem in festinatione in » conspectum regis, et dixit; Inveni virum de filiis captivi- » tatis Judææ, qui conjecturam annuntiabit regi [2]. De filiis » captivitatis, inquit, inveni virum. » Non puduit generis. Ubi enim incumbit necessitas major, nihil horum requiritur; sed fastus qui solet comitari prosperitatem, totus comprimitur. Qui enim ægrotat, medici nobilitatem nunquam curiose inquiret; et alio in periculo existens homo non sataget an nobilis, an vero de plebe sit ille qui eum periculis sit erepturus; sed unum duntaxat quæret, nimirum liberationem. Quis non pudore affectus fuisset? Quis non erubuisset, cernens omnes patriæ suæ sapientes interfici, captivos vero inflari, et de se magnifice sentire? Nequaquam. Horum nihil ipse cogitavit : sed festinus et ille vocavit, et hic interrogavit, non amplius cum eadem arrogantia. Postquam enim rex convictus est per experientiam se inutiliter, ac stulta perquirere, quid ait? « Et respondit rex, et » dixit Danieli, cujus nomen Baltasar : Potes ne mihi re-

[1] Dan. II, 23, 24. — [2] Ibid. 25.

» nuntiare somnium quod vidi, et conjecturam ejus[1]. » Majore cum lenitate disserit. Non dixit : « Si non potueris, eadem quæ alii patieris. » Quid igitur Daniel ? « Et respon- » dit Daniel coram rege, et dixit : Mysterium quod rex » perquirit, non est sapientum, magorum, incantatorum, » nec Gazarenorum potestas annuntiare regi. Sed est Deus » in cœlo, qui revelat mysteria, et nota fecit regi Nabucho- » donosori quæ oporteat fieri in novissimis diebus[2]. » Observa prudentiam Prophetæ. Non dixit statim : « Possum an- nuntiare tibi : » sed quod ante omnia oportebat regem scire, id dicit. « Mysterium, inquit, quod rex interrogat, sapien- » tes, magi, incantatores, Gazareni nequeunt indicare regi. » Est Deus in cœlo qui revelat mysteria. » Apologiam facit pro iis qui injuste occisi fuerant, et ostendit non se esse qui rem explicet. Non ideo, inquit, dixi istud magorum non esse, ut me ipsum illis clariorem facerem ; sed ut dis- cas quod neque ego id secundum humanam naturam profero. « At est Deus in cœlo. » Non illic Deum conclu- dit ; sed tanquam ad barbarum interim loquitur, eumque a terra abducit : non sicut dii vestri qui circa terram volu- tantur. « Et nota fecit regi Nabuchodonosori quæ futura » sint in ultimis temporibus. » Vide, per ænigmata edisse- rit ; et totam summam visionis in exordio comprehendit, regisque mentem recreat, dum nihil grave, neque moles- tum effatur. « Somnium tuum, inquit, et visiones capitis » tui in cubili tuo. Hoc est : Cogitationes tuæ in cubile » tuum ascenderunt, quid oporteat fieri post hæc. Et qui » revelat mysteria, indicavit tibi quæ oporteat fieri[3]. » Ex vulgi opinione loquitur, quasi somnia super caput stent ; seu quod ibi sit ratiocinandi vis ; seu per caput designat oculos, ut dicat : « Tu præbuisti causam. Nec simpliciter dixit : « Deus tibi manifestavit ; » sed, « Cogitabas quid fu-

[1] Dan. II, 26. — [2] Ibid. 27, 28. — [3] Ibid. 29.

furum esset post hæc. » Quia enim orbem terrarum devicerat, reputabat secum num ad liberos ipse regnum esset transmissurus, sive an moriturus esset. Nam solet quodammodo magnitudo imperii etiam nos ducere in oblivionem naturæ, et quod mortalis ea sit. Verisimile igitur est illum, cum incidisset in pelagus et infinitam multitudinem fortiter ac præclare a se gestorum, non admodum credidisse moriturum esse se. Idem quoque passus est alius rex. Ideoque et quidam ad ipsum dicebat : « Tu vero homo es, » non Deus [1] : » ad Tyrium nempe loquens. Et vide quomodo absque vulnere ipsum reprehendit. Non enim dixit : « Hoc suspicatus es ac sperasti : » sed, « Quid oportet fieri » post hæc. » Ista mente agitabas, ac tecum reputabas : quidnam scilicet futurum esset. « In cubili tuo. » Cum nullus esset qui obturbaret, sed animus in quiete versaretur ; quando præcipue cogitationum turba nos invadit, quiete atque otio abutens. Ideo multis mos est tempus illud in oratione consumere : quia scilicet tunc animus otiatur, et magnum capimus detrimentum, si tunc inertiæ nos dederimus. « Et qui revelat mysteria indicavit tibi quæ oportet fieri. » Aspice, iterum jam Dei meminit. Nec id vulgariter. Sed illic quidem ait : « Qui est in cœlo : » hic autem : « Qui revelat mysteria. Et mihi autem non in » sapientia quæ fit in me præ omnibus viventibus, mysterium hoc revelatum est : sed ut conjecturam regi indicem, et ut cognoscas cogitationes cordis tui [2]. » Tantum non dicens : « Origo inventionis non est a me : » sed « Neque in eo ipso quod rem præter alios didicerim, cæteris præferendus sum. » Non enim quia me sapientem esse agnovit, id Deus fecit. Si enim, postquam ista dixisset Daniel, ipsum ut Deum adoravit rex, quid si id prolocutus non fuisset ? « Sed propter te, inquit. Tu mihi gratias habere non debes ;

[1] Ezech. xxviii, 2. — [2] Dan. ii, 30.

sed ego tibi : ut enim tu intelligeres, ego didici. » Cerne ut illum conciliet Deo, et ut futurum circa eum miraculum, item amorem vehementem erga eum, per anticipationem Deo assignet. Qui enim edoctus est, quod Deus in honorem ipsius id egit, procul dubio illi conciliatus est. « Te magis, inquit, honoravit, quam me. Vides quam ambitiosus non sit juvenis ; utque non ante sermonem aggrediatur, quam regem abduxerit a magna, quam de ipso habere potuisset, opinione ? Quomodo igitur gloriam venaretur Daniel, qui etiam datam repellit ? Et non dixit : « Quoniam Deum veneror, quoniam illi plus quam cæteri servio, mihi revelatio facta est : » sed, « Ut tu discceres quod utilissimum erat. » Illud enim, etiam ipso non dicente, in mentem auditorum veniret. « Tu rex videbas, et ecce imago una, imago illa magna, » et aspectus illius sublimis stans ante faciem tuam, et intui» tus ejus terribilis. Imago cujus caput ex auro puro : manus » ipsius et pectus, et brachia ejus argentea : venter illius » et femora ærea. Tibiæ ferreæ : pedes, pars quidem quæ» dam ferrea, pars autem quædam testacea [1]. » Vide quali visione dignatus fuerit Nabuchodonosor. Quandoquidem enim in gentes Evangelii præconium spargendum erat ; visio multo ante gentilem traditionem inhibet. Et in terra gentili somnium videtur, templo everso, legalibus sublatis. Verumtamen per Hebræos explicatur. Etsi enim in gentiles disseminandum esset Evangelium, at per Hebræos viros, nempe Apostolos id futurum erat. Hoc et Cornelio contingit. Præcedunt gentes, non autem sequuntur. Ita et hic, imaginem primus vidit Nabuchodonosor, notitiam vero primus accepit Daniel. Et ut cognoscas quod et primi et posteriores sunt Judæi. Primi quippe bona acceperant, sed nesciebant quid accepissent, ut par utrinque fieret. Ita et illic ante baptismum Spiritu dignati sunt. Sic et in Abra-

[1] Dan. II, 31-33.

hamoprima fuit illa multitudo gentium, posterior vero circumcisio: sed per circumcisionem salus. Hæc millies Prophetæ Judæis dixerunt: «Et nisi multa apud vos esset tarditas, etiam ubi et quando aperuissem.» Postquam autem non attenderunt, transit ad gentes deinceps. Hæc verba Judæi audientes, despuebant: Gentilis cum audisset, adoravit. Adverte ea etiam quæ sub Christo contingerunt describi per figuras. Chananæa adorat: Judæi contra, Dominum scilicet expellunt. Ita et hic, Judæi Jeremiam in vincula conjecerunt: Nabuchodonosor adoravit Danielem. Rursus Judæi Apostolos ejiciunt: Græci autem dicunt: « Dii as»cenderunt ad nos[1].» Cum enim judicium sine affectu fertur, incorruptum est ac sincerum. Vides typos coruscare? In Babylone quæ ad Christum spectant audiuntur, et barbarus auditor fit, ut intelligas non modo gentiles, sed et barbaros ista esse audituros; quemadmodum Paulus ait: «Debitor sum ut Evangilium prædicem »Græcis ac Barbaris[2].» Et ne desperes, spem delineat ac subjiciit. Quod enim aberat impedimentum? Fastus regalis, indoles ipsa barbarica, loquentis vilitas; erat enim captivus; ætas, erat juvenis, religio aliena. Neque rex dixit: « Te tua prævidere oportuit, urbis tuæ videlicet captivitatem: illa ignorasti, et hæc prædicis?» Ingrati enim ita loqui solent: «Oportebat Christum seipsum suscitasse.» Quod dictum fuit, eversio erat regni babylonici, et consummatio totius orbis. Et credidit Nabuchodonosor. Neque enim, nisi credidisset, sacrificasset Danieli. Credit Nabuchodonosor; quidam autem non credunt. Propter hoc multæ prædictiones fiebant. Si illæ eventum non habuerunt, neque his crede. Ne autem diutius sermonem obscurum faciamus, age eum vobis interpretemur. Quinque vidit materias, aurum, argentum, æs, ferrum, testam. Deinde tota imago tem-

[1] Act. xiv, 10. — [2] Rom. 1, 14.

pus est et temporis consequentia. Et recte dixit : « Imago. » Imagini siquidem similes sunt res nostræ, imagini inanimatæ. Et bene imago ex auro. Sicut enim aurum, etiamsi splendidum sit, tamen e terra oritur : sic etiam natura nostra, atque res humanæ. Et vide ut pulvis fiat, quod scilicet erat antea. Atqui id lapis nunquam fecerit. Conterere quidem potest lapis, substantiam vero convertere non potest. Hoc tamen contigit. Mysterium resurrectionis vides. Cum enim corpora nostra in elementa resolvuntur, et ad antiquam redeunt naturam, terram dico ; tunc advenit corruptio. Hæc autem omnia lapis efficit. Itaque cum videris imaginem ex diversis materiis constantem, et illius quidem caput splendidum, pectus vero deterius, et ventrem ignobiliorem, et tibias viliores, diversitatem hanc in solo aspectu sitam esse existima. Unius quippe ejusdemque substantiæ omnia sunt ; idque testatur finis, qui in pulverem cuncta dissolvit. Non parva est ista philosophia. Animum adverte ad hanc philosophiam, et a rebus quæ ante oculos obversantur, ab imperante deducens regem, deinde præfectum qui post regem est et æri respondet, item eos qui sequuntur, quique ut fictiles ac ferrei repræsentantur. Verum si ad sepulchrum veneris, etiamsi sexcenties ibi quoque vim facere videantur, dum auream urnam adornant, aspicies tamen illorum eamdem esse naturam. Iterum mihi considera divitem illum et vinctum ; item illum divitem et ad testam usque pauperem : atque universa pulverem esse conspicies. Verum observa. Non prius cuncta pulvis esse visa sunt, quam lapis decidisset. « Videbas donec abscissus » est lapis de monte, sine manibus : et percussit imaginem, » et pedes ferreos ac testaceos : et comminuit eos in finem. » Tunc communita sunt omnino testa, ferrum, æs, argen- » tum, aurum : et facta sunt quasi pulvis de area æstiva : » et extulit ea multitudo venti ; et locus non est inventus

» illis [1]. » Non enim earum rerum natura cognita fuit, donec Sol justitiæ est exortus; quia aurum non aurum est. Vide autem et in hac ipsa re, non post contritionem, sed stantibus adhuc omnibus, nullam materiam alia esse præstantiorem. Vide, et aspectu et tempore, et qualitate tantum has illis esse meliores. Ideo enim Deus aurum quoque de terra fecit, ut nihil magnum de illo imagineris. Quare autem regnum Nabuchodonosoris vocat aureum, Persarum autem argenteum, Macedonum æreum, Romanorum ferreum atque testaceum? Vide dispositas convenienter materias. Nam aurum divitias quidem repræsentat; invalidum est autem, et ad fraudem, atque ad ornatum ac magnificentiam magis accommodatum. Sic et regnum babylonium barbari illius. Multum penes ipsum et apud barbaros erat auri. Ibi namque feruntur esse metalla. Etenim a seribus divitiæ magnæ portantur, sed inutiles. Caput autem occupat; quia regnum illud fuit primum. Persarum vero imperium non adeo opulentum fuit: sicut nec Macedonum: at Romanorum utilius ac fortius; tempore quidem posterius, quare et pedum locum obtinet. Porro sunt hujus regni quædam infirma, et quædam robustiora. Talis est hominum monstrosa varietas. « Et cum multiplicata fuerit, inquit, iniquitas, refrigescet » charitas multorum [2]. » Charitate autem frigescente, necesse est inimicitias et bella oriri: cumque insidiatores ac hostes sint, homines necesse est eodem modo inter se congredi, quo testa cum ferro. Sicut enim hæc natura differunt, nec inter se conjungentur unquam: ita et illa. Hoc et Prophetæ et Apostoli asserunt. Quare et consummatio deinceps. Sicut enim temporibus Noë, postquam malitia invaluit, diluvium contigit: ita et nunc. Et sicut corpus ægrum, cum ad delicias venerit, tunc perit: sic et mundus. Si enim quando fuerint quinque justi in civitate, illi

[1] Dan. II, 34, 35. — [2] Matth. XXIV, 12.

parcitur : multo magis et mundo, cum in eo sunt justi secundum proportionem. « Et lapis, qui percussit imaginem, »factus est in montem magnum, et implevit universam »terram [1]. Lapis, inquit, cecidit de monte. » Vide quando. Non cum quod aureum erat, neque cum quod argenteum, neque cum quod æreum, sed cum ferrum apparuit, « Cecidit, inquit, de monte. » Altitudinem indicans, « De monte » dixit. Sed coram rege, ostendit de rebus humanis somnium esse. « Lapis autem inquit, cecidit de monte. » Arbitrii libertatem declarat, et quod vi adactus non sit. Neque enim dixit : « Projectus est, » sed « Cecidit de monte. » Rem inopinanter, ac nemine sciente, factam fuisse designat. « Et abscissus est sine manibus. » Generationem secundum carnem innuit. Solet Scriptura montis nomine etiam mulieres donare : quemadmodum cum dixit : « Ex fovea unde »effossi estis [2]. » Et sæpe Christus lapidis nomen accipit, propter stabilitatem. « Super quem autem ceciderit, com»minuet illum [3], inquit, quasi pulverem de area æstiva. » Hic declarat regna non posse subsistere. « Et extulit ea »vehementia venti, et locus non est inventus illis. » Ita namque evertuntur regna, quasi si nunquam fuerint. « Et »factus est lapis in montem magnum. » Vide ut Apostolorum verba totum orbem terrarum repleverint. Igitur lapis ille aliquando dicitur mons, aliquando autem angularis, aliquando vero fundamentum, ut edoceare cum omnia implere. Mons ideo, quia omnia continet : angularis ideo, quia universa in ipso constituta sunt : ideo fundamentum, et vitis radix. « Ego enim sum vitis, vos palmites [4]. Hoc »est somnium, inquit, et ejus conjecturam dicemus coram »rege. Tu es rex regum. Tibi Deus cœli regnum forte et »validum et honoratum dedit, in omni loco, ubi habitant

[1] Dan. II, 35. — [2] Isaï. LI, 1. — [3] Luc. XX, 18. — [4] Joan. XV, 5.

» filii hominum ; et bestias agri, et volucres cœli dedit in » manu tua : et constituit te dominum omnium [1]. » Postquam Dei potentiam demonstravit, tunc cum fiducia præconium etiam veritatis ipsi prædicat. Et vide quanta cum assentatione, quantoque cum honore sermonem immittat. « Tu es, inquit, rex regum. Tibi Deus cœli regnum forte et » validum et honoratum dedit in omni loco, ubi habitant » filii hominum ; et bestias agri, et volucres cœli dedit in » manu tua. » Non solis hominibus, qui ejusdem tecum generis ac naturæ sunt, sed etiam deserto et iis qui supra caput sunt imperas. Aspice quomodo ostenderit illud Dei donum, quod in principio factum est : « Et dominamini » piscibus maris, et volatilibus cœli [2], » ut discas Deum solitudinis etiam esse conditorem, et ferarum quoque factorem, non autem mansuetarum animantium duntaxat. « Et in omni loco, ubi habitant filii hominum, tibi regnum » dedit Deus cœli. » Non amplius dicit : « Est Deus in cœlo. » Vide ut paulatim dogma inducat. Primum dixit : « Illic habitat, » ne circa terram Deum versari imaginaretur. At postquam illud documentum rex accepit, rursus eum abducit, ostenditque Deum cœli quoque esse opificem, ac dominum et dominatorem : non tamen in eo tanquam in loco contineri, sed cœlum ipsius esse opus. Nam si cœli dominus est, terram tibi dare potest. Ipse sibi sumpsit cœlum, et tibi terram largitus est. Quod enim illic est, id tu es in terra ; omnibus nempe superior, omnibus imperans, omnium caput. Tibi eorum quæ sunt super terram plus quam cæteris concessit, cum te caput constituerit, et regnum tuum aureum ex auro puro fecerit. « Tu es caput » aureum ; et post te exurget regnum aliud minus tuo, id- » que argenteum ; et regnum tertium, quod est æs, quod » dominabitur universæ terræ [3]. » Tale enim Macedonum

[1] Dan. II, 36-38. — [2] Gen. I, 28. — [3] Dan. II, 39.

regnum fuit. « Et regnum quartum, quod est validum »sicuti ferrum. Nam quemadmodum ferrum comminuit »ac domat omnia : sic omnia comminuet ac domabit [1]. Et »quartum, » inquit, id est, Romanorum. Nomina autem non profert. Quare apertius non est locutus? Ne multi sacros libros abolerent. « Et quia vidisti pedes et digitos, »partem quidem quamdam testaceam, partem vero ali»quam ferream, regnum divisum erit, et a radice ferrea »erit in eo, quemadmodum vidisti ferrum admixtum testæ »luteæ. Et digiti pedum, pars quidem aliqua ferrea, pars »autem quædam testea; pars regni erit fortis, et ab ea »aliquid erit contritum. Et quia vidisti ferrum admixtum »testeæ luteæ, commiscebuntur in semine hominum, et »non adhærebunt, sicut ferrum non immiscetur cum tes»ta [2]. » Quando id in Romanis contigit? Vides hæc regna talia fuisse? Nec in iis omnes originem duxisse ex genere regio; plurimos etiam fuisse infideles. « Et in diebus re»gum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in sæcula »non corrumpetur : et regnum ejus populo alteri non re»linquetur : comminuet et ventilabit universa regna, et »ipsum exurget in sæcula [3]. »Adducito mihi huc Judæos. Quid de hac prophetia dicturi sunt? Neque enim profecto de humano regno hæc fas est dicere; scilicet regnum infinitum fore : sed oportet aliquem esse de quo hæc dicta sint. Quod si dixeris de Patre prolata fuisse; at audi quid dicatur : « In diebus regum illorum : » Romanorum videlicet. Quod si dicant : « Quomodo aurum conterere potuit, nempe regnum Babyloniorum, quod jam olim erat destructum? Quomodo etiam argentum, nimirum regnum Persarum? Et quomodo æs, scilicet regnum Macedonum? Hæc enim quondam fuerant, et finem acceperant. Verum ne mireris, charissime. Si enim Paulus ausus non est

[1] Dan. II, 40. — [2] Ibid. 41-43. — [3] Ibid. 44.

aperte loqui ; sed ait : « Donec qui tenet de medio fiat [1] , » multo magis Propheta. Quænam enim, quæso, utilitas ex aperta locutione orta fuisset ? Si autem dixerint : « Quo pacto contrivit æs ac ferrum ? » Hæc quæstio erit communis. Etenim de ipsis perinde quæretur quomodo jam extincta regna destruat ? Quia nimirum destruit alia regna, in quibus hæc continentur. Alioquin autem id latenter operabatur, cum etiam antea Deus esset, sed nondum ideo visus, ut vos jure dubitaretis. Quod si quis voluerit etiam in præsenti tempore accipere prophetiam, nequaquam aberrabit. Siquidem nunc quoque contrivit regna, superbiam Macedonum (et Romanorum) potentiam. Cum enim videris Martyres ad Dei mandatum implendum id facientes, imo et mortem sustinentes, videbis regnum illius, et quomodo terram repleverit. Nosti prophetias. Si quæ ab illis prædicta fuerant non evenerunt, nec consummationi crede. Deinde adjicit : « Sicut vidisti de monte abscissum esso » lapidem sine manibus, qui comminuit testam, ferrum, » æs, argentum, aurum. Deus indicavit regi quæ oporteat » fieri post hæc. Et verum est somnium, et fidelis conjec- » tura ejus [2]. » Vide quomodo fidem astruat iis quæ dixerat. Ex rebus manifestis obscura probat, quasi diceret : « Narravi somnium, interpretationi crede. » Quid igitur rex ? « Tunc, inquit, rex Nabuchodonosor cecidit in faciem » suam, et Danielem adoravit : et manna atque bonum odo- » rem dixit ut libarent ei [3]. » Tam cito Danieli creditum est. Ac merito præcepit manna et bonum odorem libari ei. Vides maximum miraculum. Vides ut mos sit Gentilibus, ex hominibus deos facere. Itaque quando dixerint : « Unde idololatria ? » Principium illius disce. Sic Apostolos quoque ex hominibus deos faciebant [4]. » Sic et diabolus ab

[1] 2 Thess. II, 7. — [2] Dan. II, 45. — [3] Ibid. 46. — [4] Act. XIV, 11, et XXVIII, 6.

initio impietatem introducere contendit dicens : « Eritis » sicut dii [1]. » Et quoniam tunc non valuit, post illa id tentat, ubique obnitens deorum multitudinem introducere. « Et respondens rex dixit Danieli : In veritate novi quod » Deus vester ipse est Deus vivens, et dominus regum [2]. » Hoc solo inductus, statim credidit rex : Judæi vero cum millia hujusmodi audirent, non attendebant. Vides qua ratione tibi ostendat gentium gratum animum? Quandoquidem enim aderat deinceps tempus, in quo oportebat ad Gentiles prædicationem Evangelii exportari; anticipans, se excusat per illorum progenitores, ostenditque non frustra nec temere Gentiles Judæis a se fuisse præpositos.

CAPUT III.

I. « Anno decimo octavo Nabuchodonosor rex fecit imagi- » nem auream : altitudo ejus cubitorum sexaginta, et lati- » tudo ejus cubitorum sex : et statuit eam in campo Deera » in provincia Babylonis; et Nabuchodonosor misit congre- » gatum omnes summates, et prætores, præsides, duces » et tyrannos, et in potestatibus constitutos, et omnes re- » gionum magistratus, ut venirent ad dedicationem imaginis, » quam statuerat Nabuchodonosor rex [3]. » Aspice splendentem rerum veritatem : et certe quem non puduisset flagitium regis revelasse? Quid dicis? Ille qui adoravit? Qui manna libavit? Qui Deum adeo honoravit? Qui admiratus est, et supra modum obstupuit? Ille-ne, nec longo tempore

[1] Gen. III, 5. — [2] Dan. II, 47. — [3] Id. III, 1, 2.

elapso, statim ad priorem revertitur errorem? Pulchre sane. Non enim eum signis obstupefecistis : nam nihil horum cogitarunt juvenes; at unum solummodo respexerunt, quomodo veritatem nudam deponerent. Postquam enim ille urbem ceperat : (tunc quippe Jerosolymam expugnavit, et illa potitus est) erexit imaginem, forte in superbiam elatus. Quidam dicunt quod imaginis illius recordatus, qui ipsi in somnis ostensa fuerat : alii autem aiunt quod seipsum in deos proferre volens. Etenim hoc desiderio tenebantur antiqui, ut dii censerentur, sicut diabolus. Et vide exitum. Cum omisisset jubere ut ipsum adorarent, effecit ut imago sua adoraretur : ex multa rerum abundantia id conficere volens, et magnitudine atque corporis mole cupiens percellere, ac rursus a loco : « In loco Deera, » inquit. » Campus erat fortasse acclivis. « Sunt viri Judæi, » quos constituisti super opera Babylonis, Sedrachus, Misa» chus, Abdenago. Viri illi non obedierunt, rex, decreto » tuo, et deos tuos non colunt; et imaginem auream quam » statuisti non odorant. Tunc Nabuchodonosor in furore et » ira dixit, ut adducerent Sedrachum, Misachum et Abde» nagogem[1]. » Quomodo hic non comparet Daniel? Mihi videtur Chaldæos metuentes non ipsum denuntiasse, vel regem reverentia adductum illum non coëgisse, ne manifestum haberet accusatorem. Quidam vero dicunt, quia vocabatur Baltasar : id autem nomen erat idoli quod apud Babylonios colebatur. Deus igitur providit ut in fornacem non mitteretur, ne scilicet virtus, qua periculum vitaturus erat, ei nomini ascriberetur. Quid igitur tres pueri? Maxime equidem ipsi quoque rem confutaturi erant. Cæterum in illa prædictione superiori quomodo Deus idem non disposuit? Criminabantur illos Chaldæi : plurimum enim potest invidia. Ferre non poterant captivos ipsis imperantes

[1] Dan. III, 12, 13.

aspicere. Sed vide. Sicut in Danicle, prius didicerunt illius mores ac mansuetudinem, et tunc signa viderunt : ita etiam hic in medium ducuntur pueri, et primum eorum propositum denudavit Deus : et illi ita præparati non in medium insilierunt. Scitis autem hominem, qui præsenti vitæ renuntiavit, quique facile mortem sustinet, non detrectaturum quidlibet audere, etiam eorum quæ temeraria esse videntur. Attamen isti, etsi mortem contemnerent, mansueti erant; nec illos ullatenus læsit fortitudo, nec in audaciam adduxit; neque id ambitione faciebant. « Et viri » illi tres Sedrachus, Misachus, et Abdenago ceciderunt in » mediam fornacem ignis ardentem, ligati. Et deambula- » bant in medio flammæ, laudantes Deum, et benedicentes » Dominum [1]. » Vide, nonne mirabilis ac inopinata est hæc res, ambulare simul ac laudare, quasi essent in aquarum lavacro? Quanquam nihil ibi erat, quod impediret; quandoquidem Deus voluerat. Tale quid mihi videtur fuisse et ille ignis, quo combusti sunt ii qui extra fornacem erant : et hic ignis erat, et ille ignis; et hæc corpora, et illa corpora : et tamen hæc attigit, illis vero abstinuit. Vides quantum sit bonum voluntas optima? Admiratus es eorum voluntatem? Mirare Domini benevolentiam, et honorem quem in illos exhibuit. « Glorificantes me glorificabo [2], » inquit. Steterat universum theatrum. Supra naturam loculi sunt, supra naturam illos honorat. Aspice ut famuli eadem quæ Dominus possint. Quid miraris si regem derideant, cum illos elementa revereantur ac suspiciant. Caminus factus est Ecclesia (19); ipsi cœlo erat similis. Hic jam incorruptionis experimentum cœperunt. Quandoquidem et ab initio corpora nostra passibilia peccatum fecit. Cum igitur justa operantur, iterum impassibilia fiunt. « Et » deambulabant, inquit. » Sed videamus quid loquantur;

[1] Dan. III, 23, 24. — [2] 1 Reg. II, 30.

audiamus vocem mysticam cum quiete multa. Vidisti vocem inordinatam et confusam sambucæ, et psalterii, et musicæ? Audi vocem ab igne emissam. Nonne mirum tibi videbatur vocem Dei ab igne edi? Ecce etiam servis suis hoc donavit. Quis aër percussus vocem eam efficiebat? Nonne id semper eos qui comburendi sunt admonent, ut aperiant ora, quod sic ne paulum quidem possit vis deinceps in corpore permanere? Vide concentum musicum, omnes nimirum quasi ex uno ore Deum laudantes. « Et stans Azarias » oravit sic : et aperiens os suum in medio ignis dixit [1]. » Ut non existimes eos de præsentibus rebus gratias agere; ideo de captivitate, et molestiis iis quæ ipsis contigerant, Deum invocant. Vide ut incipiant. « Benedictus es, Domine » Deus patrum nostrorum, et laudabile et glorificatum no- » men tuum in sæcula [2]. Angelus autem Domini descendit » cum Azaria et sociis ejus in fornacem, et excussit flammam » ignis de fornace. Et fecit medium fornacis, quasi ventum » roris sibilantem; et non tetigit eos omnino ignis, et non » contristavit eos, et molestiam non intulit [3]. » Ita non fortuito ista fiebant. Et non solum non sunt combusti, sed nec illis molestiam exhibuit ignis, nec vel minimum nocuit; neque calorem senserunt. Et capropter adeo sese extulerat flamma, ut et ab iis qui foris erant cerneretur. Et vero materia immissa sufficiebat ad finem illis faciendam, et quod ignis non deficeret, et quod diu ardens appareret, et quod res coram omnibus fieret. « Et Nabuchodonosor au- » divit laudantes eos, et admiratus est, et surrexit propere, » et dixit optimatibus suis [4]. » Id ipsum autem, ut audiret, unde contigit Nabuchodonosori? At per totum tempus assederat. Ideo Deus non permisit ut statim ille audiret, quo ipsum etiam tempus testimonium perhiberet rei gestæ; quod scilicet per multum tempus in camino commorati,

[1] Dan. III, 25. — [2] Ibid. 26. — [3] Ibid. 49, 50. — [4] Ibid. 91.

nihil mali passi essent. « Nonne viros tres injecimus in me-» dium ignis compeditos? Et respondentes dicunt regi : » Vere, o rex. Et dixit rex : Hic ego video viros quatuor so-» lutos, et ambulantes in medio ignis : et corruptio non est » in eis : et species quarti similis Filio Dei [1]. » Ab ostio vide-» rat eorum facies. « Tunc accessit Nabuchodonosor ad os-» tium fornacis ignis quæ ardebat, et ait : O Sedrache, Mi-» sache, Abdenago, servi Dei altissimi, egredimini, et venite » huc. Et egressi sunt Sedrachus, Misachus, Abdenago de » medio ignis [2]. » Quare autem non prius egressi sunt, quam vocavit eos? Et pulchre prius interrogat primores, ut responsione sua præoccupati, nihil contrarii respon-deant, neque occasione abripiantur : quemadmodum Moysi dicebat Deus : « Quid est hoc in manu tua [3]? » Sic etiam Nabuchodonosor hos interrogatione anticipat. « Ecce, in-» quit, video viros quatuor solutos, et ambulantes in medio » ignis : et corruptio non est in eis : et aspectus quarti » similis Filio Dei. » Plurimam forte pulchritudinem præ se ferebat. Unde, o Nabuchodonosor, nosti Filium Dei? Aspice hunc barbarum prophetare ex aspectu solo. « Et accessit, » et vocavit eos : O Sedrache, Misache, Abdenago, servi » Dei altissimi, egredimini, et venite. » Vide, non jussit ex-tingui fornacem : sed quid? Vocavit eos, ut exirent. Vides miraculum magnum et incredibile. Quod maxime noverat deliniturum, id illos vocavit. Nihil huic nobilitati par est. Audi enim Deum dicentem : « Moses servus meus mortuus » est [4]. Et Isaac, inquit, servus tuus. » Hac appellatione exultant Angeli, et Cherubim, et Seraphim. Nec sicuti contentiosus aliquis fecisset, in fornace manserunt pueri; sed statim obedierunt, et ad spectandum miraculum omnes convenere.

[1] Dan. III, 92. — [2] Ibid. 93. — [3] Exod. IV, 2. — [4] Jos. I, 2.

CAPUT IV.

I. « Ego Nabuchodonosor abundans eram in domo mea, » et florens in solio meo, et pinguis in populo meo [1]. » Cur ita hoc scripsit; et non scripsit : « Nabuchodonosor erat abundans : sed quasi ex persona illius? Mihi videntur hæc verba ipsius Nabuchodonosoris esse. Postquam enim a pristino errore collegerat se, in publica Acta eas litteras retulerat forte. Ipsam igitur constitutionem, ut fide dignus sit, adducit Daniel. Nam hominum naturæ ipse, qui passus est, loquitur. Et mihi aspice quantum documentum sit adversus superbos. A superbia enim passus est quæcumque passus est, et ostendit causam superbiæ, tum a fine, tum ab initio : in fine quidem dicens : « Quoniam omnes super- » bos potest humiliare [2]; » in principio autem et ab exordiis causam superbiæ dicens. Ibi etenim eum ideo fuisse humiliatum declarat : hic vero qua de causa superbus evaserit, nempe ex eo quod multa fruerentur felicitate; sic et David dicit : « Ideo eos tenuit superbia [3]. » Ita et hic multas ponit prosperitates. In principio ait : « Abundans eram in » domo mea, et florens in solio meo, et pinguis in populo » meo. » Non enim fieri potest ut omnia bona simul concurrant. Contingit in imperio quidem esse felicem, domi vero infelicem; quemadmodum Herodes, quemadmodum David : accidit rursus contra, in populo quidem infelicem esse, a domo autem nihil grave ac molestum sustinere. Fieri etiam potest ut in urbe pax sit; at regnum tumultibus

[1] Dan. IV, 1. — [2] Ibid. 34. — [3] Psal. LXXII, 6.

quatiatur. Verum isti felicem undique esse contigit : nihil erat quod ipsum molestia efficeret. Vides quantum malum sit vacatio ac securitas? Sicut enim in corporibus, cum non ex necessitate fatigationes et occupationes suscipiuntur, de industria quasdam aggredimur, ad corporis exercitium : ita et Deus facere solet, ut vires nimias tollat. « Somnium » vidi, et perterruit me : et turbatus sum in cubili meo : et » visiones capitis mei conturbaverunt me, et per me propo- » situm est decretum, ut introducerent in conspectu meo » omnes sapientes Babylonis, ut conjecturam somnii indi- » carent mihi [1]. » Vide quomodo illum comprimere vult, non rerum experimento, sed futurorum prædictione; et quomodo terribile erat somnium? Cur igitur nunc quoque non obstupuit spiritus ejus, nec somnii oblitus est, sicut antea? Quia scilicet cum Daniel prius sufficiens experimentum dedisset, videlicet in somnio quod præcesserat, non erat deinceps necesse secundam adhiberi probationem. Omnia quippe Deus necessitatis gratia, non ostentationis operatur. Alioquin autem et id fit ad redarguendos magos. Nam ne iterum dicant : « Proferat rex somnium : et illius » conjecturam renuntiabimus nos [2] : » arguuntur non solum illud non posse, sed neque hoc. Nequibant dicere iterum : « Verbum quod rex interrogat, grave est : et non est ho- » mo, qui possit dijudicare illud, nisi dii, quorum non est » habitatio cum omni carne [3]. » Inde didicit neque priora ex illa vulgari sapientia Danielem protulisse. Didicit Chaldæos neque superioribus temporibus quidquam sani dixisse, sicut ipsemet ait; at nullus erat qui illos reprehenderet. Cum autem ad eos venit ex Judæa demonstratio, Daniel nempe, non amplius audent ne quidem fingere. Igitur non sine providentia rursus illi vocantur. Etenim admiratione dignum est, quamobrem rex, cum in tantis rebus experi-

[1] Dan. IV, 2, 3. — [2] Id. II, 7. — [3] Ibid. II.

mentum cepisset potestatis, qua pollebat Daniel, non tamen primum eum vocavit. Ipsemet enim Deus id molitus est, ut post magorum cladem victoria appareret. « Perterruit » me, » inquit : et neque sic melior evasit; sed voluit periculum facere. Ita Deus undique insons est. « Et ingredie- » bantur incantatores, magi, Gazareni, Chaldæi : et som- » nium dixi in conspectu eorum : et conjecturam ejus non » indicaverunt mihi; donec alius ingressus est, Daniel, in » conspectu meo, cujus nomen Baltasar secundum nomen » Dei mei, qui spiritum Dei habet in semetipso : et somnium » coram eo dixi [1]. Donec, inquit, alius ingressus est in cons- » pectu meo. » Quasi immemor ita loquitur. Etenim multi anni præterierant, et cito memoriam amiserat, utpote tot curis obsessus, et cum tantis deliciis vivens. Porro dicere alium, signum est eum valde illius oblitum esse. « Secun- » dum nomen, inquit, Dei mei. » An hoc dicere vult : « Sic eum honoravi, ut a deo nomen hoc illi indiderim. » Mos enim erat illis de deorum nomine pueros suos nominare. Quandoquidem et ex hominibus deos faciebant. Sic Belus, sic et Belæus quidam apud nos appellatus est. Scilicet postquam dæmones viderunt ea ratione homines honorari, ac deos vocari, et ipsi id æmulati sunt. Cujus gratia ait : « Daniel, cujus nomen Baltasar? » Quia Dei virtutem habebat. Id enim apud illos maximo honori erat. Et sustinebat Daniel se ab illis eo nomine insigniri : nusquam autem hic, dum sui mentionem facit, Baltasarem seipsum nominat : sed quid? « Ego Daniel. » Quanto honore dignatus est regis filius ; tanto et iste : etiam ante experimentum, ex ipso aspectu visus est admirabilis. Nec vero, inquit, ex illius virtute proferebat ea quæ loquebatur : sed « Spiritum » Dei sanctum habebat in semetipso. » Non illum spiritum, quem nos vocamus Paracletum; sed velut si quis dixerit

[1] Dan. IV, 4, 5.

inspirationem, erat Numine afflatus. « Baltasar, inquit, » princeps incantatorum [1]. » Primus ipsorum erat, inquit. Vide quot indicia declarent eum cæteris præstantiorem esse. « Baltasar princeps incantatorum, quem cognovi, quod » Spiritus Dei sanctus in te [2]. » Qui melior, cæterisque potior es. « Quem ego cognovi. » Nam-ne iterum redigeret eum ad necessitatem dicendi : « Et ego autem non in sapientia » quæ sit in me [3] : » his verbis maxime eum attractum iri speravit : et id ante alia dixit. Nam ne, quoniam te vocavi principem incantatorum, existimes ideo me dixisse, quasi testarer ista per humanam sapientiam enarrari : princeps quidem es incantatorum ; novi autem te, a divina vi motum, omnia dicere : ex rerum experientia cognovi. « Et omne » mysterium, inquit, non est impossibile tibi [4]. » Hujusmodi enim sunt res divinæ. Humanæ quippe res imperfectæ sunt : Dei autem non item. « Audi igitur visionem somnii mei, » quod vidi, et conjecturam ejus dic mihi, et visiones capitis mei in cubili meo [5]. » Quid igitur ait? « Videbam, et » ecce arbor in medio terræ, et altitudo ejus multa. Magnifica est arbor, et invaluit, et altitudo ejus pervenit usque » ad cœlum, et moles ejus ad terminos universæ terræ, et » folia ejus pulchra, et fructus ejus multus, et cibus » universorum in ea, et subter eam bestiæ agrestes degebant, et in ramis ejus habitant aves cœli : ex ea vescebatur omnis caro [6]. » Quid sibi vult visio? Iterum temporaria rerum humanarum conditio ostenditur. « In ea, inquit, volucres et bestiæ umbra fruebantur, et habitabant ; et ipsis esca inde erat. » Imperium illius dicit, quod universum terrarum orbem obtinebat. Prius itaque per imaginem, nunc vero per arborem ipsi futura ostenduntur. Cur enim non missus est Daniel, qui hæc diceret? Quia sic fide dignior

[1] Dan. IV, 6. — [2] Ibid. — [3] Id. II, 30. — [4] Id. IV, 6. — [5] Ibid. — [6] Ibid. 7-9.

futurus erat sermo, et terribilior, rebus ante oculos adductis. Ut intelligas eum, qui plantis dat incrementum, regnum latenter ac non sentientibus nobis adaugere. « Videbam in » visione noctis in cubili meo, et ecce Ir, et Sanctus de » cœlo descendit in fortitudine; et sic dixit : Excidite arbo- » rem, evellite ramos ejus, et excutite folia ejus, et disper- » gite fructus ejus. Diffugiant bestiæ quæ sub ea sunt, et aves » de ramis ejus. Verumtamen germen radicum ejus in terra » sinite : et in vinculo ferreo atque æreo, et in herba quæ » foris est, et in rore cœli stabulabitur, et cum bestiis pars » ejus in herba terræ : cor ejus ab hominibus commutabi- » tur, et cor bestiæ dabitur ei, et septem tempora mutabun- » tur super eum; per conjecturam Ir sermo, et verbum » Sanctorum interrogatio : ut cognoscant viventes, quod » Dominus est altissimus regni, et cuicumque visum fuerit » dabit illud; et quod pro nihilo habetur ab hominibus, » eriget super illud[1]. » Vide : Ir vocat lumen magnum, et splendorem (20). « Et Sanctus e cœlo descendit, et clamavit » in fortitudine; » ita ut illum perterruerit. « Et sic dixit : Ex- » cidite arborem : verumtamen germen radicum ejus in terra » sinite. » Sed quoniam plurimum corrumpi solet germen, sic « Sinite, inquit, ut in vinculo ferreo et æreo. Et septem, » inquit, tempora super eum mutabuntur, et cum bestiis » habitatio ejus. » Quod enim hæc de homine intelligenda sint, declarant quæ sequuntur. « Et cor, inquit, bestiæ da- » bitur ei. » Quia « Per conjecturam Ir sermo : » per se non potest illustrari, inquit; sed interprete opus est. « Et ver- » bum, inquit, Sanctorum interrogatio : » et Sancti poterunt illud dicere : vel hoc dicit, vel istud : quod nempe possint interrogationem reddere, et causam propter quam ista fiunt, et per responsionem patefactum est. « Ut cognoscant, » inquit, viventes, quod Dominus est altissimus regni homi-

[1] Dan. IV, 10-13.

» num. » Hæc est causa. Vides ut Deus provideat hominibus? utque non intra Judæos conclusum erat ipsius imperium? « Hoc somnium vidi ego rex Nabuchodonosor : et » tu Baltasar conjecturam dic : quia omnes sapientes regni » mei non possunt conjecturam ejus declarare mihi. Tu » autem potes; quia Spiritus Dei sanctus in te habitat. Quia » omnes sapientes regni mei non possunt[1]. » Noverat id iterum lætitia affecturum Danielem; omnes scilicet confiteri se victos fuisse, non propter gloriam suam, sed ut Dei potestas rursus prædicaretur. « Tu autem, inquit, potes, » dic : » qua de causa? « Quia Spiritus Dei in te est. » Vide hinc illum incipere, et ibi desinere. « Arbor quam vidisti, » illa magnificata et corroborata, cujus altitudo pervenit in » cœlum, et moles ejus in universam terram : et folia ejus » florentia, et fructus ejus multus, et esca omnibus in ea : » subter eam habitabant bestiæ agrestes, et in ramis ejus » degebant volucres cœli. Tu es, o rex; quia magnificatus » es et invaluisti, et magnitudo tua magnificata est, et per- » venit usque in cœlum, et dominatio tua in terminos terræ. » Et quod vidit rex Ir, et Sanctum descendentem e cœlo; » et dixit : Evellite arborem, et evertite illam : verumtamen » germen radicum ejus in terra sinite : et in vinculo ferreo » et æreo, et in herba quæ foris est, et in rore cœli stabu- » labitur; et cum bestiis agrestibus pars ejus, donec septem » tempora mutentur super eum. Hoc est conjectura ejus, » o rex, et sententia Altissimi est, quæ pervenit super do- » minum meum regem : et te expellent ab hominibus; et » cum bestiis erit habitatio tua : et fœno ut bovem pascent » te; et a rore cœli tingetur corpus tuum; et septem tem- » pora mutabuntur super te, donec scias quod dominatur » Altissimus in regnum hominum, et cui visum fuerit da- » bit illud. Et quia dixit : Sinite germen radicum arboris,

[1] Dan. IV, 15.

» regnum tuum tibi manebit, ex quo cognoveris potestatem cœlestem [1]. » Quid igitur ait? Quo pacto calamitatis solutio continget? « Propter hoc, rex, consilium meum » placeat tibi; et peccata tua in eleemosynis redime, et » iniquitates tuas in miserationibus pauperum. Forsitan » erit longanimitas delictis tuis [2]. » Quid ais : « Forsitan » erit? » Et medicinæ vim sub dubium quoddam constituis? Non propterea dixit : « Forsitan, » neque dubitans; absit; sed illi metum incutere volens, ac si supra omnem medelam et omnem veniam peccasset. Nam si etiam postquam hoc illi dictum fuit, in insania tamen permansit : multo magis si absque ambiguitate sermo fuisset. Etenim id quoque alibi vult Deus, cum per Prophetam dicit : « Si lave- » ris in nitro, maculata es coram me, dicit Dominus [3]. » Et iterum : « Si mutabit Æthiops pellem, et pardus varie- » tates suas [4]. » Sicut igitur ibi excludit pœnitentiam, non ut excludat, sed ut magis homines terreat : ita et hic volens ostendere magnitudinem eorum quæ peccaverat, dixit : « Forsitan. » Quam autem ob causam non dixit : « Humiliter de te senti; Deum agnosce? » Nam si propter hoc ista patitur, ut et ipse ait, quare alia adhortaris? Dixit : « Ut cognoscant quod dominatur Altissimus in regnum » hominum. » Quid ergo? Ut alii emendentur, ego punior? Nullo modo : sed in somnio quidem, cum non vellet aperte rem ostendere, dixit : « Ut cognoscant viventes : » Daniel autem ait : « Donec tu cognoscas quod dominatur Altis- » simus in regnum hominum, et cui visum fuerit dabit il- » lud. » Vides quomodo hic de humilitate disseruerit? At in somnio quidem, inquit, hoc remedium dictum est : ego autem et aliud affero. Quemadmodum quando iratus est magistratus, ipse quidem nihil dixerit; familiarium autem

[1] Dan. IV, 17-23. — [2] Ibid. 24. — [3] Jer. II, 22. — [4] Id. XIII, 23.

illius quidam accedens ad reum dicet : « Hoc fac, et hoc; da pecunias, et sæpe, ut possimus eripere te ab impendentibus malis. « Cum adhuc sermo esset in ore regis, » vox de cœlo facta est : tibi dicitur, Nabuchodonosor rex : » Regnum tuum transiit a te, et ab hominibus expellent te, » et cum bestiis erit habitatio tua, et fœno ut bovem cibabunt te : et septem tempora mutabuntur super te, donec » cognocas quia dominatur Altissimus regno hominum, et » cui visum fuerit dabit illud. Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosorem, et ab hominibus expulsus est, et fœnum ut bos comedit, et a rore cœli corpus ejus infectum est, donec capilli ejus ut leonum pili » creverunt, et ungues ejus instar unguium avis [1]. » Aspice sententiam quæ desuper fertur ad ipsum Nabuchodonosorem. Et ad finem devenere res. « Ignorasti, inquit, humanam nobilitatem, in bestiarum ignobilitatem decidisti. » Nihil ignominiosius ista re fieri poterat, neque si ad paupertatem, neque si ad vincula, neque si ad servitutem, neque si ad aliud quid ejusmodi illum redegisset. Porro nullo modo eum a naturali nobilitate ejecit : nec corpus illius in bestiæ naturam mutavit : sed illud, quo ab irrationalibus distabat, in feritatem transtulit. Quomodo igitur? Ut et reliqui discant ex illius cibo, et ex illius aspectu. Quid autem per hæc docemur? Nempe quod etsi eadem nobis non eveniant, tamen melius illo non sumus affecti, quando in superbiam, aut in belluinam perturbationem delabimur. Quot nunc non secus ac Nabuchodonosor ille, bestiæ mentem habent? Audi itaque Joannem dicentem : « Serpentes genimina viperarum [2] : » et rursus alium Prophetam aientem : « Equi furentes in fœminas facti sunt; unusquisque ad uxorem proximi hinniebant [3] : » et alium adhuc; « Canes muti non valentes latrare [4]; » et alium

[1] Dan. IV, 28-30. — [2] Matth. XXIII, 33. — [3] Jer. V, 8. — [4] Isaï. LVI, 10.

rursus « Vulpes [1] » appellantem, et alium « Dracones ac ba-» siliscos [2]. » Multo autem deterius est, cum in hac vita sumus, efferari, quam eadem cum Nabuchodonosore pati. Ille siquidem nihil mali in animum admittebat : nos autem, dum ita innumera peccata colligimus, quanto pejores sumus jam, sicut dictum est. Qui autem apud ethnicos sapientes habebantur, mutabant homines in bestias. Sed videamus quomodo? Gentilium quidem metamorphoses fabulæ erant; ista autem vera sunt. Qua enim de causa homines illos mutaverunt? Nulla : at Scriptura causam quoque profert : « Ut cognoscant omnes quia dominatur » Altissimus regno hominum. » Vides ut omnia Deo possibilia sint? etiam ex hominibus bestias facere, et mentem mutare? Cogita quanta res esset cum, qui antea in tanto splendore vixisset, cernere cum bestiis degentem, nudum. Non enim utique formam mutavit; quandoquidem id horrendum non fuisset. Cor autem bestiæ accepisse non ideo dicit, quod mente fuerit alienatus; sed quod humanum animum habens, cuncta sentiret. Nam si conversus fuisset in bestiam, ea quæ eveniebant non cognovisset. Quid igitur significat; « Cor bestiæ datum est » ei? » Id est, agrestis ac ferus evasit, nec volebat cum hominibus versari : vel etiam, timebat cum hominibus degere; vel, homines ut feras metuebat. Quid fieri possit illo sublimius? Quid eodem humilius? « Et expulsus est » ab hominibus. » Nusquam illius potentia defendit illum. Non erat carnivora bestia; sed fœnum comedebat, et erat imago bruti. Ut credas, inquit, velut pro consueto pabulo habebis herbam. Quomodo feræ illum non devorarunt? Quomodo corpus illius cibos ejusmodi potuit concoquere? Quomodo non periit? Neque enim breve tempus intercessit : circuibat, omnibus factus exemplum humilitatis;

[1] Ezech. XIII, 4. — [2] Psal. XC, 13.

in seipso ferens indicia punitionis, quemadmodum servus notis compunctus. At certe præstitisset, dixerit fortasse aliquis cum hominibus illum versari, atque id pati : sed ut pœna ipsi adaugeretur, hoc factum est. Nam castigatio perinde manebat, cum quæ ipsi evenerant omnes enuntiarent, cumque ipsum æque viderent foris : id autem cernere multo terribilius erat : nec tempus breve fuit; sed et ipsum sabbaticum. Nam « Septem tempora, inquit, mu» tabuntur. » Id est tres anni cum dimidio. « Et post finem » dierum ego, inquit, Nabuchodonosor oculos meos in cœ» lum levavi, et mens mea reversa est ad me : et Altissi» mum benedixi, et Viventem in sæcula laudavi, et glorifi» cavi, quia potestas ejus potestas æterna, et regnum ejus » in generationem et generationem. Et omnes habitatores » terræ, quasi nihilum reputati sunt. Et juxta voluntatem » suam facit in virtute cœli, et in habitatione terræ : et » non est qui resistat manui ejus, et dicat ei : Quare fe» cisti [1] ? Oculos meos, inquit, in cœlum levavi. » Hoc est, adiit et precatus est Deum, et inde auxilium quæsivit. Quanquam tempus completum foret, non confidebat tamen. Sicut enim in ipsius potestate erat, ut non sineret res in effectum devenire : ita etiam, si tempore, quod definitum fuerat, completo, incorrectus mansisset, nihil ipsi profuisset illa temporis definitio. Nam sententia Dei non ad necessitatem, sed ad res nostras exprimitur. Ita et Daniel, quamvis tempus impletum esset, merito orat [2]; ne accedente malitia, adhuc pœnæ ac tempori adjungatur quid. Nam sicut ex humanitate id contingit, quemadmodum in Ezechia; ita et in punitione fieri par est [3], ut et in Judæis : volebat eos Deus statim in Palæstinam redire : illi, quadraginta annos sibi adjici per iniquitatem suam meruerunt. Vide autem illum confugere ad Deum. « Sus-

[1] Dan. IV, 31, 32. — [2] Id. IX, 4. — [3] 4 Reg. XX, 1.

» pexi, inquit, in cœlum : » et rursus factus sum homo. « Et forma mea reversa est ad me. » Quemadmodum forma illius multum quidem ab humana erat mutata; non tamen in bestiam conversus fuerat : ita et mens illius. Et quid? « Laudavi et glorificavi. » Quodnam indicium? « Altis- » simum, inquit, benedixi, et Viventem in sæcula laudavi » ac glorificavi. » Nihil enim ita dignum Deo esse putatur, ut perpetuo existere. « Quia potestas ejus, inquit, potes- » tas æterna, et regnum ejus in generationem et gene- » rationem. » Quoniam in eo potissimum homo ab illo distinguitur, et hoc erat quod apud homines beatum habebatur. « Quia potestas ejus, inquit, potestas æterna, » in omne tempus existit. « Sine cibo, ait, me nutrivit : sine vestimentis, sine aliis omnibus rebus corruptum non est meum corpus. » Cogita qualis erat, dum a deserto ad regnum rediit. « Eo enim, inquit, tempore mens mea reversa » est : et ad honorem regni mei veni : et forma mea rediit » ad me : et tyranni mei, et optimates mei quæsierunt me : » et in regnum meum confirmatus sum : et magnitudo » amplior addita est mihi [1]. Et quæsierunt me, inquit, op- » timates mei; » qui dominantem ac regnantem expulerant et oderant. Idque ex decreto Dei. Ideo enim tempus definitur, ne existimes quidquam fortuito evenisse. « Et reg- » num illius in generationem et generationem : et omnes » terræ incolæ, quasi nihilum reputati sunt. » Nam si ego, qui omnibus imperabam, quasi nihilum reputatus sum, multo magis reliqui. Scilicet qui adeo potentem de regno dejecit, multo magis subjectos. « Et secundum voluntа- » tem suam facit in virtute cœli, et in habitatione terræ. » Illud : « Quasi nihilum reputati sunt; » non quod contemnat illos, absit : sed quia potens est, et quemadmodum vult, illos agit. Hoc igitur sequentia quoque declarant :

[1] Dan. IV, 33.

« Et secundum voluntatem suam facit in virtute cœli, et »in habitatione terræ. » Esto sane, de terra nosti : at de cœlo, unde scis? A somnio. Jussit : quomodo obedierunt? Ex igne fornacis. « Et non est qui resistat manui ejus, et »dicat ei : Quare fecisti? » Non tantum, inquit, adversabitur : sed nec verbis tenus interrogabit. Omnibus ille imperat, omnia ipse est. « Eo, inquit, tempore mens mea »reversa est ad me. » Eo : quo? quo Deus dixerat. Unde illum et in regnum reduxerunt? Qui enim adeo potentem dejecerant, quomodo infirmum factum revocarunt? « Et »ad honorem regni mei veni : et forma mea rediit ad me : »et tyranni mei et optimates mei quærebant me : et in »regno meo confirmatus sum : et magnitudo amplior ad»dita est mihi. » Vides ut Deus statuere et evertere possit regnum? Oportebat siquidem hæc per ea, quæ antea contigerant, explorata habere : sed quoniam tu ignorasti ea, regnum Dominus evertit, et illud iterum erexit. « [illegible] »igitur ego Nabuchodonosor laudo, et exalto, et glorifico »Regem cœli, quia omnia opera illius vera, et semitæ ejus »judicia : Et omnes incedentes in superbia, potest hu»miliare [1]. » Dici nequit eum potestatem quidem habere, sed injustam : illius quippe magna est justitia. « Et om»nes qui gradiuntur in superbia, potest humiliare. » Non dixit : « Humiliat : » ut tibi illius etiam æquanimitatem ostenderet, et ut intelligeres quod non ex infirmitate, sed quod per unum alios emendat. Vides potentiam? Vides justitiam? Vides erga homines amorem? Vides hæc ab ore barbaro pronuntiari? Quisnam ita philosophatus est? Qui Prophetis erant innutriti, nihil simile loquebantur : sed contraria penitus. « Non faciet bene Dominus, aiunt, et »non faciet male [2]. » Et iterum : « Nonne in fortitudine »nostra habuimus cornua [3]? » Et : « Omnis qui facit ma-

[1] Dan. IV, 34. — [2] Soph. I, 12. — [3] Amos VI, 4.

»lum, bonum est in conspectu Domini : et in his com-»placuit ei [1]. » Et : « Quod emolumentum, quia serviimus »illi [2] ? » Vides in Palæstina dogmata satanica? Vides in barbarico solo philosophiam prophetieam? Hæc figuræ sunt gratiæ apud gentes futuræ; et quod gentiles debeant antevertere Judæos, ac præsultare. Postea Baltasar, cum in illo convivio ebrius esset, jubet vasa educi : quasi in victoria patris glorians, magis vero petulanter insultans : seu, quoniam convivæ, eorum quæ contigerant fuerant spectatores; ut tolleret eam, quam de Deo habebant, admirationem. Et hoc ex superbia et ebrietate faciebant. Cavcamus temulentiam, dilecti. Multa enim absurda ab hac fiunt. Sed et magnos viros superat ebrietas. Nam iste cum vinum gustasset, vasa efferri jussit : quibus pepercerat pater illius, qui ea e templo deprompserat : et is, cum cepisset Jerosolymam, non ausus est in humanum ministerium illa deducere; iste non sibi solummodo, sed et optimatibus suis et pellicibus et concubinis in usum tradidit.

CAPUT V.

« Baltasar rex fecit convivium grande optimatibus suis »mille : et e regione ipsorum mille, vinum erat. Bibens »Baltasar rex præcepit in gustu vini, ut afferrent vasa aurea »et argentea, quæ asportaverat Nabuchodonosor pater ejus »de templo, quod in Jerosolymis : et biberent in illis rex, »et optimates ejus, et concubini ejus, et pellices ejus. Et »allata sunt vasa argentea et aurea, quæ asportaverat Na-

[1] Malach. II, 17. — [2] Id. III, 14.

» buchodonosor ex templo Dei, quod in Jerosolymis : et » bibebant in eis rex, et optimates ejus, et concubini ejus, » et pellices ejus ; et bibebant vinum. Et laudaverunt deos » aureos, et argenteos, et æneos, et ferreos, et ligneos, et » lapideos [1]. » Vides vasa capi? Sed vide eorum virtutem, etiam postquam capta sunt, ac posita in idolorum templo. Esto de iis ille pro libito statuerit. Qua de causa id? Capta sunt propter Judæorum peccata : illi pœnas dederunt. Quinam finis etiam post ostenta? Quo pacto nihil passi sunt magnates, sed solus rex? Quia scilicet ille jusserat, ille cæteris auctor fuerat. « Laudarunt, inquit, deos aureos et ar- » genteos. » Quare hæc apud illos deorum differentia erat? Diabolus cupiens illos omni venia privare, sæpe præcepit ut deos ligneos facerent, ne ab ipsa materia, magnum sumptum in excusationem adducerent. Laudibus celebrabant deos. Vide Deum nusquam incipere, sed sequi. Quare pœna subsecuta est velociter ac eadem hora? Ut quæ ex prioribus miraculis acta fuerant, non dissolverentur. Dum Deus in vasis afficitur contumelia, voluit homines contumelia afficere. Et vide quid fiat? Cupiit vasa, et in ipso tempore punitio affuit. Cur non mittitur Propheta illum reprehensurus, sed articulus manus? Ut major oriretur consternatio. « In eadem hora egressi sunt digiti manus » hominis, et scribebant e regione lampadis in tectorio pa- » rietis domus regiæ : et rex aspiciebat articulos manus » scribentis [2]. » Adde et vesperam fuisse. Oportebat tumorem ex temulentia ortum comprimi. Deinde debebant omnes qui aderant edoceri regem pœnas dare. Cur non Deus fulmen e cœlo statim emisit? Ut iterum servus suus gloria afficeretur ; ut Baltasar audiret cur ista pateretur. Nam Daniel ingressus, non tantum scripturam interpretatur, sed et longos habet sermones, eosque suasorios ; non

[1] Dan. v, 1-4. — [2] Ibid. 5.

tanquam regi profuturus, sed ut alios emendaturus. « Tunc » Daniel ingressus est in conspectum regis : et dixit rex » Danieli : tu es Daniel, ex filiis captivitatis judaïcæ, quam » deduxit rex pater meus ex Judæa [1] ? » Veluti territans eum et ad necessitatem redigens, hæc ait. Cum autem dicit : « Quem adduxit rex pater meus ex captivitate Judææ, » hæc contra semetipsum verba loquitur; si nimirum captivorum ubique indigeat. « Audivi de te quod Spiritus Dei » sanctus in te est, et vigilantia, et intelligentia, et sapientia » amplior inventa est in te. Et nunc ingressi sunt in con- » spectu meo sapientes, magi, Gazareni, Chaldæi, ut scrip- » turam hanc legerent, et conjecturam ejus indicarent mihi : » nec potuerunt conjecturam sermonis illius renuntiare » mihi. Et ego audivi de te, quia potes conjecturas conji- » cere, et nodos solvere. Et nunc si poteris scripturam le- » gere, et conjecturam ejus indicare mihi, purpura vestieris, » et torques aurea erit in collo tuo, et tertius in regno meo » imperabis [2] (21). » Fatetur suos victos esse, et ait : « Dic, atque ista accipe. » Sed considera Prophetam, in patre quidem illius quomodo animum despondit; hic autem nihil tale : sed quid ait ? « Tunc respondit Daniel, et dixit coram rege : » Munus tuum tibi sit, et donum domus tuæ alteri da : ego » vero scripturam legam regi, et conjecturam ejus indicabo » tibi, o rex [3]. » Quare munera deprecatur ? Ut intelligas eum non propter illa proloqui. Quod enim non iratus, simpliciter hæc dixerit : « Ego autem, inquit, scripturam le- » gam, et conjecturam ejus renuntiabo regi. » Vides illum pecunia esse superiorem ? honore altiorem ? nullius ex regiis rebus indigentem ? Tales esse oportet eos qui loquuntur ea quæ Dei sunt. Ne existimaret rex illum ea via a se esse attractum, vel aliquid ex iis quæ ab eo dicebantur, humanum esse. Quid igitur ait ? Omittens scripturam edisserere

[1] Dan. v, 13. — [2] Ibid. 14-16. — [3] Ibid. 17.

illum pluribus verbis admonet, ex ipsis exordiis ea quæ patri acciderant in memoriam ei revocans. « Deus altissi-» mus regnum, et magnitudinem, et honorem, et gloriam » dedit Nabuchodonosori patri tuo. Et a magnificentia, » quam dedit ei, omnes populi, tribus, linguæ tremebant et » metuebant a facie ejus. Quos volebat ipse interficiebat; » et quos volebat ipse percutiebat; et quos volebat ipse de-» primebat. Et quando elevatum est cor ejus, et spiritus » ejus obfirmatus est ad superbiendum, depositus est de » solio regni sui, et honor ejus ablatus est ab eo, et ab ho-» minibus expulsus est, et cor ejus cum bestiis datum est; » et cum asinis agrestibus habitatio ejus; et fœno ut bovem » cibaverunt eum; et a rore cœli corpus ejus tinctum est; » donec cognovit quia dominatur Deus altissimus super reg-» num hominum; et cui visum fuerit dabit illud [1]. » Nam si ille, inquit, venia indignus fuit, tu qui post ejusmodi exemplum non resipuisti, quam pœnam, quæso, mereris? Neque enim ad ignorantiam potes confugere. Nonne hæc omnia noveras? Quosnam cuinam præfers? eos qui non audiunt, neque vident? « Et tu filius ejus Baltasar non hu-» miliasti cor tuum coram Deo. Nonne omnia hæc noras? » et super Dominum Deum cœli elevatus es, et domus ejus » vasa attulisti coram te : et tu, et optimates tui, et concu-» bini tui, et pellices tuæ, bibistis vinum in eis : deosque au-» reos, et argenteos, et æneos, et ferreos, et ligneos, et lapi-» deos, qui non vident, et non audiunt, et non cognoscunt, » laudasti; et Deum, cujus in manu est flatus tuus, et om-» nes viæ tuæ, ipsum non glorificasti. Idcirco a facie ejus » missus est articulus manus, et hanc scripturam exaravit. » Et hæc est exarata scriptura : Mane, Thecel, Phares : et » hæc est interpretatio visi. Mane : Mensus est Deus regnum » tuum, et complevit illud : Thecel; Appensum est in sta-

[1] Dan. v, 18-21.

» tera, et inventum est deficiens. PHARES; Divisum est reg-» num tuum, et datum est Medis ac Persis [1]. Idcirco, ait, » Deus regnum tuum mensus est, et divisum est. » Et hoc in supplicium fuit, quod divisum est, nec mansit integrum. Quod et in Salomone contigit. Non modo quia Baltasaris filius non excepit regnum, sed et quia divisum est. Vide ut Deus se illi excuset : vide ut rex infortunii sui sit auctor. « In cujus, inquit, manu est flatus tuus. » Nonne enim poterat statim te interimere? Sed patiens fuit. Quem non hæc pœna perterruisset, eaque in propinquo? Vides potestatem ad utrumque? Unde, quæso, venia dignus es? Et tu filius ejus, non habeo dicere nepos, nonne omnia hæc noras (22)? Quemadmodum in foro judiciali sententia scribitur, iste ea quæ pronuntiantur interpretatur. Unde regi in mentem venit Danielem honorare? Ut mihi videtur, ne ab iis qui aderant condemnaretur; et forte sperans se per hæc liberationem inventurum.

CAPUT VI.

« Et rex constituit eum super omne regnum suum. Et » ordinatores et satrapæ quærebant invenire contra Danie-» lem occasionem, ex regno. Et omnem prætextum ac of-» fensam non invenerunt in illum, quia fidelis erat [1]. » Id est regi erat benevolus. Vel, « Quia fidelis erat : » hoc est confidebat Deo; et ille omnia gubernat : Deo autem gubernante, quod damnum evenire poterit? Quid igitur ait? « Dixerunt ordinatores ii : Non inveniemus contra Danie-

[1] Dan. v, 22-28. — [2] Dan. vi, 4.

» lem occasionem, nisi in legitimis Dei sui [1]. » Nihil, inquiunt, inveniri potest. Propter quid? Nonne homo est? An in omnibus peccato fuit immunis? Futurum incertum est : et de rebus futuris qua ratione affirmatis? Et aiunt : Experimentum ex ipsis rebus sumpsimus. « Nisi in legitimis, in- » quiunt, Dei sui non inveniemus occasionem. » Atqui istic multo magis est irreprehensibilis. Tentationem permittit Deus ad probationem. Nonne enim poterat illorum cohibere malitiam? Verum ut per id disceres, et hunc mirareris, non invidet famulis suis coronam. « Tunc ordinatores » et satrapæ astiterunt regi, et dixerunt ei : Dari rex, in » æternum vive. Consilium inierunt omnes qui super regnum » tuum duces, et satrapæ, optimates, et toparchæ, sta- » tuere statuto regio, et confirmare constitutionem ; ut qui- » cumque petierit ab ullo Deo vel homine petitionem, usque » ad dies triginta, nisi a te, rex; mittatur in lacum leo- » num. Nunc igitur rex, statue constitutionem, et propone » scripturam, ut non immutetur decretum Medorum et Per- » sarum, ut ne quid præscribatur adversus illud. Tunc rex » Darius præcepit scribi decretum [2]. » Vide quid agant? utque inconsultum edictum statuere studeant? Et cupide hoc petunt. Nam dicere : « Quicumque petierit ab homine, » habuit-ne causam? Sed videbantur rationem petitionis per brevitatem temporis callide occultare. Qualis est iste prætextus? Quare id dixisti? Visum est, inquit ; omnes convenientes id firmavimus, ut intra triginta dies a te solo petant. O barbaricam petitionem? O multæ inconsiderantiæ plenum beneficium, cum, qui honorari videtur, afficiens probro! Nam si res honesta erat, oportebat perpetuam esse : si vero improba, ne quidem ad triginta dies durare. Rursus, si bona, cur multitudinem obtenditis? Etenim sine ea annuere oportuit : si vero mala, nec universo orbe jubente

[1] Dan. VI, 5. — [2] Ibid. 6-9.

obtemperandum erat. Dolum non prævidit rex : et hoc ex iis, quæ postea contigerunt, manifestum est. Constituit enim, et constitutionem publicis litteris firmarunt, ut neque volenti regi tempus renuendi esset deinceps. Quid itaque ait Daniel, cum ista accepit? Turbatus non est; pristinæ consuetudini nihil adjecit, nihil ademit. Aspice virtute præditum æquabiliter semper viventem; omnia velut prætereuntes flores, ac velut in umbris, tum commoda tum tristia intuentem. Nam si ab initio adeo imperterritus manebat, multo magis nunc, post certaminum periculum tot coronis redimitus. Cur non accessit? Cur questus non est, cum tantam loquendi libertatem apud regem obtineret? Nolebat id agere verbis, sed rebus. Alioquin autem ubique eum invenimus, cum usus vocat, prosilire atque accedere. « Et » Daniel, quando cognovit scriptum esse decretum, ingressus » est in domum suam; et fenestræ apertæ in cœnaculo ejus » contra Jerosolymam : et tribus temporibus diei flectebat » genua, et orabat, et confitebatur coram Deo suo, ut antea » solitus erat facere [1]. » Quare nos admonuit fenestrarum, quod apertæ essent versus Jerosolymam? Quia Judæi vehementi urbis illius visendæ tenebantur desiderio. Sicut igitur qui amatam habet absentem; etiam itinera eo ducentia diligit : ita sane et iste. Alii vero desiderabant urbem propter res corporales : non autem hic, at propter gloriam Dei. Quandoquidem id ita se habere inde manifestum est, quod noluerit redire, cum evenit quod expetebat. Propter hoc et nos, sicut patres nobis tradiderunt, ad Orientem aspicientes precamur : civitatem quoque nos ac patriam antequam requirimus. Etenim revera quæsitu digna res est. Quo pacto cum Deus ubique sit, cumque Propheta dicat : « Et qui ascendit super occasum, Dominus nomen » illi [2], » tamen ad ortum vertimur? Nempe ibi velut me-

[1] Dan. VI, 10. — [2] Psal. LXVII, 5.

dici officina erat olim. At illius non cepisti experimentum? Sed quære. In captivitate et nos habitabamus: verum antequam veniisset Christus. Cur autem tribus tantum diei temporibus flectebat genua? Quid enim? Nonne hoc mirabile? Homo tot tantisque circumdatus curis, quique ne paulum quidem respirare habebat. Vide autem et impleri illud Apostoli: « In omni loco, inquit, levantes puras manus [1]. » Et quod Christus jussit, hoc complebant. « Et claudens, » inquit, ostium tuum, ora Patrem tuum [2]. Tunc respondebunt, et dicunt coram rege : Daniel, qui de filiis captivitatis Judææ, non subdidit se decreto tuo, et constitutioni » quam statuisti : Et tribus diei temporibus petit a Deo suo » petitiones. Tunc rex, ut verbum audivit, multum contristatus est super eo : et pro Daniele contendit, ut liberaret eum : et usque ad occasum solis dimicavit, ut eruceret eum; et satagebat pro illo. Tunc viri illi observaverunt » in regem, et dicunt regi : Scito, rex, quia decretum est » Medis et Persis, omnem constitutionem et statutum, quod » rex statuerit, abrogare non oportere. Tunc rex jussit : » et adduxerunt Danielem, et miserunt eum in lacum leonum [3]. » Forsan nonnulli vestrum dicunt: « Nonne potuit rex liberare eum? Maxime quidem potuit Deus regem facere potentiorem : sed ad certamen athletam ducit. Noverat finem, non ignorabat exitum. At rex, si finem hunc scivisset eventurum, non laborasset utique. Sed non potuit. Laudabilis est ob studium, venia dignus ob ignorantiam. Adeo exoptatus ac amabilis erat Daniel : sed invidia ne pulchra quidem intueri sinit : imo intueri quidem permittit : at non iisdem oculis. Non oportet, inquiunt, adeo languidam esse rerum administrationem, neque leges nostras instabiles esse. Tota gens contumelia afficitur. Immittunt Danielem in fossam : imponunt lapidem. « Et dixit rex

[1] 1 Tim. II, 8. — [2] Matth. VI, 6. — [3] Dan. VII, 13-16.

» Danieli : Deus, cui tu servis continue, ipse liberabit te. Et » attulerunt lapidem unum, et imposuerunt super os laci : » et obsignavit rex annulo suo, et annulo optimatum suo- » rum; ut nihil mutaretur in Daniele. Et abiit rex in do- » mum suam, et cubuit incœnatus, et cibos non apposuerunt » ei, et somnus recessit ab eo [1]. » Recordare mihi monumentum Christi, ubi Judæi sigilla imposuerunt. Alioquin enim dixissent rem per fraudem ac præstigias esse factam. Sed ubique quæ ab inimicis nostris patrantur, pro nobis sunt. Nam ut delatoribus omnis auferretur prætextus, id evenit : et rex ponit signa, ut illis facultas non esset quidquam faciendi, vel illum extrahendi, et leones causandi : illi vero etiam imponunt signa, ut non liceret Regi liberare eum; atque sic in tuto decretum esset. « Et non cœ- » navit, inquit, rex; neque dormiit. » Vide quanta vis sit amoris. Et quid? primum quidem bene sperare jubet dicens : « Deus, cui tui servis continue. » Iterum causam justam ponit, quæ possit illius animum erigere. Forsan enim Danielem audierat. Deinde accedit hymnum proferens. « Tunc rex multum gavisus est super eo : et præcepit ut » Danielem educerent de lacu. Et eductus est Daniel de » lacu : et nulla læsio inventa est in illo, quia credidit Deo » suo. Et dixit rex; et adduxerunt viros qui accusaverant » Danielem : et in lacum leonum injecti sunt ipsi, et filii » eorum, et uxores eorum : et non pervenerant ad pavi- » mentum laci, cum dominati sunt eorum leones, et omnia » ossa eorum comminuerunt [2]. » Qua de causa filii et uxores pereunt? Quid peccaverunt isti? Fortasse illi quoque criminis participes erant. Vides improborum supplicium? Vides justorum præmia? Undique erudire, undique ædificare. Vides quod, quamvis Deus deserat, ad utilitatem nostram id facit. Superavit ignem; superavit feras. Ne dein-

[1] Dan. VII, 16-18. — [2] Ibid. 23, 24.

ceps inquiras, ad quid leones, et pardi, et reliquæ feræ? Sunt enim veluti carnifices quidam ad latera Danielis stantes, tanquam in divino quodam ac horrendo tribunali id agentes. Ad hunc modum non ausi sunt perfodere latera justi viri. Non enim acceperant Judicis mandatum. Postquam vero alii in lacum missi sunt, Deo jubente, eos interfecerunt. « Et ossa eorum, inquit, comminuerunt. » Quis frenabat ipsorum ora? Quis præcepit apposito cibo abstinere? Quis philosophus adeo temperans, ut pressus fame, solutione autem famis præsente, nolit se ab eo malo liberare? Rursus edicta : rursus divinum præconium : rursus testimonium per res ipsas.

CAPUT VII.

« In primo anno Baltasaris regis Chaldæorum, Daniel » somnium vidit : et visiones capitis ejus in cubili ejus. Et » somnium scripsit. Principium sermonum ejus. Et respon- » dens dixit : Ego Daniel aspiciebam in mea visione, nocte : » et ecce quatuor venti cœli irruebant in mare magnum : » et quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari, diversæ » inter se. Prima similis leænæ, et alæ ejus velut alæ aquilæ. » Aspiciebam, donec evulsæ sunt alæ ejus : et sublata est » de terra : et in pedibus hominis stetit : et cor hominis » datum est ei. Et ecce bestia alia similis urso ; et in partem » unam stetit : et tria latera in ore ejus, inter dentes ipsius. » Et sic dicebant ei : Surge, comede carnes multas. Post hoc » aspiciebam, et ecce alia bestia tanquam pardalis : et ipsi » alæ quatuor volucris super eam : et quatuor capita bes-

» tiæ : et potestas data est illi. Post hoc aspiciebam in vi-
» sione noctis, et ecce bestia quarta, terribilis, et stupenda,
» et fortis nimis : et dentes ejus ferrei, et magni ; comedens
» et comminuens ; et reliqua pedibus suis conculcabat. Et
» ipsa diversa valde præ omnibus bestiis quæ ante eam : et
» cornua ejus decem. Considerabam cornua ejus : et ecce
» cornu aliud parvum ascendebat in medio eorum : et tria
» cornua ejus, de iis quæ antea, eradicata sunt a facie ejus.
» Et ecce oculi, quasi oculi hominis in cornu isto ; et os lo-
» quens grandia [1]. » Cur non dixit se vidisse mulieres? At quidem cum pœnam et maledictionem oportuit exhibere, mulieres adduxit Scripura : cum autem regna exprimere, bestias protulit. Incorporea res est regnum : corpus igitur illi tribuit. An non oportebat? Et recte. Nam quoniam regnorum qualitates præcipue in bestiis istis existunt ; ideo iis opus habuit. Ostendere voluit illam in feritate superbiam, atque luxuriam, et lœnam produxit. Voluit ostendere tarditatem ; et ursum adduxit. Voluit designare velocitatem, et pernicitatem, et quod bellis omnia imperia everterint ; atque pardalim protulit. Aspice ut prius pulchre viderit mare, quod repræsentat universum orbem terrarum. Totidem enim plenus est tumultibus, et eodem modo agitatur : quasi piscibus, non hominibus repletus. Id etiam Christus declarat, præsentem nempe vitam mare esse, dum dicit : « Simile fac-
» tum est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex
» omni genere congreganti [2]. Et ecce, inquit, quatuor venti
» cœli irruebant in mare magnum. » Declarat bestias illas inde prodiisse : indicat etiam celeritatem divinæ Providentiæ. Etenim nos, cum de velocitate sermo est, ventos in medium producimus. « Irruerunt in mare, et emerserunt,
» inquit, bestiæ e mari. » Nam naturæ nostræ participes sunt principes nostri : sic etiam regem leonem sæpe vo-

[1] Dan. VII, 1-8. — [2] Matth. XIII, 47.

cat, regiam dignitatem, et ferinos mores indicare cupiens. Vel quia ventorum ille quidem orientalis est; hic vero ex septentrione, alter vero ab austro. Ut si quis dixerit : « Evertit mare : » illud de cœlo agitarunt. « Diversæ inter se. » Prima, quasi leæna. » Quemadmodum in somnio. Non enim hæc rerum natura erat. Per duo signa majestas regia ostenditur. Quidam vero dicunt quod, quia Assyrium superavit, ideo cum duobus animalibus confertur. « Et aspiciebam, donec evulsæ sunt alæ ejus. » Id est imperium, « Et sublata est de terra : et in pedibus hominis stetit : et » cor hominis datum est ei. » Ferox animal. Utrinque habebat celeritatis vim : superne quidem ab alis ; inferne vero a pedibus : sed utraque velocitas ablata est ; alis quidem evulsis, nec amplius apparentibus ; pedibus vero degenerantibus in debiliores, humanos scilicet. « Et cor hominis datum est ei. » Tanta in illo animali fuerat superbia. Humilis, inquit, mitis et mansuetus factus est rex. « Et ecce » bestia alia similis urso : et in partem unam stetit : et tria » latera in ore ejus, inter dentes ipsius. Et sic dicebant ei : » Surge, comede carnes multas. » Sub Persis homines fuerunt tardi ac segnes. Sub Medis et Persis extiterunt tria latera : id est vel loca, vel regna, quæ in unum illi contraxerunt. « Dicebant ei : Surge, comede carnes multas. » Ili enim ceperunt et Babylonem, et multas calamitates intulerunt. « Post hoc aspiciebam ; et ecce alia bestia, quasi » pardalis : et ipsi alæ quatuor volucris super eam : et ca- » pita quatuor bestiæ : et potestas data est illi. Deinde, in- » quit, pardalis : » Alexander Macedonum rex, qui totum orbem pervolavit. Nihil quippe illo fuit terribilius, nec velocius : at vehemens erat ac celer, sicuti hæc bestia. « Quatuor, inquit, alæ volucris super eam. » Hoc est, omnem potentiam sibi adjunxit. Persas enim in tredecim regna ab se divisos, sibi subjecit universos. Vides illius celeritatem ?

Et ex bestiæ natura, et ex alis. Universum orbem per currit. « Et capita, inquit, quatuor bestiæ. Et regnum et »potestas data est ei. » Dehinc narrat quartæ bestiæ adventum multiformem et omnigenum, et non potest afferre similitudinem, adeo bestia illa varians erat. Alia quippe omnia devicit regna. Cæteris quidem imperiis a velocitate inerat vis: hujus vero animalis vires in dentibus, qui ferrei erant. « Et reliqua pedibus suis conculcabat. » Multa intelligit bella. Quinam sunt decem reges? Quod parvum cornu? Ego aio Antichristum inter aliquot reges apparere. « Et oculi, quasi oculi hominis in cornu isto, et os loquens »grandia. » Quid enim illo ore grandius esse potest, quod loquitur « Supra quidquid dicitur Deus, aut Numen; adeo »ut in templo Dei sedeat[1]. » Si autem oculi hominis, ne mireris: etenim talia loquitur. « Homo est[2], » inquit. Cur autem cornu parvum, et non ab initio magnum apparet? At posthac crescet, et quorumdam regum dominabitur. Quid igitur? Nullum regnum excipiet hunc regem; sed illum Deus ipsemet dissolvet ac destruet. « Aspiciebam, »donec throni positi sunt, et Antiquus dierum sedit: et »vestimentum ejus candidum sicut nix: et capillus capitis »ejus quasi lana munda: thronus ejus flamma ignis: rotæ »ejus ignis ardens: fluvius ignis manabat egrediens a con»spectu ejus. Mille millia ministrabant ei, et dena millia »denum millium assistebant ante eum. Judicium sedit, et libri aperti sunt[3]. » Contendamus animo, charissimi. Non enim parvis de rebus agitur. « Throni, inquit, positi sunt, »et Antiquus dierum sedit. » Quis est iste? Sicuti cum audiisti ursum, non de urso cogitasti: et cum lœnam, non id animal suspicabaris, sed regna; et cum mare, non mare, sed orbem terrarum, in aliis alia cogitans: ita et nunc. Antiquus dierum quid est? Seni cuidam similis erat. Nam

[1] 2 Thess. II, 4. — [2] Ibid. 3. — [3] Dan. VII, 9. 10.

ad usus rerum, propter quas apparet, seipsum format : atque hic ostendit senibus judicia esse committenda. Sicut enim cum audis thronum, non cathedram intelligis. Verum quis adeo vilem ac vulgarem sensum arriperet, cum et alibi Deus armatus videatur [1], et alibi cruentatus. Hoc itaque indicare vult tempus judicii esse. « Vestimentum ejus, » quasi nix, candidum. » Quare ? Quoniam non modo tempus est judicii, sed retributionis quoque : quoniam cunctos ipsi astare oportet : quoniam « Judicium illius, inquit, » quasi lux egredietur [2]. » Deinde « Throni positi sunt. » Nonne throni in quibus « Sedebitis, inquit, super duodecim thro» nos [3] ? Et capillus capitis ejus quasi lana munda. » Ignis nihil consumebat, quandoquidem lenis erat. Vides faciem et habitum civilem ac popularem ? Thronus terrebat, quod igne abundaret ; et non igne simpliciter, sed igne ardente. Nam ne existimares per similitudinem factum esse comparationem ; addidit ignis illius efficaciam, non solum ignem dicens, sed ignem ardentem. « Fluvius ignis mana» bat a conspectu ejus. Mille millia ministrabant ei, et dena » millia denum millium assistebant ante eum. Judicium se» dit. » Hoc est, ideo advenit, ut judicium daretur. « Et li» bri aperti sunt. » Quid ais ? Libris Deus indiget, « Qui » omnia novit antequam fiant [4] ? Qui finxit sigillatim corda » eorum [5]. » Sed juxta consuetudinem magistratuum nostrorum loquitur ; et sic acta fiunt apud nos. Sicut enim acta non ideo leguntur, ut magistratus solum edoceatur ; sed etiam ut appareat justum esse judicium : ita et tunc evenit. Nam licet Deus sciat se juste judicare, attamen libros aperit. Cujus rei gratia ? Quid ais ? et quid tibi vis ? Cur non præmia quoque dixit ? At dixit : « Throni positi » sunt : » quandoquidem Deus et illa definivit : postquam

[1] Sap. v, 18. — [2] Oseé vi, 5. — [3] Matth. xix, 28. — [4] Dan. xiii, 42. — [5] Psal. xxxii, 13.

vero nos non audiimus; tunc punitionem et supplicium minatus est. Et nonne nobis hanc primam vocem emisit? « Exinde cœpit, inquit, prædicare regnum cœlorum [1]. » Nihil corporeum suspiceris, dilecte; nec existimes Deum, qui immensus est, solio esse inclusum. Nam si « In manu ejus » sunt fines terræ [2]. » Si « Montes statuit statera [3] : » si « Omnes » gentes quasi saliva, in conspectu ejus reputatæ sunt [4]; » et » si « Cuncta sicut pulvis coram eo [5], » ut ipse ait : quis locus totum simul comprehendere poterit? Sed quid? Res non ita se habet : solio non includitur Deus. Si autem vestimentum habebat, quomodo ignis illud non consumpsit? Et qua ratione Antiquus dierum dicitur ille, qui ante omnia sæcula extitit? Quo pacto autem et antiquus? « Tu enim, inquit, » idem ipse es [6] : » Cur igitur antiquus, cum dicatur : « Et » anni tui non deficient [7] ? » Quî vero vestimentum quoque fuerit circa immensum ac incorporeum? « Etenim magni- » tudinis ejus, inquit, non est finis [8] : » et rursus : « Si ascen- » dero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, » ades [9]. » Quomodo igitur veste circumscribebatur humana, nec illam consumebat? At vero et alia ejusmodi multa videre ac legere poterat Propheta. Quomodo autem capilli in igne non absumebantur? Propter hoc siquidem subjecit : « Thronus ejus ignis ardens. Et liberi aperti sunt. » Ut ille, qui damnatur, suo sibi judicio condemnetur. « As- » piciebam tunc a voce sermonum grandium, quos cornu » illud loquebatur. Spectabam donec interfecta est bestia illa, » et periit [10] » ob magniloquentiam. Quanquam Alexander Deum adoravit. « Et corpus ejus datum est in combustionem » ignis. Et reliquarum bestiarum translatus est principatus : et » longitudo vitæ data est eis usque ad tempus et tempus [11]. »

[1] Matth. IV, 17. — [2] Psal. IV, 4. — [3] Esaï. XL, 12. — [4] Ibid. 15. — [5] Ibid. — [6] Psal. CI, 28. — [7] Ibid. — [8] Id. CXLIV, 3. — [9] Id. CXXXVIII, 8. — [10] Dan. VII, 11. — [11] Ibid. 12.

Quamvis finem habuerint, attamen hoc factum est. « Et » combusta est bestia, et corpus illius igne absumptum. » Funditus periisse declarat. « Aspiciebam in visione noctis : » et ecce cum nubibus cœli, quasi Filius hominis veniebat [1]. » Quis hæc ignorat ? Quis perspicere poterit ? Num enim Petrus est qui ista dicit, o Judæe ? Num Paulus ? « Et ecce, » inquit, quasi Filius hominis veniebat : et usque ad Anti- » quum dierum pervenit. » Ecce et par dignitas utriusque. « Et in conspectu ejus oblatus est illi [2]. » Ut cum videris ipsi regnum tradi ; illud, tradi, humano modo non censeas accipiendum. Nam « A nubibus cœli, » inquit. Nubes autem pro cœlo sumere solet Scriptura. « Et ipsi datus est » principatus, et honor, et regnum : et omnes populi, tri- » bus, linguæ ipsi servient : potestas ejus potestas æterna, » quæ non pertransibit : et regnum ejus non corrumpetur [3] ; » Quid, quæso, his verbis manifestius ? « Et omnes populi, » inquit, tribus, linguæ ipsi servient. » Vide ut omnem orbis gentem complexus sit. Vide ut et judicis acceperit tribunal ac potestatem. Ne enim id esse temporarium existimes, ait : « Quæ non pertransibit : et regnum illius non » corrumpetur : » sed stat ac manet. Quod si fidem non habes, a rebus persuadere. Vides æqualitatem honoris cum Patre ? Nam quia Filius post Patrem apparuit, propter hoc ait eum venisse cum nubibus. Quod autem existeret et antea, clarum est ex ipsis nubibus. Siquidem in iis venit. « Et illi delatus est honor. » Quem habebat scilicet. « Et populi, tribus, linguæ ipsi servient. » Principatum etenim habebat antea ; tunc vero illum ipsum, quem obtinebat, accepit. Nam sicut in Patre intelligis capillos et reliqua, ita et istud accipiendum. Cum autem audis, « Datum est, » et alia id genus, nihil humanum suspiceris, nec humile de Filio. Sicut enim videns eum qui senuit, non se-

[1] Dan. VII, 13. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 14.

nem arbitraris : ita et cætera. Noli quippe perspicuitatem in prophetiis quærere, ubi umbræ sunt ac ænigmata. Quemadmodum in fulgure non exquiris lumen perpetuum, sed sufficit si modo appareat. « Horruit spiritus meus, ego Da» niel in habitu meo : et visiones capitis mei turbabant » me [1]. » Merito sub aspectu eorum quæ videntur, Patrem et Filium iste et primus et solus, ut in visione videt. Quid ad hoc respondeant Judæi? Cum enim Domini adventus deinceps propior futurus esset, merito et visiones mirabiles apparent. « Et accessi ad unum assistentium, et verita» tem de his omnibus quærebam ab eo discere. Et dixit » mihi veritatem; et sermonum interpretationem indicavit » mihi [2]. » Interrogat quænam tandem essent quæ apparebant, et edocetur de Antichristo, et discit regnum quod non habet finem. « Hæ, inquit, bestiæ magnæ, quatuor reg» na consurgent. Et sancti Altissimi suscipient regnum; et » obtinebunt illud usque in sæculum, et usque in sæculum » sæculorum. Et quærebam diligenter de bestia quarta; » quia erat diversa ab omni bestia, et terribilis valde : den» tes ejus ferrei; ungues ejus ænei : comedens et commi» nuens, et reliqua pedibus suis conculcabat. Et de corni» bus ejus decem, quæ in capite illius; et de alio, quod » ascenderat, et excusserat priorum tria : et cornu, cui » erant oculi, et os loquens grandia, et aspectus ejus major » cæteris. Aspiciebam, et cornu illud faciebat bellum cum » Sanctis; et prævaluit adversus eos. Donec venit Antiquus » dierum, et judicium dedit sanctis Altissimi; et tempus » advenit, et regnum obtinuerunt Sancti. Et dixit sic : Bes» tia quarta, regnum quartum erit in terra, quod superabit » omnia regna, et devorabit omnem terram, et conculcabit » eam, et concidet eam. Et decem cornua ipsius, decem » reges consurgent; et post eos consurget alius, qui supe-

[1] Dan. VII, 15. — [2] Ibid. 16.

» rabit malis omnes priores, et tres reges humiliabit. Et sermo-
» nes contra Altissimum loquetur, et Sanctos Altissimi inve-
» terabit, et cogitabit mutare tempora et legem; et trade-
» tur in manu ejus usque ad tempus. Et judicium sedit; et
» principatum ejus transferent, ut deleant et disperdant
» usque in finem. Et regnum, et potestas, et magnitudo re-
» gum qui subter omne cœlum, data sunt Sanctis Altissimi:
» et regnum ejus, regnum sempiternum: et omnes princi-
» patus servient ipsi ac obedient. Huc usque finis verbi. Ego
» Daniel: cogitationes meæ multum conturbaverunt me, et
» forma mea mutata est: et verbum in corde meo conser-
» vavi [1]. » Et quare verbum illud non dixisti, o homo? Quia ad Judæos nullo modo spectabat: sed e contrario in viribus quidem ea per obscuritatem occultabat; in Propheta autem conservavit in corde. Etenim sub finem ait: « Ecce
» sermones signati [2]. » Et vult illos obscuros esse. Id facit etiam ipse (Jesus Christus) per parabolas loquens. Vide quomodo ubique regnum extollat Daniel, ut nihil humani suspiceris. Etsi enim universum orbem obtinuerint homines; at non semper, neque in infinitum sæculum. Nec mihi quisquam dicat breve tempus memorari. Quid enim sibi vult illud: « Non pertransibit, neque genti alteri tra-
» detur [3]? » Et vide quæ inter Darium et Macedonas gesta sunt. Quam ob causam hæc? Propter Judæos. Ideo et Alexander adoravit templum, ut aiunt, cum hunc Danielis librum inspexisset: et Græci vim prædictionum ipsius admirati sunt. Porro de istis rebus nemo locutus est, nisi hic solus.

[1] Dan. VII, 17-28. — [2] Id. XII, 9. — [3] Id. II, 4.

CAPUT VIII.

I. « In anno tertio regni Baltasaris, visio apparuit mihi: » ego Daniel, post eam quæ mihi apparuerat in principio. » Et vidi in visione : et factum est cum ego viderem, et eram » in Susis regia, quæ in provincia Elamitide sita est. Et » vidi in visione, et eram super Ubal. Et levavi oculos meos, » et vidi : et ecce aries unus stans ante Ubal : et ipsi erant » cornua, et cornua excelsa; et unum excelsius altero, et » excelsius ascendebat in extremis. Et vidi arietem cornu » petentem contra mare, et Aquilonem, et Austrum, et » Africum : et omnes bestiæ non stabant coram eo ; et non » erat qui erueret de manu ejus : et fecit secundum volun- » tatem suam, et magnificatus est. Et ego eram intelligens : » et ecce hircus caprarum veniebat ab Africo super faciem » totius terræ : et non tangebat terram : et hirco illi cornu » spectabile in medio oculorum ejus. Et venit hircus usque » ad arietem illum habentem cornua, quem videram stan- » tem coram Ubal : et cucurrit ad eum in ira fortitudinis » suæ. Et vidi eum pervenisse usque ad arietem : et effera- » tus est in eum; percussitque arietem, et contrivit utraque » cornua ejus : et non erat robur arieti, ut staret coram eo. » Et projecit ipsum in terram, et conculcavit ipsum; et » non erat qui liberaret arietem de manu ejus. Et hircus » caprarum magnificatus est mirum in modum. Et cum in- » valesceret ipse, contritum est cornu illius magnum : et » ascenderunt quatuor cornua subter illud, in quatuor » ventos cœli. Et ex uno eorum egressum est cornu unum-

» forte; et factum est grande nimis, ad Austrum, et ad » Orientem, et ad Occidentem. Et magnificatum est usque » ad virtutem cœli : et dejecit in terram de virtute cœli, et » de stellis, et conculcavit eas. Et usque ad principem vir- » tutis magnificatum est : et per ipsum, sacrificium turba- » tum est : et factum est, et prospere successit ei. Et sanc- » tuarium desolabitur : et datum est super sacrificium » peccatum, et projecta est humi justitia. Et fecit, et pros- » pere ei fuit. Et audivi unum sanctum loquentem : et » dixit unus sanctus, Phelmoni loquenti : Usquequo visio » stabit, et sacrificium ablatum, et peccatum desolationis » datum ; et sanctum, et virtus conculcabitur ? Et dixit ei : » Usque ad vesperam et mane dies bis mille ac trecenti ; et » mundabitur sanctuarium. Et factum est, dum viderem ego » Daniel visionem, et quærerem intelligentiam. Et ecce » stetit in conspectu meo. Et visio viri inter Ubal. Et voca- » vit, et dixit : Gabriel, fac istum intelligere visionem. Et » venit, et stetit juxta stationem meam. Et cum ille veniret, » territus sum, et cado in faciem meam. Et dixit ad me : » Intellige, fili hominis, adhuc enim in temporis finem visio. » Cumque loqueretur ipse mecum, cado in faciem meam » super terram : et tetigit me, et statuit me super pedes » meos. Et dixit : Ecce ego indico tibi quæ futura sunt in » novissimis iræ : adhuc enim in temporis finem. Aries, » quem vidisti, qui habebat cornua, rex Medorum est atque » Persarum ; et hircus caprarum, rex Græcorum. Et cornu » magnum, quod erat inter oculos ejus, ipse est rex primus. » Et quod contritum est, et surrexerunt quatuor cornua » subter ipsum, quatuor reges consurgent de gente ejus, et » non in fortitudine illius. Et in extremis regni ipsorum, » completis peccatis eorum, consurget rex impudens facie, » et intelligens problemata. Et robusta fortitudo ejus, et » non in viribus suis : et mirabiliter pervertet, et faciet, et

» corrumpet fortes, et populum sanctum. Et jugum catenæ » ejus dirigetur : dolus in manu ejus, et in corde suo magni- » ficabitur : et dolo destruet multos, et in perditione mul- » torum stabit ; et quasi ova in manu conteret eos. Et visio » vespertini ac matutini temporis supradicti, vera est. Et tu » signa visionem, quia in dies multos erit [1]. Et dixit, inquit, » illi visionem manifesta, Gabriel. » Aspice jussa Angelorum et Archangelorum. Major-ne est potestas alia? « Et venit, » inquit, et territus sum. Et stetit juxta stationem meam. » Et cum ille veniret, territus sum. » Ubinam igitur sunt qui Angelos maledictis prosequuntur? Non a seipso quidquam fecit Deus. Vides et illos in ordines multos, formas, ac descriptiones esse dispositos? In prima visione : « Accessi, in- » quit, et interrogavi. » Hic non item. « Et audivi unum » sanctum loquentem. » Et alius interrogavit : seu ignorans, ut Daniel disceret. « Et respondit, inquit. Et in novissimis » regni, completis peccatis eorum, consurget rex impudens » facie. » Vide ut Judæis ostendat ipsos esse auctores istarum calamitatum. Ideo autem non patefecit sermones, ne illi de industria in malitia sua ac ignavia perstarent : si enim, cum nihil horum dictum fuerit, tamen illi permanserunt : multo magis si ea manifestata fuissent : et ut intelligas spiritum ubique vim habere, et Deum omnia prævidere, et cum sciret Judæos peccatores, tamen eos in patriam reduxisse. Et vide, quia si dixisset annos, modicum tempus visum fuisset ; ideo in dierum numerum resolvit, ut multitudine terreat, non dies tantum, sed et noctes numerando. Et immoratur tragicæ calamitati, quæ per Antiochum contigit ; ut vel sic terrorem incutiat. « Ut non in viribus suis. » Id est, poterat Deus illum reprimere : sed permisit ob peccata, et non eorum qui simpliciter peccassent, sed postquam completa sunt peccata. Igitur delictorum aliqua

[1] Dan. VIII, 1-26. — [2] Id. VII, 16.

mensura est? « Nondum enim, inquit, completa erant pec-» cata Amorrhæorum[1]. » Et adverte, nondum itaque incendium, sed cædium occisiones. Nam cum quidam futuri essent boni, et patribus præstantiores, supplicia quoque minora fuere. Hæc autem dicuntur, ne victoriis, quas sub Zorobabele reportaturi erant, elati, segnes fierent. Et vide ut splendida quædam non ponat hic, post illa quæ ad Antiochum pertinent, sed duntaxat solutionem a calamitatibus, et tempus quod obtinuit dicat. Quid igitur? Hujus-ne temporis non prædixit captivitatem? Sane prædixit, sed valde obscure. Ideoque Christus ait : « Cum videritis abo-» minationem desolationis, qui legit intelligat[2]. » Venient, inquit, quasi ipse non vaticinatus fuisset. Et nonnulli quidem dicunt merita ista non esse prædicta : quoniam hæc captivitas tempus ac finem acceptura non erat. « Dabo » enim, inquit, et improbos pro sepultura ejus, et divites pro » morte ejus. Et tu signa visionem hanc, quia in dies multos » erit[3]. » Hoc est, custodi, conserva, ne diuturnitate temporis corrumpatur. Vide Deum ubique illis parcere. Descenderunt in Ægyptum, improbi evaserunt; non abscessit, duxit eos in desertum. Permanserunt in malitia; non abstitit, introduxit eos in terram promissionis. Rursus illos reducit sub Antiocho; adhuc iidem manserunt. Tempore Christi adhuc iidem : et neque sic abscessit; sed semper eorum curam gerit. Et quemadmodum naturalia, quæque a natura nobis insunt, nunquam abscesserint, quidquid eveniat : ita nec Deus. Imo fieri quidem potest ut illa deficiant : at Dei providentiam ac curam recedere impossibile est. « Nam si, inquit, et oblita fuerit mulier misereri » fœtuum uteri sui; sed ego non obliviscar tui[4]. » Sicut enim mater non respicit ad liberorum virtutem; sed naturæ

[1] Gen. xv, 16. — [2] Matth. xxiv, 15. — [3] Isaï. liii, 9. — [4] Id. xlix, 15.

legem implet : ita, et multo magis, Deus semper curam gerit, nec unquam destitit; semper eamdem mensuram exhibet. « Et ego Daniel decubui, et ægrotavi dies aliquot : » et surrexi; et faciebam opera regis : et admirabar visio- » nem; et non erat qui intelligeret[1]. » Unde ægrotavit? Fortassis ex tristitia ob futuras calamitates, secum reputans nondum finem habere res præsentes. Et tot, inquit, adhuc supersunt mala. Vel iterum, nondum Judæis Deum reconciliavi; et ipsi eum ad bellum provocant, ac sibi reddunt inimicum. « Et surrexi; et faciebam opera regis. » Id est, ministrabam. « Et admirabar visionem; et non erat » qui intelligeret. » Maxime id affert dolorem, cum ne quidem licet res tristes efferre in aliquem : an quia improbi erant. « Et faciebam, inquit, opera regis. » Hoc est, nihil prætermittebam, sed fungebar officio meo.

CAPUT IX.

I. « In primo anno Darii, filii Assueri, de semine Medo- » rum, qui regnavit super regnum Chaldæorum. In anno » uno regni ejus, ego Daniel intellexi in libris numerum » annorum, de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam » prophetam, in complementum desolationis Jerosolymæ » septuaginta anni[2]. Et dedi faciem meam ad Dominum » Deum, ut exquirerem orationem et deprecationem in je- » juniis et sacco et cinere[3]. » Iste est Darius Medus. Primum autem annum non regni ipsius ait : non enim dixit : « In » primo regni ejus : » sed : « In primo anno Darii, in uno

[1] Dan. VIII, 27. — [2] Jer. XXV, 11. — [3] Dan. IX, 1-3.

» anno regni ejus. » Ita ut et dici possit primus annus, quo quidem ille regnabat, tunc vero forte occiderant Baltasarem. « Ego Daniel intellexi in libris numerum annorum. » Id est, Baltasaris cædem. Et reputavi. Vide ut ante præfinitum tempus non audeat accedere ad Dominum. At tres quidem pueri id agunt in fornace : iste vero in lacu non fecit. Quid igitur? vel illi male; vel hic. Neutri. Illi siquidem amorem erga patriam ostendebant; hic vero intelligentiam temporis quod advenerat. Nonne ergo intelligenter legebat Prophetarum oracula ? Existimo autem illum non ab urbe capta numerare, sed forte a captivitate Israëlis(23). Jure enim desolationem quis vocaverit Jerosolymæ etiam bella. Vide et numerum sabbaticum. Nam sicut aliquando quadringentos et triginta annos in ducentos et quindecim mutavit : ita puto et nunc, annos pauciores esse. « De quo » factus est, inquit, sermo ad Jeremiam prophetam, in » complementum desolationis Jerosolymæ septuaginta anni. » Et dedi faciem meam ad Dominum Deum, ut exquirerem » orationem et deprecationem in jejuniis et sacco et cine» re. » Cerne religionem Prophetæ. « Et dedi, inquit, faciem » meam. » Hoc est, rubore suffusus eram antea, nempe ante humiliationem : nunc vero « Dedi, » id est ausus sum. Quod si rem debitam postulasset, sane non dixisset : « Dedi fa» ciem meam, » quasi in facto periculose suscepto. Si pro aliis tanto utitur studio; si tanta cum frueretur tam apud Deum, quam apud regem, benevolentia ; harum tamen rerum nullum sensum habet; sed quasi ipse in malis versaretur, magis mordetur ac moleste fert, quam ii qui ab ea calamitate erant oppressi : quomodo quis eum digne miretur? Vide autem, ut etiam post illas afflictiones, non ausus sit accedere; donec vidit tempus esse completum. Ubi ergo desidebimus deinceps, nos miseri. Quid ais, o Daniel? In prosperis tu es ; honorem habes a Deo, et ab

hominibus : quid tibi curæ est de cæteris? Sic et Moyses agebat. Et quid ait? « In jejuniis et sacco et cinere » debita exigens. Quid enim si debebatur? Ne forte Judæi se hoc quoque indignos fecissent. Apud Deum quippe non est necessitas : superior legibus est. « Ut quærerem, inquit, ora- » tionem et deprecationem. » Id primum poscit. Si permittat mihi, inquit, pro illis orare. Quoniam audierat Jeremiam ista verba a Domino retulisse : « Ne ores pro populo isto, » et ne postules pro eis [1]. » Auxiliantur ipsi captivitas, tempora, propria virtus, et quod innumera pro Deo passus sit : et tamen nondum confidit ; sed cinerem substernens et saccum, ita precabatur. Quid faciemus nos qui indolentia sumus præditi? hunc oportuit nobis imitandum proponere. Nam ne quis dicat reliquos Prophetas propter paupertatem ista fecisse, qui maxime omnium evectus fuerat ad dignitatum amplitudinem, ille maxime omnium se deprimit. Et de semine regni, ac de stirpe regia erat ; et tot tantaque fuerat consecutus. Ita oportet lugere sua mala : sic propriis membris parcere. Hæc est commiseratio Prophetarum. Vide nostrum ea parte præcipue esse admirabilem. Moyses dicebat : « Siquidem remittas eis : sin » minus; etiam me dele de libro [2]. » Hic in jejuniis et lacrymis continue degebat. Paulus assidue in lacrymis; et contra gehennam ipsam ausus est. Ipsorum nullus sensu afficitur propriorum bonorum : sed ut in corpore, oculus licet pulcher sit, non tamen percipiet suæ bonitatis ac pulchritudinis sensum, si pedes putrefacti sint ac corrupti : ita et tunc erat. Cur cinis? Admonebat eum propriæ naturæ. Cur saccus? Asperitate deprimit. Cur jejunium? Et ipsum ea quæ in paradiso gesta sunt, in memoriam revocabat. Hic viris sanctis mos est, ea quæ affligunt consectari. Neque terra dignus sum, inquit, neque vestibus,

[1] Jer. VII, 16. — [2] Exod. XXXII, 32.

neque rebus quæ secundum naturam sunt, sed graviori supplicio; qui persicis amictus sum vestibus, qui tiaram gesto persicam. Et quid ait? Videamus confessionem. « Et » oravi ad Dominum Deum meum [1]. » Cerne amorem erga Dominum. « Deum meum, » inquit. Cui non audebat supplicare, hunc Deum suum vocat. « Adhuc me loquente, ac » orante, et confitente peccata mea, et peccata populi mei » Israëlis, et prosternente misericordiam meam coram Do» mino Deo meo, ad montem sanctum Dei mei. Et adhuc » me loquente in oratione, et ecce vir Gabriel (quem vi» deram in visione a principio) volans : et tetigit me cir» citer horam sacrificii vespertini. Et intelligere fecit me, » et locutus est mecum, et dixit : Daniel, nunc egressus » sum ut conciliem tibi intelligentiam. In principio depre» cationis tuæ exivit sermo : et ego veni, ut annuntiarem » tibi, quia vir desideriorum tu es. Et animadverte in ver» bo, et intellige in visione [2]. » Itaque cum dicent nobis Judæi : « Cur in Esaïa, cum Ozias de bello timeret, et de expeditione duorum regum [3], » Propheta egressus dedit eis signum, quod post innumeros annos evenit : » dicemus et nos ad illos : « Cur, cum Daniel precaretur pro reditu, et de iis rebus aliquid audire cuperet, egressus Angelus, de his quidem nihil renuntiavit; res autem longo post tempore futuras edocuit? » Sed sicut hic ex abundanti quæstionem solvit; ita et illic : fidem enim maximam facit urbis erigendæ, quod iterum capienda dicitur. Quid ergo? An quod velit Prophetam contristare, id agit? Minime; sed Hebræos cupit timidiores efficere. Et non semel, neque bis; sed sæpe repetit. Quandoquidem enim futura prosperitas sufficiens erat ad eorum mentem inflandam, non solum instaurata civitate, sed et manibus barbaricis ædificata, barbaricis illis quæ eam everterant. Hoc enim etiam

[1] Dan. IX, 4. — [2] Ibid. 20-23. — [3] Isaï. VII, 4.

Esaïas dicit, ostendens omnipotentiam ac divitias Dei, quomodo potens sit omnia et facere et mutare. Quoniam igitur futurum erat, ut Judæis patria bona redderentur, atque reportarent illustres continuasque victorias, quas et Prophetæ magna voce prædicant : ut Ezechiel quidem, quod septem annis comburerentur arma eorum qui capiendi erant : alii autem Prophetæ eadem assidue dicebant : ne his, inquam, rebus elati, deteriores prioribus fierent; metu prædictionis, et quod eadem subinde dicerentur, eos velut ad necessitatem inevitabilem redigit, ut ne volentes quidem perirent. Et propter hoc et tempus incertum faciebat : quoniam quæ utilitas erat ista annuntiari? Et vide quando prophetentur. Sub ipsum reditum, rebus illorum vigentibus ac florentibus. Quemadmodum et Moyses, cum eos introducturus esset in terram promissionis, prope ipsam bonorum perceptionem prophetat ipsis mala quæ nunc sustinent, dicens : « Contestor vobis cœlum et terram [1] ; » indolentiæ quam felicitas parit, æquilibrem ponens punitionem quam minatur. Ita et iste continet ipsos in metu. Ideo et Zacharias plurimum in istis rebus moratur, eademque manifestius dicit. Nihil quippe humana natura minus aptum est ad prosperitatem ac laxamentum. « Adhuc » me loquente, inquit, in oratione, venit Angelus Gabriel,» illi familiaris, « Volans : et tenuit me circiter horam sacri» ficii vespertini. » Vel ne ex visione obstupefieret; vel ut intelligeret quæ dicerentur. Et quia non licebat ea clare propter reliquos proferre, jure tangit eum. « Et docuit me, » inquit, ac locutus est mecum, et dixit : Daniel, nunc exivi, » ut conciliarem tibi intelligentiam. In principio deprecа» tionis tuæ exivit sermo : et ego veni, ut renuntiarem tibi, » quia vir desideriorum tu es. Et animadverte in verbo, et » intellige in visione. » Attende, inquit, ea quæ dicuntur.

[1] Deut. IV, 26.

Cum enim aliquis de aliis quidem rogat, alia vero audit; multa tunc indiget attentione. « Et redibit, et ædificabitur » platea et murorum ambitus [1]. » Quidam esse dicunt murum, quem Agrippa condidit. « Et evacuabuntur tempora. » Et post hebdomadas sexaginta duas exterminabitur unc- » tio; et judicium non est in eo : et civitatem et sanctua- » rium labefaciet cum duce : et excidentur sicut in diluvio, » et usque ad finem belli concisi calamitatibus. Et confir- » mabit testamentum multis hebdomas una [2]. » Vide ut terribiliter mala enarret. « Vel dimidium hebdomadis, cessare » faciet thymiama, et sacrificium, et libamen : et super » templum abominatio desolationis; et usque ad consum- » mationem temporis consummabitur in desolationem [3]. » Vide ut in rebus tristibus sermoni finem imposuerit, et ea quidem quæ bona erant obscure dixerit; hoc enim sibi vult illud : « Confirmabit multis testamentum hebdomas » una ; » tristia vero, frequenter et sæpe. « Et abominatio » desolationis. » Id est quæ ab Adriano facta est. Hæc apertius Zacharias, qui etiam res commodas prædicit propter eos qui remanserant. Fortassis et in Ægypto totidem annos fecit; et non labefactati sunt : nunc autem non amplius expectas ista. Vide et alia, Judæus in urbem non remigrat, ut antea. Quis autem omnino de reditu locutus est? Nemo.

[1] Dan. IX, 25. — [2] Ibid. 26, 27. — [3] Ibid.

CAPUT X.

I. « In anno tertio Cyri regis Persarum, verbum revela-» tum est Danieli, qui nominatus est Baltasar. Et verum » erat verbum; et potentia magna et intelligentia data est » ei in visione. In diebus illis ego Daniel in luctu eram tres » hebdomadas. Panem desideriorum non comedi, et carnes » ac vinum non introierunt in os meum, et unguento non » unctus sum usque ad tres hebdomadas dierum [1] (24). » Quare iterum luget? Nam si primus annus Cyri advenerat, cur luget? Et omnes dies, cum unum duntaxat lugere debuisset. Rursus nihil audit de iis rebus, pro quibus orat. Mihi videtur quod pro solutione calamitatum præsentium precatur. At Deus nihil tale; sed idipsum quod supra atque apertius dicit. Imo ut omnes redeant orat Daniel. Licet enim magna essent mala, quibus Judæi premebantur, non tamen ideo volebat patriam amittere. Iste autem Angelus clarius ac exactius id dicit. Vide autem ubique Danielem non simpliciter ac sine labore obtinere visiones, sed cum jejuniis. Quando oportuit somnium discere, jejunium præcessit. Cum Gabriel apparuit, jejunium iterum, et cinis, et saccus: cum iste conspicitur, et jejunium et oratio. Sed vide Angelum se propemodum excusare Danieli. « Et in die vigesi-» ma quarta mensis primi ego eram juxta fluvium magnum, » hic est Tigris. Et levavi oculos meos, et vidi : et ecce vir » indutus Badim, et lumbus ejus præcinctus auro Ophaz. » Et corpus ejus, quasi Tharsis; et facies ejus, ut aspectus

[1] Dan. x, 1-3.

» fulguris; et oculi ejus, velut lampades ignis : et brachia » ejus ac crura, sicut visio æris coruscantis; et vox sermo- » num ejus, quasi vox turbæ. Et vidi ego Daniel solus visio- » nem : et viri qui erant mecum visionem non viderunt; » sed terror gravis irruit super eos, et fugerunt in timore. » Et ego relictus sum solus, et vidi visionem magnam hanc; » et non remansit in me fortitudo, et gloria mea conversa » est in corruptionem, et non retinui robur. Et audivi vo- » cem sermonum ejus : et cum ego audirem, eram com- » punctus super faciem meam, et facies mea super terram. » Et ecce manus tetigit me, ac erexit me super genua mea, » et super vestigia pedum meorum Et dixit ad me : Daniel, » vir desideriorum, intellige in sermonibus quos ego loquar » ad te; et sta in statione tua; quia nunc ego missus sum » ad te. Cumque loqueretur ipse ad me sermonem istum, » surrexi tremens. Et dixit ad me : Ne timeas, Daniel, quia » a die prima, qua dedisti cor tuum ad intelligendum, et ad » affligendum te coram Domino Deo tuo, audita sunt verba » tua; et ego veni in verbis tuis. » Vides quod dixi, hunc tantum non se excusare Danieli? « A prima die, inquit, » missus sum. » Quare ergo moratus es. Et princeps regni » Persarum stetit ex adverso mei unum et viginti dies [2]. » Audisti illud : « Posuit terminos Gentium secundum nume- » rum Angelorum suorum [3]? » Et unaquæque gens præfec- tum habet Angelum, qui vult potentior esse reliquis. « Et » intelligentia data est ei in visione. » Non enim sufficiebat docuisse ea quæ dicebantur. Cernis aliter institui Prophe- tas? « Et virtus magna » visionis. Vere enim magnæ potes- » tatis fuit, quod homines infirmi vicerint illum Antiochum, » qui tot tantaque superaverat. « Et verum verbum. » Quan- doquidem nonnulli crediturі non erant. « Cujus nomen » Baltasar. » Commemorat tibi priora, ut fide dignus habea-

[1] Dan. x, 4-12. — [2] Ibid. 13. — [3] Deut. xxxii, 8.

tur. En et Pascha solvit. Nam Pascha in primo celebratur mense; iste vero usque ad quartam et vicesimam mensis jejunavit. Incidit autem in decimam quartam jejunium illius, et a decima quarta ad vicesimam primam, et duos alios dies durat. Vide legalia jam tunc fuisse abrogata. Nonne præ formidine in fugam conversus es, o Daniel? Minime, inquit. Adverte quo loci visum videat : in deserto, sicut et Moyses. Urbes namque tumultibus et perturbatione plenæ sunt. Sic etiam Christus in monte transfiguratur. « Et ecce Michaël, unus de principibus primis, venit ad au-» xiliandum mihi : et me reliquerunt ibi cum principe regis » Persarum. Et veni ut docerem te quæcumque eventura » sunt populo tuo in novissimis diebus : quia ecce visio in » dies. Et cum loqueretur ipse mecum omnia verba hæc; » dedi faciem meam super terram, et compunctus sum. Et » ecce quasi similitudo filii hominis tetigit labia mea. Et » aperui os meum, et locutus sum, et dixi ad eum qui sta-» bat coram : Domine, in visione tua conversa sunt interiora » mea in me, et ecce non habeo fortitudinem. Et quomodo » poterit servus tuus, Domine, loqui cum Domino meo isto? » Et ex nunc non stabit in me fortitudo; et halitus non est » relictus in me. Et addidit, et tetigit me quasi visio homi-» nis, et corroboravit me. Et dixit mihi : Ne timeas, vir de-» sideriorum, pax tibi; viriliter age, ac esto fortis. Et cum » loqueretur ipse mecum, corroboratus sum, et dixi : Lo-» quatur Dominus meus, quia corroborasti me. Et dixit : An » nosti cur veni ad te? Et nunc revertar, ut prælier cum » principe Persarum. Atque egrediebar; princeps vero » Græcorum veniebat. Verumtamen annuntiabo tibi quod » constitutum est in scriptura veritatis : et non est unus, » qui a me stet de his, nisi Michaël princeps vester. Et ecce » vir indutus stolam [1]. » Fortassis sacerdotalem. « Aspectus

[1] Dan. x, 13-21.

» ejus quasi fulgur erat igneæ flammæ ab oculis ejus. » Quomodo in fulgure illis apparebat? Cur sic apparet iste Angelus? An ut populum percellat? Et quodnam inde emolumentum? Nempe ut persuadeat non amplius lugere, quod eadem sæpenumero dicta fuerint : et testimonium perhibet futurorum virtuti : an ut illi fidem faciat. « Et vox magna. » Ut etiam ea re perterruerit. Daniel obstupescit, et iterum, Angelo colloquente, obstupescit, idque indulgente illo forsan, et non impotentem faciente seu impediente : quandoquidem prius dixerat : « Viriliter age. » Et « Stetit. » Vides quid sit aspectus Angeli? Ne existimes æs esse id quod videtur, nec aurum. Quis enim non ferret earum materiarum aspectum? Cum ubique lumen positum sit. Quoniam igitur missus sum, præsignifico hoc solum, inquit, ne corrumpas gratiam. « Audita sunt verba tua, et ego veni in » verbis tuis. » Quid enim rogabat, et quid precabatur? Et quidem illa ipsi non dicis, nec quidquam ejusmodi. Forte volebat discere exacte tempus, et quid postea futurum esset. « Et princeps, inquit, regni Persarum stetit ex adverso mei. » Anne hominum principem dicit? Minime. Etenim et alibi ait : « Princeps Græcorum exivit. » Mihi videtur iste qui loquitur non esse de principibus, neque ex iis qui præfecti sunt genti alicui; sed ex supernis Virtutibus. Deinde quia Angeli alii non valebant illi resistere, huic dicitur. Absoluti sunt, inquit, ac liberati Judæi, quid adhuc quæris? « Et » ecce Michaël, unus principum primorum, venit ad auxi- » liandum mihi, et me reliquerunt ibi cum principe regis » Persarum. Et veni docere te quæcumque evenient populo » tuo in novissimis diebus, quia ecce visio in dies. » Quare ante viginti dies non venit Michaël? Ut mihi videtur, ostendere vult Prophetæ illum res prohibitas et iniquas atque coactas postulare, ac propemodum Angelis vim facere. Propter hoc neque Michaël statim ab initio auxiliatur,

sed postea; ut discerent indignos reditu esse eos qui postea in patriam reversi sunt. Injuria afficiuntur Angeli. « Et »me reliquerunt ibi, »ut vel persuaderem, vel inhiberem »(principem regis Persarum.) Et quis Angelus ejusmodi, qui, cum audit Deum præbere gratiam, resistat. Rem, ut arbitror, ita exprimit ac si esset corporea : quemadmodum cum ait : « Quis egredietur et decipiet mihi Achaa»bum [1] ? » Et iterum : « Dimitte me, et delebo eos [2]. » Non prohibetur Deus, nec vim patitur, detentus a Propheta. Ita sane et hic. Rursus vero alibi ait : « Dimitte me, quia as»cendit diluculum [3]. » Et adhuc de Angelo et asina : « Nisi »faciem tuam apprehendissem [4], » inquit. Id itaque non ostendit ipsum Deo obsistere; sed hoc unum tantum, injuria Angelos affici. Tantum valuit Daniel. « Descendi ut docerem te quæcumque populo tuo sunt eventura. » Vide quomodo, re necessaria dimissa, Prophetæ se excuset. Iterum Daniel consternatur : iterum Angelus illum erigit, et ait : « Ego proficiscor, ut prælier cum principe Persarum. » Atque ego egrediebar, princeps vero Græcorum veniebat.» Forte cum uno adversantium ipsi de rebus futuris, quique contra Macedonas pugnaret. Ac nondum persuadetur. Bellum-ne est inter Angelos, et pugna de hominibus? Sane. Maximam quippe eorum curam gerunt, nondum persuasus est. Quasi si quis diceret : « Cogor cum hoc contendere. »

[1] 3 Reg, XXII, 20. — [2] Exod. XXXII, 20. — [3] Gen. XXXII, 28. — [4] Num. XXII.

CAPUT XI.

« Et factum est in anno primo Cyri, ego steti in robur » et fortitudinem. Et nunc annuntiabo tibi veritatem [1]. » Et tunc, « Ego sum qui servavi. » Nam ne aliquis dicat : « Cur igitur præliaris? Quid ergo si non viceris? » Nequaquam, inquit. Et tunc ego illis patrocinatus sum. « Etenim est, » inquit, unus qui a me stet de his, nisi Michaël princeps » ipsorum [2]. » Hæc dicit ut Danieli persuadeat se non esse ipsi hostem ac inimicum, et eum res vetitas petere. Nec ideo dicit, quod adjutoribus indigeat. Quomodo enim? Ostenditur istum Angelum non esse de principibus. Postea omnia refert accurate, et ait unde clades. Deinde salutem populi ipsius, et acceptionem in sequentibus narrat.

CAPUT XII.

« Cum completa fuerit dispersio manus populi sanctifi- » cati, cognoscent Sanctum, et consummabuntur hæc om- » nia. Et ego audivi, et non intellexi, et dixi : Domine, quid » extrema horum? Et dixit : Vade, Daniel, quia et clausi sunt » sermones usque ad tempus finis. Quoad eligantur et deal- » bentur et igne probentur multi : inique autem agent ini- » qui, neque intelligent omnes impii; at intelligentes intel-

[1] Dan. XI, 1-13. — [2] Id. XII, 65. — [3] Id. XIV, 1. — [4] Ibid. 5.

» ligent. Et a tempore quo mutatum fuerit juge sacrificium, » et data fuerit abominatio desolationis, erunt dies mille » ducenti nonaginta. Beatus qui expectat et pervenit ad dies » mille trecentos triginta quinque. Et tu vade, ac requiesce: » adhuc enim dies in completionem consummationis : et » requiesces tempus tuum in consummationem dierum [1]. » Et tu, inquit, sede. Nam post multum tempus hæc erunt. Igitur non de reditu lamentatur; sed post reditum pro iis qui redierant.

CAPUT XIII.

« Et rex Astyages appositus est ad patres suos. Et ac- » cepit Cyrus Persa regnum ejus [2]. Et erat Daniel conviva » regis, et gloriosus super omnes amicos ejus [3]. » Quæ ad Belum spectant descripsit nobis Daniel. « Nonne vides, in- » quit, quanta comedat et bibat [4]? » Papæ, quale argumentum ac indicium divinitatis, multa edere ac bibere. Daniel non dixit : « Hoccine, quæso, est Deus? » imbecillus enim erat rex : sed ex abundanti vicit. Ego tibi Deum dico, qui creavit cœlum et terram : tu vero mihi ventrem avidum producis in medium? Hoc maxime Dei esse non potest. Deus siquidem non esuriet, non fatigabitur. Verum rationibus contendere non vult, sed rebus vincit. Et supplicium ipse rex definivit. Qua de causa Belus palam et ante oculos omnium non comedit; sed noctu? Quomodo sacerdotes non perspiciebant se per suam fallaciam convictum iri? Quando Deus dispensat, nihil mireris. « Et occidit il-

[1] Dan. XII, 1 et 8-13. — [2] Id. XIII, 65. — [3] Id. XIV, 1. — [4] Ibid. 5.

» los [1], » inquit. Quid igitur adhuc de dracone? Belluam aliquis adorat? illum Daniel interfecit. Vides quam dementes, quam ignavi sint reges Persarum? « Tradidit Danielem [2]. » Quamobrem, post victoriam adeo illustrem. « Ambacu- » mus autem, inquit, prandium attulit Danieli [3]. » Cerne miraculum. Nonne enim poterat illi aliunde afferri cibus, quam a Judæa? Hoc gratum erat Prophetæ! ne eadem iterum ageret, quæ sub eunucho fecerat; neve existimans mensam pollutam esse, famem intenderet. Unde agnovit Ambacumum? Ex affinitate linguæ ac vocis. Futurus erat ille maxime miraculi præco apud eos qui in Judæa habitabant. Quî potuit homo non timere feras? Hic quidem comedebat; illæ vero jejunabant. Esto, corpore viri justi abstinuerint : quare etiam abstinebant cibo? Veluti camus quidam ac frenum illas continebat.

[1] Dan. XIV, 21. — [2] Ibid. 29. — [3] Ibid. 36.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

CONSTANTINOPOLITANI

ARCHIEPISCOPI,

DE PROPHETIARUM OBSCURITATE, HOMILIÆ II.

HOMILIA I.

Utiliter et percommode factum, ut prophetiæ de Christo et Gentibus, deque Judæorum reprobatione obscuræ essent, demonstratio.

I. Propheticam[1] vobis hodie volo mensam instruere, atque in pelagus sapientiæ Esaïæ meditor orationem immittere. Sed quid faciam? dubito ac metuo, ne cum e portu egressi fuerimus, atque ad profundum sententiarum Prophetæ pervenerimus, quod nautis contingit, qui navigationi assueti non sunt, vertigine laboremus. Nam et illi cum relicta terra ex utraque parte navis pelagus viderint, nec aliud quidquam præter mare ac cœlum, tenebricosa vertigine corripiuntur, et una cum mari navigium in orbem existimant circumferri. Non tamen ex natura maris, sed quod inexperti sint qui navigant, oboriuntur vertigines : cæteri quidem certe nautæ nudis corporibus et in mediis fluctibus in caput se dejiciunt, neque tale quidquam

[1] Vide. D. Guillon, tom. xiii, pag. 431-438.

patiuntur, sed cum ad ipsum profundum descenderint, tutius, quam qui in pavimento degunt, illic versantur, et licet ore, oculis, ac toto corpore salsuginem excipiant, non ægre ferunt. Tantum bonum est exercitatio, tantum malum est imperitia : sic ista persuadet, ut etiam quæ formidabilia sunt contemnamus; illa vero efficit, ut etiam tuta suspecta sint nobis, ac reformidanda videantur. Nam hi quidem in sublimibus sedentes navis tabulatis etiam ipso ex aspectu vertigine corripiuntur : illi vero nec in mediis fluctibus perturbantur. Hoc et in mente nostra evenit : siquidem et ipsam sæpe fluctus perturbationum invadunt multo marinis sæviores, veluti procella iracundiæ, quæ deorsum cor dejicit, et pravæ cupiditatis venti, qui multam excitant in mente conturbationem. Atque is quidem qui inexpertus est et inexercitatus, incipiente iræ tempestate continuo turbatur, commovetur, agitatur, animam sinit ab affectibus submergi, ac naufragium pati : qui vero expertus et exercitatus est ad hæc omnia patienter ferenda, tanquam gubernatorem ad clavum sedentem, ita rationem supra perturbationes istas collocat, neque prius absistit, omnibus tentatis, quam navigium ad tranquillum philosophiæ portum duxerit. Quod igitur sit in mari, et quod in mente accidit, hoc et in expositione Scripturarum evenit : commoveri necesse est ac turbari, postquam in pelagus egressi fuerimus, non quod formidabile sit pelagus, sed quod inexperti simus nos, qui navigamus. Nam orationem, quæ sua natura sit facilis, ob imperitam auditorum difficilem fieri, Paulum vobis testem proferam. Cum enim Christum dixisset Pontificem fuisse secundum ordinem Melchisedech [1], quæsivissetque quis Melchisedech esset, adjecit : « De quo grandis nobis sermo, et interpretatu difficilis [2]. » Quid ais, beate Paule? Tibi-ne difficilis est

[1] Hebr. v, 6, et Psal. cix, 4. — [2] Hebr. v, 11.

interpretatu, qui spirituali polles sapientia, qui arcana verba audivisti, qui ad tertium raptus es cœlum? Si tibi difficilis est interpretatu, a quo poterit comprehendi? Mihi difficilis est interpretatu, inquit, non ob suam difficultatem, sed ob auditorum infirmitatem. Postquam enim dixit : « In» terpretatu difficilis, » adjunxit : « Quoniam imbecilles facti » estis ad audiendum [1]. » Vides non naturam sermonis, sed auditorum imperitiam difficilem eum reddidisse, qui difficilis minime fuit? Neque vero difficilem tantum, sed et grandem efficit eum, qui brevis sit, eadem causa : quapropter non modo difficilem interpretatu eum esse dixit, verum etiam grandem, et longitudinis, et difficultatis causam ascribens aurium imbecillitati. Nam sicut, dum ægros curamus non oportet subitaneam et paratu facilem mensam illis apponere, sed varia sunt illis edulia paranda, ut si ægrotus hoc gustare noluerit, alterum sumat : quod si illud non admittat, aliud acceptet : aut si hoc repudiet, alteri manum injiciat, et ciborum varietate fastidium vincamus, ac diversitate mensæ animi ejus morositatem mitigemus: ita sæpenumero in spiritualibus conviviis est agendum. Cum infirmi simus, multa et varia instituenda est oratio, quæ comparationes habeat, exempla, demonstrationes, verborum circuitus, aliaque multa ejusmodi, ut ex omnibus facilis sit nobis eorum, quæ sint profutura, delectus. Enimvero grandis esset atque interpretatu difficilis ille sermo, nequaquam illos doctrina de Melchisedech privavit, cum et dicendo grandem illum esse atque interpretatu difficilem, illorum studium excitarit, ut alacriores fierent ad audiendum : et dum illis mensam instruxit, eorum cupiditati fuerit obsecutus.

II. Hoc nos quoque faciamus : tametsi Prophetarum immensum est pelagus, multæque insunt illic voragines,

[1] Hebr. v, 11.

audacter pro nostra virili parte mare ingrediamur, imo vero, non pro nostra virili parte, sed prout nobis superna gratia concessum fuerit, non fiducia freti nostra, sed procurandæ utilitatis vestræ causa mare audacter ingrediamur, et in hoc quoque Paulum imitemur. Quod enim oratione de Melchisedech illos minime privarit, ex iis, quæ sequuntur, intelliges. Sane cum dixisset: « De quo grandis sermo, » et interpretatu difficilis, » adjecit: « Hic enim Melchise- » dech, rex justitiæ, deinde autem et rex Salem, quod est rex » pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, neque ini- » tium dierum, neque vitæ finem habens: assimilatus » autem Filio Dei manet sacerdos in perpetuum [1]. » Annon vestras aures perturbavit de homine verba faciens Paulus, ac dicens: « Sine patre, sine matre? » quid dico de homine? Nam si hoc de Christo etiam diceretur, nonne sic etiam multam quærendi occasionem præberet? si enim est sine patre, quomodo Filius? si sine patre, quomodo unigenitus? Filius enim patrem habere debet, alioqui filius non erit. Attamen et sine patre Filius Dei est, et sine matre. Quo tandem modo? sine patre secundum terrenam generationem, sine matre secundum cœlestem: nam neque in terris habuit patrem, neque matrem in cœlis. « Sine genealogia, » Audiant, qui ejus essentiam curiose scrutantur: tametsi arbitrantur quidam, quod hic dicitur sine genealogia, ad cœlestem generationem pertinere. Nam hæretici ne hoc quidem volunt: etenim illam quoque curiose scrutantur et inquirunt: qui vero sunt inter illos modestiores, illi generationi hoc concedunt: de terrena non item dictum existimant illud, « Sine genealogia. » Ostendamus igitur hoc de utraque Paulum generatione dixisse, de cœlesti simul et de terrena: nam et illa tremenda est, et hæc mystica maxime. Propterea dicebat etiam Esaïas: « Generationem

[1] Hebr. VII, 1-3.

» ejus quis enarrabit [1] ? » Atqui de illa cœlesti, inquit, hoc dixit. Quid ergo Paulo dicemus, qui utramque generationem commemoravit, ac deinde illud, « Sine genealogia, » subjunxit? Cum enim ante dixisset, « Sine patre, sine matre, » post adjunxit, « Sine genealogia, » ut non modo secundum illam generationem, secundum quam est sine matre, sed etiam secundum hanc, secundum quam erat sine patre, terrenam dico, sine genealogia ipsum esse credas. Idcirco, utraque posita, dixit : « Sine genealogia ; » nam hæc terrena comprehendi non potest, ut in illam ne respicere quidem audeamus. Nam si templi vestibula sunt adeo terribilia et inaccessa, quo pacto in ipsa adyta penetrare quis audebit? Genitum enim ex patre fuisse scio : quo pacto, nescio. Ex Virgine illum fuisse natum novi, modum autem, ne hic quidem assequor. Nam utriusque naturæ generationem confitemur, et utriusque modum tacemus. Et sicut cum de Virgine agitur, etsi nescio quo pacto sit ex Virgine generatus, tamen eum generatum fuisse confiteor, nec rem tollo propter ignorantiam modi : ita fac tu quoque, cum de Patre agitur : licet nescias quomodo Filius sit genitus, eum fuisse genitum confitere. Quod si dixerit tibi hæreticus : « Quomodo genitus est ex Patre Filius? » Mentem ejus in terram deprime, atque illi dicito : « Descende de cœlis, ac mihi demonstra quomodo ex Virgine sit natus, tumque illa me roga : » retine illum, et obsessum urge, neque resilire sinito aut in labyrinthum ratiocinationum se proripere : verum retine, et strangula non manu, sed oratione : ne distinctiones illi et effugia concedas, quæ cupit. Hinc fit ut eos perturbent et commoveant, quibuscum disputant, quod nos illis obsequamur, neque eos ad sacrarum Scripturarum leges adigamus. Undique igitur illi murum ex testimoniis Scripturarum oppone, ac ne hiscere quidem poterit. Dic

[1] Isaï. LIII, 8.

illi : « Quo pacto ex Virgine natus est? non absistam, neque recedam. » Atqui modum effari non poterit, tametsi omni ope conatuque contendat. Cum enim Deus occluserit, quis jam reserabit? Sola fide percipi possunt talia. Quod si non acquiescas, sed rationes disquiras, iisdem te verbis, quibus Nicodemum Christus, affabor : « Si terrena dixi vobis, et non » creditis, quomodo, si dixero vobis cœlestia, credetis [1] ?» De nativitate dixi ex Virgine, neque nosti, neque hiscere audes, et cœlum curiose scrutaris? Atque utinam in cœlum, et non in dominum cœli curiose inquireres. « Si ter- » rena dixi vobis, et non creditis. » Non dixit : « Et non persuademini, » sed, «Non creditis,» quo verbo significat terrena etiam fide indigere. Quod si terrena fide indigent, multo magis cœlestia. Quanquam tum Nicodemo de partu multo minori loquebatur : siquidem de baptismo sermo erat, et de spirituali regeneratione : sed hæc quoque fide comprehendenda dicebat. Cæterum terrena illa vocavit, non quod terrena sint, sed quod perficiantur in terra, et quod si comparentur cum superna illa et ineffabili nativitate, quæ mentem omnem exuperat, hæc terrena sint. Si ergo fieri non potest, ut sciam quo pacto renascar ex aquis, sed fide sola res illa capienda est, neque modus curiose scrutandus, quantæ fuerit hoc insaniæ ad investigandam cœlestem unigeniti Filii generationem cogitationes humanas admittere, ac modi, quo facta sit, rationem exigere?

III. Satis igitur demonstratum est quo pacto sine patre ac sine matre sit unigenitus Dei Filius, et quo pacto sine genealogia secundum utramque generationem : reliquum est ut ad id quod instat redeamus, postquam sermonem de Melchisedech in alterum diem rejecimus, ac prophetica ænigmata audituri nostram attentionem excitemus. Similes enim sunt ænigmatibus sermones prophetici, multisque dif-

[1] Joan. III, 12.

ficultatibus obseptum est Vetus Testamentum, neque faciles intellectu sunt libri : Novum autem dilucidius est et facilius. Ecquam tandem ob causam, dicet aliquis, hæc ita sunt constituta : licet de rebus majoris momenti agatur in Novo, de regno cœlorum, de resurrectione corporum, et ineffabilibus illis bonis, quæ et humanam mentem excedunt? quid igitur in causa, ut obscuræ sint prophetiæ? Multa Judæis istæ mala prædicunt, ac fore ut ejiciantur illi, nos recipiamur, templum evertatur, nec amplius excitetur, ut concidant Jerosolyma, et omnibus sint pervia : tum vero Judæi errabundi, per universum orbem terrarum dispergantur, ac civitate destituti, ne veteres quidem ritus retineant, sed omnes illis res ipsorum priores auferantur, prophetiæ, sacrificia, sacerdotium, et regnum. Neque vero tantum ista, sed et alia multa ejusmodi prædicebant Prophetæ, dum innumeras suis libris tragœdias immiscerent. Ne igitur ab initio Judæi manifeste hæc audientes, eos interficerent qui hæc dicebant, interpretationis difficultate prædictiones occultarunt, ac multa obscuritate rebus offusa, per eorum quæ dicebantur obscuritatem Prophetarum incolumitati consuluerunt. Unde vero id constat ? rationes enim a nobis reddendæ sunt, tametsi inter amicos verba facimus : siquidem multi fortassis adsunt non amici. Discant igitur hæc etiam illi, ut et amici ipsi fiant. Dixi : « Si Judæi audivissent mala, quæ comprehensura illos erant, ac fore ut propter Christum excindantur Jerosolyma in perpetuum, nec unquam amplius instaurentur, hæc si perspicue a Prophetis audivissent, confestim eos qui hæc loquebantur, occidissent. » Unde igitur id liquet? Primum quidem ex ipsorum moribus : furiosi enim erant ac belluini. Populus est semper sitiens sanguinem Prophetarum, manus eorum cædibus se Sanctorum exercuerant. Hæc adversus illos magnus Elias vociferatur dicens : « Domine,

» Prophetas tuos occiderunt, altaria tua diruerunt [1]. » Christus iterum, « Jerusalem, Jerusalem, quæ occidit » Prophetas, et lapidat eos, qui ad ipsam missi sunt [2] : » Et Esaïas eosdem accusans, his consonam vocem mittens, ait : « Manus vestræ plenæ sunt sanguine [3]. » Et rursus Christus : « Patres vestri occiderunt Prophetas, vos autem ipso- » rum ædificatis monumenta : implete mensuram patrum » vestrorum [4]. » Vides ut et Dominus et servi homicidas illos esse testentur ? Quid est autem, « Implete mensuram » patrum vestrorum ? » Me quoque, inquit, occidite : adjicite servorum cædibus necem Domini. Licet enim mille occiderint homines, at conservos omnes : cum vero contra Dominum manus extenderunt, tunc impleta mensura est : et merito. Quandiu enim Dominum non occiderunt, spem salutis habuerunt, et ut adveniens Agnus Dei peccata mundi tolleret, expectarunt : postquam autem Medicum interfecerunt, et in propitiatorium ipsum contumeliosi fuerunt, eumque qui venerat, ut peccata dimitteret, aversati sunt, omni spe deinceps exciderunt. Propterea dicit : « Implete mensuram patrum vestrorum. » Certe, inquit : et multis quidem ostensum est testimoniis homicidas illos ac nefarios fuisse : unde vero constat illos Prophetis minime parcituros, si Jerosolyma eversursum iri audivissent, et cessaturam legem, ac fore ut Vetus Testamentum immutetur ? Id quidem ex iis quæ dicta sunt, maxime apparet : verumtamen ex ipsis Scripturis manifestiorem subjiciam demonstrationem. Nam si quando Prophetam dicentem audierunt fore, ut Jerusalem temporario excidio excinderetur, cum illos mutare mentem oportuisset, et iram Dei depellere, in Prophetam furorem effuderunt. Atque hoc verum esse, ex historiis ipsis intelligetis. Obsidebant ali-

[1] 3 Reg. XIX, 10. — [2] Matth. XXIII, 37. — [3] Isaï. I, 15. — [4] Matth. XXIII, 31, 32.

quando civitatem ipsorum Persæ, atque ipsam foris barbaricus exercitus circumvallabat : nec obscurum erat periculum quod imminebat, sed in mediis tum laqueis urbs Jerusalem, armatis omnibus et illis foris circumsidentibus, versabatur : attamen cum tam certa mala eos premerent, quoniam progressus in medium dixit illis Jeremias, fore ut in manus Chaldæorum civitas traderetur; tametsi neque prophetia fuit hoc, cum ipsorum oculi quæ eventura essent intuerentur; quia tamen ea quæ manifesta erant, et eorum oculis obversabantur dicebat, scelesti illi ac stupidi, et erga benefactores ingrati sic insanierunt, ut proditorem illum et eversorem arbitrarentur, ac dicerent : « Hic dissolvit » manus populi hujus [1] : » Attamen confirmabat, attamen ipsorum alacritatem excitabat, et ad Deum ducebat, eosque invicto et inexpugnabili muro circumvallabat. Sed illi nihil horum intelligentes, interfici eum jubebant. Talia quippe bene de se meritis præmia semper rependebant, et cum rex ignovisset, ne sic quidem cesserunt; sed quoniam necare non poterant, in luti lacum projecerunt.

IV. Quod si temporariæ captivitatis mentionem fieri non tulerunt, quo tandem pacto perpetuæ servitutis prædictionem audituri fuissent? Si cum dixisset Jeremias : « In Babylonem abibitis, » neque potuerunt audire, sed eum qui dixerat punierunt; si Prophetas audiissent dicentes fore, ut non in Babylonem, sed quoquoversum per orbem terrarum dispergamini, nec amplius revertamini, nonne talia dicentium sanguinem ebibissent? Quod si vobis istud adhuc conjectura videtur esse, demonstratione clara probabo non tutum fuisse futura illis denuntiare, nostrum, inquam, honorem, et reprobationem illorum. Cur enim, quæso, Stephanum primitias Martyrum lapidarunt? nonne quod hoc illi crimini verterent dicerentque : « Vir iste lo-

[1] Jer. XXXVIII, 4.

»quitur verba blasphemiæ? dixit, aiunt, quoniam Jesus »destruet templum istud, et mutabit ritus, quos tradidit »Moyses [1], »atque idcirco illum lapidibus obruerunt. Si tum hæc audire non potuerunt, idque cum res ipsæ fidem ipsis deinceps facerent, quomodo Prophetas hæc prænuntiantes tulissent? Audivisti, dilectissime, propter templum, et propter religionis mutationem ab illis eum fuisse lapidatum : audi quo pacto Christo etiam istud ipsum crimen objciant. « Dixit enim, inquiunt, iste : Solvite tem»plum hoc, et in tribus diebus excitabo illud [2]. » Vides ubique templi destructionem, ac religionis mutationem bilem illis movisse? Ideo dicebant hoc quidem Prophetæ, sed evidenter non dicebant : ideo Paulum etiam interficere voluerunt, quod illis persuaderet ut religionem mutarent. Unde hoc liquet? « Vides, frater, inquit, quot millia »sunt in Judæis, qui crediderunt, et omnes isti audierunt »de te, quod discessionem doceas a lege [3]. » Fideles doceri se discessionem a lege non patiebantur, et qui nondum crediderant, quomodo audire potuissent fore, ut lex aliquando cessaret? Ac Judæos quidem interfecturos fuisse Prophetas, si quid tale manifeste prædixissent, testimoniis allatis ostendimus, ex ipso beato Jeremia, ac protomartyre Stephano, ex ipso Christo, et apostolo Paulo. Omnibus enim eadem crimini dantes, eos de medio sustulerunt. Ipsos autem propheticos etiam libros combusturos eos fuisse, si quæ dicta fuerant cognovissent, hoc quoque per historiam quamdam probare satagam vobis occultam, sed quæ manifesta continuo fiet : ita conabor illam exponere. Quænam igitur illa historia sit, audite. « Et factum »est in anno quarto Joacim filii Josiæ regis Juda, dixit »Dominus ad Jeremiam : Scribe omnia verba, quæ locu-

[1] Act. VI, 13, 14. — [2] Matth. XXVI, 61, et Joan. II, 19. — [3] Act. XXI, 20, 21.

» tus sum ad te, a diebus Josiæ usque ad diem hanc [1] : » hoc est, omnia mala, quæ cogito facere eis. Vide quid benignus ac providus dicat Deus. Nam quoniam singula nolebant audire, collige, inquit, illa omnia, ac metum auge, ut vel hac ratione resipiscant. Recordamini promissi nostri : in quæstione positum est, ut ostendamus eos libros ipsos laceraturos fuisse, si cuncta, quæ hodie contigerunt, illis in mentem venissent. « Forte audient » mala, (adhærendum enim est historiæ,) quæ cogito fa» cere eis, et avertentur a via sua prava [2]. Forte, » dicit Deus? Num igitur, quæso, futura ignorat? Non novit, an audituri sint, is qui novit omnia antequam fiant? Qui corda scrutatur et renes? qui discretor est cogitationum et mentium? cujus oculis nuda et aperta sunt omnia? Cur autem dixit : « Forte audient? » Nam et hæc operæ-pretium fuerit vos didicisse, propter eos qui unigenito Dei Filio ignorantiam objiciunt. Ecce enim Pater quoque ignorantis verbis utitur, siquidem, « Forte, » vox est ignorantis : verumtamen nequaquam ignorat. Quando igitur et Filium tale quid dicentem audiveris, eamdem sententiam suscipe. Nam cum Filius sit, ubique Patrem imitatur. Sed differamus tantisper has concertationum occasiones, ne a proposito argumento discedamus : quæramus cur dicat : « Forte » audient. » Si dixisset : « Audient, » absque « Forte, » falsum fuisset : non enim erant audituri. Si verum dixisset : « Non audient, » frustra non audituris Prophetam misisset. Neque idcirco tantum, sed ne vim ac necessitatem aliquam ad non parendum afferre ipsius præscientia putaretur, propterea cum dubitatione quadam hæc verba protulit, ne forte dicerent aliqui : « Prædixit Deus, et omnino evenire oportebat : » quod de Juda solent dicere. « Prædixit, inquiunt, eum proditorem futurum, et idcirco proditor factus est. » O demen-

[1] Jer. xxxvi, 1, 2. — [2] Ibid. 3.

tiam! o impudentiam! Neque enim præscientia malitiæ causa fuit, mi homo : absit. Non enim rebus futuris affert necessitatem, sed prævidet tantum. Non quia prædixit Christus, factus est proditor ille; sed quia proditor futurus erat, Christus idcirco prædixit. Ne igitur hic etiam dicant eum non audituros illos dixisse, ac pœnitentiæ viam illis præclusisse, prævenit, atque omnem occasionem illis præripuit, dum Prophetæ dixit : « Forte audient. »

V. Recordamini promissi : nam idcirco assidue vobis in memoriam illud revoco, ne cum solutionem attulero, quæstionis initio disputationis propositæ sitis immemores. Quodnam igitur illud fuit? Si scivissent Judæi eventura illis fuisse mala, quæ comprehenderunt illos; hæc inquam mala quæ nunc eos detinent; ipsos libros dilacerassent, neque sacris Litteris pepercissent. Sed ad historiam redeamus. « His auditis, vocat Jeremias discipulum suum Ba» ruch filium Neriæ, et ait illi : Scribe in libro mala omnia, » quæ illis eventura sunt [1]. » Quid hoc rei est? tibi a Deo mandatum est, et discipulum mittis? Num refugis præ timore? num vereris? num reformidas? si tu reformidas, quo pacto discipulus audebit? At nihil horum est : additur enim causa : nam cum dixisset : « Scribe ac lege, » subjunxit : « Ego » enim detineor in carcere [2]. » O magnanimitatem! in vinculis erat, et a prophetia non abstinebat. Attendamus Justi fortitudinem, ejusque animi philosophiam. Non dixit apud se : « Tam multa mihi propter hanc loquendi libertatem mala contigerunt : innumera profudi verba, nec quidquam profeci, neque lucri mihi fuit aliud, quam ut in vincula conjicerer : necdum me Deus a vinculis liberavit, et me rursus ad illas belluas mittit? » Nihil horum aut dixit, aut cogitavit, sed id unum spectabat, ut Domini præceptum perficeret. Et quoniam per seipsum non poterat, per dis-

[1] Jer. xxxvi, 4. — [2] Ibid. 5.

cipulum illud implevit. « Lege namque illis, inquit, et dic »omnia mala. » Ego enim detineor in carcere. Et dicebat Jeremias, et Baruch scribebat in libro. Jejunii tempus fuit, cum hæc fierent : festum instabat, quod ad metropolim omnes vocabat : communes quippe conventus agi oportuit, quandoquidem de necessariis rebus deliberandum in comitiis fuit. « Ingressus est ad principes Baruch, et legit »in auribus principum omnia verba hæc [1] : » et causam etiam dixit : « Fortasse namque, inquit, cadet misericor»dia vestra ante faciem Domini [2] : » ne existimarent eum tanquam accusatorem hæc dicere, sed ut cum ad eos sanandos venisse ipsum intellexissent, æquiores ac benigniores redderentur. Quid ergo illi? cum gratias agere oportuisset, cum eum laudare, cum efferre, nihil horum agunt; sed abeuntes annuntiaverunt regi, quæ scripta erant in libro, et deposuerunt librum in domo Elisama. « Et cum misisset, inquit, rex Juden unum ex apparito»ribus suis, librum jussit afferri. Et sedebat rex in domo »hiemali [3] : » mensis quippe nonus erat, hoc est november, et nonum appellat a martio numerando : nam et hoc diligenter observandum est (25). Si enim a septembri numerasset, hiems tum temporis esse non debuisset. Cur igitur hoc etiam adjungitur? Ex iis quæ sequuntur aperte cognosces. « Et focus ignis ante illum : carbones, inquit, quo»niam frigus erat [4]. » Videtis ut nihil a Scriptura sacra omittatur? « Et carbones ignis ante ipsum : » et circumsistebant eum satrapæ : allatus est liber innumeris redundans malis : malorum quippe prophetia, malorum erat propulsatio, et legebatur. Memores mihi, quæso, estote promissi : et cum legisset ille tres pagellas, sumpto scalpello scidit, et in focum ignis projecit, donec totum volumen defecit. Vides, ut ne libris quidem parcant? ut ne a Litte-

[1] Jer. xxxvi, 8. — [2] Ibid. 7. — [3] Ibid. 21, 22. — [4] Ibid.

ris quidem sacris abstineant? Quoniam captivitatem Jerusalem continebat, cum conscidit : et cum Prophetam non invenisset, in litteras iram effudit. Qui ergo res inanimatas ita persequitur, si anima præditum invenisset, quid non fecisset? Nam quemadmodum sævæ belluæ, cumeos arripuerint, qui cum ipsis decertant, et illi deinde relictis in ore belluarum pellibus, quibus amiciuntur, aufugerint, illas deinde discerpunt dentibus, ut ita furorem suum expleant; ita nimirum et rex fecit. Non offendit eum, qui librum tenebat, et librum conscidit : neque conscidit solum, sed et in focum ignis injecit, ut ne reliquiæ quidem ex litteris illis restarent. Sed nondum omnem ejus amentiam perspectam habetis : probe vero scietis, si narrationi diligenter attenderitis. Non enim dixit eum toto lecto libro deinde ipsum exussisse : quinimo cum tres quatuorve pagellas legisset, ipsum conscidit [1]. Ne ipsum quidem lectionis finem expectavit, sed ab ipso proœmio confestim exasperatus est. Propterea tutum non erat Prophetis futura omnia mala Judæis aperte dicere. Nam si captivitatem ad tempus futuram audire minime potuit, quomodo perpetuam discere sustinuisset? Neque contentus hoc fuit rex : sed misit, inquit, ad quærendum ubique Prophetam, sed non invenit eum : occultavit enim illum Deus. Illum quidem tum loco, cæteros autem Prophetas eorum obscuritate quæ dicebantur, occultavit.

VI. Neque vero tantum ex his nobis liquebit apud Judæos audax illud facinus extitisse, animique periculis temere sese objicientis, eventurum gentibus honorem et gloriam, et quæ illos exceptura esset ignominiam narrare, sed etiam ipsis Pauli verbis. Hic itaque, cum Prophetam quemdam videret paululum quid prædictionis hujus reserantem, et apertius, quam alii, tum bona nostra, tum illo-

[1] Jer. XXXVI, 23.

rum mala dicentem, obstupuit, et audaciam illius miratus est, his verbis utens : « Esaïas autem audet, et dicit : In-» ventus sum a non quærentibus me : palam apparui iis, » qui me non interrogabant [1]. Dixi : Ecce ego, genti, qui » non vocaverunt nomen meum [2]. » Quanquam, si nullum ex prædictione periculum impendebat, cur dixit Paulus : « Esaïas autem audet, et dicit : Inventus sum a non quæ-» rentibus me? » Maxima revera Judæorum accusatio. Qui non quærebant, invenerunt; et qui quærebant, spe frustrati sunt. Qui non audierunt, crediderunt; et qui audierunt, in crucem sustulerunt. Propterea audacem appellavit Esaïam : maximæ quippe revera fuit audaciæ, in medio eorum, quos accusabat, stantem, nemini parcendo accusationem intentare, et illos quidem per prophetiam aperte honore privare, alios vero ad debitam illis gloriam introducere. Accusatores ejus erant omnes qui in judicio audiebant; quis autem, dum judicium exercent inimici, periculum poterit evitare? Propterea, inquit, « Audet et dicit. » Verum hoc ipsum volo clarius demonstrare. Idcirco de Judæis ac nobis obscure pronuntiatum est in Scripturis, ne ante tempus intelligerent quæ dicebantur Judæi. Atque hujus rei produco testem magna voce clamantem Paulum, ex alto vociferantem tubam cœlestem, vas electionis, Christi paranymphum. « Despondi enim vos, inquit, uni » viro, virginem castam exhibere Christo [3]. » Hunc vobis testem produco dicentem aperte, propterea nonnulla in Veteri Testamento fuisse occultata, non omnia. Si enim omnia fuissent obscura, frustra illius sæculi hominibus fuissent dicta; siquidem prophetiæ bella continent, quæ ad tempus tum gesta sunt, et fames et pestes : continent et quæ hodie contigerunt, vocationem Ecclesiæ, repudiationem synagogæ, legis abrogationem. Hæc autem ipsos

[1] Rom. x, 20. — [2] Isaï. lxv, 1. — [3] 2 Cor. xi, 2.

nosse nolebat, sed illa quæ ipsorum temporibus accidebant. Atque istud ipsum conabor ostendere, hæc sola fieri obscura voluisse, de nobis et de synagoga, quæ nunc contigerunt, necnon legis abrogationem : hoc vero non oportuit ex illo tempore cognitum illis fuisse. Nam si a principio didicissent legem ad tempus duraturam, illam omnino contempsissent : propter hoc ipsum occultam illam esse voluit. Non enim omnem prophetiam occultam fuisse, verum hanc tantum partem fuisse velatam, audi quo pacto nobis utrumque manifeste Paulus ostendat, et occultatam fuisse legem, et hac in parte tantum. Cum enim scriberet ad Corinthios, his verbis est usus : « Habentes igitur talem » spem, multa fiducia utimur : et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, ut non intenderent filii » Israël in finem ejus quod evacuatur, sed obtusi sunt sensus eorum. Usque in hodierum enim diem idipsum velamen in lectione Veteris Testamenti manet non revelatum, » quoniam in Christo evacuatur [1]. » Obscurum est fortasse, quod legimus; itaque dilucidius illud reddamus necesse est, et ipsam historiam vobis in memoriam revocemus. Nam cum, acceptis in monte tabulis, descensurus esset Moyses, ineffabilis quædam et mirabilis ex illa sancta facie gloria talis amicabat, ut nullus e vulgo ad illum accedere et cum illo colloqui auderet. Ne igitur populo semper inaccessus esset, imposito faciei suæ velamine, permittebat ut cum eo venire in colloquium Judæi possent. At cum populo dum versaretur, velamen gerebat; ad Deum autem se convertens, rursus illud deponebat. Id vero fiebat, ut simul major fides legislatori conciliaretur apud eos, qui per ipsum allatam accepturi legem erant, et simul in ipso prius adumbraretur figura veritatis, et incarnationis Christi causa multo ante præsignificaretur. Nam quoniam dicturi

[1] 2 Cor. III, 12-14.

erant nonnulli : « Quare non in nuda Divinitate Christus advenit, sed carnem induit? » multo ante per faciem servi objectionibus istis occurrit. Si enim servi gloriam, quæ illi postea obvenit, cernere non potuere Judæi, quo pacto nudam postea Divinitatem videre potuissent.

VII. Neque vero tantum hoc nobis velamen illud designat, sed eadem nunc Judæis lecta lege contingere, quæ tum visa Moysis facie contingebant. Ut enim faciei legislatoris gloriam non cernebant, quod medium illud velum interjectum esset : sic neque nunc legis possunt gloriam intueri. Hoc vero etiam adversus hæreticos usui nobis est. Nam quia putant criminationem legis præ se ferre quæ dicta sunt, hunc locum Epistolæ receperunt ; et cum legem habere velamen audivissent, et evacuari, quod illam arbitrarentur accusari, litteras deseruerunt, ut suis ratiocinationibus caperentur. Istud enim ipsum magnam esse legem ostendit. Nam sicut tum crimini verti Moysi non poterat, quod super faciem velamen haberet, sed illud erat indicium infirmitatis Judæorum, Moysis vero laus maxima, quod tanta gloria facies illius refulgeret, ut apud conservos velamine indigeret : ita quoque legi accidit. Nisi enim lex gloriam habuisset inaccessam, velamine non indiguisset. Quando igitur manere velamen dicit in lectione Veteris Testamenti, obscuritatem ejus dicit : quando vero non revelatum dicit quod in Christo evacuatur, partem eam legis nobis indicat, ratione cujus obscura lex est. Non enim obscura pars ea legis fuit quæ nobis ad vitam et conversationem instituendam conferebat, alioqui superflue data fuisset : sed eæ solum partes obscuratæ sunt, ex quibus nosse poteramus illam evacuari per Christum. Nam et hoc opus est sapientiæ divinæ, legem ab ipso introduci, qui de ea diceret fore, ut Christus, cum venerit, legem evacuet, et fore ut in ipso esse desinat. Hæc

igitur ipsa pars legis, quæ legem in Christo dicit evacuari, sola fuit obscura : atque hoc ipsum indicans magnus Paulus adjunxit dicens : « Non revelatum, quod in Christo eva» cuatur. » Etenim ne forte cum audisses in lectione Veteris Testamenti manere velamen, totam ipsam obscuram et obtectam esse existimares, hanc suspicionem additione correxit. Cum enim dixisset velamen in lectione Veteris Testamenti manere, adjecit, « Non revelatum, quod in Christo » evacuatur. » Hoc ipsum, inquit, revelatum non est, quod in Christo est evacuandum : porro iis revelatum non est, qui non accedunt ad fidem : itaque is qui ad fidem accessit, et sancti Spiritus gratiam consecutus est, non jam cum velamine legem intuetur, sed nudam ejus gloriam spectat. Gloria legis est, ut docere possit seipsam in Christo evacuari, ut hoc quoque tibi sit cognitum. Vides quæ sit legis gloria? vera quippe gloria ejus est, quando instruere te potuerit, et ad Christum deducere : tum vero instruit, cum evacuari se ostendit. Itaque hinc etiam hæreticis letale vulnus infligitur. Nam si contraria lex et adversaria Christo esset, nec ab illo tradita, non oportuisset Paulum ejus gloriam id appellare, quod accedentes ad se posset instruere, per Christum ipsam evacuari. Si mala esset lex rursus, non oportuisset velamen ejus auferri, sed illam etiam post gratiam obscuratam manere. Quod si hoc munus est gratiæ, ut accedentes ad se perspicaciores ad comprehendendam legem efficiat, sic ut inde initium et occasio ducatur omnis fidei in Christum exhibendæ : quodnam proferre majus posset ullus argumentum cognationis legis cum gratia, quam cum oculos Christus aperit eorum, qui ad ipsum accedunt, ut institutionem percipere legis possint : illa vero cum apparuerit, et facta fuerit manifesta, poterit multa cum facilitate transmittere illos, qui ea quæ Christi sunt intelligunt? Hæc enim ostendunt neque Christum cum

lege pugnare, neque cum Jesu legem bellum gerere, sed contrario plane modo rem se habere, cum illa quidem ad magnam hanc philosophiam viam sternat, hic autem inde assumptos ad summum pietatis culmen adducat. Pro his autem omnibus benigno Deo gratias agamus, qui pro convenienti tempore singula disponit, variisque modis salutem nostram procurat, et dignam ipsius dignitate, ac tanta providentia vitæ rationem pro viribus exhibeamus, ut futura etiam bona consequamur : quæ nobis omnibus utinam contingant gratia, et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri simul cum Spiritu sancto gloria, honor, imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA II.

Adhuc in obscuritatem Veteris Testamenti, et in Dei clementiam, et quod alii alios non debeant accusare.

I. Gaudet quidem bubulcus, dum bene valere ac vegetum esse videt armentum suum : gaudet etiam agricola, dum vernantem segetem cernit: sed nec ob segetem agricola, nec ob suas boves bubulcus adeo gaudent, ut ego nunc gaudeo et exulto, dum pulchram hanc aream spiritualibus repletam manipulis cerno. Cum enim in tot ac tales aures sparsum fuerit verbum pietatis, confestim necesse est, ut copiosæ ac maturæ obedientiæ spicæ nascantur. Nam si quis sulcis fertilem ac pinguem agrum prosciderit, quamvis semina larga manu non jecerit, multum proventum colliget, dum loci natura seminum exiguum numerum

propria virtute multiplicabit : sic cum in animas obsequentes ac pietatis plenas aliquis sparserit, licet exigua doctrinæ semina jecerit, messem uberem cernet, dum per auditorum sapientiam, concionatoris egestas occultabitur. Hoc et in piscatione contingit. Quamvis enim piscatores sint imperiti, si tamen in sinum piscibus abundantem retia miserint, facile præda potiuntur : dum illorum abscondit imperitiam concurrentium piscium multitudo. Quod si in illa captura multitudo illorum qui capiendi sunt, sæpenumero ejus qui rete mittit, imperitiæ defectum sarcit, multo magis istud ipsum in hac spirituali piscatione continget. Nam illi quidem pisces ubi nassas et hamos immitti viderint, confestim et aufugiunt, et exiliunt : vos vero contrarium agitis : cum surgentem et doctrinæ sagenam videritis expandentem, non solum non aufugitis et exilitis, sed et interius pergitis undique concurrentes, et proximum unusquisque protrudens ac premens, prior ipse insilire et in retia delabi festinat. Quo factum est, ut nunquam vacuam sagenam extraxerimus, non jam ob nostram peritiam, sed ob vestram cupiditatem. Satis itaque nos nuper dapibus explevit, quæ probato puroque manat auro lingua, et mellis fontes ore profundit, lingua, inquam, beati Pauli, vel potius, quæ favi cujusvis suavitati spiritualis doctrinæ dulcedine antecellit. Quia vero pro ea, quæ vos decet, philosophia, ne mei quidem pauperis et mendici res contemnitis, sed ea quidem quæ sunt eximia et summa miramini, nostræ vero humilitatis verba non improbatis, alacriter ad dicendum surrexi, ut debitum vobis redderem quod nuper sum pollicitus, nec tamen persolvi, dum prolixitate doctrinæ prohibiti sumus ad finem usque pertingere. Quodnam igitur debitum illud fuit? necesse est enim, ut initium mutui vobis in memoriam revocetur, ut argumento ipso cognito vobis enarratio dilucidior fiat.

Quæsivimus tum temporis qua de causa Vetus Testamentum sit obscurius, quam Novum ; fortasse namque memini-stis ; et unam hactenus causam diximus, auditorum immanitatem, testemque produximus Paulum dicentem : « Istud ipsum velamen in lectione Veteris Testamenti manet non revelatum, quoniam in Christo evacuatur [1]. » Ostendimus quemadmodum velamen habuit legislator Moyses, ita quoque legem velamen habuisse, obscuritatem : sed neque Legislatori vitio vertendum, neque legi crimini dandum fuit velamen, sed auditorum infirmitati tribuendum. Non enim propter seipsum velamen habuit Moyses, sed quia gloriam vultus ejus ferre non poterant. Quando enim se convertebat ad Dominum, velamen auferebat. Sic etiam lex, quoniam nondum perfecta documenta multæque philosophiæ plena de Christo Novoque Testamento percipere poterat : siquidem illa omnia tanquam in thesauro quodam in Veteri Testamento reposita erant ; velamen habebat, dum illis quidem se attemperabat, nobis autem divitias omnes reservabat, ut cum Christus advenerit, et ad ipsum nos converterimus, velamen tollatur. Videtis ergo in quantam nos adventus Christi provexerit dignitatem, qui Moysis in ordinem nos evexerit. At fortasse dicet aliquis : « Cur igitur tum temporis dicebantur illa, si manifesta non erant futura quæ dicebantur ? » Ut posteris nimirum utilia fierent. Hæc enim est dignitas prophetiæ, non ut res præsentes denuntiet, sed ut futuras prænuntiet. Prophetia porro cum occulte prolata fuerit, post rerum eventum fit manifestior, ante eventum vero minime. Itaque quia tum obscure dicebantur, ignotæ erant : cum autem res contigerant, propterea manifesta erant, quæ dicta fuerant. Atque ut prophetiam intelligatis, licet multo ante tempore dicta sit, sed tamen occulte dicta,

[1] 2 Cor. III, 14.

obscuram esse, ac rerum eventum expectare, Discipulorum ipsorum id exemplo comprobabo. « Solvite templum » hoc, » aiebat Christus Judæis. Nam cum eos ejecisset, qui negotiatione sua templi sanctitatem violarant, dixerunt illi : « Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis [1] ? » Tum ad hoc respondet : « Solvite templum hoc, et in tri- » bus diebus excitabo illud. Ille autem dicebat de templo » corporis sui [2]. » Hoc autem prophetia quædam est : nondum quippe crux evenerat, neque templi solutio, neque post tres dies resurrectio, quam ipse fecit. Ac vide quam exacte utraque designarit, et illorum audax facinus, et suam ipsius virtutem. Non tamen ea quæ dicebantur agnoverunt. Ac Judæos quidem ignorasse, minime mirum : at ne Discipulos quidem ejus intellexisse dicit, quousque a mortuis resurrexit, tumque crediderunt Scripturæ ac sermoni, quem dixit Jesus.

II. Vides eventu illos indiguisse rerum, ut dilucidior fieret prophetia, neque crimini vertendum fuisse Judæis, quod prophetias illas de Christo ante Christi adventum non intelligerent ; siquidem per ejus adventum claræ reddendæ fuerant et apertæ. Audi Christum hoc dicentem : « Si non » venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non habe- » rent [3]. » Quare peccatum non habebant, si prophetiæ prædixerant? Quia prædixerant quidem, sed manifestæ non erant neque claræ ante illius adventum qui prædictus fuerat. Nam si tum quoque manifestæ illis et claræ fuissent, haud dubium quin etiam ante ipsius adventum peccatum habuissent : quod si peccatum non habuerunt, dubium non est, quin propter earum obscuritatem, et quoniam obtecta fuerant quæ dicebantur. Neque enim ante Christi adventum fides in Christum ab illis exigebatur. Cur itaque tum prædicebatur? ut cum advenisset, domesticos doctores ha-

[1] Joan. II, 18. — [2] Ibid. 19 et 21. — [3] Id. XV, 22.

berent a quibus incitarentur, et intelligerent rem novam non esse quæ gerebantur, neque recentem dispensationem, sed hæc olim et ante multos annos fuisse prænuntiata : id quod non mediocriter valuit ad illos ad fidem alliciendos. Hæc igitur una est causa obscuritatis, quam pluribus testimoniis in præcedenti sermone demonstravimus : ne vero fastidium vobis rursus pariamus, si eadem dicamus, operæpretium fuerit ab ea discedere, atque alteram proferre, quæ non jam obscurum et ignotum, sed difficilius Testamentum Vetus efficit. Aliud enim est nihil omnino eorum nosse, quæ insunt, et velamen impositum cernere : aliud autem invenire quæ dicuntur, sed cum labore invenire. Quænam igitur est secunda causa, propter quam difficilius Vetus est Testamentum quam Novum ? Non habemus nativo nostro idiomate scriptum apud nos Vetus Testamentum : sed alia quidem lingua compositum est, alia vero nos illud legendum habemus. Nam a principio hebraïco conscriptum est idiomate : nos autem græca lingua expressum accepimus : cum vero in alteram linguam interpretatione translatum fuerit, maximam habet difficultatem. Atque hoc probe sciunt, quicumque multas linguas callent, fieri non posse, ut pari perspicuitate sententias omnes ex nativa sua lingua in alteram interpretando transferamus. Hæc igitur causa difficultatis extitit in Veteri Testamento. Nam ante Christi adventum trecentis annis, Ægyptiorum rege Ptolemæo, in Græcam linguam translatum est Testamentum Vetus, valde utiliter et fructuose. Quandiu enim cum una gente loquebatur, in hebraïca lingua manebat. Nullus quippe tunc animum illi adhibiturus erat, cum reliquum genus humanum ad summam immanitatem pervenisset. Ubi vero Christus eventurus fuit, et universum orbem terrarum ad se vocaturus, non per Apostolos tantum, sed per Prophetas quoque (nam et illi nos ad fidem cognitionis

Christi deducunt) tum temporis tanquam aditus et vias quasdam prophetias, antea linguæ obscuritate clausas et obstructas, omni ex parte curavit interpretatione reserari : ut omnes ex gentibus undique confluentes, et multa cum facilitate per has vias incedentes, possent ad Regem ipsum Prophetarum venire, atque unigenitum Dei Filium adorare. Ob hanc causam utique ante Christi adventum omnes interpretatione sunt expressæ : quoniam si in hebraïco idiomate solum relictæ essent, David autem dixisset : « Postula » a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessio» nem tuam terminos terræ [1], » unde potuisset nosse quod dictum fuerat Syrus, vel Galata, vel Macedo, vel Atheniensis, cum obscuritate involuta scriptura mansisset? Rursus clamabat Isaïas : « Sicut ovis ad occisionem ductus est, » et sicut agnus coram tondente se mutus [2] : » et rursus : « Erit radix Jessæ, et qui consurgit, ut princeps sit gen» tium, in ipso gentes sperabunt [3] : » et rursus, « Replebi» tur terra cognitione Domini, ut quasi aqua multa coope» riat maria [4]. » Et David rursus dicebat : « Ascendit Deus » in jubilatione : Dominus in voce tubæ [5]. » Et rursus, « Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, donec » ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum [6]. »

III. Cum igitur de passione, de resurrectione, de ascensione, de sessione ad dexteram, de secundo ejus adventu, ac de omnibus istis in universum quæ in Novo sunt, Testamentum Vetus prædixerit, ne ista gentibus mox futuris ignota remanerent, ac vim prophetiæ ignorarent, ante Christi adventum ut converterentur Scripturæ, gratia divina providit, easque non modo conversis ex gentibus, sed etiam Judæis utiles reddidit, qui ubique terrarum dispersi fuerant, nec amplius hebraïcam linguam tenebant. Ecce

[1] Psal. II, 8. — [2] Isaï. LIII, 7. — [3] Id. XI, 10, et Rom. XV, 12. — [4] Isaï. XI, 9. — [5] Psal. XLVI, 6. — [6] Id. CIX, 1.

enim credidit, qui conversus est ex gentibus, dum Judæorum signa videt. Quomodo potuissent rursus Apostoli Judæum adducere, nisi domesticum illi doctorem Prophetam dedissent? Nam si Athenas ingressus Paulus inscriptione indiguit[1], altari insculpta, et ad eorum instructionem illam traduxit, quod se facilius propriis ipsorum armis eos expugnaturum speraret, quod etiam accidit, multo magis cum Judæis agens auxilio Prophetarum indigebat, ne ab illis etiam accusaretur, quod nova quædam ac peregrina illorum auribus inferret. Et cur, inquit, una lingua non erat, ut omni difficultate liberaremur? Una lingua erat antiquitus, mi homo, et sicut una hominum est natura, sic et una cunctorum lingua erat. Non erat ab initio vir ullus alienæ linguæ, non erat alterius loquelæ, non erat Indus, neque Thrax, neque Scytha, sed omnes una lingua loquebantur. Quid igitur in causa fuit? indigni hac una lingua visi sumus nos semper erga benefactorem ingrati. Quid ais? lingua nos indigni visi sumus? Ac brutæ quidem animantes propriam vocem habent omnes: balant oves et capræ, mugit taurus, hinnit equus, rugit leo, lupus ululat, sibilat draco. Unaquæque bestia proprium sonum conservavit, ego vero solus propria sum voce privatus? Et sylvestria et mansueta, et cicurata, et non cicurata animalia singula tributam sibi a principio vocem retinuerunt: ego vero princeps illorum ignominia sum notatus: illis honores erepti aut mutati non sunt, ego vero sum divinis muneribus spoliatus. Quod tantum fuit in me scelus? non sufficiebant priores illæ pœnæ? Paradisum mihi concesserat, et ex paradiso me ejecit: vitam doloris expertem laborumque traducebam, sudore me ac labore damnavit: citra sementem et inarata tellus omnia præbebat, imperavit illi ut spinas et tribulos ferret, et in ipsam rursus me convertit: morte me mulctavit, mulie

[1] Act. XVII.

rum sexum mulctavit partus doloribus laboribusque subjectum. Non sufficiebant hæc ad pœnam, sed vocem quoque mihi eripuit, et hoc me honore privavit, ut tribules ac gentiles meos tanquam ferinos averser, cum me linguæ diversitas separet ab illorum congressu. Propterea objectionem amplificavi, ut cum solutionem adjecero, illustrior fiat victoria. Si his omnibus, inquit, privatum me volebat, qua de causa illa mihi jam a principio concedebat? Vultis ex hoc uno solutionem adjiciam, ab hac ipsa simplici objectione? Tanta quippe sunt causæ divinæ firmamenta, ut vel ipsa contradicentis objectio nullo nostro corroborata subsidio ad crimina sufficiat refellenda. Si me his omnibus privare volebat, cur ea mihi jam inde a principio concedebat? Nam et ego istud ipsum dicam : « Si te his omnibus privare volebat, quam ob causam concedebat? Itaque quoniam te privare nolebat, propterea tibi jam inde a principio ista concessit. Quid ergo accidit? Non te Deus his bonis ejecit : sed tu quæ data fuerant amisisti. Tu illum propter benignitatem lauda, quod largitus sit : teipsum propter ignaviam accusa, qui donum minime conservaveris. Liquet igitur non eum qui deposuit reum esse, verum eum qui depositum perdidit crimini obnoxium esse. Nam se diligere ac benignum esse, et largiri voluisse declaravit, cum nemo cogeret aut vim afferret, cum nulla in te recte facta miratus esset, neque laborum retribuere mercedem deberet : sed confestim ubi formavit, confestim ad hunc principatum evexit, ut hoc donum non retributionem mercedis, sed meram gratiam fuisse ostenderet. Quod si quæ data fuerant non conservasti, teipsum accusa, non eum qui donum contulit. Num igitur hoc unum pro domino dicere possumus? sufficit quidem hæc defensio : sed immensa bonitas ejus, et benignitas ineffabilis alia nobis ad ejus causam tuendam firmamenta copiose suppeditat. Neque enim hoc solum di-

cere licet, ipsum quidem dedisse, te vero perdidisse : nam et hoc pacto qui dedit, crimine liberatur, vel potius maxima laude dignus censetur, quod etiam prævidens te perditurum minime te dono privarit : sed aliud quiddam majus istis dicere possumus. Quodnam autem illud est? quod postquam ex propria negligentia perdidisti, rursus ea tibi quæ perdideras restituerit : imo non ea tantum quæ perdideras, sed his multo majora. Nam paradisum perdideras, at ille cœlum tibi dedit. Vides quo pacto lucrum majus est quam jactura? quo pacto plures sunt opes? cœlum tibi largitus est, ut benignitatem suam præ se ferret, diabolo dolorem inureret, et ostenderet, licet innumeras generi nostro tendat insidias, nihil hoc illi profuturum, cum ad majorem Deus honorem nos evehat. Amisisti ergo paradisum, et tibi Deus aperuit cœlum : ad temporarium damnatus es laborem, et vita æterna ditatus es : imperavit terræ ut spinas ac tribulos tibi produceret, et fructum tibi spiritus anima germinavit.

IV. Ac vide quanta sit Dei benignitas, quousque se demiserit. Si quando nonnulli aliquas facultates amiserint, licet majores ac pretiosiores acceperint, illa ipsa quæ amiserant quærere cupiunt, neque prius acquiescere, quam ipsa recuperaverint. Quoniam igitur paradisum perdideras, non cœlum tibi tantum largitus est, sed et paradisum et cœlum. « Hodie mecum eris in paradiso [1], » inquit : ut non modo additione majorum, sed etiam rerum amissarum recuperatione dolentem animam consoletur. Sed ad hoc ipsum propositum, si placet, veniamus, ac videamus quo pacto linguam perdiderimus. Non enim mediocriter conferet ad securitatem historia. Nam qui pristinæ securitatis modum cognovit, in reliquis cautior erit et securior. Operæ-

[1] Luc. XXIII, 43.

pretium est autem ut omnia vobis dicantur; quale est, unam fuisse quondam omnium hominum linguam, atque in multas postea divisam esse : ad quod tempus usque una fuerit, et quando in multas divisa fuerit, et num illa deleta fuerit, atque aliæ introductæ, an vero manente illa reliquæ sint introductæ : quare confusa fuerit, et qua de causa : deinde quanam ex multis hisce linguis Vetus Testamentum conscriptum fuerit (ejus enim gratia de his omnibus sermonem instituimus) : utrum illa antiquiori ac priori, an vero illis quæ postea sunt invectæ. Sed nolite timere : quamvis enim hodie cuncta reddere non possimus, omnino tamen vobis postea reddemus. Cur igitur cum hodie cuncta reddituri non essemus, omnium vobis debitorum argumentum recitavimus? ut retributionem expectantes; nos semper mente versetis. Nam qui pecunias alicui mutuatus est, et obnoxium habet debitorem, in mensa, in ædibus, in foro, in lecto, et ubique locorum de suo debitore vigilans cogitat et insomnis : et pecuniarum amor efficit, ut ille cum pecuniis creditoris in anima circumferatur. Ut igitur nos quoque redditionis spe semper in vestris mentibus versemur, in ædibus, in foro, et ubicumque fueritis, idcirco debita quidem vobis spopondimus, hodie vero non omnia persolvemus, ut eorum, quæ residua fuerint, expectationem vobis tanquam memoriæ nostri occasionem relinquamus. Hæc enim magna est nostra securitas, ut charitate vestra perpetuo fruamur, tali populo ac tanto. Nam qui fruitur charitate, precibus etiam omnino fruetur. Hoc vero quantum sit bonum, inde licet colligere. Paulus ille, qui tertium in cœlum raptus fuerat, qui audiverat arcana verba, qui omnes naturæ necessitates subegerat, qui perfecta deinceps in securitate permanebat, precibus etiam discipulorum indigebat, ac dicebat : « Orate pro me, ut liberer » ab infidelibus : » Et rursus : « Orate ut detur mihi sermo

» in apertione oris mei [1]. » Et ubique videtis ipsum et discipulorum orationes postulare, et cum obtinuerit, gratias illis agere. Nam ne forte dicat aliquis eum præ nimia humilitate ad discipulorum preces confugere, virtutem illarum ostendit, cum ita loquitur : « Qui de tantis mortibus nos » eripuit, speramus autem, quoniam et adhuc eripiet, ad» juvantibus et vobis in oratione pro nobis, ut ob donatio» nem, quæ in nobis est, per multos gratiæ pro nobis agan» tur [2]. » Quod si Paulum a periculis oratio multitudinis liberavit, annon etiam a nobis expectari par est, ut ex hoc subsidio magna commoda consequamur? Cum enim infirmi simus, dum soli precamur, ubi vero congregati fuerimus, robustiores, multitudine ac societate inita Deum exoramus. Sic etiam rex sæpe, cum aliquem ad mortem damnarit, uni quidem oranti pro damnato non annuit, ab integra vero civitate deprecante facile exoratur, eumque qui ad barathrum abducebatur, ob deprecatorum multitudinem supplicio eximit, atque ad vitam reducit. Tanta vis est orationis multitudinis. Idcirco etiam colligimur et convenimus huc omnes, ut vehementius Deum ad misericordiam flectamus. Nam cum orantes soli, ut ante dixi, imbecilles simus, per conjunctionem charitatis Deum exoramus, ut nobis postulata concedat. Hæc vero non temere a me proferuntur, neque propter meipsum tantum, sed ut semper ad collectas properetis, nec dicatis : « Annon enim orare domi possum? » Potes tu quidem orare, sed tantam virtutem non habet oratio, quam ubi cum propriis membris fit, quam cum totum corpus Ecclesiæ unanimiter et una voce preces fundit, sacerdotibus præsentibus, ac verba communis cœtus offerentibus.

V. Vis-ne discere quanta sit virtus orationis, quæ in Ecclesia fit? Vinctus erat aliquando Petrus in carcere, ac

[1] Ephes. VI, 19. — [2] 2 Cor. I, 10, 11.

multis catenis circumdatus : « Oratio autem fiebat sine in- » termissione ab Ecclesia pro eo [1], » et confestim illum eduxit e carcere. Quid igitur hac potentius fieri queat oratione, quæ de columnis ac turribus Ecclesiæ bene merita est : Paulus enim et Petrus turres erant et columnæ Ecclesiæ, atque hujus quidem vincula solvit, illius autem os aperuit. Sed ut non solum ex iis, quæ tum acciderunt, sed etiam ex iis, quæ singulis diebus perficiuntur, duplicem ejus virtutem demonstremus, orationis ipsius quæ a populo fit vobis memoriam refricemus. Quanquam si quis e vulgo vobis imperaret, ut singuli ac soli pro episcopi salute oraretis, unusquisque sese excusaret, atque hoc tanquam onus viribus suis majus a se amoliretur : dum vero communiter omnes diaconi vocem auditis id imperantis ac dicentis : « Oremus pro episcopo, et senectute, ac patrocinio, atque » ut recte tractet verbum veritatis, et pro iis qui hic sunt, » et ubique terrarum, » quod imperatum est agere non recusatis, sed magna animi contentione preces offertis, quod quanta sit vis concursus vestri probe intelligatis. Sciunt quid dicam, ii qui mysteriis sunt initiati : nam orationi catechumenorum nondum est illud permissum, quandoquidem nondum ad hanc loquendi licentiam pervenerunt : vos autem ut pro toto terrarum orbe, pro Ecclesia quæ ad terræ fines usque protenditur, et pro episcopis omnibus, qui eam regunt preces offeratis, cohortatur is, qui ministrat illis, et obsequimini summo studio, ac reipsa testamini magnam orationis esse virtutem, quæ a populo in Ecclesia communi consensu offeratur. Verum ad propositum redeamus, quod antiquitus una fuerit lingua. Unde igitur unam linguam fuisse constat? Et erat omnis terra labium unum [2].» Obscurum est hoc dictum : an labium habet terra ? nequaquam : quid ergo dicit et de quo ? non de hac terra loqui-

[1] Act. XII, 5. — [2] Gen. XI, 1.

tur quæ sensu caret et immobilis est; sed universum genus humanum sic appellavit, eos admonens propriæ naturæ, matrem, ex qua orti sunt, illis in memoriam revocavit. Duplex enim est hoc animal, homo, inquam, ex duabus substantiis conflatus, una sensibili, spirituali altera, hoc est, ex anima et corpore, cui cum cœlestibus et cum terrestribus cognatio quædam intercedit. Nam per spiritualem quidem substantiam cum virtutibus supernis participat: per sensibilem cum rebus terrenis copulatur, et est quidam veluti nexus firmissimus utrisque creaturæ. Cum igitur aliquid agit eorum quæ Deo sunt placita, spiritualis dicitur, et nec ab ipsa quidem anima nomen accipit, sed ab alio quodam honore majori, a Spiritus operatione. Neque enim ad recte facta sufficit anima, nisi illo potiamur auxilio. Atque ut intelligatis animam nobis ad recte facta non sufficere; et quid dico ad recte facta? ne ad hoc quidem ut ea quæ dicuntur, percipere possimus: « Animalis, inquit, » homo non percipit ea quæ sunt Spiritus [1]. » Nam ut carnalem appellat eum, qui carni servit, sic animalem appellat eum, qui ratiocinationibus humanis cuncta permittit, neque Spiritus afflatum recipit. Sed ut dicebam, nos dum recte agimus, spirituales dicimur: cum vero peccamus, supplantamur, et quidpiam indignum nobilitate nostra peragimus, nobis a vili et abjecta natura nomen imponit, et nos terram appellat. Quoniam igitur hic quoque nonnullos accusaturus est, qui turrim ædificaverant, qui in superbiam elati erant, qui majores dignitate sua spiritus sibi sumpserant, illos autem accusaturus est superbiæ, idcirco a vili substantia duxit appellationem cum dixit: « Et erat omnis » terra labium unum [2]. » Atque ut discatis sic eum nos appellare cum peccaverimus, Adamum ita post peccatum appellavit dicens: « Terra es, et in terram reverteris [3]: »

[1] 1 Cor. II, 14. — [2] Gen. XI, 1. — [3] Id. III, 19.

tametsi non terra tantum erat, sed et animam habebat immortalem. Cur igitur terram ipsum appellavit? Quia peccavit. Sane cum ipsum formaret, non ita illum appellavit quid ergo? « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram: et dominentur piscibus maris, et bestiis terræ: et erit timor eorum, et tremor super omnem terram [1]. » Vides qualis esset naturæ prærogativa? quales honores? qualia præconia? verumtamen ante peccatum: post peccatum autem deinceps: « Terra es, et in terram reverteris. » Audi vero Malachiam quoque idipsum innuentem, vel potius Deum per Prophetam: « Ecce enim mitto vobis, inquit, Eliam Thesbiten [2]. » Cur igitur mittit? « Ut convertat cor patris ad filium [3]. » Nam quia futurum est, ut tremendum illud et horrendum adveniat judicium, ne inexcusabiles ac pœnis obnoxios deprehensos aliquos damnet judex: ut cum venerit ille, ac prædixerit appropinquare, ac pro foribus esse adventum ejus, ad meliorem frugem revocet homines; solent quippe quæ ante multos annos dicta sunt in contemptum venire; nostram igitur memoriam renovans, ad nos ille Propheta venit. Sed appellari terram eos qui peccant, id vero nunc nobis est demonstrandum.

VI. Cum ergo dixisset: « Ut convertat cor patris ad filium, » adjecit, « Ne forte veniens percutiam terram penitus [4]: » percutit autem illos qui peccant. Vides eos qui peccant terram appellari? Alibi rursus de Christo narrans Propheta sic aiebat: « Erit justitia cinctus lumbum suum, et veritate involutus costas suas [5]: » non quod in Deo sit costa vel lumbus; quippe cum incorporeum sit Numen; sed per hæc incorruptum esse judicis istius, neque decipi posse judicium declarat; neque jam amplius calumniatoribus, neque maledicis, nec corruptioni per pe-

[1] Gen. I, 26. — [2] Mal. IV, 5. — [3] Ibid. 6. — [4] Ibid. — [5] Isaï. XI, 5.

cunias, nec juris inscitiæ locum fore. Nam in his quidem judiciis et innocens plectitur, et reus absolvitur, quia persæpe jus labefactatur : cum vero justus Judex, et qui decipi minime potest, advenerit, qui justitia cinctus est lumbum suum, et veritate involutus costas suas, omnes exactissime jus suum obtinebunt. « Et percutiet terram verbo oris sui. » Atque ut cognoscas non de terra, sed de peccatoribus eum loqui, adjunxit : « Et in Spiritu per labia interficiet impios. » Vides hic etiam peccatores esse terram appellatos? His ergo cognitis, cum audieris omnem terram labium unum fuisse, humanam rursus naturam intellige : propriam enim vilitatem nobis in memoriam revocat : magnum quippe bonum est cognationem suam cognoscere, ac scire quibus ex rebus compacti simus. Hæc sufficiens est humilitatis doctrina, consideratio naturæ : omnes potest perturbationes sedare et tranquillitatem animo parere. Propterea monebat quidam, « Attende tibi ipsi, » recogita naturam et creationem tuam, et sufficiet hoc tibi ut modestus perpetuo sis et humilis. Propterea justus ille Abraham continuo cogitationem hanc mente versabat, nec unquam de se magnifice sentiebat. Certe cum Deum alloqueretur, ac tanta apud eum gratia valeret, atque ab ipso testimonium suæ virtutis accepisset, dicebat : « Ego autem sum terra et cinis [1]. » Alius rursus hominem arrogantia inflatum cum vellet reprimere, non longum sermonem instituit, sed animum ejus tantum ad naturæ suæ memoriam revocat, eumque acriter castigat his verbis : « Quid superbit terra et cinis [2] ? » Tu mihi quæ post mortem apparent commemoras? reprime ipsum viventem : nunc se terram ac cinerem esse non agnoscit. Videt corporis formam; videt potentiam, assentatorum obsequia, parasitos sectantes. Vestibus pretiosis indutus, magno magistratus apparatu decoratur, il-

[1] Gen. XVIII, 27. — [2] Eccli. X, 9.

lum hæc pompa decipit, et ut naturæ obliviscatur, efficit. Scimus terram esse nos ac cinerem : sed nos qui temperantes ac modesti sumus : at ille demonstrationem hanc a fine ductam non expectat, neque ad loculos tumulosque majorum pergit, sed præsentia respicit, neque quidquam cogitat de futuris. Jam ex hoc illum doce terram ac cinerem ipsum esse. Mane tantisper, inquit, neque hoc docebo, sed aliud multo abjectius : ut cum fastu intumuerit, suam ipsius vilitatem agnoscat : ut vivens accipiat medicinam. Cum enim dixisset : « Quid superbit terra et cinis? » adjecit : « Quoniam in vita ad nihilum redacta sunt intima » ejus. » Quid hoc est, « Quoniam in vita ad nihilum re» dacta sunt intestina ejus [1] ? » Obscurum est fortasse dictum illud. Intima dicit intestina, dicit viscera, ventrem stercoribus plenum, ac multis sordibus et fœtore : non quod naturam damnet, sed ut ad humilitatem adducat. « Quoniam » in vita ad nihilum redacta sunt. » Vides quam vilis et fluxa sit nostra substantia? noli diem obitus expectare, ut infirmitatem tuam discas : adhuc viventem hominem scrutare, atque in ejus viscera cogitatione descende, tum videbis quam nihil sit et abjectus. Attamen noli animum despondere : neque enim quod nos odio prosequeretur, sed quod mitius nobiscum ageret, id fecit Deus, magnamque nobis humilitatis occasionem præberet. Nam si homo, cum terra sit et cinis, dicere ausus est : « In cœlum ascendam [2] : » nisi frenum injectum esset naturæ, quo non ejus animus provectus esset? Quando igitur quempiam videris superbientem, erecta cervice, sublatis superciliis, curru vectum, minantem, mittentem in carcerem, morti tradentem, injuriam inferentem, dic illi : « Quid superbit terra et cinis? » Quoniam et in vita ejus ad nihilum redacta sunt intima » ejus. » Hæc non de homine tantum privato, sed etiam de

[1] Eccli. x, 10. — [2] Isaï xiv, 13.

illo ipso, qui in solio sedet regio, dici possunt. Noli enim purpuram, neque diadema, neque aurea vestimenta respicere, sed in ipsam inquire naturam, neque quidquam illam habere amplius quam unam e vulgo videbis : imo vero, si placet, et purpuram, et diadema, et vestes, et omnem illam percurre pompam, atque horum ipsorum rursus terram materiam esse cognosces. « Omnis enim gloria hominis » ut flos fœni [1]. » Ecce vel ipsa etiam terra vilior totus ille apparuit ornatus. Vides ut fastum reprimat? ut arrogantiam omnem ipsius naturæ recordatio retundat? Sufficit tantum ut cogitemus quinam simus, et quibus ex rebus compacti, tum omnis superbia cogitationum evanescet. Propterea namque duabus nos ex substantiis compegit Deus, ut si quando in superbiam efferaris, vilitas carnis te deprimat : si quando autem tibi quiddam veniat in mentem indignum, et quod ab honore a Deo collato degeneret, animæ nobilitas ad cœlestium Virtutum æmulationem te provehat.

VII. Neque vero tantum ad tollendam superbiam est idonea consideratio naturæ, sed etsi alia quævis cupiditas obturbet, sive pecuniarum, sive corporum ista turpis et quæ ad lasciviam provocat, ad perturbationem sedandam hoc sufficit. Cum ergo formosam mulierem videris, cui micantes oculi sunt et hilares, cui nitentes genæ, cujus in vultu eximia quædam appareat pulchritudo, quæ mentem tuam inflammet, et libidinem augeat, cogita terram illud esse quod miraris, cinerem esse quod te accendit, et insanire anima desinet : detege cutem vultus ejus, tum ipsam omnem pulchritudinis vilitatem videbis : ne in superficie consistas, sed interius cogitatione progredere, nec aliud quidquam præter ossa, nervos, ac venas reperies. At non sufficiunt ista ? Cogita mihi mutatam illam, senescentem,

[1] Isaï. XL, 6.

ægrotam, subsidentes oculos, excavatas genas, totum illum florem defluentem : cogita quid admireris, et tui judicii te pudebit. Lutum miraris et cinerem, pulvis te incendit et favilla. Non hæc eo dico, ut naturam accusem : absit : nec ut vituperem, aut tanquam vilem deprimam, sed ut ægrotantibus medicamenta componam. Ideo talem ipsam Deus condidit, adeo vilem, ut et suam virtutem et curam de nobis ostendat, dum naturæ vilitate nos ad humilitatem inducit, omnemque nostram cupiditatem coërcet, ac sapientiæ suæ specimen edit, ut qui etiam in luto possit tantam pulchritudinem exhibere. Dum igitur substantiam parvifacio, tum opificis artem detego. Nam ut statuarium tum magis admiramur, non cum præclaram ex auro statuam exhibuerit, sed cum ex subjecta luti materia perfectam et eximiam imaginem fuerit fabricatus : ita quoque summum artificem Deum obstupescimus et glorificamus, quod in pulvere ac luto pulchritudinem quamdam immensam, et ineffabilis cujusdam sapientiæ specimen in nostris corporibus collocarit. Atque hoc non in corpore solum nostro, sed et in omni præstitit creatura. Nam cum viles passim produxisset substantias, et artis suæ specimen in illis insigne posuit, et substantiarum infirmitatis indicium quoddam immiscuit : ut cum propter artem ac pulchritudinem laudes artificem, tum propter infirmitatem vilitatemque naturæ ac substantiæ, quæ creata sunt non adores. Splendidus est sol, dum affulget, totumque terrarum orbem illuminat : sed cum nox advenerit, deficit. « Quid » enim, inquit, lucidius sole? sed et hoc deficit [1]; » neque vero noctu solum, sed et interdiu. Atque idcirco sæpe interdiu solis defectus intervenit, ut Opificem quidem propter artificium laudes, sed propter imbecillitatem quod creatum est, non adores. Vides hoc cœlum, quale sit

[1] Eccli. XVII, 30.

corpus? quam pulchrum? quam refulgens? quod, si speciem externam spectes, vel ipsis corporibus nostris est præstantius? at expers est animæ. Vides et artis specimen, et indicium infirmitatis? vides utrinque tibi parata præsidia? Nam ut Opificem tanquam imbecillum non damnes, pulchras condidit creaturas : ut autem quæ condita sunt tanquam Deos non adores, ex parte infirma illa fabricatus est. Hæc perpetuo memoria tenete. Ideo Scripturas interpretamur, non ut Scripturas tantum intelligatis, sed ut mores emendetis. Nisi enim hoc fiat, frustra legimus, frustra exponimus. Nam sicut cum in palæstram ingressus fuerit athleta unctus, et pædotribæ manu curaque instructus, si cum certaminis tempus advenerit, artem illam inutilem esse ostenderit, frustra in palæstram introductus est : ita cum huc conveneritis, et luctas omnes, et in lucta nexus diaboli didiceritis, si cum certaminum tempus inciderit, supplantemini, dum vel formosum vultum videritis, vel in superbiam elati fueritis, vel alia prava quapiam cogitatione subacti, frustra in hunc locum ingressi estis. Mementote igitur sermonum, quos non adversus naturam nostram, sed adversus lascivam cupiditatem dixerimus; non ut naturam criminemur, hæc dicimus, sed ut cupiditatem insectemur. Hoc pacto iram reprimite, sic cupiditatem mitigate, sic arrogantiam retundite. « Et erat omnis » terra labium unum et vox una omnibus [1]. » Ecce adhuc propositam quæstionem. Non de hac est sermo, sed quod omnes homines eamdem linguam haberent. Quare vero labium unum linguam vocavit? Scripturæ mos est ita sermones linguam vocare. Id vero fuerit operæ-pretium nosse propter hæreticos, qui Dei opificium accusant, qui corpus malum esse dicunt. Nam quia pravos animi motus per corporis membra Scriptura designat : exempli causa,

[1] Gen. xi, 1.

« Acuerunt linguam suam sicut serpentis : Lingua eorum »gladius acutus [1] : » existimant quidam de lingua dictum esse. Non est autem de lingua dictum : absit, est enim lingua Dei opus; sed de verbis homicidarum, quæ homines jugulant, quæ funestius quam ensis invadunt. « Lin»gua eorum acutus : » et rursus. « Labia dolosa in corde, »et corde locuta sunt mala [2] : » non de membro corporis loquens, sed de subdolis verbis. Ita cum hoc loco dixisset, « Et erat omnis terra labium unum, » non hoc docuit omnes homines unum labium habuisse, sed labium vocem appellavit. Cum enim dixisset : « Erat omnis terra labium »unum, » subjunxit, « Et vox una omnibus. » Ita cum dicit : « Sepulcrum patens est guttur eorum [3], » non guttur accusat, sed mala verba, quæ inde ascendunt, mortua dogmata. Hoc enim sepulcrum est mortuorum ossium corporumque receptaculum : talia sunt et illorum ora, qui Creatorem accusant; talia sunt eorum hominum ora, qui turpia verba proferunt, qui convitiantur, qui ex suo gutture fœtida pravaque verba profundunt.

VIII. Bono illud odore comple, mi homo, non fœtore : thesaurum illud regium, non satanicum sepulcrum effice. Quod si sepulcrum sit, saltem occlude, ne fœtor exeat. Pravæ tibi sunt cogitationes? ne verbis illas proferas : sine deorsum jacere, tum cito suffocabuntur. Homines sumus, sæpe multa prava, fœda, turpiaque consilia mente versamus; sed ne cogitationes in verba progredi sinamus, ut deorsum compressæ imbecilliores reddantur et pereant. Nam sicut ubi quis diversi generis ac feroces bestias in lacum immiserit, si forte superne lacum obturaverit, facile illas suffocat : sin autem illis exeundi vel respirandi facultatem aliquam concesserit, multum illis præbet solatii, neque sinit interire, sed efferatiores multo reddit : ita

[1] Psal. cxxxix, 3, et lvi, 5. — [2] Id. xi, 2. — [3] Id. v, 11.

fit in malis cogitationibus, cum exortæ intus fuerint : si omnem illis viam, ne foras prodeant, intercluserimus, celeriter illas opprimemus : sin autem illas verbis in lucem protulerimus, cum validiores illas reddemus, et quasi per linguam respirandi facultatem illis concedemus, tum ab illa turpium verborum exercitatione in fœdarum actionum barathrum quam celerrime devolvemur. Idcirco non simpliciter sepulcrum vocavit Propheta, sed sepulcrum patens, istud ipsum quod dixi vitio vertens. Non enim seipsum tantum afficit ignominia, qui turpia verba profert, sed et proximos suos, et eos, qui cum ipso versantur, multis sordibus opplet. Et quemadmodum si sepulcra reseremus, civitates peste complebimus : ita si turpia licenter aperiantur ora, cunctos, qui cum illis congredientur, gravissimis morbis inficient. Idcirco januam oportet, vectem, ac frenum ori imponere. Unam itaque tum fuisse linguam, satis a nobis per hæc demonstratum est, reliquum est, ut quam ob causam multæ fuerint invectæ dicamus. Sed interim sermonem ad mores instruendos pertinentem inferamus : doceamus linguam nostram frenum gerere, nec omnia temere proferre, quæ in mentem venerint, non fratres accusare : non mutuo nos mordere ac devorare : pejores sunt illis qui corpora mordent, illi qui verbis id agunt. Illi corpus dentibus mordent, hic animam verbis mordet, existimationem vulnerat, immedicabile vulnus infligit : quapropter tanto graviori supplicio plectetur, quanto graviori morsu invadit. Neque vero tantum idcirco veniam non impetrabit is qui accusat, sed etiam quod neque justum nec injustum possit improbitati suæ prætextum obtendere. Nam alia quidem peccata licet causas habeant a ratione tamen alienas, habent tamen : utpote scortator libidinem explet, fur paupertatem solvit, homicida iracundiam sedat, maledicus nullam potest occasionem af-

ferre. Quam enim, quæso, pecuniarum copiam acquirit? quam libidinem explet? nihil aliud est, quam invidiæ materia : cui nulla suppetit justa causa nec injusta, propterea nulla venia digna censetur. Vis accusare? utilem tibi materiam præbeo : vis maledicere? maledic tuis peccatis? « Dic enim, inquit, tu peccata tua prior, ut justificeris [1]. » Vides maledicentiam, quæ coronam, et laudem, et testimonium justitiæ refert? Rursus, « Justus in principio ser» monis accusator est sui [2], » non alterius. Si alterius fueris accusator, punieris : si tui ipsius, coronaberis. Atque ut intelligas quantum sit bonum delictum suum accusare, « Justus in principio sermonis, inquit, accusator est sui. » Verum si justus est, quomodo accusator? si accusator, quomodo justus? justus accusationi non est obnoxius. Sed ut scias, licet peccator sit aliquis, si accuset peccata sua, justum eum accusatione sua fieri, propterea dixit : « Justus » in principio sermonis accusator est sui. » Quid porro est « In principio sermonis? » Diligenter attende. In judiciis duæ sunt partes, una eorum qui deferunt, altera eorum, qui deferuntur : una eorum qui accusant, altera eorum qui accusantur : hi rei sunt, illi non sunt rei : principium sermonis accusatori conceditur, qui reus non est. Hic vero contrarium est agendum. Tu qui reus es, sermonis initium præripe, ut reus esse desinas : ne accusatorem expectes. Tametsi es inter reos, prius tamen, quam ab illo tale quidpiam audias, ipse quæ a te peccata sunt defer. Machæra quædam acuta est lingua : verumtamen cæteris vulnera non infligamus, sed ulcera nostra reseremus. Vis scire morem fuisse justorum, ut aliis non maledicerent, sed sibi ipsis? audi Paulum clamantem : « Gratias ago ei, » qui me confortavit, Christo, qui fidelem me existimavit, » ponens in ministerio : qui prius blasphemus fui, et per-

[1] Isaï. XLIII, 26. — [2] Prov. XVIII, 17.

» secutor, et contumeliosus [1]. » Vides quo pacto in seipsum maledicta conjiciat? et rursus : « Christus venit in » mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego » sum [2]. » Et alibi rursus, « Non sum dignus vocari Apos- » tolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei [3]. »

IX. Vides quo pacto ubique sibi maledicat? Novit quippe quæ hujus maledicentiæ sit utilitas, quod justitiam pariat. Quando igitur ut seipsum accuset opus fuerit, tum copiose accusationem instituit : quando autem viderit de alienis malis judicantes, vide quanta cum severitate os illis occludat his verbis utens : « Itaque nolite ante tempus » quid judicare, quoadusque veniat Dominus, et illumina- » bit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cor- » dium [4]. » Illi judicium reserva, qui secreta mentis novit : quamvis accurate novisse te res proximi arbitreris, fallitur judicium tuum. « Quis enim scit, inquit, quæ sunt homi- » nis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est [5]? » Quam multi ex hominibus abjectis ac vilibus sole clarius refulsuri sunt? quam multi ex magnis et illustribus nihil aliud quam pulvis esse ac sepulcrum dealbatum reperientur? Audisti qua ratione maledicta in se conjiceret Paulus, qui tam vehementer et copiose peccatorum, quorum rationem nullam redditurus erat, assidue meminisset? Nam ante baptismum blasphemus, et contumeliosus fuit, illa vero peccata delevit baptismus : attamen eorum meminit, non quod eorum rationem sit redditurus, sed ut Dei benignitatem ostendat, et qualis esset, cum ab ea fuit in alium transmutatus et ex persecutore factus Apostolus. Quod si peccatorum ille, quæ deleta fuerant, meminit, multo magis post baptismum nos oportet meminisse. Qua enim poterimus excusatione uti, qua digni videri, cum ille assidue

[1] 1 Tim. I, 12, 13. — [2] Ibid. 15. — [3] 1 Cor. XV, 9. — [4] Id. IV, 5. — [5] Id. II, 11.

meminerit eorum, quæ judicio non sunt obnoxia, nos vero quorum rationem reddituri sumus, ea nec in memoriam nobis revocemus, sed propriis neglectis in aliena mala curiosius inquiramus? Audi Petrum dicentem : « Exi a »me, quia vir peccator sum [1]. » Audi quo pacto Matthæus quoque priorem suam vitam accuset, et se publicanum appellet, neque divulgare priorem suam vitam erubescat. Nam cum post baptismum nullius se criminis accusare possent, eorum quæ ante patrarant, meminerunt, ut nos docerent alienorum malorum nullam habere rationem, sed propria curare, ac semper in animo volutare. Nullum enim est, nullum aliud tale ad peccata tollenda remedium, atque illorum assidua recordatio, ac perpetua eorumdem accusatio. Ita publicanus innumera potuit abjicere mala, ut diceret : « Deus propitius esto mihi peccatori [2] : » ita Pharisæus omni justitia excidit, quod omittens secum animo reputare quæ peccasset, totum orbem terrarum condemnaret dicens : « Non sum sicut cæteri hominum, rap»tores, injusti, adulteri, neque ut hic publicanus [3]. » Idcirco Paulus admonebat dicens : « Opus autem suum »unusquisque probet, et sic in semetipso tantum gloriam »habebit, et non in altero [4]. » Vis discere quo pacto in Veteri quoque Testamento justi seipsos accusarint, audi etiam istos illis consentanea loquentes. Nam David quidem dicebat : « Iniquitates meæ supergressæ sunt caput »meum, quasi onus grave gravatæ sunt super me [5]. » Esaïas vero clamat : « Hei mihi, quia homo cum sim, et »immunda labia habens [6] : » et tres pueri, cum in fornace versarentur, et propter Deum morti corpora tradidissent, inter ultimos peccatores seipsos numerabant dicentes : « Peccavimus, inique egimus [7] : » tametsi quid illustrius

[1] Luc. v, 8. — [2] Id. xviii, 13. — [3] Ibid. 11. — [4] Galat. vi, 4. — [5] Psal. xxxvii, 5. — [6] Isaï. vi, 5. — [7] Dan. iii, 29.

illis, quid mundius fuit? quamvis enim peccata nonnulla commisissent, omnia tamen absterserat flammæ natura. Verum ad propria recte facta non respiciebant, sed peccata secum reputabant. Sic et Daniel post lacum leonum, post innumera supplicia quæ sustinuerat, ipse quoque seipsum accusabat, proximum vero nemo. Quid ita? quia nimirum is, qui cæteros maledictis incessit, Dominum offendit : qui vero maledicta conjicit in seipsum, placat illum ac reconciliat sibi, et justiorem reddit justum, et peccatorem crimine liberat, ac venia dignum reddit. Quæ cum ita nota sint nobis, ne in aliena, sed in nostra mala curiosius inquiramus, excutiamus conscientiam nostram : vitam omnem nostram reminiscendo recognoscamus, quæ a nobis peccata sunt accurate scrutemur, et non modo cæteros maledictis non incessamus, sed neque cæteros maledictis incessentes audiamus. Nam et huic rei crimen ac supplicium maximum est paratum : « Auditionem enim, » inquit, vanam non suscipies [1]. » Non dixit : « Auditioni vanæ minime credes, sed ne suscipies quidem illam : aures obtura, criminationi aditum omnem interclude, neque minus inimicum et hostem esse te illius qui maledicit, quam sit ipse, qui accusatur, ostende. Imitare Prophetam, qui sic infit : « Detrahentem secreto proximo suo hunc » persequebar [2]. » Non dixit : « Non credebam, » neque, « Non approbabam quæ dicebantur, sed etiam tanquam inimicum et hostem repellebam. »

X. Sed sunt nonnulli qui frivola quadam consolatione se consolantur dicentes : « Domine, ne statuas mihi hoc peccatum, quia rationem reddere auditionis debeo. » Quid hac excusatione? quid hac venia est opus? Tace modo, et omni crimine liberaris : nihil dicas, et ab omni trepidatione immunis eris : cur tibi et apud Deum et apud homines nego-

[1] Exod. XXIII, 1. — [2] Psal. C, 5.

tium facessis? cur teipsum criminibus obnoxium reddis? Cur sarcinam graviorem imponis? non sufficit tibi, si de propriis delictis rationem reddas, sed et alia peccata tibi accumulas? supervacanea est hæc excusatio : non auditionis reddere rationem debes, sed accusationis reddendæ rationi es obnoxius. Cum enim, postquam audieras, non silueris, non auditionis solum, sed etiam accusationis reddere rationem debes. « Ex verbis enim tuis justificaberis, » inquit, et ex verbis tuis condemnaberis [1]. » Hæc ego non propterea dico ac denuntio, quod iis timeam, qui male audiunt, sed iis qui maledicunt. Nam qui male audivit nulla contumelia, neque damno est affectus; sed si falsa sint, quæ de illo dicuntur, etiam mercedem refert : sin vera, ne sic quidem accusatio tua notam ignominiæ ullam inussit. Neque enim ex vituperio tuo tum judex in illum sententiam feret. Quod si mirum quid et insolitum dicendum est, maximum etiam quæstum faciet, si convitia patienter ferat, ut fecit publicanus. At is qui maledicit, seu vera sint, seu falsa, quæ in proximum conjicit maledicta, maximo damno afficitur. Et calumniatorem quidem periisse, nulla est opus demonstratione : sibi vero illum gravius judicium accersere, licet vera dicat, dum miserias proximi divulgat, et scandalorum causam præbet, omnibus ea detegens, quæ occultanda fuerant, et proximi peccata prædicat, omnibus utique manifestum est. Nam si qui unum scandalizaverit, inevitabiles pœnas dabit, is qui innumeros rumore malo sparso scandalizat, quo non supplicio plectetur? Pharisæus enim non mentiebatur, sed vera dicebat, dum Publicanum vocabat publicanum, attamen pœnas dedit. Hæc igitur scientes, dilectissimi, maledicentiam fugiamus : neque enim gravius est isto nec facilius peccatum. Quid ita? quod celerius, quam ullum aliud peccatum feratur, et confestim eum

[1] Matth. xii, 37.

qui non attendit abripiat. Nam alia quidem peccata tempore indigent, et impensa, et dilatione, et adjutoribus, ac sæpe aliqua temporis mora interrumpuntur. Exempli causa : statuit aliquis interficere, statuit aliquis furari, et aliena rapere : multa necesse est moliatur, et sæpe dum differt, iram sedat, a pravo conatu resilit, sceleratam illam sententiam abjicit, neque consilium ad opus perducit. At in maledicendo non ita fit, sed nisi attenti valde simus ac vigiles, facile abripimur : et neque tempore, neque dilatione, neque impensa, neque molitione nobis ulla est opus, ut maledicamus : sed sufficit ut tantum velimus, et statim voluntas in opus exit. Sola quippe lingua est quæ inservit. Quando igitur velox est malum, et facile nos circumstans peccatum, et pœna gravis ac supplicium, nec lucrum ullum, non parvum, non magnum, diligenter hunc morbum fugiamus, et aliena mala tegamus, neque propalemus : admoneamus peccantes, ut dicit Dominus; « Si peccaverit in »te frater tuus, vade, et corripe eum inter te, et ipsum so»lum [1]. » Itaque quanto minus fuerit publica reprehensio, tanto facilius medicinam adhibebis. Ne mordeamus, neque arrodamus aliena vulnera, ne muscas imitemur, sed apes æmulemur. Muscæ vulneribus insident, eaque mordent : apes in flores involant. Idcirco istæ favos concinnant, illæ morbos corporibus invehunt, quibus insederint, atque hæ quidem detestandæ sunt, illæ vero amabiles sunt et nobiles. Et nos igitur faciamus ut in pratum virtutis Sanctorum anima nostra involet, et suavem recte factorum odorem ab illis effusum excitemus, proximorum vero vulnera ne vellicemus : quinimo si quos id agentes viderimus, os illis occludamus, supplicii metum illis objiciamus, et cognationis illis memoriam refricemus, quæ illis cum fratribus intercedit. Quod si nihil horum illos moveat, muscas illos

[1] Matth. xviii, 15.

appellemus, ut hujus saltem appellationis probro a pravo hoc instituto revocentur. Ut ab hoc inutili otio abducti malorum suorum inquisitioni otium omne impendant. Sic enim fiet, ut et qui lapsi sunt resurgant excitati memoria suorum criminum, quæ nequaquam fuerint divulgata, et qui propria mala semper animo secum reputaverint, facile illa deponant, ac peccatorum suorum recordatione ad alia patranda tardiores reddantur, et qui Sanctorum virtutem perpetuo fuerint contemplati, majori zelo ad eorum imitationem incendentur : atque his omnibus efficietur, ut toto Ecclesiæ corpore a nobis feliciter instaurato, cum hoc cœtu in regnum cœlorum intrare possimus. Quod utinam nobis omnibus assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo gloria una cum Spiritu sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

CONSTANTINOPOLITANI

ARCHIEPISCOPI,

DE UNO ET EODEM LEGISLATORE UTRIUSQUE TESTAMENTI.

HOMILIA.

Unum et eumdem esse legislatorem et Veteris et Novi Testamenti : Item de veste sacerdotali : necnon de Pœnitentia.

Regni Christi Evangelium Prophetæ prædicant : ministri vero novæ gratiæ illud ipsum interpretantur : divinæ autem doctrinæ auditores, amatores, atque laudatores, id ipsum amplectuntur. Neque enim fieri potest ut quis sermone veritatis oblectetur, qui doctrinæ sermonem non avidissime expetat. Quemadmodum enim, si quis neque sitiat, neque esuriat, nullam ex cibo potuque voluptatem capit : sic veritatis verbo nemo delectatur, qui Spiritus sancti doctrinam non sitit. Itaque Servator ait : « Beati qui esuriunt et » sitiunt justitiam, quoniam ipsi satiabuntur [1]. » Verus animarum cibus, veræ piorum deliciæ, veræ piorum divitiæ,

[1] Matth. v, 6.

sermo Dei est, qui per davidica oracula loquitur : interdum, velut dives, gloriatur : interdum deliciatur, et ait : « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel et fa» vum ori meo [1]. » Hæc quidem ejus, qui deliciis fruitur, vox est. Nam Dei verbum ipsi deliciæ erant. Qua de re alibi sæpe : « Delectare in Domino, et det tibi petitiones » cordis tui [2]. » Aliis vero in locis non ut qui deliciis frueretur tantum, sed ut prædives, divitias legis ostentat, dicens : « Bonum mihi lex oris tui super millia auri et ar» genti [3]. » Vides-ne delicias pietatis, et divitias justitiæ? Ergo et nos par est, siti et fame rerum divinarum teneri, et deliciis, e regia Christi mensa, uberrime exsatiari, Evangeliumque salutis amplecti quod non nunc primum cœpit : sed in Prophetis fundatum atque a sanctis Apostolis exædificatum est. Neque enim ab eo tempore, quo Christus in carne apparuit, Evangelium incœpit : sed multo ante in propheticis libris radices egit, tandemque Apostolorum prædicatione effloruit. Ideo Paulus, cum propositum haberet demonstrare Evangelium non ab incarnatione incœpisse, sed per Prophetas eluxisse, per incarnationem idipsum loquitur : « Paulus servus Jesu Christi, vocatus Apostolus; » segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per » Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo qui factus » est ex semine David secundum carnem [4]. » Non ignorabat Paulus Vetus et Novum Testamentum individuum esse : eamque ob causam illud interdum Testamentum Novum appellat, ut demonstret quomodo fines orbis terrarum sint renovati. (Non ignoro hæc alibi a nobis fuisse explicata, sed tamen hic, ut memoriam vestram refricem, repeto) ; Vocat etiam Testamentum Novum, ad distinctionem inveterati indicandam : præstantius scilicet, ad distinctionem

[1] Psal. cxviii, 103. — [2] Id. xxxvi, 4. — [3] Id. cxviii, 72. — [4] Rom. 1, 1-3.

inferioris : æternum, comparatione facta ad temporale. Sed et secundum Testamentum ipsum vocat. Quid ita secundum? Ut mutua sententiarum connexione unum efficiat. Nam quod abscissum ab aliquo est, secundum non appellatur. Quoniam vero Deus oracula sua edidit et in primo, et in secundo, idem ille Paulus primum et secundum vocat : atque numero convenientiam utriusque et consensum declarat. Idcirco Paulus, qui indivisum Patris, et Filii, et Spiritus sancti regnum prædicat, modo Evangelium Dei Patris, modo Filii appellat. « Paulus servus Jesu Christi, » vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei [1]. » Verum ne quis, cum audiat illud, « Evangelium Dei, » arbitretur Filium nullam ad prædicandum auctoritatem obtinere, in eadem Epistola paulo post ait : « Testis enim mihi » Deus, cui inservio in spiritu meo, in Evangelio Filii ejus [2]. » Vides-ne præconis hujus mirum ingenium, et sententiam perfectam? Ne existimaretur in lege quidem alii Deo servire : in Evangelio vero ad alium Deum secessionem facere, inquit : « Benedictus Deus, cui servio a majoribus in con- » scientia pura [3]. » Non enim, inquit, ab alio ad alium secessi : sed quem inscius colebam, ejus cognitione imbutus, complexus sum. Et alibi cum docere vellet, oracula Testamenti Veteris et Novi ab eodem ore eodemque Domino profecta esse, unum testimonium petit a Testamento Veteri, cui evangelicam sententiam annexuit, cum ait : « Scrip- » tum est : Non obturabis os bovi trituranti [4], » et, « Dignus » est operarius mercede sua [5] : » quorum illud, « Non obtu- » rabis, » Mosis est : hoc, « Dignus est operarius mercede » sua [6], » Christus in Evangeliis effatus est. At ille, ut planum faceret ab uno et eodem ore hæc et illa edita esse oracula, ideo quæ distinctis temporibus pronuntiata fue-

[1] Rom. 1, 1. — [2] Ibid. 9. — [3] 2 Tim. 1, 3. — [4] Deut. xxv, 4. — [5] 1 Cor. ix, 9. — [6] Matth. x, 10.

rant, ob veritatis consensionem copulavit, cum ait : « Scrip-» tum est : Non obturabis os bovi trituranti : » et, « Dignus » est operarius mercede sua. » Hujus evangelicæ harmoniæ imaginem, retia illa Petri, quæ hodie in conspectu vestro laxata sunt, exhibent. Neque enim semel Petrus tantum retia laxavit : sed si historiam spectes, semel tantum : sed vi et efficacia sæpe. Quoties enim Evangelium prædicatur, nihil ego aliud intueor, quam Petrum et Andream, et totum illum chorum apostolicum, evangelicum illud rete laxantem.

II. Et erat sane novum spectaculum Servatorem in mari conspicere, et auditores in littore consistentes : mira res : pisces in terra, piscator in mari versabatur. Immissio illius retis imago erat doctrinæ evangelicæ. « Reperit, inquit, » piscatores lavantes retia [1], » ut qui omnem capturæ spem abjecissent. Piscator enim, nisi desperet se aliquid piscium posse capere, rete non lavat. Itaque reperit ipsos Servator retia lavantes : ut qui nullos sese pisces capere posse confiderent, et dominus piscationis astat, et quid facit? Primum quidem doctrinam veritatis illis proponit : hinc jubet rete laxari. Cum enim verba sine operibus demonstratione carerent, oportebat doctrinam factis confirmare. Nam Deo jubente, quæ nuspiam reperiuntur invenies, et quæ non sunt, capies. « Laxate, ait, retia vestra [2]. » Cui Petrus : « Magister, per totam noctem laborantes, nihil cepimus, » sed in verbo tuo laxabo rete [3]. » Admiror Petri fidem, qui prima ut desperata haberet, et nova crederet : « In verbo » tuo laxabo rete. » Cur, « In verbo tuo, » ait? « Quoniam » verbo ejus cœli firmati sunt [4], » et terra fundata est, mare separatum est : homo propriis suis floribus coronatus est, et omnia verbo tuo constiterunt : ut ait Paulus : « Qui por-

[1] Matth. IV, 21. — [2] Luc. V, 4. — [3] Ibid. 5. — [4] Psal. XXXII, 6.

» tat omnia verbo potentiæ suæ [1]. In verbo tuo laxabo rete.» Et verbum illud quidem rete antecessit : nec pisces adsunt. Nam licet affuissent, ob tumultum eorum qui piscabantur, fuissent dilapsi. Sed descendit verbum ejus, « Qui vocat ea » quæ non sunt, ac si essent [2] : » potentia ejus qui jubebat, prius quam rete mare subiit : et magna vis piscium coacta est. Imago hæc fuit universalis Ecclesiæ. Rumpebatur rete : annuerunt sociis, qui in alia navicula erant, ut venirent, et sibi auxiliarentur [3]. Oportebat enim naves duas concurrere ad illam piscationem. Nisi enim Prophetarum chorus apostolicæ manui adsit, et opituletur, et nisi oraculis Prophetarum Apostolorum eventus respondeat, non capimus quæ venamur. Itaque cum Servator demonstrare vellet hanc piscationem imaginem esse Ecclesiæ, ut Petrum erudiret, hoc exemplo acuit et incitavit ad fortitudinem, ac dicit ipsi : « Ne metuas, ab hoc tempore, homines eris ca- » piens [4]. » Ab hoc tempore, quo potentiæ meæ coram vobis periculum factum, idque vobis cognitum et plane perspectum est, etiam bruta verbo meo obedire, omniaque nutum meum sequi. Hoc idoneo exemplo ob oculos posito, deinceps capiendis hominibus operam dato. Neque enim dicit : « Homines piscaberis, » sed « Homines vivos capiens eris. » Siquidem pisces vivi ad mortem solent capi, homines vero capiuntur, ut a morte ad vitam transeant. Itaque ait : « Ab hoc » tempore homines eris capiens. » Sed cur ait illi : « Ne me- » tuas? » Esto promissum splendidum fuerit, cur ait : « Ne » metuas? » Quia illi in mentem venit priorum peccatorum, Dominus ait : « Ne metuas te ipsum, tanquam peccatorem : sed deinceps, teipsum consideres ut Apostolum, qui dominico imperio orbem quasi sagena complecti juberis. Hanc vocem, « Ne metuas » quisque ex Christo audiat, « Ne

[1] Hebr. 1, 3. — [2] Rom. IV, 17. — [3] Luc. V, 6, 7. — [4] Ibid. 10.

» metuas : » modo ab hoc tempore pœnitentiam agat. Ergo rete illud, ut ordinem rerum explicandarum prius institutum prosequamur, imago fuit evangelicæ Servatoris doctrinæ. Hoc autem Evangelium modo Paulus Evangelium Justitiæ, modo Evangelium Pacis, aliquando Evangelium Potentiæ appellat. Quia enim prædicationis illa gratia poterat bella auferre, seditionesque hominum circa pietatem non consentientium dissipare, quia omnes ad salutem invitat, Evangelium justitiæ dicitur : quia vero dæmonum bella sedat, Evangelium pacis appellatur : ac quia Dei cognitionem verbis vilibus promulgat, Evangelium potentiæ dicitur. Audi Paulum dicentem : « Non erubesco Evange» lium : virtus enim Dei est ad salutem omni credenti [1]. » Potentia siquidem tum demum vere elucescit, cum is qui prædicat, non humana rationum serie usus, terminos orbis obtinet ; ut Servator Paulo dicit : « Sufficit tibi gratia mea : » virtus enim mea in infirmitate perficitur [2]. » Neque enim magnum quidpiam hoc fuisset, si Christus nuda sua Divinitate orbem illustrasset : sed hoc mirum, quod corpore suo impassibilem et incorpoream ostenderit gloriam. Neque illud admirabile, si vivus et vivifica gloria resplendens, orbi vitam restituisset : sed potentia verbi est quod morte mortem tollat et per contumelias immortali gloria refulgeat. Alibi etiam Paulus Evangelium pacis appellat : « Præ» parate, ait, pedes vestros in præparatione Evangelii pa» cis [3]. » Alibi Evangelium justitiæ nominat, cum ait : « Non » enim erubesco Evangelium : Justitia enim Dei in ipso re» velatur [4]. » Quid est justitia Dei? Posteaquam lex prima solis Judæis fuit data, Evangelium vero omnibus, Evangelium justitiæ appellat. Siquidem Deus justus, qui omnes peræque procreavit, omnes peræque illustravit : illudque

[1] Rom. I, 16. — [2] 2 Cor. XII, 9. — [3] Ephes. VI, 15. — [4] Rom. I, 17.

justitiæ erat, non hos quidem servare, illos vero minime : et hos vocare, illos secus. In Veteri quidem Testamento, vocatio justa non fuit : sed œconomica, quæ justitiæ viam præmunivit. Neque tamen hanc quidem justam, illam vero injustam dixero : sed illam aditum ad hanc patefecisse, et ad hanc apparatum quemdam fuisse. Legem Israëli dedit. Hinc David : « Qui annuntiat verbum suum Jacob, justi- » tias et judicia sua Israël. Non fecit taliter omni nationi, » et judicia sua non manifestavit eis [1]. »

III. Quia ergo uni genti patefecit : hic vero doctrina veritatis tanquam ad staterам appensa, omnibus eam ex æquo communicavit. Adverte quæso : Justitia est omnes ex æquo salvos velle, nec differentiam facere servi aut liberi, barbari aut Græci, mulieris vel viri : sed quod Paulus dicit : « In Christo Jesu, non barbarus, non Scytha : » non mas, non fœmina : nec servus, nec liber [2]. » Vides-ne æqualitatem? Quia enim natura æquales sumus, licet sententiis dissideamus, naturam nostram pristinæ illi pulchritudini restituit. Cum enim Adamus e terra formatus fuit, non alienigena, non Scytha, nec barbarus, nec Græcus, non servus, non liber, non mas, nec fœmina erat. Ex uno siquidem duo illa procreavit. Servitutem non natura genuit, sed liberum arbitrium peperit. Quæ et alia species servitutis est, ad quam, necessitate famis aut captivitatis adigimur. Præter hanc quoque, alia est, quam sponte subimus; ut ancillis in uxores ductis, libertatem vendimus, et nos servitutis jugo subjicimus. Ac prima quidem illa animi quadam pravitate constituta est. Tu vero, unde hæc servitutis originem duxerit, attende. Post diluvium Noë, cum vinum bibisset, nec ut par erat illud temperasset, imperitia quadam inebriatus est : neque voluntatis, sed insciliæ morbum admisit. Et quidem ebrius seipsum denudavit :

[1] Psal. CLXVII, 19, 20. — [2] Coloss. III, 11.

atque unus e filiis ingressus patrem nudum conspectum irrisit. Quid igitur pater jam sobrius ad illum? « Maledictus » Chanaan, servus erit fratribus suis [1]. » Vides peccatum servitutem introduxisse? Hinc Servator : « Omnis, qui pec- » catum facit, servus est peccati [2]. » Postquam ergo Liberator humani generis advenit, veniam peccatis concessit, imo vero sustulit : siquidem radice excisa, fructus simul excidit : vocat Evangelium justitiæ, quod omnes ex æquo homines illustret. Judæi enim arbitrabantur Evangelium, quod per ipsum promulgabatur, ad se solos pertinere. Verum hæc ipsorum expectatio inopinatum eventum sortita est. Hinc igitur davidicum illud : « Suscepimus, Deus, mi- » sericordiam tuam in medio populi tui : secundum nomen » tuum, Deus, ita et laus tua in fines terræ [3]. » Et ut demonstraret quod, misericordiam suam declarare in fines orbis terræ, sit illa justitia, subjecit : « Justitia plena est » dextera tua. » Quotiescumque profundior aliqua et prophetica sese obtulerit quæstio, eam amplectere : non quidem applausu, sed intelligentia : nec simpliciter verborum sonitum admirare, sed sententiam et vim explora. Si enim vere et ex animo divinas laudes celebraveris, maximeque davidicum illud oraculum cantaveris : « Suscepimus, Deus, » misericordiam tuam in medio populi tui : secundum no- » men tuum, Deus, ita et laus tua in fines terræ : Justitia » plena est dextera tua [4] : » simul et divinas laudes celebrans, et sancto Spiritu repletus deprehenderis. Qui enim ingenue et ex animo psallit, animo renovatus, templum Spiritus sancti efficitur. Neque enim parvum quidpiam Psalmorum modulationem existimaveris. Videtur illa quidem aures tantum demulcere, atqui reipsa animum quoque excitat. Sic etiam beatus Eliseus propheta, cum a re-

[1] Gen. IX, 25. — [2] Joan. VIII, 34. — [3] Psal. XLVII, 10, 11. — [4] Ibid.

gibus quibusdam, ut futura prædiceret, rogaretur, ait : « Date mihi virum qui sciat psallere [1] : » qui cum venisset, et psalleret, inquit, Spiritus sanctus super Eliseum cecidit. Quid igitur? Ergo-ne Spiritus sanctus vocibus modulantium oblectatur, et velut incantationibus allicitur, siquidem in Prophetæ animo acquievit? Sufficiebat certe Prophetæ puritas, ut Spiritum sanctum advocaret. Cur ergo dicit : « Date mihi virum, qui psallendi sit sciens? » Non sane ut Spiritus sanctus Psalmorum modulatione oblectaretur, sed ut, illo cantante Propheta, mente renovata, Spiritus sancti adventu dignus efficeretur. Ideoque Spiritum invocat, ut planum faceret, non psalmodia allici, sed animo per modulationem excitato. Neque ille ad psallentem pervenit, sed ad audientem. Oportet itaque Psalmorum vim perscrutari : præcipue vero ejus, qui nobis hodie est recitatus : « Dominus regnavit, exultet terra, lætentur insulæ multæ [2]. » Quomodo ergo illud, « Dominus regnavit, » accipis? num quasi recens ad fastigium illud regiæ dignitatis pervenerit? Si enim dixisset: « Dominus regnat : » sempiternam illius regiam dignitatem notasset. Jam vero dicit : « Dominus reg- » navit. » Dictum est nuper et jam iterum dicetur. Ante Christi adventum, ante Evangelii promulgationem, in naturam nostram imperium obtinebat diabolus, peccatum, mors. Undenam hoc? Paulus explicat : « Quemadmodum » enim regnavit peccatum in mortali nostro corpore, sic » etiam gratia regnabit per Christum [3]. » Ecce peccati regnum. Ubinam diaboli? Audi Servatorem dicentem : « Si » Satanas Satanam expellit, adversus seipsum divisus est : » quomodo ergo stabit regnum illius [4]? » Ecce diaboli regnum? Ubinam mortis. Audi Paulum disserentem : « Regna- » vit mors ab Adam usque ad Mosen, super eos, qui non

[1] 1 Reg. III, 15. — [2] Psal. XCVI, 1. — [3] Rom. V, 12. — [4] Matth. XII, 26.

» peccaverant [1]. » Cum igitur diabolica trias, in sanctam et impollutam Trinitatem, tyrannidem suam exercuisset, scilicet, diabolus, peccatum, mors et diabolus quidem deciperet, peccatum interficeret, mors vero sepeliret, David hac triplici tyrannide oppressis lætum nuntium affert, monetque ut sese ex servitutis jugo subducant, et dominatum Christi, quod prædicabatur, amplectantur : « Do- » minus regnavit. » Regnum mortis abolitum est, et peccati potentia destructa est, et diaboli potestas fracta est. « Do- » minus regnavit, exultet terra. » Et merito sane exultare debuit, quæ quondam in servitutem redacta, jam liberata est : quæ olim erravit, jam gloria resplendet : quæ quondam in sepulcris condita delitescebat, nunc in solio collocata est : quæ quondam ignominia oppressa jacebat, nunc honore afficitur? « Dominus regnavit : » sic etiam alio in loco dicitur. Oportet enim sententias consentaneas inter se in medium afferre : « Dominus regnavit, decorem indutus » est [2]. » Nos veste induimur, ut quidquid naturæ nostræ minus decorum est, occultetur. Quare igitur Deus naturam suam, quæ et corpore vacat, et plena lucis est, imo quæ plus quam lux coruscat, contegit? Sed vocat ille corpus Christi vestem suam : « Dominus regnavit, decorem » indutus est. » Decorem vocat carnem Christi. Erat enim illa sane decora, nec ulla peccati turpitudine fœda. « Neque » enim peccatum fecit unquam, nec inventus est dolus in » ore ejus [3]. Indutus est Dominus virtutem, et præcinxit » se [4]. » Quoniam zona regem exornat : zona autem est indicium regis et judicis : inducit ipsum et regem et judicem; ait enim Esaïas : « Egredietur virga de radice Jessæ, » et flos ex ipsa ascendet, et requiescet super eum Spiritus

[1] Rom. v, 14. — [2] Psal. xcii, 1. — [3] Isaï. liii, 9. — [4] Psal. xcii, 1.

» Dei. Et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinc- » torium renum ejus [1]. »

IV. Hujus ipsius vestis Servatoris, in carne dico, latentem figuram præ se tulit pontifex in lege. Et vero diligenter adverte quomodo umbræ illæ veritatem nobis subindicarint; quomodo item evangelicæ figuræ præluxerint. Leniter loquor, et pro virili me simplicium et imperitorum captui accommodo, ne illi huc vel illuc circumducantur. Pontifex igitur ingrediens in Sancta Sanctorum, induebat vestem talarem, scilicet vestem a capite usque ad pedes demissam, superhumerale, zonam, femoralia, laminam auream, tiaram, hoc est corybantium, et rationale in pectore, et quæ Scriptura ibidem explicat, videreque est. Aliæ figuræ, alii sensus. Neque enim Deus omnino hyacintho et purpura, item cocco et bysso recreatur : Deus enim animarum puritatem postulat : sed in corporeis illis floribus virtutum ille imagines describit. Si enim Deus revera vestitu illo longe ornatissimo delectabatur, cur non Mosen ante Aaronem hoc modo induit? Sed Moses quidem ea veste carebat, eadem tamen sacerdotes induebat. Moses aqua non fuit lotus, et tamen lavabat : non oleo inunctus fuit, et tamen ungebat : nullam vestem sacerdotalem gestabat, sed sacerdotes induebat, ut inde perspicias viro perfecto virtutem ad ornamentum sufficere. A capite igitur sacerdotem contemplare. Namque ipsum vocabulum vestimenti ambiguum est, et de eo controvertitur : græco vero sermone translatum est. Initium ergo fac a capite. Quidnam igitur erat primum? tiaram-ne, vel quid primo nominat? quid post tiaram illam, quasi conciliatricem? Loco tiaræ igitur est habitus totius illius vestis. Quandoquidem pontifex caput erat populi, par erat eum, qui caput esset omnium, in capite ejus rei symbolum exhibere.

[1] Isaï. xi, 1, 2.

Absoluta siquidem et remissa auctoritas ferri nequit : quæ vero sui imperii symbolum impositum gerit, legi subjicitur et paret. Itaque jubet caput minime esse nudum, sed coopertum, ut discat populi caput se caput habere. Idcirco etiam in Ecclesia, cum ordinantur sacerdotes, Evangelium Christi capiti imponitur, ut discat is, qui ordinatur, veram se recipere Evangelii tiaram; atque ut discat, quamvis sit omnium caput, se tamen legibus istis subjici : et eum, qui omnibus imperat, legis imperio subesse; eumque qui omnibus dat mandata, a legibus mandatum accipere. Propterea nobilis vir quidam ex veteribus, cui nomen Ignatius, quique sacerdotio simul et martyrio decoratus fuit, ad sacerdotem quemdam scribens dicebat : » Nihil sine tua voluntate geratur, neque item tu quidquam absque Dei facias voluntate. » Quod igitur impositum haberet Evangelium pontifex, signum est eum esse sub potestate constitutum. Propterea dicit Paulus de muliere quæ velamen habebat : « Mulier debet habere velamen su- » per caput [1], » quod erat imago potestatis. Erat igitur tiara figura potestatis : erat aurea lamina, in qua erat exarata Scriptura, quæ Dei nomen exprimebat, ac primum indicat potestatem esse Dei nomen Dei. Post tiaram et laminam duo lapides supra humeros erant smaragdini, quorum alter hinc sex tribus, totidem alter ex altera parte continebat. Signum porro hoc est sacerdotalis aspectus : attribuit autem sacerdoti smaragdum, cui duplex inest pulchritudo : habet enim et decoram virilitatem et puritatem instar speculi radiantem. Quoniam igitur sacerdotem pia exercitatione sobrium esse oportet, et vitam suam vulgo tanquam speculum exhibere, sacerdotem vult in humeris virtutis imaginem gestare. Quare vero in humeris? Quia nomen Dei supra caput erat, articulus super articulum. Cur au-

[1] 1 Cor. xi, 10.

tem in humeris? Quoniam actionum est signum. Actionis enim potentia ab humeris dependet. Vult igitur veritatis pulchritudinem in actionibus enitere. Propterea sic alloquitur aliquando Jerusalem Dominus : « Pone cor tuum su» per humeros tuos, filia despecta, quoniam creavit Dominus » salutem [1]. » Manus et humeros pro actionibus accipit Scriptura, ut cum de Davide dicit : « Et in intellectibus manuum » suarum deduxit eos [2]. » Numquid in manibus est intellectus? Sed in intellectibus dicit ipsarum actionum. Et in pectore accipiebat sacerdos oraculum, in quo duodecim erant lapides insculpti, hoc est, sardius, topazius, smaragdus, carbunculus, sapphirus, jaspis, hiacynthus, achates, amethystus, chrysolithus, berillus, onychinus. In duodecim lapidibus duodecim tribus dividebantur : grave dictum. Supra quidem in humeris una lapidum erat natura uno designata nomine, smaragdus; in pectore autem infra lapides diversi. Quid hoc sibi vult? Quandoquidem una nos natura procreavit, diversa vero nos consilia et opiniones diviserunt, hoc quidem opinioni tribuit, illud vero naturæ. Erat igitur Dei nomen virtus in actione posita, quæ per rationem ac veritatem subsistit. Et in fimbria sacerdotis, quæ dicitur ora, flores mali punici, mala punica aurea, et tintinnabula. Quid hæc in sacerdote sibi volebant? Numquid Deus his floribus delectabatur? num terrenis floribus cinctum esse sacerdotem volebat? Sed in vestitu sacerdotis virtutes effingit. Supra quidem in capite nomen Dei; in pectore oraculum : infra vero flores et fructus, virtutum recte facta, quæ sunt eleemosyna, justitia, benignitas.

V. Nos igitur habere oportet et florentes pulchritudines et completas atque maturas. Flores porro sunt sacerdotis, congressus, colloquium, boni mores, mitis sermo,

[1] Jer. xxxi, 21. — [2] Psal. lxxvii, 72.

fides, fama, veritas, justitia; et his interjecta tintinnabula, consensio nimirum bonorum operum. Omnis enim virtus sonum quemdam edit. Unde Paulus ait : « A vobis enim » sermo Dei personuit [1]. » At undenam incœpit sonus? « Circuibat Jesus, ait, docens omnem civitatem et om- » nem vicum, et curans omnem morbum, et omnem infir- » mitatem in populo [2] : » et exivit sonus de eo in omnem terram. Attende diligenter. Virtutum ornatum vidisti? Ille ipse sacerdos Christi figura erat : hic quidem nihil velut per allegoriam explicaremus, nisi Paulus nobis ansam præberet : et nisi Paulus vim illam justitiæ nobis explicasset, nos sane hæc nunquam assequi potuissemus. Hanc ob rem Paulus hunc sacerdotem Christi figuram proponit, et ait : « Non enim in sancta manufacta introivit Christus, » exemplaria verorum : sed in ipsum cœlum, ut appareat » nunc vultui Dei pro nobis [3]. » Atque hæc quidem res seditioni inter Judæos occasionem præbebat, ita ut de inusitata inter se quæstione contenderent : cum enim Apostoli Servatorem, et regem, et sacerdotem, et prophetam prædicarent, Judæi inter se contendebant, allatis in medium iis, quæ in lege ipsorum scripta erant. Alia, dicebant, tribus regni : et alia sacerdotii. Levitica quidem, sacerdotii, tribus vero Juda, regni. Si igitur Christus rex, ergo non sacerdos : sin vero sacerdos, ergo non rex. Adversus quos Paulus agens, omni oratione ad evertendam hanc opinionem comparata, ait : « Num igitur Christus secundum sacerdotii vestri ordinem surrexit? Apud vos quidem regnum et sacerdotium distincta sunt : in Christo utrumque conjunctum est. « Tu enim, ait, sacerdos » es in æternum, secundum ordinem Melchisedech [4]. » Itaque ratiocinatur Paulus, et ait : « Si enim primum illud sa-

[1] 1 Thess. 1, 3. — [2] Matth. IX, 35. — [3] Hebr. IX, 24. — [4] Psal. CIX, 4.

cerdotium erat irreprehensibile, quid oportebat dicere, secundum ordinem Melchisedech, sacerdotem surrecturum, et non secundum ordinem Aaron [1]? « Etenim translato sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat [2]. » Ergo Servator noster summus est pontifex, non ratione Divinitatis suæ, sed ob figuram carnis : in supernis ad dexteram Dei considens propter nos, et summus pontifex secundum ordinem Melchisedech. « De quo multa dici possent, sed non sunt hujus loci. Animum adhibe, quæso. Erant in lege veteri holocautomata, erat sacrificium pro peccato, erat oblatio. Servator autem, ubi in hunc mundum advenit, sacrificiis illis figuras referentibus finem imponit, proprio suo corpore pro omni sacrificio substituto. De quo Paulus : « Et ingressus in mundum, dicit : Sacrificium » et oblationem noluisti : corpus autem aptasti mihi : ho» locautomata et pro peccato non postulasti. Tunc dixi : » Ecce venio, in capite libri scriptum est de me [3]. » Paulus ergo, cum de prophetico munere dixisset : « Nec non illud quoque, cum sacrificium et oblationem et pro peccato repudiasses, tunc dixi : Ecce venio : » tollit primum, ut secundum stabiliat. At ubinam sacrificium et oblatio in corpore Christi invenitur? quemadmodum apostolus Paulus testatur : « Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, » ut tanquam filii dilecti ambuletis in charitate : quemad» modum et Christus dilexit nos, et semetipsum pro nobis » dedit sacrificium et oblationem Deo, in odorem suavita» tis [4]. » Propter te, Christus summus est pontifex; propter seipsum, Deus. Noli mutare verba Dei vivi : in Patrem, Filium, et Spiritum sanctum baptizatus es : cur, sublatis nominibus viventibus, inducis nomina excogitata, dicens : « Ingenitus et genitus, creatus et increatus, qui semper est

[1] Hebr. v, 11 et seqq. — [2] Id. vii, 11. — [3] Id. x, 5-7, et Psal. xxxix, 7, 8. — [4] Ephes. v, 1, 2.

et qui semper non est? » Hæccine Deus inania verba tolerat? Unicum vocabulum cum aliquando Propheta immutaret, etiam de vita periclitatus est : attende unius voculæ accurationem. Quidam Prophetarum verba imperitia quadam appellabant sumptionem λῆμμα Domini. At Deus per Jeremiam : « Si interrogabit te populus, vel sacerdos, aut Pro» pheta, et dixerit tibi? Quænam sumptio λῆμμα? dic ipsis. » Vos estis sumptio Domini. Rapiam enim vos rapinam, et » rumpam vos, ne deinceps dicatis sumptionem[1] : » si itaque unum verbum immutetur, Deus comminatur : tu vero integerrimorum dogmatum accurationem pervertis? Patris nomen circumscribis; Filii dignitatem inficiaris, sancti Spiritus gloriam abrogas? Num manus Dei effugies? grave est et horribile verbum Dei vivi Domini Dei nostri pervertere. Si verba aliqua pervertantur, Deus indignatur, et dogmatibus subversis, non irascetur? Tu-ne Servatore sapientior? Tu-ne Evangelio accuratior? Pertimesce judicium Dei; illud tremendum nomen reformida; malitiam aversare; pœnitentiam tibi propone, et fides salutem tibi spondet. Pœnitentia enim salutem parit, et iis, qui in hæresi versantur, quique adeo in aliis peccatis volutantur.

VI. Pœnitentia radix pietatis est. Resipiscamus ergo, Deumque per pœnitentiam exoremus, ut bella auferat, barbaros extinguat, hostium incursiones ad nihilum redigat, et nobis omnibus bonis libere frui concedat. Cum quis ex animo pœnitens ad Deum sese contulerit, pœnitentia Deum admodum placat. Exempli gratia : Peccavit aliquando populus : « Pœnituit, flevit, inquit Deus, audiens audivi » gemitum Ephraïm lamentantis et dicentis : Castigasti me, » Domine, et non emendatus sum, sed factus sum velut » vitulus petulans : converte me, et convertar[2]. » Et quid

[1] Jer. XXIII, 33. — [2] Id. XXXI, 18.

Deus ad ipsum? « Eo quod sermones mei in ipso sunt, ne- » quaquam recordabor ejus, et ipsius miserebor[1]. » Ne quis te conterreat, non fama, non cunei barbarorum, et densa nebula : etiamsi hostes nostri innumerabiles sint multitudine, defensor noster longe fortior est. Si de multitudine suspicans, timeas, Eliseus propheta tibi dicit : « Ne metuas, » plures nobiscum sunt, quam cum illis[2]. » Illic quidem barbarorum multitudo, hic Angelorum phalanx est. Nam pro piis hominibus et angelicus exercitus pugnat, et Prophetarum chorus, et Apostolorum potestas, et Martyrum preces. Noli enim existimare Martyres tantum pro nobis orare : quin et Angeli, rebus nostris adversis, pro nobis deprecantur, neque solum deprecantur, sed et responsum a benefico Domino accipiunt. Zacharias propheta ait : « Et » respondit Angelus, qui loquitur in me, et dixit ad Domi- » num[3]. » Hæc autem Angeli fuit precatio : « Domine exer- » cituum, usquequo tu non misereberis Jerusalem, et ur- » bium Juda, quas despexisti : iste jam septuagesimus an- » nus est[4]? » Quid igitur? repudiavit-ne Deus orationem Angeli? Minime id quidem. Quid igitur responsi dedit? « Respondit, inquit, Dominus ad Angelum loquentem in » me verba consolatoria, et sermones consolatorios[5]. » Obsecremus ergo et nos Dominum Angelorum, et legabit unum ex Angelis qui totam phalangem hostium dissipabit. Ego vero et picturam ex cera factam adamavi, pietate refertam. In imagine vidi Angelum, barbarorum illam nubem profligantem. Vidi barbaras gentes conculcari, et Davidem vere exclamare : « Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad » nihilum rediges[6]. » Sed et nunc beatus David de nobis dicat : « Fiat via ipsorum tenebræ et lapsus, et Angelus Do- » mini persequatur ipsos[7]. » Deus varias occasiones, ut

[1] Jer. xxxi, 20. — [2] 4 Reg. vi, 16. — [3] Zach. i, 9. — [4] Ibid. 12. — [5] Ibid. 13. — [6] Psal. lxxii, 20. — [7] Id. xxxiv, 7.

hostes possum eant, procurare novit. Acies illa Sennacherib regis Assyriorum ingens erat, et unus Angelus legatus centum octoginta quinque millia hostium prostravit[1]. Nos homines humanis rationibus omnia eventa metimur, nobiscumque dicimus : « Quid, si in nostris partibus nullus miles inveniatur? Quid, si priusquam exercitus dux veniat, omnes nos devastent? Quid faciemus? » Num igitur quia tu præveniris, prævenietur Deus? Num quia tu non ubique es, Deus non ubique est? Num igitur Deus hoc quidem potest, illud vero non potest? Mare inanimatum ei obtemperavit, et demersit : bruti pisces sese capiendos Petro obtulere, et Angelus, si Deus imperet, omnes veritatis hostes non funditus delebit? Nos tantum sobrie et modeste vivamus : tantum Deum rogemus eique supplicemus. Imperavit apud veteres dux præstantissimus, quem ego communi nomine designo, ut omnibus innotescat. Fuit, inquam, dux alienigenarum Sisara, cujus etiam David mentionem facit : « Fac » ipsis sicut Madian et Sisaræ, sicut Jabim in torrente Cis» son[2]. » Jabim quidem rex erat alienigenarum : Sisara vero dux exercitus. Erant autem ipsi currus ferrei octingenti, et manus infinita. Populus itaque Judæorum extimuit, conspexit ingentes illas copias, et exhorruit. Quid igitur amantissimus hominum Deus per prophetissam Deboram defensori pietatis indicat? « Ne metuas, ait, ecce tradit » tibi ipsum Dominus in manus tuas[3], » nec erit facinus illud manus tuæ, sed manus muliebris. Adverte quomodo Deus arrogantiam coërcuit : viri non sustinuerant, et mulier exercitum duxit. Ingressus est Sisara ad mulierem, quæ Jaël dicebatur, et cum æstu laboraret, aquam ab ipsa petit : illa vero lac ei porrexit. Vide sapientiam mulieris. Cum enim lac refrigerandi vim obtineat, et somnum conciliet, ideo lac ipsi affert, ut Scriptura vere pronuntiat, quæ

[1] 4 Reg. XIX. — [2] Psal. LXXXII, 8. — [3] Judic. IV, 18.

ait : « Aquam ab ipsa petiit, et illa lac obtulit [1], » ut simul et sitim restingueret, et consopiret : deinde dormiente alienigena, arripuit illa mulier clavum et malleum, et ad hostem accurrit. Vide sapientiam mulieris. Cur illa non potius gladium aut machæram, sed paxillum arripuit? Metuebat scilicet, ut mulier, ne ille experrectus deprehenderet illam, gladium manu tenentem; hanc ob causam illa nullum virile telum arripuit, sed institutum muliere assumpsit. Solent enim mulieres succinctæ paxillum in parietem pangere, et sic suum opus suscipere et aggredi. Rem igitur alia via instituit, ut extra omnem suspicionem esset. Cum vero Deus auxiliaretur, Dei quoque erat oraculum illud ad exitum deducere : neque enim mulieris hoc stratagema erat, sed Dei oraculum : « In manu mulieris erit mors tua. » Deus ergo cum administer illius facinoris esset, somno hostem illum devinxit, et mulier, paxillo arrepto et malleo, adegit per tempora ictu tam forti, ut etiam terram penetraret, et sic quidem ille intra pedes mulieris mortuus est.

VII. Non desunt Deo occasiones, et cum ipse vult, nihil refert nos etiam sociorum auxiliis destitui : Dei arma, Dei miles, Dei virtus, solus nutus Dei omnia possunt. Hoc Christo dicamus : «Dic verbum, et hostes tui dissipabuntur : dic verbum, et misericordia civitatem tuam afficies : dic verbum, et mundi tui misereberis. » Dicamus illi : « Ecce » hostes tui sonuerunt, et qui te oderunt, sustulerunt ca» put [2]. » Vis-ne alterius ediscere mulieris stratagema, quod et ipsum divina voluntate perpetratum est? Erat alius quispiam, nomine Abimelech, qui, interfectis septuaginta fratribus, totoque populo per hoc fratricidium in suam potestatem redacto, oppidum, admotis copiis, oppugnare cœpit : et omnibus ad belli faciem attonitis et stupefactis, Deus iterum mulieris manum roboravit, eamque e mœni-

[1] Judic. IV, 19. — [2] Psal. LXXXII, 3.

bus conspici curavit, quæ ubi frustum de lapide molari arripuisset, in caput tyranni projecit, caputque contrivit. Sed observa ingentem superbi illius nequitiam cum ipso commorientem. Dicit satelliti astanti : « Stringe gladium » tuum, et me percute, ne dicant : Mulier ipsum occidit [1]. » Corpus moriebatur, superbia manebat : vitam ille quidem cum morte commutabat, vanæ gloriæ studium non commutabat. Et quidem hac ætate non deest Deo Debora, non deest Deo Jaël. Habemus et nos sanctam Virginem ac Dei genitricem Mariam, quæ pro nobis intercedit. Si enim quævis e vulgo mulier victoriam obtinuit, quanto magis Christi mater hostes veritatis confundit? Hostis ille omni armorum genere instructus, putavit mulierem esse risu dignam, et invenit ducem certantem. Non putavit se prope sepulcrum esse, et inventum est illi sepulcrum : mortuam illam existimabat, et ab ipsa interfectus est. Habemus dominam nostram sanctam Mariam Deiparam, sed et Apostolorum precibus opus est. Dicamus et nos Paulo, quemadmodum et prisci illi : « Cum in Macedoniam pertransieris, » nobis auxiliare [1]. » Habemus Apostolos, ne torpescamus. Habemus, inquam, Dominam nostram sanctam Deiparam, et semper virginem Mariam, ne pigritemur. Habemus chorum Martyrum, ne desides simus. Neque vero tantum precemur, sed si videtur, etiam jejunemus. Satius est jejunare jejunium desiderii, quam famis : satius jejunium dilectionis, quam necessitatis. Servator de dæmonibus ait : « Genus hoc » non ejicitur nisi in oratione et jejunio [2]. » Oratio et jejunium dæmones profligat, et barbaros non profligabit? Quod ante dixi rursus dico : rogemus sanctam gloriosam Virginem et Deiparam Mariam; rogemus sanctos et præclaros Apostolos; rogemus sanctos Martyres. Si quis necessitate quadam adactus, subito ad aliquem potentiorem confugiat,

[1] Act. XVI, 9. — [2] Matth. XVII, 20.

is non libenter ipsum excipit. « Ante necessitatem, inquit, nesciebas mihi honorem et cultum præstare, sed necessitate compulsus id agis. » Extra necessitatem honor ille suspectus non est. Si ante necessitatem judicem colas, in necessitate adjutorem reperies. Novit enim te non necessitate, sed amore agi. Simus itaque Martyrum amici, non ex necessitate, sed ex dilectione : ante tempestatem, ut tempestatibus afflicti doleamus, ut in tempestate ver inveniamus. Hæc dicimus, non imperantes, sed hortantes; non legem ferentes, sed obsecrantes : precamur ut omnes sobrie vivant. Potest autem Deus, præter fidem, præter rationem hostes ignominia afficere, orbis misereri, imperatores honore afficere, imperium firmare, suamque gloriam illustrare in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria in sæcula. Amen.

FINIS TOMI SEPTUAGESIMI TERTII.

ANNOTATIONES.

Annotatio præcipua:

Commentarius D. Chrysostomi in prophetiam Isaïæ ultra capita septem et octavi initium non progreditur; unde liquet esse hunc imperfectum. De sequentibus homiliis in eumdem Prophetam numero sex, hoc unum advertimus, scilicet singulas omnino genuinas esse et sancto ac eloquente antistite dignissimas.

Annot. (1), pag. 29.

Quando ait, Judæis in solitudine beneficio affectis, etiam alios beneficio affectos fuisse, id intelligit de vulgi promiscui innumerabili multitudine, quæ cum illis profecta narratur in Exodi capite xii. Ili erant alienigenæ, Ægyptii et alii, qui beneficiorum in Israëlitas collatorum consortes erant.

Annot. (2), pag. 32.

Hæc sunt verba Moabi, non vero Balaami; nec parvum interest discrimen inter hæc et illa quæ in libro Numerorum leguntur.

Annot. (3), pag. 171.

Παρέθηκεν αὐτῷ τὴν βαρικήν. Non Paulus custodi carceris, sed custos carceris Paulo mensam apposuit.

Annot. (4), pag. 214.

Prophetarum subditos hic dicit Judæos. Id quod sane verum esse potuit sub Moyse et Samuële. Verum erga alios Prophetas, quomodo subditi Prophetarum dici poterant Judæi? Hic vero nulla potest suspicio esse mendi; nam hæc vox paulo post repetitur. Subditos autem Prophetis Judæos hic dicere puto Chrysostomum, quia in iis, quæ religionem et cultum Dei spectabant, Prophetis obsequebantur, vel obsequi jubebantur.

Annot. (5), pag. 243.

Hic sermo est de signis, castigationibus, aliisque ad Judæos prævaricatores perterrefaciendos immissis; ut exempli causa, cum terræ hiatu Core et asseclæ absorpti sunt, aliique igne absumpti; cum serpentes immissi; cum, Samuële concionante, voces et pluviæ datæ sunt, quæ populum exterruerunt; uno verbo, cum naturæ elementa ordinem suum mutabant.

Annot. (6), pag. 251.

Putat Allenus legendum esse πονηρίαν, non πανίαν, et vere πονηρίαν omnino desiderari videtur. Nam hic ait Chrysostomus: « Quod si Judæi de talibus accusantur, quam nos

» veniam consequemur, quam defensionem, qui post tan-» tam gratiam et ineffabilem honorem, spemque immorta-» lem, in parem quam illi decidimus πενίαν, sive πονηρίαν ?» id est, inopiam aut nequitiam : utra vero lectio magis quadret hinc perspicietur, si advertamus hic sibi velle Chrysostomum nos in parem atque Judæi statum decidere. Quis vero ille status est? ille haud dubie in quem supra dixit Chrysostomus delapsos Judæos esse, in cauponariam nempe, avaritiam, dogmatum perversitatem, præstigias; quibus præmissis sane videtur πονηρία magis quadrare quam πενία. Attamen exemplarium omnium auctoritate moti, hanc postremam lectionem secuti sumus.

Annot. (7), pag. 262.

Hæc respiciunt caput quintum libri Proverbiorum, ubi contra meretricum illecebras fallaciasque adolescentes communit. Quod autem hic ait comparando Salomonem cum Eliseo, illum ex prudentia humana locutum esse, hunc vero ex gratia divina, sic intelligas, non quasi Salomon, dum Proverbiorum librum scriberet, gratia divina destitutus esset; sed quod ea quæ experientia et sagacitate sua noverat, dirigente Spiritu sancto, litteris mandaret; cum contra Eliseus illa tantum scriberet, quæ, afflante Numine, discebat.

Annot. (8), pag. 263.

Ea est quorumdam chronologorum sententia, Salomonem duodennem regnare cœpisse, eaque sapientiæ argumenta exhibuisse, quæ in Scriptura narrantur; verum peritiores chronologi jam tum virum fuisse censent. Certe

si duodennis solum erat, cum regnare cœpit, et quadraginta annis regnaverit, ut ait Scriptura, annosque natus quinquaginta duos obierit, quomodo stabit illud Scripturæ, 3 Reg. xi, 4: « Cumque jam senex esset, depravatum est » cor ejus per mulieres? »

Annot. (9), pag. 264.

Fornacem vocat Persicam, illam Babylonicam, in quam tres pueri conjecti sunt. Jam sæpe vidimus Assyriam et Babyloniam Persidem a Chrysostomo vocari.

Annot. (10), pag. 278.

« Hæc tibi pro ornatu. » Ait Chrysostomus Isaïam post enumerationem illam muliebrium ornamentorum his verbis recensionem suam claudere. Verum hæc non reperio in Bibliis τῶν ο. Sed magna olim erat exemplarium varietas, ut in præliminaribus ad hexapla alibique diximus.

Annot. (11), pag. 306.

Videtur hic Chrysostomus locum aliquem Danielis afferre, aut alterius Prophetæ; sed nullum talem reperimus.

Annot. (12), pag. 313.

Veterum Patrum opinio sententiaque fuit Isaïam Manassis tempore sectum fuisse. Id ait Athanasius libr. de Incarnatione : « Neque sicut Isaïas sectus est : » et alibi : « Esaïas sectus quidem est, at in ligno non fuit suspensus. »

Hieronymus vero in quæstionibus hebraïcis ad libr. Paralip. XXXIII : « Tradunt Hebræi idcirco occisum Esaïam, eo » quod eos appellaverit principes Sodomorum et Gomor- » rhæ. » His addi possent Augustinus, Theodoretus, et auctor libri de Prophetis apud Epiphanium, aliique; sed hæc satis sunto.

ANNOT. (13), pag. 326.

Hic omnino putamus aliquid desiderari. Nam primo intuitu videtur ea, quæ sequuntur, de Gedeone dici; sed ea de Achazo dicuntur. Neque solet Chrysostomus, cum exempla affert, ut hic Gedeonis exemplum, sic paucis rem absolvere, nullo dato signo indicante, quod vel quale sit illud exemplum.

ANNOT. (14), pag. 396.

Zachariam hic vocat Vocis patrem, scilicet Joannis Baptistæ, de quo dictum est : « Vox clamantis in deserto, etc. »

ANNOT. (15), pag. 453.

Sermo de Sigillis minus Chrysostomi ingenium sapit quam Severiani, cui vulgo ascribitur, quanquam in manuscriptis luculentissimis nomen sancti nostri antistitis præ se ferat. Est quippe numeris carens et concinna verborum sententiarumque ubertate, quibus cætera doctoris eximii scripta denotantur. Titulus autem « De Sigillis librorum » concionis argumentum non apte exprimit. Hic enim de Sigillis in medio orationis tantum agitur.

Librum in Danielem notulis solummodo consertum ex auctoritate Tillemontii operibus D. Chrysostomi annumeramus.

Annot. (16), pag. 477.

Hic mihi tenebræ. Nec aliud in mentem venit, quam ex scriptoris indiligentia factum esse, ut ad nos manca pervenerint eloquentissimi Patris verba. Scilicet dum ostendere vult longe ampliorem fuisse famam Baltasaris Judæi fama Baltasaris Babylonii, exemplum Josephi adduxerat eximius doctor. Uterque enim, Josephus ac Daniel, servi cum fuissent, eum honorem consecuti sunt, ut adorari, more earum gentium, meruerint : hic a rege Babylonis, Dan. II, 46; ille a patre, Gen. XXXVII, 9, et XLVII, 31. At notarius properans, rem indicare contentus, voces omisit. Hæc est nostra suspicio, seu potius divinatio, quam in medio relinquimus. Cæterum de Josephi adoratione abunde Theodoretus, quæst. XIX in Genesim, et Noster initio orationis XXVI in Epistolam ad Hebræos, et Homilia LXVI in Genesim.

Annot. (17), pag. 478.

Non tamen improbabilis est Theodoreti aliorumque sententia. Lege Judithæ XII, 2 et 19; Estheræ XIV, 17. Crediderim sanctissimos juvenes tribus de causis cibo regio abstinuisse. Tum ob solemnem ethnicorum in mensis superstitionem; tum quod plerique Babyloniorum cibi lege mosaïca vetiti essent; tum denique, quia jejunio et abstinentia ab animatis, Deum promereri satagebant. Et hoc ultimum confirmat Josephus antiquit. Jud. lib. X, cap. 11. Origenes

VII contra Celsum, sanctus Gregorius papa, Epist. ad Theotistam.

ANNOT. (18), pag. 482.

Plurimum a veritate aberrant, quos hic Noster auctores habet. Primum enim deportationem Danielis non numerant ab anno tertio desinente, et quarto ineunte Joacimi, seu Nabuchodonosoris primo, ut computatur Dan. I, 1; Jerem. XXV, 1; sed in ea tempora conferunt, quibus iterum capta sunt Hierosolyma, nempe sub Jechonia. Deinde dum urbem anno nono captam esse dicunt, a sacra Scriptura discedunt, quæ id anno Nabuchodonosoris partim septimo, partim octavo contigisse refert, Jerem. LII, 28; 4 Reg. XXIV, 12. (Neque enim hæc duo loca, quod existimat Usserius, sejungenda esse arbitror.) Horum errorum exempla in Theodoreti præfatione in Ezechielem, in græca temporum epitome, quam Josephus Scaliger ad Chronica Eusebii attexuit, et in ejusdem Scaligeri animadversionibus. Præterea Hebræos eadem nota designare solitos numerum secundum et numerum duodecimum, aut fallor, aut verum non est : quamvis fieri potuerit ut una mutaretur in aliam, deleta aut una detrita litterula. Denique de exscriptorum errato incredibile mihi fit, cum et textus hebraïcus et omnes versiones consentiant. Nemini ergo dubium esse potest Nabuchodonosorem hoc somnium, non quidem (ut Theodoreto placet) anno secundo illius regni, quo cum patre imperavit, nec (ut vetus Scholion habet) illius quod post expugnationem civitatis ac templi obtinuerit; sed secundo monarchiæ in plurimas gentes extincto Nabopolassaro partæ; quæ multorum sententia est.

Annot. (19), pag. 500.

Quia Ecclesia est, ubi tres, inquit Tertullianus.

Annot. (20), pag. 507.

Vulgata vertit *vigil*, loco hujus vocis *Ir*. Ir dicitur lumen magnum et splendor, sicut S. Gregorius Nazianzenus Angelos lumina appellat in oratione XL et LXIII. Unde et Septuaginta hic verterant ἄγγελον.

Annot. (21), pag. 517.

Vel tertius post regem, sicut Esth. x, 3, Mardochæus secundus est ab Assuero, et Gen. XLI, 43, Josephus in currum Pharaonis secundum imponitur. Vel tertius, id est, ut exponit S. Isidorus Pelusiota lib. II, Epist. 96, post regem ac reginam. Vel tertiæ partis regni administrator, quemadmodum Josephum videtur explicare S. Hieronymus. ὁ τῆς τριτης μοίρας ἡγεμών, ait idem Josephus de Jorami regis duce, 4 Reg. VII. Vel denique unus ex tribus principibus, qui Satrapis præerant, Dan. VI, 2, quique τριττάται dicebantur ac τρίαρχοι; ut patet ex Hieronymo ad Ezech. XXIII, 23. « Tristatas, inquit, principes principum interpretati sumus, etc. Tristatæ autem nomen est apud Græcos » secundi gradus post regiam dignitatem, etc.,» et ex Theophilo Antiocheno lib. II, ad Autolycum, τοῦ δὲ Σενναχαρείμ τρίαρχος ἐγένετο Ανδραμέλεχ αἴθιοψ, ὃς καὶ Αἰγύπτου ἐβασίλευσε. Suspicio mihi est (ut id obiter notem) Adramelechum esse Æthiopem illum Ægypti regem, qui in Chronicis Eusebii vocatur modo Ammerres, modo Merres, modo Αρμαΐς,

modo Ἀμμερής. Forte etiam (nihil enim ausim affirmare) de isto exponendus est locus 4, Reg. XVII, 31: «Hi autem qui » erant de Sepharvaïm, comburebant filios suos igni, Adra- » melech et Anamelech diis Sepharvaïm.» Favet Theodoretus quæst. XLVIII, in quartum regum. Diodorus quoque Siculus lib. III, et Strabo lib. XVII, conjecturam non mediocriter firmant, dum referunt ab Æthiopibus reges suos adorari solitos. Adramelechi Æthiopis in temporum Epitome quam edidit Scaliger, mentio fit: verum tempora non conveniunt. Existimaverim id nomen Æthiopum Deo ac regibus fuisse commune, præsertim cum regem magnum ac potentem significet. Certe quia olim reges ut Dii colebantur a plerisque gentibus, eo factum est, ut hæc duo nomina «Rex» et «Deus» pro eadem in Scripturis usurpata reperiantur. Confer loca Is. XXXVI, 19, et XXXVII, 13; 4, Reg. XVII, 31, et XVIII, 34, et XIX, 13; item Judithæ III, 13, et V, 29, et XI, 5, atque Seldenum lege syntagm. I, de Diis Syris cap. IX.

ANNOT. (22), pag. 519.

Ὁ ἔκγονος. Una omnium verisimillima sententia est Baltasarem fuisse filium Evilmerodachi, nepotem vero Nabuchodonosoris; quia Jerem. XXVII, 7, gentes servituræ dicuntur Nabuchodonosori, et filio ejus. Omnino tamen rejiciendi non sunt ii interpretes, veteres ac recentiores, quibus Nabuchodonosorus est, vel proavus Baltasaris, vel pater Evilmerodachi ac Baltasaris fratrum; vel pater unici filii binominis, et qui modo Evilmedorachus, modo Baltasar sit nuncupatus. Quare temerarium heterodoxorum sacræ Scripturæ interpretum consilium probari non potest, qui hoc capite in locum «Patris,» avum substituunt, καθάπερ ἐπὶ δικαστηρίου. De hoc more Isidorus Pelusiota lib. II, Epist, CLXXVII.

Annot. (23), pag. 538.

Captivitatem Israëlis interpretor non Israëlitarum deportationem a Salmanasare factam, sed Judæorum translationem sub Nabuchodonosoro primam. Recte igitur septuaginta servitutis annos ordiri videtur ab initio bellorum, et a prima captivitate, seu ab anno quarto Joacimi. Atque ita censent qui inter chronologos familiam ducunt. Quod subdit de annis in pauciores contractis, magis oratorie æstimo dictum, quam vere; quare verisimilius est quod in 5 adversus Judæos, et infra scribit, quodque alibi scripserat, tempus fuisse completum : quæ est etiam opinio Origenis Hom. IV, in Ezechielem; quamvis una vera sententia sit, quod septuaginta anni tunc ad finem vergebant. Locum Exodi XII, 40, aliter, ac mea quidem sententia longe commodius accepere LXX, ac post eos Josephus, Eusebius, Severus, Augustinus.

Annot. (24), pag. 543.

Theodoretus hic, sanctus Basilius, homilia prima de jejunio, et Noster secundo contra Judæos ἄσιτον penitus et ἄποτον per tres hebdomadas mansisse Danielem opinantur : ut de Mose legitur Exodi XXXIV, 28. Quod cum divino contextui adversari videatur, in sententiam sancti Hieronymi discedo libens.

Annot. (25), pag. 563.

Ut intelligatur clarius quid hic sibi velit Chrysostomus. Hæc gesta sunt, inquit Jeremias, mense nono, tuncque rex sedebat in domo hiemali et ante focum, frigoris scilicet

depellendi causa. Cum autem nonus mensis a dio, qui primus erat secundum macedonicum numerandi ritum Antiochiæ receptum, numeraretur, a dio, cujus pars septembri, pars octobri respondet, nonus mensis incidit in maïum et junium; atqui hi menses non in tempus hibernum incidunt, quare aliud mensium initium proponit Chrysostomus; nempe xanthicum, qui mensis respondet partim februario, partim martio, ita ut maxima pars ejus in martium incidat, sicque nonus mensis a xanthico, in novembrem incidet, ut hic dicitur. Incogitanter autem hic Διου januarii verterat Fronto Ducæus. Hinc autem confirmatur id quod vulgo statuitur, Antiochenos nempe macedonicis mensibus usos fuisse. Vide Usserium de anno macedonico et solari.

ANNOT. (26), pag. 597.

Homilia de Uno et eodem legislatore sub nomine D. Chrysostomi commemoratur a Patribus septimi concilii generalis (Tom. VII, pag. 452.) Photius vero rejicit quam judicat a Chrysostomi caractere alienam.

CONCORDANTIA

BIBLIOTHECÆ LATINÆ CUM GALLICA.

BIBLIOTHECA LATINA.	BIBLIOTHECA GALLICA.
Expositio in Psalmum CXXXIII, pag. 15.	Ejusdem fragmenta, tom. XVII, pag. 100-102.
Expositio in Psalmum CXXXIV, pag. 18.	Ejusdem fragmenta, tom. XI, pag. 284-288.
Expositio in Psalmum CXL, pag. 83.	Ejusdem fragmenta, tom. XVII, pag. 134-143.
Expositio in Psalmum CXLVIII, pag. 190.	Ejusdem fragmenta, tom. XI, pag. 327-332.
Homilia in propheticum dictum illud : *Ego Dominus Deus feci lumen et tenebras; faciens pacem et creans mala*, pag. 407.	Ejusdem fragmenta, tom. XII, pag. 85-97.
Homilia in illud Jeremiæ : *Domine, non est in homine via ejus*, pag. 437.	Ejusdem fragmenta, tom. XII, pag. 373-394.
Homiliæ II de Prophetiarum obscuritate, pag. 551.	Ejusdem fragmenta, tom. XIII, pag. 431-438.

INDEX

TOMI SEPTUAGESIMI TERTII.

EXPOSITIONES IN PSALMOS.

Expositio in Psalmum	CXXXI.	Pag. 3
—	CXXXII.	12
—	CXXXIII.	15
—	CXXXIV.	18
—	CXXXV.	37
—	CXXXVI.	47
—	CXXXVII.	51
—	CXXXVIII.	57
—	CXXXIX.	71
—	CXL.	83
—	CXLI.	107
—	CXLII.	115
—	CXLIII.	131
—	CXLIV.	144
Expositio I in Psalmum	CXLV.	157
— II in Psalmum	CXLV.	162
Expositio in Psalmum	CXLVI.	176
—	CXLVII.	180
—	CXLVIII.	190
—	CXLIX.	203
—	CL.	208

INTERPRETATIO IN ESAÏAM.

PROLEGOMENA. Pag. 21
CAPUT I. 24
CAPUT II. 25
CAPUT III. 28
CAPUT IV. 28
CAPUT V. 28
CAPUT VI. 30
CAPUT VII. 31
CAPUT VIII. 37

HOMILIÆ IN ESAÏAM.

HOMILIA I. *In laudem eorum, qui comparuerunt in Ecclesia ; quæque moderatio sit servanda in divinis laudibus. Item in illud* : Vidi Dominum sedentem in solio excelso. 34

HOMILIA II. *In dictum illud Isaïæ prophetæ*, Factum est anno, quo mortuus est Ozias rex, vidi Dominum sedentem in solio excelso et elevato, *et quod neque tempus, neque unum elementum divinarum Scripturarum oporteat prætercurrere.* 36

HOMILIA III. *In secundum librum Paralipomenon, ubi dicitur* : Elatum est cor Oziæ : *deque humilitate : tum quod hominem virtute præditum non oporteat esse confidentem : denique quantum malum sit arrogantia.* 37

HOMILIA IV. *In dictum illud Esaïæ* : Factum est anno, quo mortuus est Ozias, vidi Dominum sedentem in solio excelso et elato, *et laus civitatis Antiochiæ, et adversus eos qui prohibent nuptias, demonstratio divina.* 38

HOMILIA V. *In dictum illud Esaïæ prophetæ* : Factum est in anno, quo mortuus est Ozias rex, vidi Dominum : *et demonstratio quod Ozias jure fuerit affectus lepra, quod præter dignitatem incensum obtulisset, id quod non licet regibus, sed sacerdotibus.* 39

Homilia VI. *In Propheticum dictum illud* : Ego Dominus Deus feci lumen, et tenebras : faciens pacem et creans mala. Pag. 407
Homilia VII. *In Seraphim.* 425

HOMILIA IN JEREMIAM.

In locum illum prophetæ Jeremiæ : Domine, non est in homine via ejus, neque homo ibit, et diriget gressum suum. 437

SERMO DE SIGILLIS LIBRORUM.

Et quomodo Filius Patri, Pater Filio offerat, ac de Servatoris incarnatione. 455

INTERPRETATIO IN DANIELEM.

Caput I. 473
Caput II. 482
Caput III. 498
Caput IV. 503
Caput V. 515
Caput VI. 519
Caput VII. 524
Caput VIII. 535
Caput IX. 537
Caput X. 543
Caput XI. 548
Caput XII. Ibid.
Caput XIII. 549

DE PROPHETIARUM OBSCURITATE.

Homilia I. *Utiliter et percommode factum, ut prophetiæ de Christo et Gentibus, deque Judæorum reprobatione obscuræ essent, demonstratio.* 551

Homilia II. *Adhuc in obscuritatem Veteris Testamenti et in Dei clementiam, et quod alii alios non debeant accusare.* Pag. 563

DE UNO ET EODEM LEGISLATORE UTRIUSQUE TESTAMENTI.

Homilia. *Unum et eumdem esse legislatorem et Veteris et Novi Testamenti : item de veste sacerdotali : nec non de Pœnitentia.* 597
Annotationes. 619
Concordantia Bibliothecæ latinæ cum gallica. 631

EXPLICIT INDEX.

R65 .C42 1834 v.3-4
ohn Chrysostom, Saint,
07.
Operum

SOUTHERN EVANGELICAL SEMINARY
3 7387 0006 4096 9